PATRUM

NOVA BIBLIOTHECA.



Pietro Folo inc.

PIO IX. P. O. M.

NOVAE PATRUM BIBLIOTHECAE

TOMUS PRIMUS

CONTINENS

SANCTI AUGUSTINI

NOVOS EX CODICIBUS VATICANIS SERMONES

ITEM

EIUSDEM SPECULUM ET ALIA QUAEDAM
CUM DIVERSORUM PATRUM SCRIPTIS ET TABULIS XVI.

ed. Angelus Maius

ROMAE
TYPIS SACRI CONSILII PROPAGANDO CHRISTIANO NOMINI.
M.DCCC.LII.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO IX.

PONTIFICI MAXIMO

ANGELUS MAIUS CARDINALIS.

Christianae doctrinae thesaurum, ex sacris bibliis, traditione apostolica, et patrum magisterio congestum, quum summo in pretio omnes habent, tum Tu praecipue, BEATISSIME PATER, quem ob magna virtutum merita, animique et ingenii eximias dotes, Deus O. M. ecclesiae suae universae pastorem principemque praefecit. Quum igitur pluribus abhinc annis huic augendo thesauro, et ex fodinis reconditis eruendo, virium mearum tenuitatem impenderim, et iam luci exponendum publicoque usui tradendum existimem; hunc ab indulgentia tua pergratum honorem impetravi, ut quod praecessori tuo venerandae memoriae Gregorio olim desponderam, id nunc Tibi reverentiae meae devotaeque mentis testimonium offerrem.

Primus itaque prodeat permultis novis sermonibus speculoque biblico auctus, sanctus Augustinus, celeberrimus omnium sine dubio episcopus, et a Caelestino papa statim post obitum uberrima laude exornatus. Et de his quidem sermonibus, quos vaticana bibliotheca, quam Tu regaliter nuper ornasti, mihi obtulit, satis in praefatione me locutum existimo. Satis item de speculo disputavi, in quo latissimam ss. bibliorum partem habemus, ex itala vetere, quam ipse Augustinus, ceu verborum te-

naciorem cum perspicuitate sententiae, latinis omnibus sui temporis praeferebat. Porro divum Hipponensem nonnulli alii latinorum patrum sermones, quasi honorarii stipatores sectantur: quos inter Hilarius est, magnus ille Arianorum expugnator, cuius hymnum serotinum, et prooemia in Matthaeum atque Iohannem, ac fragmenta alia, vaticani codices, non sine iure testimoniisque vetustis ipsius nomini inscribunt.

Sequitur theologorum gemma Cyrillus, Augustino coaevus, cuius novis operibus volumina duo occupavimus: sunt enim eius dogmatici plures tractatus, et satis uberes in vetus novumque testamentum commentarii, cum aliis fragmentis plurimis. Accedit nova quaedam anonymi auctoris panoplia, cum pontificum Gelasii ac Theodori binis epistolis; quo nos specimine collectioni illi praeludimus pontificiarum epistolarum, quam vita comite, post Petrum Coutantium molimur: namque in Pontificum reapse epistolis tota ecclesiae administratio cognoscitur. Praeterea Gregorii nysseni duas, PATER BEATISSIME, dogmaticas orationes cum alterius supplemento comperies, in quo Spiritus sancti etiam a Filio processio, quam Photiani ex eius exemplaribus improbe abraserant, nunc splendide elucet, et aeneis etiam tabulis cusa, Catholicorum oculos exhilarabit.

Est et alterum christianae sapientiae splendidum lumen caesareensis Eusebius, Constantini magni familiaris atque historicus, cuius in Lucam postremosque psalmos lucubrationes, nec non evangelicas magni pretii quaestiones, et de paschate, cum reliquiis aliis exhibemus. Tum et eiusdem nobilem theophaniam, nuper ab Anglis syriace editam, nos originali graeco textu, in vaticanis codicibus partim comperto, exornavimus. Nec vero indictus praetereundus est byzantinus patriarcha Nicephorus; namque et huius adversus Iconomachos et Constantinum Copronymum grande opus, diu a doctis expetitum, nunc denique ad publicae lucis usuram protrahimus: cui commode accedunt coaetanei amicique eius Theodori Studitae orationes; quem auctorem lautioribus postea copiis, id est novis epistolarum libris, cum catecheseon centuriis atque tropariis, cumulabimus. Sunt Basilii

quoque sanctissimi quaedam: sunt eximii Chrysostomi in Proverbia curae: sunt Didymi in Paulum ac Iohannem partes explanationum; sunt aliorum graecorum in Isaiam et in psalmos atque in evangelia adnotationes: sunt Alexandri qui Athanasio praeivit, et aliorum orientis patriarcharum, nec non Theodori borealis Alaniae episcopi scripta aliquot, ex antiquis aeque codicibus derivata.

Magni Athanasii paschales epistolas ex hac ipsa romana urbe, ad quam diuturnis agitatus procellis pervenerat, partim missas, graece iamdiu latentes, syriace vero nuper inventas, scis in Anglia his annis feliciter typis traditas: quae cum ordinem et latinitatem adhuc requirerent, sedulam dedimus operam, ut eae per nos utroque adiumento pollerent, et cupidis omnium studiis cito patescerent. Quis tam invicti catholicae fidei defensoris ad populum suum alexandrinum adhortationes non libenter legat? Praeter quam quod eiusdem Athanasii graeca in Lucam fragmenta de vaticana pariter tua bibliotheca, tot praeclaris referta cimeliis, deprompsimus. Atque haec sunt praecipua, in sex voluminibus nostris patrum scripta, quae minorum aliorum comitatu non carent.

Etenim variis simul novisque rem christianam monumentis adiuvimus; veluti plena mahometicae sectae graeca refutatione, prima fere ut remur, et certe saeculo haud serius nono conscripta, quam perrarus nobis immo unicus codex donavit. Pari aetate procedit Manichaeorum graeca item historia, quam emendatam et auctam, cum teterrimae haereseos confutationibus, ex raro pariter codice sumpsimus. Longe vero antiquiores sunt, sub Iustino nempe seniore habiti, quos post historiam collocamus, de iisdem Manichaeis dialogi. Neque hagiologiam negleximus, editis nempe Chrysostomi, et Theodori Studitae, matrisque eius Theoctistae, novis de graeco penu vitis, nec non divi propinqui nostri apud Cryptae ferratae monasterium laudatissimi Bartholomaei. Disciplinam vero asceticam Studitae regulis atque epitimiis, prolixaque et pia cantuariensis Anselmi in quinquagesimum psalmum meditatione excoluimus. Quin ad sacram quoque hymnodiam,

divinamque liturgiam mentem convertimus, edito praesertim Theodori Andidorum episcopi de sacrosancta missa commentario, cui graphicas simul imagines vetere penicillo expressas et idonea declaratione illustratas adiunximus. Denique biographiam et bibliographiam tribus magnis Leonis Allatii lucubrationibus amplificavimus. Nam de reliquis multis opusculis ad ecclesiasticam saecularemve scientiam, vel historiam, ethicamque spectantibus, quae necessario prope nexu subiunximus, singillatim loqui supersedemus, apud Te praesertim tam sublimi dignitate conspicuum, et publicis universi orbis actibus occupatum.

Haec interim; namque in septimo iam procedit volumine, graece cum latina translatione, prophetarum insignis explanator Theodorus mopsuestenus; itemque in hoc et aliis voluminibus prisci integrique sacrorum librorum interpretes; nec non selectae ex catenis, ut loquimur, Origenis, Didymi, atque aliorum copiosae reliquiae, cum varii generis sacrorum potissime auctorum tractatibus, quos latini, graeci, atque orientales codices, a decessoribus tuis, Teque ipso, profusa liberalitate congesti, suppeditabunt. Denique valde laetamur, quod graeci schismatis peraccuratam uberemque historiam, ab orthodoxo graeco ante sexcentos annos, discordia maxime tunc gliscente, conscriptam, cum recti dogmatis validissimis defensionibus, et contrarii reprehensionibus, edituri sumus. Multum enim abest, ut vaticanae tuae bibliothecae opes nostro aliorumve studio exhaustae sint.

Quae nos dum gerimus, utinam post procellas temporum superatas, causa in primis fidei in qua salus christiana consistit, et ecclesiarum status salubri dispositione compositus, in regimine tuo tutelaque feliciter conquiescat! Postremo a Te reverenter, BEATISSIME PATER, deposcimus ut labores nostros, cuicuimodi sunt, laeto oculo aspicias, et auctori Tui studiosissimo et obsequentissimo apostolica faveas benignitate.

EDITORIS PRAEFATIO.

Ecclesiae Patrum praestantia.

I. Praeclare Lactantius in quarto institutionum ad Constantinum augustum libro ostendendum sibi sumpsit, sapientiam ac religionem sic cohaerere, ut divelli umquam non possint; nec eam esse veram sapientiam, quae veram religionem non habet. Quippe et divus Augustinus demonstrat 1) Deos paganorum numquam bene vivendi doctrinam tradidisse, atque inutilia fuisse philosophiae praecepta sine auctoritate divina. Scientia impiorum, inquit, sono tenus et strepitu linguae, ceterum cor inane veri: sed medicina est omnium animae vulnerum credere in Christum: totam denique idem pater adfirmat vitae bonae beataeque rationem in vera religione esse constitutam. Quod utique in domini Salvatoris apparitione cognitum est; cum post humani generis vitam prioribus saeculis in caligine prope generalis paganitatis versatam, lux verae denique religionis in universum tum romanum tum etiam barbaricum orbem diffusa est. Tunc, inquam, reformatis dogmatibus, pulsisque erroribus, perspicue innotuit, sapientiam reapse in religione contineri: tunc iidem coeperunt plerumque existere doctores sapientiae, qui et Dei sacerdotes. Namque apostolis divino potissimum spiritu instinctis successere patres ecclesiae magno numero, serie continua, summis viribus, deponendae idolorum pravitati, et veri Dei cultum substituendo, excolendis simul humanis moribus civitatique divinae formandae, intenti: quorum libri omni laudum genere cumulandi, ecclesiae sanctae in deliciis semper fuerunt. Nec enim quisquam imperite dicat, patres nostros, evangelii simplicitate contentos, saecularium litterarum adiumenta sprevisse: etenim huic eluendae calumniae clarissima adsunt ex omni antiquitate nostrorum hominum nomina, qui profana simul litteratura ad miraculum perornati fuerunt: in Asia quidem Iustinus, Iulius Africanus, caesareensis Eusebius, Theophilus antiochenus: inter Syros Ephraemius, inter Armenios Moyses historicus, inter Chaldaeos Ebediesu, inter Gothos Ulphilas. in Aegypto Clemens, Origenes, Athanasius, atque Cyrillus: in Africa Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, et maximus Augustinus. Et iam mitto graecos qui plurimi omni aetate extiterunt. In occidente autem Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, Isidorus (nam de summatibus tantum et operum doctissimorum, quae supersunt, auctoribus loquimur); et ille demum, quo nemo propinquius feliciusque Tullium aemulatus est, disertissimi oris Lactantius, a primo et maximo imperatore christiano regiae proli instituendae praepositus. Sed quorsum haec, dicet aliquis? Nempe ut nostrum erga benemerentissimos ecclesiae patres studium comprobemus, et alienum pariter incendamus. Ne tamen noster ecclesiasticae doctrinae amor intra verba tantummodo atque admirationem subsistat, manum operi pro virium saltem infirmitate admovebimus, ut si quid adhuc sacrorum auctorum patrimonio addi potest (quod facile fieri posse confidimus) per nos in mss. exemplaribus conquisitum, et idoneo aliquo criticae artis comitatu stipatum, ad ecclesiae ornatum publicamque utilitatem prodire diutius non demoretur.

1) De civ. D. lib. II. 6. 7. 22, confess. III. 10, de vera relig. cap. 1, serm. CXLIII. ed. maur. Ita non semel loquitur in scriptis nuperis etiam S. Cyrillus.

Nova Patrum bibliotheca instruitur.

II. Novam igitur ecclesiae patrum bibliothecam (vel potius eius incrementum) instruere, in animo est; novam, inquam, non impressionem, sed scriptorum ante tempora hodierna plerumque latentium editionem: cui labori postremos vitae meae annos libenter impendo, ut gratiam aliquam apud Deum O. M., non pro rei actae merito, sed pro devotae voluntatis studio, consequi videar. Etenim cum hoc saeculum tot inauditis scientiarum et artium, vitaeque humanae adiumentis ornamentisque paene ad miraculum dives fiat, ita ut nostras novorum quotidie fama inventorum aures occupet; congruum est, ut rem quoque ecclesiasticam, (quod multi reapse docti viri agunt, quos inter Spicilegii solesmensis clarus cum suis sodalibus D. Pitra) novis copiis et auctibus cumulemus. Igitur exploratis codicum praesertim pontificiorum ditissimis pluteis, nonnulla etiam subsidia aliunde adeptus, novae huius patrum bibliothecae ante complures annos moliri volumina coeperam; nullum tamen eorum, modo politicis revolutionibus, dum magno miscetur murmure mundus, modo laboris mole, modo aliis occupationibus retardatus, in lucem emiseram. Sed nunc Dei tandem ope, cunctis remotis repagulis, cum aversus divina providentia turbo videtur, et bellis tempora iam sedatis mitescunt, quod bonum faustumque sit, et ecclesiae catholicae bene vertat, a magno patre Augustino initium capiam, cui primum seriei huius volumen, iamdiu destinaveram.

Augustini sermones ad populum.

III. Inter omnia divi Augustini scripta, numerosos prae ceteris fuisse populares sermones compertum est. Namque hoc eloquentiae genere veteres episcopi potissime usi sunt. *Populis enim* (aiebat Chrysologus serm. 43.) *populariter loquendum est.* Suos quidem diserte memorat ipse Augustinus qui retract. lib. II. 67, *sermones ad populum alios dictatos, alios a se dictos*, adfirmat. Et prooem. in ps. CXVIII: *partim sermocinando in populis, partim dictando exposui.* Iam quia intra ecclesiam habebantur, idcirco epist. CLVII. 22. *ecclesiasticos populares sermones* appellat; siquidem (epist. CXC. 19.) *appellamus*, inquit, *ecclesiam basilicam qua continetur populus.* Alibi vero, v. gr. ep. CCXXIV. 2. *tractatus populares* dicit. Item prooem. in psalmum CXVIII. *sermones qui proferuntur in populis.* Nec non serm. LXXI. 8: *in sermonibus quos ad populum habui.* Horum certe tanta copia fuit, ut unus graecus Chrysostomus cum nostro Augustino certare de numero videatur. Testes sunt maurinae Augustini editionis tomus quartus et quintus pleni sermonibus, ille in psalmos, hic mira argumentorum varietate refertus. Testis item tertius tomus, cuius magnam partem constituunt tractatus in Iohannis evangelium atque in eiusdem epistolam primam; quibus si alii per illam editionem sparsi iungantur, plena fient Augustini sermonum prope volumina tria. Verumtamen longe abest, ut in praedictis Maurinorum tomis cuncti beati patris sermones claudantur. Nam et postea doctorum hominum indagines novos Augustini sermones, ut inferius dicemus, in codicibus scriptis repererunt; quorum novis laboribus nostra quoque tenuis industria nunc accedit.

Plurimus sermonum Augustini numerus fuit.

IV. Atque ut viam planiorem dissertationi huic praeviae muniamus, paulo adhuc enucleatius de hac ingenti beati patris sermonum copia dicendum est. In primis con-

stat Augustinum anno Christi CCCXCI. factum presbyterum, anno autem CCCXCV. consecratum episcopum, anno denique CCCCXXX. ex hac mortali vita in caelum evolasse. Iam vero et presbyter et episcopus, id est per totos quadraginta annos, quamdiu sacerdotalem sarcinam sustinuit, a praedicando Dei verbo numquam cessavit. Etenim in primis retract. prolog. ait: *cum iuvenis coepi apud populum dicere, tantum mihi tributum est, ut ubicumque me praesente loqui opus esset ad populum, rarissime tacere atque alios audire permitterer.* Quam rem ipse denuo confirmat enarr. in ps. XCIII. 30. CXXXI. initio, et serm. XCIV. item initio. Possidius autem de illo adhuc presbytero narrat in eius vita cap. VII: *et docebat et praedicabat privatim et publice, in domo et in ecclesia salutis verbum cum omni fiducia.* Et de eo mox facto episcopo cap. VIII: *non adhuc in una tantum regione, sed ubicumque rogatus venisset, verbum salutis aeternae alacriter et gnaviter praedicabat.* Et cap. XII: *dum forte rogatus ad visitandas, instruendas, et exhortandas catholicas plebes, quod ipse frequentissime faciebat.* Denique cap. XV: *tanto in pretio sermones eius habebantur, ut auditores non tantum illos sibi in memoria studerent figere, sed etiam chartae mandatos domi servare properarent.* Et quod adhuc lateat sermonum Augustini pars, constat ex illorum titulis ab eodem Possidio, nec non a Facundo, Severo Sulpicio, et Alcuino identidem memoratis, multoque copiosius a Ceillerio hist. auct. sacr. T. XII. p. 255. seq. Possidius XXIII. saltem legebat Augustini sermones in paschalis vigiliis dictos. Atqui duplex saltem numerus fuit, si episcopatus annos supputemus. Nam quotannis sollemnitates episcopali concione decorari solitas, dicit etiam Chrysologus in exordio sermonis 146: *quotiens transcursis anni metis, dies dominicae nativitatis adventat etc.* Ipse Augustinus ad Hieronymum ep. LXXIII. 5: *si quid in hac re habeo facultatis, utcumque impendo populo Dei. Vacare autem studiis diligentius, quam quae populi audiunt instruendi, omnino non possum.* Adhuc Possidius in vita cap. XXXI: *verbum Dei usque ad ipsam suam extremam aegritudinem inpraetermisse, alacriter, et fortiter, sana mente, sanoque consilio, in ecclesia praedicavit.* Idemque in indiculi fine: *fecit libros, tractatus* (i. e. sermones), *epistolas numero MXXX., exceptis iis qui numerari non possunt.* Idque iam dixerat in vita cap. XVIII: *tanta ab eodem dictata sunt, tantaque in ecclesia disputata* etc. *ut ea omnia vix quisquam studiosorum perlegere et nosse sufficiat.* Quamobrem etiam in gelasiani de libris decreti paraphrasi *innumerabilia* dicuntur *Augustini opuscula.* Tum in in codice vat. antiquissimo 3836. f. 276. sic legitur: *expliciunt sermones sancti Augustini de sollemnitatibus diversorum sanctorum, numero centum.* Atque utinam nobis superesset ab Augustino ipso confectus indiculus, ut cognoscimus ex retract II. 41: *commonitorium etc. in opusculorum meorum indiculo non est notatum.* Audiatur quoque Victor vitensis de pers. vand. lib. I. 3: *cuncti Augustini tractatus populares, quos Graeci homilias vocant, quorum numerum comprehendere satis impossibile est.* Sanctus item Isidorus de script. eccl. cap. 8: *homiliarum (Augustini) et epistolarum quaestionumque infinitus modus est; ut paene vix possit quisquam articulo suo aliena tanta scribere, quanta ille proprio labore composuit.* Certe et ipse Augustinus (ep. 224.) opuscula sua dicit fuisse 232, *praeter epistolas et sermones populares (quos Graeci*, inquit, *homilias vocant)*; ubi satis indicat, se neque hos neque illas posse numerare. Augustini vero sermones sic breviter laudat Possidius in vita cap. VII: *tractatus eius mirabili Dei gratia procedentes ac profluentes, instructos rationis*

copia, atque auctoritate sanctarum scripturarum, ipsi quoque haeretici concurrentes cum catholicis, ingenti ardore audiebant; et quisquis ut voluit, et potuit, notarios adhibens, etiam ea quae dicebantur excepta descripsit. Et quidem gratis atque amore Dei semper praedicavit. Nam serm. IX. 5. in aliena civitate concionans, *nec mercedem aliquam*, inquit, *exigimus, nisi ut faciatis quae dicimus.* Idemque ait T. VI. in sermone V. 10. ad baptizandos. Ne plausum quidem sibi mercedis loco, sed audientium tantum emendationem poscebat. Sic enim serm. CLXXX. 14: *quasi vero parvus sit fructus sudoris huius mei, si omnes qui mihi acclamaverunt, clament et contra se, ne falsum iurent etc. Si tot homines qui me attentissime audierunt, adtenti sint adversus consuetudinem suam etc.* Et serm. CLXXVIII. 7: *tu laudas dicentem, ego quaero facientem.*

Adhuc de multitudine sermonum Augustini.

V. Porro ut clarius adhuc innotescat Augustini sermonum multitudo, utile fuerit locutiones aliquot heic intexere, quae eius concionandi frequentiam demonstrant. In sermone CLXXIX. 2: *ego qui vobis*, inquit, *assidue loquor, iubente domino et fratre meo episcopo vestro, et exigentibus vobis.* Et enarr. in ps. XC. nec non serm. XCIII: *qui hesterno die sermoni adfuistis promissionem nostram tenetis, quae hodie reddenda est.* Item serm. LXXIII. 3: *heri allocutus sum viam*; *heri ista diximus; hodie zizania alloquor.* Tum serm. CCCLV. 1: *volui et rogavi hesterno die, ut hodie frequentius conveniretis.* Conferantur similes locutiones in serm. CLIV. CLIX. CCXXXII. 8. Nec non enarr. in ps. XXXV. 19. XLVIII. enarr. 2. LXXX. fin. XC. enarr. 2. Et in Ioh. tract. XXI. et alibi denique id satis patet. Et enarr. in ps. CIII: *die quidem nudius tertiano abunde refecti fuistis; sed quia nos etiam post longum sermonem avidissimi dimisistis, non putavimus sanctitatem vestram hodierni diei debito fraudandam.* Ex tractatu autem XXII. in Ioh. apparet Augustinum concionatum esse tribus continuatim diebus: *nudiustertiani et hesterni diei sermones redditos vobis sequitur hodierna evangelica lectio* Tum ex prologo ad epistolam Iohannis, eiusque tractatu decimo, satis colligitur decem illos tractatus ab Augustino continuatis item diebus dictos fuisse. Quin et pluries in die de suggestu dixisse discimus ex enarr. 2. in ps. LXXXVIII: *ad reliqua psalmi, de quo in matutino locuti sumus, animum intendite, et pium debitum exigite.* Denique ex serm. vatic. CLVIII. 4, et casin. VIII. 1. bis die quodam concionatum esse apparet. Quadragesimali tamen praesertim tempore praedicare solitum fuisse Augustinum apparet ex sermone ed. CCV. 1: *observationem quadragesimae sollemni reditu praesentatam, hodierna die ingredimur; quod vobis sollemniter etiam exhortatio nostra debetur.* Et ep. XXIX. 3: *postea quam dies quadragesimae illuxisset, et frequens multitudo ad horam tractationis occurrit.* Dominicis ceteroqui diebus brevius perorasse, propter alia ecclesiae officia, cognoscimus ex tract. XLVII. 8. in Ioh. *Fratres, quaeramus hoc paulo adtentius. Non nos artat hora, quae solet die dominico.* Nihilominus tractatum VII. 24. in Ioh. quamquam die dominico dictum, se diu protraxisse ait, ut importunae interim popularis vanitatis horae transirent. Non raro coeptum die dominico argumentum, proximo dein dominico complebat, v. gr. in Ioh. tract. II. 1. Dominicis quippe diebus quasi ad clepsydram orasse videntur sacri praecones, quod Gregorio etiam antiocheno usuvenisse videmus in sermone a nobis edito, nec non ipsi Augustino serm. XLIX. 1. Quandoque vero brevissime dicebat divus pater, veluti serm. CCXXVIII:

post laborem noctis praeteritae, diu vos tenere sermone non debeo, et tamen sermonem vobis debeo. Brevissimi omnium sunt de miraculis sancti Stephani sermones CCCXX. CCCXXI. CCCXXII. Quin etiam improviso aliquando dixit, ut videmus enarr. in ps. CXXXVIII. 1, et serm. LXXI. 8. CLXXX. 4. CCCLII. 1. Illud quoque notabile simulque historicum est dictum Augustini in sermone CCCLV. 2: *ut non vos diu teneam, praesertim quia ego sedens loquor, vos stando laboratis.* (Cui stantis concionis consuetudini contrarias fuisse transmarinas ecclesias, ait de catech. rud. n. 19., apud quas non solum antistites sedentes loquebantur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia subiacebant.) Et in fine illius sermonis: *multa locutus, date veniam loquaci senectuti. Ego sicut videtis per aetatem modo senui.—Orate pro me, ut quantum inest anima in hoc corpore, et qualescumque vires suppetunt, in verbo Dei serviam vobis.* Atque hac sua episcopali concionandi assiduitate, praelusit quodammodo Augustinus tridentini concilii de hac re decreto ac legi: quem concionis episcopalis debitum morem valde laudat exornatque magnus Cardinalis Augustinus Valerius in egregio opusculo, de cauta imitatione sanctorum episcoporum, ad mediolanensem archiepiscopum Federicum Card. Borromaeum misso 2). Dum ergo tanto praedicandi labori insisteret, recte aiebat Augustinus ep. XXIII. 6: *non enim cogito in ecclesiasticis honoribus tempora ventosa transigere, sed cogito me principi pastorum omnium rationem de commissis ovibus redditurum.* Et ep. LXXXV. 2: *non est episcopatus artificium transigendae vitae fallacis.* Didicerat autem hanc praedicandi assiduitatem Augustinus ab Ambrosio baptizatore suo, quem omni die dominico ad populum concionari solitum dicit confess. VI. 4. Quo fit, ut ego aliquantulum mirer Maurinos, qui tam secure populares omnes sermones repudiarunt Ambrosii nomine inscriptos; quamquam eos innumeri codices continent (quos inter nominatim appello codicem vaticanum 264. saec. XIII. ambrosianis sermonibus plenissimum) et a Caesario arelatensi ad populum lectos scimus. Unum *de symbolo* nos ipsi edidimus Script. vet. T. VII, tres doctus monachus Leander Correrius.

Sermones Augustini gradatim editi.

VI. Diximus de Augustini diuturna concionandi assiduitate, deque ingenti sermonum eius numero, qui in impressis libris apparent. Nunc, ut nemo miretur, nos quoque post tot doctorum virorum indagines, ac typographorum labores, novum adhuc divi patris sermonum insperatorum volumen efferre, narrandum necessario est quibus intervallis et quasi gradibus sermones sancti Augustini in lucem prodierint. Nam quod paulatim ac pedetemptim crevit, id alia denuo accepturum incrementa non immerito creditur, et spem cuiusque indagantis longius solet porrigere. Igitur omissis etiam saeculi XV. editionibus, quae aliquem sermonum Augustini numerum continent; saeculo quidem sequente, ac deinceps usque ad nos, magna illorum accessio facta est. Quippe Amerbachiana basileensis editio anni MDVI, nec non Erasmiana pariter basileensis anni MDXXVIII, seriem iam non modicam sermonum complexae

1) Sess. V. cap. 2. de reform. *Non minus necessaria est praedicatio evangelii quam lectio. Statuit et decrevit sancta synodus omnes episcopos etc. teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum sanctum Iesu Christi evangelium.*

2) Hoc nos opusculum cum aliis eiusdem Cardinalis edidimus in octavo Spicilegii romani volumine; cupimusque ut ecclesiarum praesules partem saltem illam n. 7. legant, ubi concionum episcopalium utilitas perquam eleganter exponitur. Ipse porro Card. Federicus Borromaeus *de concionante episcopo* tractatum edidit.

erant. Veneta quoque editio anni MDLII. spondebat inter alias novitates etiam sermones. Sed ecce mox in tertia basileensi anni MDLVI. novi additi quinque sunt, et in quarta item basileensi anni MDLXIX. quatuor accesserunt. Et quidem benemerentissimus de Augustino Iohannes Ulimmerius anno MDLXIV. quadraginta tres in lucem extulit novos divi Hipponensis sermones, cum fragmentis aliorum XXVII, et cum illo optatissimo Possidii indiculo. Idem rursus Ulimmerius novos adhuc sermones deinde intulit in celebrem a lovaniensibus theologis curatam Antuerpiae editionem apud Plantinum anno MDLXXVII. Sed iam antea, nimirum anno MDXXXI. septendecim alii Augustini sermones ex mss. Carthusiae ad muros parisienses prodierant. Nondum satis; etenim anno MDCXIV. alii undecim ex mss. carthusianis, tredecimque ex codicibus pithoeanis in eadem urbe apparebant. Anno demum MDCXXXI. clarus Sirmondus quadraginta Parisiis item vulgabat laudatissimos divi patris sermones. Deinde anno MDCXXXIV. sermones Augustini alios edidit ex codice andegavensi Guillelmus Camerarius scotus. Neque porro romana civitas socors omnino fuit; etenim Iohannes Baptista Marus anno MDCXLIV. octo novos edebat; tres nimirum sumptos ex codice S. Mariae ad Martyres, prius quam is in bibliothecam vaticanam inferretur, ut ait in praef. p. 12; quinque reliquos ex barberinio. Idem Marus praefationem sic concludebat: *atque utinam semel omnia prodeant, quae in tam vasta sancti doctoris eruditione varie dissipata et distracta cum tineis et blattis conflictantur, nec nisi saeculorum intervallo in tanta rerum vicissitudiue emergunt; nisi etiam plura mutatis nempe latebris perierunt!* Sequitur plurimi erga Augustinum meriti Hieronymus Vignerius, qui anno MDCLV. tomis duobus maioribus insigne aliud supplementum Augustini operum Parisiis edidit, inter quae varios quoque sermones atque tractatus, qui illatenus delituerant. Acherius etiam T. I. ed. nov. p. 41. dedit unum Augustini sermonem, quem ego quoque in codice vat. 1267. f. 67. conspexi. Et iam denique ad nobilissimam Maurinorum editionem pervenimus anno MDCLXXIX. imprimi coeptam, et anno demum MDCC. absolutam, quae praeter superiores, novos adhuc ex mss. addidit sermones octodecim, cum fragmentis aliquot. Ergo hactenus vidimus quam paulatim gradatimque variis locis atque temporibus sermonum Augustini strues concreverit. Porro vix quisquam, post tam doctas tamque diuturnas tum veterum philologorum, tum postea Maurinorum curas, incrementa alia sperasset.

Novissimae sermonum Augustini editiones.

VII. Ceteroqui res aliter plane evenit; tot enim ingeniis, totque temporibus, summo studio et labore quaesitus Augustinus, non est totus inventus: quandoquidem, ut initio diximus, hoc erat in fatis divi patris, ut homiliae praesertim eius nonnisi lente ac laboriose, atque ex diversis antiquarum bibliothecarum recessibus emicarent. Princeps longo post Maurinos intervallo, id est anno MDCCXCII, Michaël Denisius in aciem prodiit, caesareae bibliothecae custos, qui in codice ex Italia Vindobonam translato, inter alios multos Augustini sermones, reperit incognitos XXV, quos statim impiger typis vulgavit. Idem in adn. ad serm. XXII. sapienter nec sine sarcasmo monebat, reperiri fortasse alios posse Augustini sermones, si bibliothecarum scrutatores non contenti fuerint elenchos mss. percurrere, aut sola codicum terga lustrare. Quo prudente Denisii dicto diflatur ilico multorum illud contra nova haec inventa praeiudicium, quod nempe invisos alios Augustini latitare sermones,

in tanta litterarum luce sit incredibile. Sequente mox anno Florentiae Franciscus Fontanius, bibliothecae richardianae praefectus, partim ex suis partim ex mediceis mss., extudit alios quatuor Augustini sermones, *de oratione, de caritate, de adventu, de circumcisione,* quos in novis eruditorum deliciis tomo tertio legere licet. Age vero aetate hac nostra doctissimus monachus, amicus olim noster, et nunc in caelo beatus, Octavius Frangipanius, casinensis archivii et bibliothecae praefectus, egregios decem sancti patris sermones eatenus delitescentes vel imperfectos, romanis typis anno MDCCCXIX. commisit. Idem immo vir humanissimus mihi ipsi tunc novo Romae hospiti, sermonum aliquot divi patris munus offerebat, si forte typis eos destinarem; verumtamen tunc ego alii studiorum generi intentus, amici oblationem, non sine gravi labore expendendam, minime admisi; paucos etiam iam transmissos, in pluteo meo pressos detinui; nisi quod sermonis casinensis fragmentum de martyribus barbaris recitavi in Script. vet. tomo sexto praef. p. XXXVI; et vitae etiam breve supplementum nunc non neglexi, quamquam Parisiensibus communicatum, ut eiusdem fontem Bedam esse monstrarem. Oblatio illa ceteroqui casinensium sermonum animo altius insedit, meque ut in vaticanis postea codicibus parem thesaurum expiscarer cohortata est. Ecce autem dum nos edendis aliis libris in bibliotheca pontificia distrahimur, non mediocre prodiit Augustini incrementum studio cl. virorum Caillau et Saint-Yves, Parisiis anno MDCCCXXXVI, sermones scilicet ferme septuaginta ex casinensibus mss. sumpti, collatis interdum Florentiae mediceis exemplaribus. Equidem contradictionem aliquam adversus has novorum sermonum editiones excitatam in Gallia scio, cui tamen satis strenue repugnatum fuit, ut iam omittam quicquid rigidiore iudicio vel commotiore animo decertantes docti dixerunt. Sed certe mihi non pauci ex his casinensibus, nec non ex vindobonensibus et florentinis, in vaticanis quoque codicibus et quidem antiquissimis occurrebant. Praeoccupatum igitur saepe me cognovi, et ab editis edendis exclusum. Sed tamen his testimoniis quisque videt, neotericas quas dixi editiones, in multis certe confirmari 1). Nec vero verba diutius de his faciam, quaecumque ad librum meum non attinent: praeter quam quod vitandae sunt offensiones, atque omnium famae et honorificentiae consulendum est: ita tamen ut novissimorum editorum honorificam mentionem praetermittere noluerim, atque ab his Augustinum vere locupletatum existimem. Itaque, ut vidimus, quatuor ferme saecula succedentes et crescentes sermonum Augustini editiones occuparunt.

Sermonum Augustini editio maurina vaticanis auxiliis caruit.

VIII. Hactenus de alienis laboribus; nunc de nostris postremo dicendum superest; qui quoniam in agro vaticano plerique omnes sunt exantlati, hoc primum disquirendum videtur, num codices ante nos vaticani symbolam aliquam Augustino contulerint. Prima cogitatae, non tamen actae apud vaticanum palatium operum S. Augustini editionis, mentio illa occurrit quam Maurini in generali praefatione tomo XI. his verbis recitant. *Praeiverat exemplum Petri Morini vaticanae typographiae praefecti, aliorumque almae Urbis eruditorum virorum, Adriani abbatis, atque Obrii doctoris parisiensis, et aliorum; qui primum Sixto V, dein Clemente VIII. sum-*

1) Neque solum confirmantur multi ex iis quos parisiensis editio habet in genuinis, sed etiam ille prolixus de ascensione Domini, incip. *Dies isti*, reiectus illic in appendicem, extat in antiquissimo vat. codice 3835. f. 138; itemque f. 184. ille de pentecoste similiter ad appendicem libri parisiensis relegatus.

mis pontificibus, novam sancti Augustini commentationum editionem, post illam lovaniensem, adgressi fuerant; rati scilicet egregios esse vaticanos libros, quos Lovanienses minime consuluerant, magnumque eorum esse numerum, unde variae lectiones excerperentur: pleraque item, quae in lovaniensibus libris, quantumvis accuratis, desiderantur, unde haec editio christianae doctrinae lucem allatura sit, ut Petrus Morinus scribit in epistola XV. ad Cardinalem Caietanum, qui praedicto consilio plurimum suffragabatur. Factum est: collati sunt lovanienses libri cum codicibus vaticanis perquam accuratissime, et ad marginem appositae variantes lectiones ad editionem adornandam, cui Cardinalis Veronae sacri collegii princeps praefectus fuit. Verum cum res effectu caruisset; omnes illae variationes iussu Clementis X. pontificis a piae memoriae Cardinale Bona nobiscum communicatae sunt, ut iis in nova nostra editione uteremur. Macte egregiam historiam! Et quidem in bibliotheca vat. vetere sub num. 4991. et 4992, et in illa Reginae svecae cod. 299. servantur adhuc nonnullorum S. Augustini operum variae lectiones ex codicibus vaticanis collectae. Verumtamen in his tribus codicibus nulla extat sermonum Augustini collatio, quae posterioribus fortasse curis reservabatur. Et quidem nos hoc loco de augustinianis tantum ad populum sermonibus agimus, quorum variae lectiones vaticanae neque omnino conquisitae fuerunt, neque eas se accepisse Maurini demonstrant, quandoquidem in plurimorum apud ipsos codicum syllabo (T. V. in calce) ad quos aiunt se recognovisse sermones, nullum nominant vaticanum: cumque in ceterorum omnium tomorum frontibus constanter dicant, se opera recensuisse ad codices gallicanos, vaticanos etc.; hunc quintum sermonum tomum correxisse dicunt ad codices gallicanos, romanos etc. Cur, inquam, *romanos* et non potius *vaticanos*? quia scilicet romanorum codicum monasterii S. Crucis in agro sessoriano collationem aliquam habuerunt, ut aiunt in syllabo, nullam vero vaticanorum 1). Neque item in aeterna Urbe consuluerunt codices barberinios, capranicenses, vallicellianos. Iam et hispanos plurimos esse nondum consultos, quis dubitet? Hos nimirum Arevalus a meditantibus in Hispania novam Augustini editionem explorari volebat (in isidorianis T. II. p. 374.) Nam et lusitanorum specimen nuper apparuit, ut nos diximus p. 308. in adn.

Italicos Augustini codices vix noverunt Maurini.

IX. Atque parem plane cantilenam nuper Frangipanius casinensis, et galli Caillau et Saint-Yves, adversus Maurinos occinuerunt, qui in casinensi ordinis sui monasterio, post adornatam tamen parisiensem editionem, non semel diversati, codicumque archivio lustrato, caecutientes paene, ut ait fraterna cum libertate Frangipanius, nihil inde retulerunt, ubi tamen tot latebant Augustini homiliae, quas ipse et alii neoterici, ut ante diximus, detexerunt. Denisius item maurinum Montfauconium demiratus est, qui codicem tunc neapolitanum, postea vindobonensem, ineditis multis Augustini sermonibus divitem, Neapoli ad S. Severinum in ordinis item sui coenobio observaverit, scriptoque memoraverit, quin spicum ullum novum ibi agnoverit divi patris, nedum decerpserit. Denisio succinit Fontanius quod attinet ad incognitos Maurinis codices florentinos. Denique quod non omnia Maurini nove-

1) Excipe libros duos de sermone Domini in monte, quorum varias aliquot lectiones ex vaticana bibliotheca, nescio quo tradente, Maurini impetrarunt. Neque tamen hi sunt sermones, sed libri. Ex sessoriano autem codice habuerunt sermonem 114, et epistolam 19.

rint, quae Augustini nomen gerebant, queritur etiam Arevalus in prolegomenis ad Dracontium (cuius poëtae nos modo supplementa edidimus) p. 77. his verbis: «multo » vero magis est mirandum, Dracontii poëma sub Aurelii Augustini nomine descri- » ptum, diligentiam editorum S. Augustini praesertim Maurinorum ita fugisse, ut » nullum de eo verbum fecerint. Oportebat enim saltem monere lectores, extare » quidem huiuscemodi carmen sic inscriptum, sed Augustinum auctorem eius non » esse. » Quid? Nonne et illud grammaticale opusculum, ARTES inscriptum, modo item a nobis editum, ignoravere Maurini, quamquam in vetustissimo palatino codice, nunc vaticano, Augustini nomen aperte prae se ferens, nec eo indignum, ut suo loco iam diximus? Quam omissionem obiicit illis idem Arevalus in isidorianis T. II. p. 373. Iidem videlicet, laudatissimi licet, editores non excusserunt archiviorum in monasteriis italicis vel in cathedralibus ecclesiis codices, neque neapolitanos, casinenses, florentinos, pomposianos 1) bononienses, veronenses, venetos, taurinenses, mediolanenses denique in bibliotheca Ambrosiana, ubi inediti aliquot mihi olim visi sunt Augustini sermones; ideoque opto inspici a philologis codicem praesertim C. 21. ord. sup. Omnino ditissima harum opum Italia a Maurinis propemodum praeterita fuit.

Sermo unicus ex vaticano codice per Holstenium.

X. Hactenus demonstravimus, nullum ante hoc tempus sermonem Augustini (excepto quem iam dicemus) ex vaticanis codicibus emersisse. Sed ecce in editione maurina brevis legitur sub numero 394. de ss. Perpetua et Felicitate sermo, quem editores erutum dicunt ex bibliotheca vaticana per Holstenium. Recte; namque et nos in vat. codice 3836. f. 239. b. hunc reapse aspeximus. Apparuit autem Romae anno MDCLXIII. ex Holstenii schedis, post tres alios de iisdem martyribus iamdiu cognitos editosque 2) posthumus hic incipiens: *duae gemmae hodie.* Nimirum magnus ille et κριτικώτατος Lucas Holstenius multa moriens vel imperfecta vel iam prelo parata reliquit scripta, inter quae passionem SS. MM. Perpetuae et Felicitatis, ex casinensi codice haustam; insigne et coaevum martyralis historiae monumentum, quod nemo sine gravi animi commotione et horrore quodam legere potest; idque doctissimis adnotationibus illustraverat, ut in curata postea a P. Possino editione videre est. Igitur Holstenius, cum bibliothecae vaticanae primarius custos praeesset, hunc elegantem Augustini sermunculum a se observatum praedictis sanctarum martyrum actibus apte subtexuit: praeter quem, aliud nihil, quod ego sciam, de Augustini operibus publice vel commentatus est vel edidit. Nam neque in ipsius epistolis a cl. Boissonado nuper vulgatis, ullam reperi de curis ipsius in Augustinum notitiam: quamquam in dictis epistolis VII. p. 34, et XVIII. p. 105. mentio est homiliarum ss. patrum, quas Holstenius magno numero graecas tamen coacervabat, ut dicitur p. 34, quarum etiam catalogus ponitur p. 209-210. Attamen ex reginae svecae breviculo et carie adeso codice lat. 347, qui Holstenii manu scriptus videtur, plane cognovi, quod nemo

1) Apud Montf. diar. ital. p. 83. est catalogus codicum pomposianorum ad flumen Padum, inter quos frequens occurrit Augustinus.

2) Nempe 280. 281. 282. Et quidem in primo felicissimus ille legitur Augustini lusus ex eorum multorum numero, quos ille singulari mentis suae vivacitate facile pervidebat: *hodierno die, quo sanctae famulae Dei Perpetua et Felicitas, perpetua felicitate floruerunt.* Porro sicut sermonum de his sanctis feminis ex praedicta historia confecit Augustinus, ita nostrum quoque 64. de s. Cypriano ex actis eius martyrii cognitis derivavit.

suspicatus fuerat, ipsum operam suam, vel potius cogitationes, ad Augustinum quoque paulo latius augendum aliquando contulisse. Namque ut ab iis fit, qui edita ab ineditis scriptis distinguere volunt, ipse abecedarium initiorum concinnavit indiculum Augustini sermonum et epistolarum, quotquot eius aetate in libris editis extabant. Quodque pluris interest, trium codicum vat. valde praestantissimorum 3835. 3836. 4222. imperfectum illic indicem scripsit, simul adnotans quae ex his impressa viderentur, cetera silentio praeteriens, ut se vel lectorem admoneret, quô de his diligentius quaereret. Hoc ego unicum curarum Holstenii ad Augustinum in codicibus vaticanis documentum comperi. Ergo hactenus, quantum arbitror, ostensum est, vaticanos codices nihil propemodum augustinianum, praesertim ex sermonibus, publicis typis obtulisse.

Romana ecclesia scripta Augustini praecipue suspexit.

XI. Quae cum ita se haberent, haud patiendum esse putavi, ut quoniam Augustinum tot aliae bibliothecae auxerant, princeps haec pontificalis in exornando illo, et propriis amictibus circumvestiendo, segnior videretur. Praesertim quia in praefatione suorum ex Augustino exceptorum Eugyppius singulare romanae sedis erga Augustinum studium semper fuisse testatur: *beatum Augustinum cum omnes orthodoxi toto terrarum orbe venerentur, praecipue tamen apostolicae sedis antistites scripta eius, sua probabiliter auctoritate firmantes etc. Nec immerito vicarii illius, cui pascendas oves Dominus ore proprio commendavit, conpastoralis officii socium etc. peramplius dilexerunt.* En vero reapse quomodo loquatur S. Caelestinus PP. in epistola ad Galliarum episcopos apud Coutantium p. 1187: *Augustinum, sanctae recordationis virum, pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec umquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit: quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam ante a meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in communi senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit et honori.* Divus autem Gregorius PP. I. adeo Augustini scripta suis praeferebat, ut dixerit in registro lib. X. 37: *beati Augustini opuscula legite, et ad comparationem siliginis illius, nostrum furfurem non quaeratis.* Quod dictum in vita ipsius Iohannes quoque diaconus repetit lib. IV. 78. Et praef. in Ezech. homilias suas Gregorius *despicabilem aquam; Ambrosii autem et Augustini, profunda ac perspicua fluenta appellat.* Abs Hieronymo denique doctissimo romanae ecclesiae magistro contra Pelag. III. 19. dicitur *vir sanctus et eloquens Augustinus.* Et mox *ingenium clarissimum.* Scilicet Augustinus omni tempore usque ad nos quasi regula quaedam in romana ecclesia habitus est, tum dogmata diiudicandi, tum pietatis omnis sacraeque doctrinae excolendae: Augustinum, inquam, semper tamquam invictissimum telum fides nostra fortiter iecit, haereticosque prostravit. Itaque iam diximus de cogitata a Sixto V, et imperata ab octavo Clemente romana divi patris editione, cui plaudebant creduli quasi iam coeptae Sirmondus et Hieronymus Torrensis (ut lego in schedis codicis reg. vat. 299.); etsi ea reapse tamquam nebula quaedam aut spectrum evanuit; sive ob Pontificum non diu viventium crebras successiones, sive ob alios quos enumerare non vacat casus. Attamen postea Paulus V. PP. advocatis ad se de Bobii monasterio pervetustis variorum argumentorum codicibus, occasionem sane iucundam ac faustam forte fortuna mihi obtulit,

ut inter eos nobilissimum et copiosissimum ineditorum etiam Augustini sermonum codicem dignoscerem 1).

Codex bobiensis vaticanus 5758.

XII. Primus itaque mihi augendi Augustini sermones, non dico spem sed certitudinem iniecit codex celeberrimi olim monasterii bobiensis, nunc vaticanus 5758, in pluteo bobiensium exuviarum pleno, ex quo ipso alii admirabiles codices obtulerunt mihi in palimpsestis Ciceronem de rep., eiusdem orationum Interpretem, Frontonem cum M·Aurelio, Symmachum, ius anteiustinianaeum, moesogothicae linguae paginas, et Arianorum sermones. Hunc ego codicem 5758, cum curiosius inspicerem, primo eius antiquitatem mirabar, quoniam fuit in arca Bobuleni, quem abbatem Bobii fuisse iam inde a Christi anno DCXL, diserte comperimus ex Muratorii annalibus, cum quibus comparandus est Ughellius Ital. sacr. ed. sec. T. IV. p. 956, nec non Mabillonius annal. Bened. T. I. ed. Luc. p. 345; quo tempore Deo famulabantur in monasterio bobiensi centum et quadraginta monachi sub divi Benedicti regula. Iam vero quum Augustinus obierit anno CCCCXXX, sequitur ut hic codex nonnisi annis ferme ducentis posterior esse Augustino queat. Tum quia idem codex non scriptus sub Bobuleno dicitur, sed in eius arca seu pluteo repertus, fieri plane potest, ut vel uno saeculo ante Bobulenum in Italia vel alibi exaratus fuerit; quandoquidem eius aetatem ad sextum quoque saeculum referri posse, multis scripturarum exemplis suadere liceret; atque ita nonnisi centum, vel paulo amplius, annis a beati viri obitu fortasse distaret. Ego tanti codicis priores octo paginas aere excudendas curavi (quamquam prima posterioribus aliquando manibus interpolata fuit); de quo amplo specimine antiquarii ac philologi pro libito quisque suo iudicabunt. Porro codice pervolutato, statim agnovi, praeter optimas varias lectiones, complures etiam ineditos inesse sermones (nam sermonibus totum constat volumen): nonnullos quoque videbam, quos nuperorum hominum arbitrium Augustino eripuit; quorum in numero est Dominicus Mita cum praecessoribus suis, qui sermones septem 2) in hoc vetustissimo codice nec non in priscis editionibus Augustini nomen gerentes, ad suum Petrum Chrysologum, studio augendi, ut fit, voluminis transtulerunt; quam rem singillatim exposui in monito ad sermonem CIX. Etenim dubitare fortasse licet plus ne ereptum a variis criticis fuerit Augustino de suis, an additum ex alienis. Hos ego nihilominus sermones in editione mea praetermisi, prope tamen invitus, tum quia ad Augustinum redire postliminio poterant, tum etiam quia optimarum varietate lectionum plerique abundabant. Tres adhuc alios sub initio codicis observabam, unum de natali Domini, qui est in appendice maurina 125. Alterum de epiphania, in appendice item maurina 135. Tertium de sancto Ioh. Baptista, in appendice pariter maurina 199. Quartum insuper in codice f. 199. *de nativitate Domini*, recitatum ab Arnobio in

1) Quamquam Romae plurimam Augustini codicum copiam fuisse non dubito, attamen errorem puto ephemeridum lipsiensium an. 1683. p. 1. ubi Taio caesaraugustanus saec. septimo venisse Romam dicitur ob eos sibi acquirendos, quia in Hispania deessent. Nimirum non recte id dicitur de Augustini, quod vera historia narrat de S. Gregorii PP. codicibus a Taione quaesitis. Errorem hunc repetunt Fabricius in bibliotheca vetere lat. lib. IV. cap. 3, et novissimus Schoenemannus T. II. p. 61. Ceterum rectius idem Fabricius, vel potius Mansius, in bibl. med. et inf. lat. voc. *Taio*.

2) Sex diximus p. 229. Sed tamen addendus est eiusdem Chrysologi sermo 195, qui est Augustino inscriptus in vetustissimo nostro bobiensi p. 80. Et ne calumniam facere videar, testor lectoribus, sermones item Chrysologi 7. 21. 65. 101. 107. 150. me vidisse in codicibus vat. inscriptos quinque quidem Severino episcopo, unum Severiano.

disputatione cum Serapione, posuerunt Maurini inter dubios n. 369. Quidquid tamen hi summi dicant, mihi tam antiqui testimonii potentior auctoritas est, ut dixi p. 229. Nam sol, ut aiunt, et luna non egent interprete. Et sane puto magnum Coutantium (cuius est illa Augustini prope enormis appendix) si vaticanum tam stupendae antiquitatis codicem novisset, haud fortasse ausurum sermonibus his, quasi spuriis aut dubiis, tam inhonoram sedem adsignare. Interim iam ex hoc exemplo condiscimus, quam labante interdum iudicio Maurini doctissimi, de classe aut merito augustinianorum sermonum statuerint: et quidem ne ipsi quidem (praef. fin.) infallibiles semet iudicant. Neque vero in deteriorem, id est suspectam, semper partem lancem inclinarunt; nam et aliquot sermones a lovaniensibus criticis dubios spuriosve creditos, ipsi inter genuinos, inspectis postea priscis codicibus, ut in praefatione aiunt, reposuerunt. Insignis quoque philologus Faustinus Arevalus praef. ad hymnodiam hisp. p. 58. argumentum refellit, quo nixi PP. Maurini posuerunt inter dubios Augustini sub n. 372. sermonem quemdam de nativitate Domini, genuinum prorsus ipso Arevalo iudice. Sed de his pauca me inferius quoque locuturum arbitror p. 432. Mitto quod severe, cum primum prodiit, de maurina editione a nonnullis criticis disceptatum iudicatumque fuit: nihilominus eius dignitas facile omnium mortalium morositatem postea vicit. Neque sola Augustini, sed ceterae omnes patrum per Maurinos editiones palmam facile in optimorum librorum classe referunt. Utinam maiore adhuc numero essent! Nam complures patres nondum illorum salubrem operam experti sunt, quam a neotericis successoribus per tempora expectant. Hic nobilissimus itaque bobiensis vat. codex, (ut iam in ordinem sermonis mei redeam) qui homilias Augustini quinquaginta complectitur, ex harum numero viginti quinque ineditas, cum insignibus alterius quoque sermonis emendationibus ac supplementis, mihi largitus est, quae sunt in libro nostro a pag. 1. ad p. 59.

Codices alii vaticani priores saeculo decimo aut paulo posteriores.

XIII. Sequitur codex vaticanus 3835, et qui huius continuatio est, codex 3836, litteris prope uncialibus saeculo septimo vel octavo uterque scriptus. Prioris paginam integram (serm. XXVII.) aere cusam exhibeo, cuiusmodi specimen iam dederat etiam Blanchinius tom. II. evang. quadr. p. 502, itemque Cacciarius in praef. ad S. Leonem. De his loquuntur Ballerinii fratres in opp. S. Leonis T. I. p. LXV. (namque in his codd. plurimus est Leo) qui miram eorumdem antiquitatem, praeter scripturae formam, amanuensis verbis confirmari aiunt, quae sermonibus Leonis de ascensione Dnmini subiiciuntur (cod. 3835. f. 176.) ubi Leo nondum inter sanctos relatus *domni* titulo donatur: *expliciuut sermones domni Leonis papae.* (Sicut in codice 55. sessoriano *domnus Paulinus*, et in vat. pal. 1746. *domnus Bonifacius*): verba autem Agimundi scriptoris recitavimus nos p. 111. adn. 1. Ex his duobus codicibus, vel potius ab alterutro, sumptos fuisse puto viginti illos circiter sermones S. Augustini, quos Ballerinii ineditos in suis mss. schedis conservare aiebant, in dicta praef. ad S. Leonem p. LXIV. his verbis: *non deerunt qui alios eiusdem doctoris* (*Augustini*) *sermones ex iisdem fontibus derivare queant, sicuti nos viginti et amplius genuinos in anecdotis miscellaneis aliquando edituri sumus.* Neque hi tamen docti viri fidem liberarunt; etenim *pollicitis dives quilibet esse potest;* verum ut audio, ballerinianae in Augustinum curae, Veronae in quodam miscellaneorum volumine, apud sancti Philippi sodales, non vulgatae servantur. Nos ab his duobus

codicibus quadraginta et quinque ineditos sermones extulimus, qui sunt in hac editione a p. 59. ad 149; praeter alium n. CIII. p. 214, qui in aliena editione plane pessumdatus, nunc restituitur. Proximus his dignitate accedit codex vaticanus 4951, magni moduli, saeculi XI. aut XII, quem fuisse olim Cardinalis Sirleti, inscriptio docet. Bruno Brunus, dum S. Maximi taur. splendidam editionem Romae instrueret, eamque exuviis quoque Augustini quandoque perornaret, codicem hunc consuluisse se dicit in praefatione p. CLXXIV, ex eoque accepisse sermones Maximi de epiphania, de quadragesima, et de S. Ioh. Baptista. Nos huius item codicis duas excudimus paginas, id est totum sermonem CIV. de episcopatu. Summa est sermonum ineditorum a nobis hinc captorum XXIV, qui sunt in libro nostro a p. 150. ad 210, praeter alium p. 367. Iam de codice palatino vat. 210, vetustissima et pulchra scriptura exarato, nos p. 193. disseruimus; a quo scilicet unicum de paenitentia Ninivitarum sermonem hausimus, prolixum oppido et perantiquum, sed Augustini, matura saltem in aetate, coloribus vix imbutum. Ex perantiquis item palatinis codd. 213. 216. tres habuimus, qui sunt apud nos 240. 241. 284. Praeterea codex 55. saeculi septimi sessorianus ad S. Crucis in Hierusalem, editioni nostrae suppeditavit sermones tres, qui sunt 53. 107. 118. Inter priscos ac nobiles, maximaeque molis, codices vaticanos est ille signatus 4222, cui oculos intendisse olim Holstenium iam retro diximus. Litteris ornatioribus langobardicis circa nonum decimumve saeculum scriptus videtur; sed e specimine a nobis cuso in tabula XII. philologi coniecturam pro sua quisque peritia facient. Ceteroquin hic dedit nobis sermones tantum tres, id est 110. 111. 113. Ex hoc codice f. 80. editus fuit, mittente Holstenio, in editione veneta S. Fulgentii p. 300. sermo dogmaticus pulcherrimus incipiens: *incarnationis dominicae mysterium*, qui in codice quidem recente 6454. f. 449. inscribitur Fulgentio; sed in longe antiquiore 4222. dicitur Augustini; itaque sponsionem indubitanter fecerim, iis consideratis quae orator dicit de Manichaeis, et mox de Donatistis, et Arianis, Augustini esse foetum non Fulgentii; etsi veneti editores ad hunc maluerunt referre, non aliam fortasse ob causam, quam quia Fulgentium potius suum, quam Augustinum cumulare volebant.

Alii codices multi a nobis adhibiti.

XIV. Nec vero ultimus dignitate atque utilitate est, immo inter fere primarios collocandus, codex vaticanus 3828, cuius prior pars continet Claudii taurinensis catenam ineditam in Matthaeum, posterior vero Augustini sermones. Utriusque partis scriptura eadem fere est, et Claudii aetati prope suppar, aut uno vel altero posterior saeculo. Sermones Augustini continet XCII. Ex his in editione Maurina extant XLV, ex antiquis editionibus et ex Sirmondo ac Vignerio collecti. Editorum nuper Parisiis ex codd. casin. sunt ibi novem; apud Leonem unus, apud Fulgentium duo, apud Maximum unus, apud Hieronymum unus, apud Chrysologum unus, in latina Chrysostomi editione unus. Ex his autem, quos nos edidimus, sunt in dicto codice triginta circiter, quorum partem ex hoc unice codice, partem etiam ex aliis extulimus. Sed enim alii praeterea sunt pervetusti ac nobiles, a nobis adhibiti codices, qui nominatim appellari merentur. In primis sessorianus 58, saeculi circiter sexti, ubi Speculum. Sessorianus item 13, saeculi ferme quinti, ubi capitula librorum de gen. ad litt. Veronenses duo, 59. et 77, ex praeclaro illo archivio capitulari. Vaticanus 3375, mirus stupendusque codex saeculi sexti aut septimi, in quo est Eugyppii the-

saurus, ex Augustino compilatus, et novum pro eiusdem Augustini Speculo testimonium 1). Vaticanus priscus 5755. olim bobiensis, ubi capitula antiqua librorum de Trinitate. Palatinus vat. pervetus 1746, ubi nova Augustini grammatica. Reliquorum numerales notas sedulo adscripsimus, cum ipsarum paginarum indicio, in uniuscuiusque sermonis marginibus; ex quibus summa universa conficitur codicum ferme sexaginta, unde Augustini nova plerumque scripta derivavimus: (nam de graecis translationibus suo loco diximus p. 414.): quamquam et alios viginti circiter manu tractavimus divi patris codices, et quidem etiam nostros duos, ex publicis nundinis redemptos, totidemque nobilis viri D. Francisci Rubei olim capranicenses; sed partim collationis faciendae otio destituti dimisimus; partim frustra, non sine gravi temporis iactura ac labore excussos, post vitream interdum spem aut laetitiam (*vota procelloso per mare rapta noto*) nihil novi habere comperimus, praeter variarum lectionum farraginem, cui colligendae impares fuimus; soli quippe, ut solemus, et nullius mortalis auxilio sublevati. Atque haec dispersa codicum multitudo, quos identidem et casu quasi fortuito in vaticanis pluteis, sudante iam prelo, conquirebamus, praecipua causa fuit, cur nullum materiarum ordinem in editione nostra sequi potuerimus: cui tamen incommodo duplex remedium attulimus, scriptis nimirum indiculis tum classium, ut fit in Augustini editionibus, tum etiam initiorum abecedaria serie dispositorum. Ceteroqui vix nos paenitet praedictae libri dispositionis, quam secundum codicum aetatem plerumque digessimus: nam si materiae potius ordinem secûti essemus, tunc sermones in antiquissimis membranis repertos, cum illis recentiorum codicum incongrue miscuissemus.

Cura editionis nostrae novorum sermonum Augustini.

XV. Profecto nolumus labores nostros vanis verbis amplificare, quod indecorum atque invidiosum scimus. Verumtamen historicae notitiae causa, primo quidem dicendum est, quos quotque auctores perpetuo pervolutari, et augustinianos, quos prelo subiicebamus, sermones cum illis comparari a nobis oportuerit, ne inscriptionibus titulisque codicum ut fit decepti, rem editam sive sub ipsius Augustini sive sub aliorum nomine, tamquam inauditam proferremus. Illud etiam valde incommodum fuit et periculosum, quod initia in antiquis homiliis haud raro variant, quamquam ipsae pari mox tenore decurrunt. Librorum consulendorum multitudo ac varietas saepe vigorem nostrum defatigavit; nec semel nos delusos comperimus; et paginas in impresso libro reficere, aliasque divi nostri novas homilias, ex codicibus qui erant in manibus, substituere necesse fuit. Quo in opere etiamsi contra taedium obnisi, patientiam diu exercuimus, nihilominus errores aliquot in volumine posthinc nostro compertum iri, ultro praesumimus; et redarguti, non indignabimur, immo et gratiam habebimus, quia nihil veritate optabilius est. Et quidem satius iudicavimus nos vel centies errare, quam vel unum forte genuinum Augustini sermonem importuna timiditate supprimere. Quamquam vero nec labori nec sedulitati pepercimus, multumque hac in parte tempus absumpsimus, cavere tamen ab omni obrepente, ut Graeci aiunt, ἀβλεψίας vel ἀπροσεξίας errore, vix aut ne vix quidem potuimus. Et tamen manus de tabula, si non fuga laboris certe aliis vocantibus curis, removenda demum fuit, pesque simul de molestissima compede eruendus. Fuerunt ergo consulti saepe a nobis auctores homiliarum, primo ipse πολυγραφώτατος

1) Videsis in hoc volumine part. II. pag. I. et p. 149.

Augustinus in maurina editione, et quandoque in antiquioribus, praesertim vero in eiusdem variis ad usque nostra tempora additamentis. Deinde Alcuinus, S. Ambrosius, Beda, S. Bernardus, Caesarius, Eusebius emesenus vel potius gallicanus, S. Fulgentius, S. Gaudentius brixiensis, S. Gregorius et S. Leo PP., S. Petrus Damiani, S. Valerianus, S. Zeno veronensis. Item homiliarium Pauli diaconi seu mavis Alcuini, et illa in octo tomos diffusa bibliotheca sermonum maxima Combefisii, aliae denique interdum priscae homiliae. Labor hercle gravis et aerumnosus, nec satis praeterea tutus! nam quod prae oculis est, mire interdum evanescit et fallit, quia vaga illa et festinata per varios libros discursio attentionem mentis infringit, vel eius certe serenitatem obnubilat. Iam selectis denique Augustini textibus, qui in tomo nostro vulgandi erant, reliquus erat labor fideliter omnes imprimendi secundum codicum palaeographiam; ita tamen ut quae vocabula manifesti erroris erant, vel nimis rudi et intoleranda pronunciatione sonantia, ea ad notas criticas deprimeremus; cuius rei antiquissimi quique codices, et ille praesertim Speculi, lautam molestamque segetem obtulerunt. Sed enim gravioris quoque, atque ut spero, utilioris generis adnotationes visum est attexere, comparandis scilicet Augustini parallelis locis, confirmandis pro re nata catholicae ecclesiae dogmatibus, puta de fidei necessitate, de gratia, de libero arbitrio, de peccatorum confessione 1), de sacrosancta eucharistia etc. Item quae ad mores pertinent, de eleemosyna, de christiana humilitate, de sancta virginitate, de sobrietate etc. Longiora quoque interdum monita nonnullis divi scriptis praeponenda curavimus, puta ante sermonem CIX, ante illum de Ninivitis, ante sermones veronenses, ante graecas Augustini translationes: item dissertationes duas, priorem quidem de Collectorio augustiniano Roberti de Bardis, alteram adhuc prolixiorem de Speculo, cui tertiam subiunximus de versiculo famigerato in Iohannis epistola. Uberius quoque disseruimus de novis Hilarii scriptis: brevius de Augustini et Dynamii tractatibus grammaticalibus, et de hymnodia bobiensi, cum coniecturis de novo Damasi papae poëmatio. Denique rerum indices, et vocabulorum etiam, quibus latinitas vel palaeographia augeri videntur, patienter confecimus.

De Milleloquio augustiniano Bartholomaei urbinatis.

XVI. Inter libros qui augendo illustrandoque Augustino plurimum conferunt, videtur mihi procul dubio grande illud Milleloquii augustiniani opus a Bartholomaeo urbinate eremiticae familiae alumno instructum, et Clementi PP. VI. in Gallia degenti oblatum 2); cuius meriti praemium tulit sacras patriae suae anno 1347. infulas; in qua dignitate post adornatum paris ferme pretii Milleloquium quoque ambrosianum, humanis rebus anno 1350. excessit. Bartholomaei in Augustinum curas summum illius saeculi atque omnium temporum decus Fr. Petrarcha, missa epistola (famil. lib. VIII. 6.) cum versiculis, statim commendavit. «Bartholomaeo eremitae. Quod

1) Hanc Tertullianus de poenit. cap. 9. definit: *presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari.* Cyprianus autem de lapsis ed. Amst. p. 95: *apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesim conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam vulneribus exquirunt.* Haec audiant catholicae exomologeseos adversarii.

2) Huius generis fuisse videtur etiam *breviarium operum S. Augustini* ab Henrico pomposiano abbate compositum et nunc desideratum. At Bonizonis sutrini excerptum sententiarum Augustini, inscriptum *paradisus*, et in octo volumina distributum, superest ms. in caesarea vindobonensi, teste Lambecio T. II. cod. 85. Videant ergo eruditi numquid forte ineditum de Augustini scriptis illinc erui possit.

» professionem tuam decuit, ex Augustini dictis volumen ingens per alphabeti litteras collegisti, rem maioris operis quam gloriae: in quo ipso animum tuum » miror, qui studio utilitatis publicae, maiora nisi fallor ausurum ingenium inclinasti; cuius ut votivus exitus, sic prosper eventus, ut decuit, fuit. Siquidem » cum ob eam causam Clementi rom. pont. litteratissimo sed occupatissimo homini, » atque ob id talium compendiorum avidissimo, placuisses, patriae tuae pontifex » factus, et altiora sperare iussus etc. Petiisti equidem ut in fine illius magni operis, quod sudore tuo de illius opulentissimi patrisfamilias lapidibus et calce compactum, Pontifici praesenti, sed multo maxime posteris praeparasti, aliquot tibi » versiculos subscribendos mitterem. Parui et ipse tibi etc. Mitto igitur paucos elegos, eiusdemque sententiae totidem, si malis, hexametros. Utere vel utrisque, vel » utrislibet. » Iam vero post inventos typos duae prodierunt in Gallia augustiniani Milleloquii editiones; prior Lugduni an. 1555, altera Parisiis an. 1645. Tertia accessit in Italia brixiensis anno 1734, cui hoc valde incommodum accidit, quod editor ignoravit secundam gallicanam a Collierio permultis partibus auctam, non sine critice, ideoque brixiensis typographus principem tantum repetiit editionem, ut ipse in praefatione testatur. Nos quoque nonnisi brixiensem nacti, ea usi sumus, eiusque paginas citavimus; et sero demum in romanis nundinis parisiensem redimere licuit. Cuncta ferme Augustini opera in codicibus plurimis lecta expilavit Bartholomaeus, citatis titulis, excerptis expositis, labore improbo, diligentia incomparabili, ita ut duo grandia volumina impleverit. Ceteroquin mihi de excerptis tantum sermonum loquendum est: quorum quantum numerum legerit, atque in rem suam sevocaverit, tum ex operis corpore, tum certe ex copioso indice ab ipsomet elaborato, cognoscere licet. Age vero ante quam alios accusem, qui hoc uti thesauro obliti sunt, me ipsum antea profiteor huic inconsiderantiae aliquamdiu fuisse obnoxium, qui scrutandis codicibus, et emendandis typis quotidie intentus, de consulendo Milleloquio, neque satis neque semper cogitavi. Atqui auctor primo quidem sex saltem sermones recitat integros I. de Epiphania T. I. col. 737. II. de S. Matthia T. II. col. 57. III. de Adam T. II. col. 179. IV. de SS. Petro et Paulo T. II. col. 448. Hi plerique haud mali sunt, et in codicibus etiam vat. leguntur sed in maurina editione ne memorari quidem videntur. Quintum item de iisdem SS. Petro et Paulo T. II. col. 446. qui est quidem in appendice maurina CCV, sed ne ibi quidem Milleloquii ulla mentio est. Sextum ad virgines T. I. col. 207. 1). Praeterea librum ad Adeodatum, Urbinati cognitum, de quo nos part. I. p. 384. Etenim Maurini hunc aut inter suppositios collocassent, aut saltem commemorassent, si apud Urbinatem novissent. Item poterant in eodem Urbinate Maurini complures novos sermonum titulos comperire. Sunt ergo Milleloquii loci, quos in scholiis enumeravimus, testimonia totidem pro editionis nostrae sermonibus. Attamen nos nullum ex Milleloquio sermonem sumpsimus, sed ex codicibus vaticanis omnes. Immo si quem in Milleloquio integrum recitatum reperimus, quamquam aeque esset in vat. codicibus, ta-

1) Nostrae autem editionis sermones memorantur et interdum excerpuntur in Milleloquio, quasi teste, hi. Serm. I. T. 1. col. 928. II. T. 1. col. 426. VI. T. 1. col. 628. XIII. T. 2. col. 882. XXII. T. 1. col. 851. et T. 2. col. 1143. XXXIII. T. 2. col. 1132. XXXVII. T. 2. col. 1132. XLIV. T. 2. col. 1135. XLVI. T. 2. col. 1136. XLVIII. T. 1. col. 1061. LVI. T. 1. col. 1150. LXVI. T. 2. col. 50. LXXVI. T. 2. p. 1128. LXXXI. T. 2. col. 679. et 1132. XCIII. T. 2. col. 1134. CV. T. 2. col. 689. CVI. T. 1. col. 306. CXII. T. 2. col. 1129. CXVI. T. 2. col. 1128. CXVII. T. 2. col. 1128. CXIX. T. 1. col. 204. 831. T. 2. col. 202. 345. 355. 713. 745. 1140. CXX. T. 1, col. 551. 875. 1082. 257. T. 2. col. 420. 450. CXXII. T. 2. col. 1144. CXXXI. T. 1. col. 777.

men ex nostro libro exulare maluimus, ne a suscepto instituto tantum inedita edendi recederemus. Ceterum ad sermonum Augustini futuras editiones et crisim (nempe ad partes novas conquirendas variasque lectiones carpendas) pertinebit posthinc vel certe adhibebitur Urbinatis Milleloquium. Neque enim iam licebit tot apud ipsum Augustini opes negligere, quin de iis saltem iudicium pro vario merito instituatur. Et quidem Milleloquii codex etiam ms. extat inter urbinates vaticanos n. 81.

Ignotum plerisque fuit hoc Milleloquium.

XVII. Quae cum ita sint, mirari satis nequeo tum veteres tum etiam novos Augustini sermonum editores, apud quos nullam fere invenio (si recte vidi aut memini) Milleloquii mentionem, quasi hoc fontis uberis instar non esset, unde aquae augustinianae non exiguae hauriri poterant. Esto noster Urbinas emunctae in arte critica naris, ut tum ferebant tempora, non fuerit; esto supposititiis multis fidem adhibuerit; attamen non pauci genuini erant; et certe omnes digni, qui a criticis editoribus (nisi supina rei inscitia impedisset) ad trutinam expenderentur: nam et rosae de spinis florent. Concedo equidem Possidium et Eugyppium ob suam Augustino contemporalem vel supparem aetatem, maiorem fidem mereri. Attamen ex Beda quoque vel Floro multo sequioribus, diligenter Lovanienses atque Maurini relatos divi patris locos carpserunt. Cur ergo neglectus fuit (vel potius dicam oblivione praeteritus) noster Urbinas, qui plus omnibus ob exhibendum publicae utilitati Augustinum laboravit? Accedit, quod cum Urbinas Bononiae in Italia, ut scimus, opus suum concinnaverit, codices apud eum conspicimus familiae italicae, quos galli belgaeque editores necessario ignoraverunt. Prorsus, ut dicam iterum, Urbinatis Milleloquium non noverunt Maurini, qui ex illo bonos aliquot, praeter dubios ut reor, sermones, et quidem integros, in suam editionem, vel certe in appendicem corrivare poterant. Quid quod fatentur in praefatione Maurini, se oblitos esse Rabanum consulere, qui novem Augustini sermones in suum homiliarium adsciverat, quos coniecturaliter ipsi in appendicem reiecerant? Multo autem magis miror latuisse Maurinos Augustini sermonem iamdiu publicum apud Eugyppium cap. 187. incipientem: *qui sunt in illa nocte,* quem nos certe in maurino tomo frustra quaesivimus: atqui eum noverat etiam Robertus de Bardis, ut diximus. p. 442. Sed plura de his verba non faciam. Nescivere Milleloquium post Maurinos Denisius, Fontanius, ac Frangipanius, et denique Parisienses novissimi, qui alioqui saltem illud commemorassent. Certe illius sermonis, qui est decimus apud Frangipanium *de dedicatione ecclesiae,* lautum fragmentum iamdiu recitabatur ab Urbinate in secundo tomo col. 764. Num ergo Frangipanius meus hoc pro se testimonium neglexisset, nisi Milleloquii notitia ac volumine caruisset? Attamen Oudinus ed. Francf. T. I. p. 994, et Schoenemannus in biblioth. hist. litt. patrum lat. T. II. p. 360. inter Augustini defloratores Urbinatem nostrum, id est huius Milleloquium, memoraverant. Unus autem fere ex paulo antiquioribus, quantum vidi aut memini, Urbinate semel usus est Hieronymus Vignerius in suo Augustino aucto T. II. p. 587, ubi particulam posuit tractatus de oratione, qui est integer in Roberti ms. collectorio, et ab Urbinate saepe expilatur. Sed is tractatus sine dubio supposititius est, Urbinate non negante, ut nos suo loco diximus, neque Augustini titulo fidem quisquam accommodabit. Ex his concludimus, nova prorsus editione post hanc etiam nostram, opus esse, cui reliqua italicarum praesertim opum auxilia accedant. Rem probat casinense mona-

sterium unum, quod tot sermones nuper effudit; et quidem nuperrime contra Arianos egregium scriptum a Cl. Tostio vulgatum. Denique nunc vaticani codices, quot nostrae editioni suppeditaverint, patet.

Iudicium criticum de his novis S. Augustini sermonibus.

XVIII. Superest editori pars curarum suarum prope difficillima, et periculosae aleae plena, ferendi videlicet proprii de opere a se edito iudicii. Attamen postquam iterum iterumque, si opus sit, adfirmavero, me nihil prae veritate adamare; aio fidenter, sermones illos XXV, quos de bobiensi codice 1758, extuli, nulli fere probabili dubitationi patere. Item plerosque illos, circiter quadraginta, de codicibus 3835. et 3836, mira et grandi palaeographia exaratis, nullam plerumque prae se ferre videri genuinae originis ambiguitatem. Quod si alicubi contradicendum erat, nempe in sermonibus 40. 50. 57. 58. 61. 63, rei momenta in scholiis non reticui; numquam enim volui ἀλώπεκος ἴχνεσι βαίνειν, sed veritatis semper fores pulsare. Nemo item, ut puto, dubitabit de sessorianis 53. 107. 118. Idem propemodum iudicium fero de viginti sermonibus codicis optimi 4951; itemque de illis tribus quos langobardicus codex obtulit 4222, quibus membranarum vetustas grave pondus adiicit. In his, inquam, auctori Augustino vindicandis vix ullam nimiae fiduciae culpam pertimesco. Ecce autem sermo noster 128. ex codice vat. 471. fulcimentum habet praevalidum indubiumque a Beda. Etenim n. 3. verba a *velamen* usque ad *spiritum* citantur adamussim in praedicti Bedae seu Flori commentario epist. II. ad Cor. cap. 3. opp. T. V. col. 549, quod est evidens testimonium huic sermoni datum. Et quidem noster textus recte *patuerunt*, pro *putaverunt* mendose apud Bedam; apud quem tamen est *a Domini spiritu*, loco nostri textus *in Domini spiritu*. Citat autem Beda ex Augustini sermone *de sabbato*, quia reapse infirmus iacens ad piscinam (ut in nostro titulo) sanatus fuit die sabbati, Ioh. V. 9. Agnoverunt huius testimonii gravitatem Maurini T. V. ed. Antuerp. col. 1067, ubi post sermones, recitant fragmenta ex variorum collectaneis; ipsum tamen Augustini sermonem non repererunt, qui nunc denique in lucem prodit. (Iam ibidem v. 15. addatur in scholiis nostris locus parallelus ex sermone maurino CCC. 3. *Veteris testamenti velamen evacuatur. Hoc utique clausum erat, quia nondum clavis Christi accesserat.*) Sed de sermone 97, qui est unicus ex antiquissimo codice palatino, valde dubiam sententiam meam exposui p. 193; et certe nolim videri σαπρόφιλος. Alios vero circa ea loca ex aliis codicibus sumptos, quia Augustini quod gerebant nomini nihil inconveniens habere videbantur, secure absque ulla animadversione transmisi, et legentium iudicio reliqui. Quis vero satis digne commendet praeclaros illos nec breves sermones, 104. de episcopatu, 119. et 120. baptizandis dictos 1); 118. de nuptiis in Chanan; et mox 121. de tempore barbarico, ab edito prorsus diversum, nec non 122. de mundi pressuris? Sed et qui sequuntur ex cod. 471, plerique omnes videntur perboni. Complures etiam sermones dedimus, quorum tituli apud Possidium, optimi veritatis testes, extabant; prout in singulis locis vigilanter adnotavimus. Sermonis autem 123. aliquot sub initio versus extant iisdem verbis apud Bedam opp T. V. col. 545. in explanatione textus S. Iohannis de encaeniis, quae Bedam hausisse ex Augustino non est incredibile. Et quidem sermo vaticanus a Beda statim discedit. Sermoni 134.

1) *Accedentibus ad gratiam.* Sic Ambrosius in opere de Abr. I. 4. *ad gratiam baptismatis nomen dare.* Confer Tertullianum de spect. cap. I, et lege cetera exempla apud nos p. 151. in adn.

de seminatore favent haeretici illic nominati Photinus, Manes, Donatus, et Priscillianus, contra quos Augustinus saepe declamavit. Bonum cum primis dixi codicem 3828; itaque sermones inde excerptos a serm. 147. ad 151, cum aliis aliquot, reverenter admitto. At enim de sermonibus, quos ex codice 479. derivavi, non vacat pluribus verbis disputare, post ea quae in peculiari diatriba de collectorio Roberti de Bardis copiose disserui. De aliis quoque multis variorum codicum sermonibus, nolo singillatim heic disquirere, ne forte nimius fiam et ἀπεραντολόγος, et ne legentium onerem sensus coacervatis ad copiam rebus. Augustini nomine fulgent, plus minusve bonitatis habent, nec a me semper decet definitam sententiam dici. Dubii utique videbantur sermones 57. 133. 161. 191. 198, de quibus cogitans, sententia valde alternante fluctuabam: nam pulchrum prudensque est libram ex utraque parte per aequalia momenta suspendere. Denique omnino supposititii sunt sermones, et comparationis potius causa a nobis positi, 194. et 201. Quin etiam cum 168. eodem iure agendum est, ubi alloquium aeterni Patris ad Gabrihelem aeque improbabile est, ut illud in tertia de annunciatione B. Mariae Thaumaturgi aeque expungenda homilia relatum. Atque horum certe sermonum omnis defensio penitus naufragaret; nam frustra sit falsis rebus nebulas loquacitatis offundere: neque enim ii qui libros legunt, pecora sunt. Breviorem iusto fortasse damnavi numerum; sed iure suo quisque utetur, in eo certe rerum genere quod caligine aliqua dubitationis involvitur. Ego Augustini nomen verosque titulos fideliter posui, nolo interim contentiosum funem vehementius trahere, neque ingeniis criticorum quasi manus opponere, quominus sententiam suam, modo idonee comprobatam urbaneque dicant. Attamen nonnulos alios libro meo prorsus exclusi, ne καλλύντρου δίκην agerem, etsi Augustini nomen in aliquibus mss. mentientes 1).

Augustini varius stilus fuit.

XIX. Illud denique non est reticendum (monentibus ipsis Maurinis) varium fuisse pro temporibus, locis, aliisque rerum adiunctis, concionantis Augustini modum; aliter enim fervens iuvenis ut credibile est loquebatur, aliter post ferme quadraginta concionatoriae professionis annos; aliter ex abrupto, aliter ex meditato; aliter publice orans, aliter privatim dictans aut scribens. Quae regula valet, ut ne praeceps de sermonibus singulis quandoque inter se differentibus iudicium feramus. Qui totum quidem Augustinum se legisse, sine mendacio adfirmare queat, is haud modice varium divi patris stilum ultro fatebitur. Etenim v. gr. in academicis aliisque dialogis, aut soliloquiis, et de ordine, et de quantitate animae, et de magistro, et in aliis quibusdam disputationibus, socraticam quodammodo brevitatem, et acumen, leporemque aemulatur. In epistolis, quarum multae tractatuum instar sunt, quasi pellucidus amnis fluit. Librum de agone ineruditis christianis humili sermone se conscripsisse ait. Amfractuosum interdum, obscurum atque molestum in libro de mendacio se esse non negat 2). Alibi mirum πάθος cum dicendi ingenuitate coniungit, ut in illa incomparabili pictura morum sanctique obitus Monicae matris 3). Sed quis infinita Augustini scripta inter se breviter comparare queat? Ut ergo ad sermones redeamus, nemo legens hanc varietatem non sentiet. Utinam vero, ob

1) Miram pariter narrat S. Gregorius PP. epist. lib. XI. 74. monachi Andreae audaciam, qui sermones proprios falso viventis Gregorii nomine calumniose titulavit.

2) Retract. lib. I. 27. lib. II. 3. — 3) Confess. lib. IX. 8-13.

Augustini stilum pro variis certe aetatibus discernendum, superfuisset nobis laus illa panegyrica, quam anno Christi 385, Mediolani dum rhetoricam iuvenis, id est annos natus XXXI. profiteretur, narrat Augustinus (contra Crescon. lib. III. 30.) se Bautoni consuli in magno conventu conspectuque hominum recitavisse! Equidem puto, valde eam orationem similem visum iri dictarum a Symmacho imperatoribus Valentiniano et Gratiano laudum, quas nos ex palimpsestis eruimus. Nam Symmachus Augustinum eloquentiae praeceptorem Mediolanum miserat: pronumque creditu est, moecenatis sui, oratoris tunc in orbe romano summi, libenter se elocutioni nostrum conformavisse. Quare haud scio an vaticani de Susanna et de Ninivitis sermones ad pompaticum illud et iuvenile panegyricorum genus pertineant. Certe illa sententiarum crebritas, illae hypotyposes, et prosopopeiae, atque alia huiusmodi, symmachianum quodammodo acumen, concitationem, vel ὕψος referre videntur. Et quidem iuvenes turgidis potius quam sanis delectari haud raro solemus. Dicet aliquis: atqui Augustinus nonnisi virili quasi aetate sacras conciones habere coepit. Quid? Ita ne tunc maturus sobriusque noster erat, ut omnem sui saeculi et fori pompam iam exuisset? Nonne optima quaeque sero placent? Nonne sic loquebatur interdum Symmachus, et mox Ennodius, aliique vetustiores in panegyricis? Et de ipsius S. Cypriani non plane adolescentis frondosissima elocutione paulo post dicemus.

De Augustini eloquentia.

XX. Quoniam de praedictorum sermonum crisi verba fecimus, admonet nos quodammodo locus, ut de genere etiam augustinianae eloquentiae pauca dicamus. Igitur in primis observo, Augustini homilias a graecarum colore non parum differre; neque facundiae tam plenum flumen profundere, nec structe incedere, sed propriam quandam habere adstrictam atque submissam orationis speciem. Igitur neque Chrysostomi neque huic proximorum granditatem vim sonitumque eloquentiae aemulatus noster est. Sed enim graecos patres cur Hipponensis stilo suo non expresserit, significat ipse dum initio tertii libri de Trinitate 1) sibi non tantum linguae Gaecorum fuisse habitum dicit, ut legendis priscis illorum libris satis esset idoneus. Verumtamen plus Augustinus, ni fallor, graece scivit, quam Graeci multi latine, qui cum omnia apud se habere existimarent, rem plerique latinam pedibus trahebant: non ita tamen, ut Augustinum, cum paucis aliis, exceptione dignum non habuerint, quem et olim et postea graecum fecerunt, ut nos p. 414. demonstravimus. Profecto quod Augustinus graecis saltem bibliis peritissime uteretur, demonstrant sacrarum eius exegeseon multi loci, et divinarum praesertim locutionum septem libri. Ceteroquin ad auctores quod attinet, ipse nominatis alicubi 2) graecis sex ecclesiasticis, neminem illorum se legisse fatetur. Dum vero in primo operis imperfecti contra Iulianum pelagianum libro, alibique 3), laudat non semel graecorum patrum auctoritates Athanasii, Basilii, Gregorii, atque Chrysostomi; utitur, ut puto, non graecis originalibus, sed latinis eorumdem translationibus; quandoquidem libro I. 15. prioris

1) Item contra Petilianum lib. II. 9, et confess. lib. I. 20. 23, et retract. II. 32. Quid quod insignis etiam homiliarum auctor Gregorius PP. epist. lib. XI. 74. ait ingenue de se ipso: *nos nec graece novimus, nec aliquod opus aliquando graece conscripsimus?* Propterea is quoque sedatum plane concionandi modum habet.

2) Epist. LXXXII. 23. — 3) Libro VI. 7. contra eundem Iulianum, et epist. CXLVIII. 15.

contra dictum Iulianum operis ait: *magni nominis et fama celeberrima illustris episcopus de partibus orientis, sanctus Gregorius, cuius eloquia ingentis merito gratiae, etiam in linguam latinam translata usquequaque claruerunt.* Et de Trin. III. 1. de graecis scriptis ait: *ex iis quae nobis pauca interpretata sunt* etc. Sane et Chrysostomum in latina Anniani translatione cognovisse arbitror, quam iam tum publici iuris fuisse, ex Hieronymi ad Augustinum epistola 1) satis cognoscimus. Sic Platonis quoque et Platonicorum libros legisse puto 2): sic aliorum philosophorum, de quorum sectis atque doctrinis disputavit 3). Sic de civ. D. lib. XVIII. 10. 31. chronico Eusebii utebatur, sed Hieronymo interprete: sic denique in sermone XXIV. vaticano compilabat Origenem. Quamquam igitur graecae linguae parum gnarus, hoc tamen eidem perhonorificum dat testimonium Augustinus de civ. D. lib. VIII. 2: *graeca lingua inter ceteras gentium clarior habetur.* Tum de doctr. ch. lib. II. 16: *latinae linguae homines duabus alis ad scripturarum divinarum cognitionem opus habent, hebraea* 4) *scilicet et graeca.*

Regulae augustinianae de eloquentia ecclesiastica.

XXI. Age vero his dictis ob ostendendum cur concionans Augustinus graecorum oratorum copiam non sit adsecutus, superest ut ecclesiasticam eius eloquentiam iuxta illas regulas expendamus, quas ipse in quarto de doctrina ch. libro constituit. Ibi enim statim sub initio a forensi ecclesiasticum distinguit oratorem, atque huic, non illi, se praecepta artis tradere adfirmat. Vult ergo in primis ab oratore suo sacrarum scripturarum scientiam teneri. Eundem iubet pietate magis orationum quam oratorum facultate confidere: ipsa, inquit, hora qua ad dicendum accedit, prius quam exserat proferentem ilnguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit. Magnopere demum caveat, ne sit eius pulchra elocutio, mos deformis 5). Iam ad ipsam oratoriam artem, quod attinet, ecclesiastici, ait, eloquentis officium est bonos populum mores docere, et a pravis avertere; nec tam ornamenta quam documenta adhibere: adeo ut vocabulis quoque minus integris 6) utendum aliquando sit, ut cum in turba de superiore loco sermo depromitur, commode ab omnibus intelligatur; praesertim apud afras, ut ait, gentes, quae de correptione vocalium vel

1) Inter augustinianas CCII. 2. — 2) Lib. de vita beata n. 4, et confess. VII. 9. 20.

3) Epist. CXVIII. et CL. Item serm. maur. CL. CCXL. CCXLI, et alibi.

4) Attamen Augustinus se quidem ipsum hebraeae linguae ignarum fatetur in ep. CI. 4, nec non de gen. ad litt. lib. XI. 4. Proderant tamen illi onomastica linguae eius, ad Latinorum usum iam tum composita, quae commemorat de doct. ch. lib. II. 23, et comm. in ps. enarr. I. 4, et in ps. 131. n. 11. Confer dicta a nobis p. 117. adn. 5. Ceteroquin hebraismo licet carens, mirabiles illas dictavit in totum psalterium enarrationes, quae tanto religionis sensu redundant. Huius vero in psalmos augustiniani operis quatuor memini ne videre codices antiquissimos, id est vallicellianum B. 38, vaticanum 4938, ottobonianum vat. 319; hos quidem tres litteris magnis exaratos saeculo ferme Christi sexto. Sed mihi prae ceteris bobiensis vaticanus 5757, saeculi circiter decimi bene videtur meritus: sub eo enim in palimpsesto Cicero de rep. tot saeculis tutus latuit; qui nisi hac veste benigne protectus fuisset, barbarorum fortasse manus, quas alii experti sunt auctores, non evasisset. Porro palimpsesti latini, ut hoc etiam obiter dicam, nusquam fere numerosiores facti fuerunt, quam Bobii; graeci autem apud Cryptam ferratam, ut satis me habere compertum puto.

5) Sic Ambrosius de virg. lib. III. 1. ut *quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior.* Et Gregorius PP. epist. lib. XI. 51: *inanis fit oratio, ubi prava est actio.* Et apud Bernardum epist. 201. praesulis dotes tres: oratio ad Deum, exemplum, exhortatio.

6) Huc fere spectat tridentinum quoque decretum sess. 24. de ref. cap. 7. ut parochi etiam vernacula lingua ad populum dicant. Omni enim ope audientium intelligentiae consulendum est, debetque christianus orator apprime esse διδακτικός.

productione non iudicabant. Prorsus omnia quae de sede ecclesiastica populis dicuntur, ad aeternam illorum salutem referri vult: qui enim, inquit, eloquenter dicunt, suaviter; qui sapienter, salubriter audiuntur. Neque tamen vetat, quominus ecclesiasticus eloquens auditores suos aliqua etiam suavitate detineat, seque ipsum ait nonnullum libenter ornatum cum numerosis clausulis solitum usurpare. Revera in latissimo tot voluminum augustinianae facundiae campo infiniti elegantiarum flores sunt: acutum ubique ingenium, lingua expolita, sensus eximii. Quod si aliquando cultius eloquium ob festinationem neglexit, id sibi excusandum iudicavit, veluti in libro de mendacio n. 1. Delectabatur etiam verborum consonantiis non raro inter incisa; quam rem ne Tullius quidem interdum sprevit. Semel quidem Augustinus apud Caesaream Mauritaniae granditer ac violento cum animi affectu ad populum tumultuantem se orasse narrat (n. 53); verumtamen in quotidiano usu gravique aetate a submisso temperatoque dicendi genere numquam discessisse. Appetant, inquit, grande genus eloquentiae qui lingua gloriantur, et se in panegyricis talibusque dictionibus iactant (quibus verbis fortasse Symmachum eique similes denotat); nos id tantum agimus ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat. Mox de illo etiam delectabili nimis ac paene poëtico stilo loquens, qui item ecclesiastico oratori vitandus est, insigne recitat (n. 31.) S. Cypriani exemplum, qui in opusculo ad Donatum de gratia Dei, (quod anno Christi 246. componebat, id est aetatis suae anno 48, duodecimo ante martyrium, quod anno 258. sexagenarius fecit; vide nos infra p. 361.) Cyprianus, inquam, ita spumeo et elaborato verborum ambitu scripsit: *petamus hanc sedem; dant secessum vicina secreta; ubi dum erratici palmitum lapsus pendulis nexibus per arundines baiulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt.* Quis ita scribenti Cypriano persimilem non agnoscit Augustinum in sermone primo vaticano, itemque in 72, ubi terrestris paradisi amoenitates florido nimis penicillo depingit? Pergit mox dicere Augustinus, Cyprianum numquam in ceteris epistolis sic locutum; illud autem unicum ita accidisse, *ut sciretur a posteris, quam linguam doctrinae christianae sanitas ab ista redundantia revocaverit, et ad eloquentiam graviorem modestioremque restrinxerit.* Ita prorsus Augustinus, etsi in primo illo vat. sermone, et paucissimis fortasse aliis, ei phrasi indulsit, quam gravium virorum aures non probant, multo sanius postea elocutus est; suique oblitus, unicam populi utilitatem spectavit; sanctum videlicet Cyprianum et turgidum antea, et postea castigatum, imitatus: atque omnino curavit, ut sermones sui nulla re alia quam odore sincerissimo Christi fragrarent. Profecto enim ecclesiasticae conciones debent morum, non verborum, munditiam docere; cavendumque est, ne divinis gravibusque sententiis dum musicus additur numerus, pondus pietatis detrahatur. Vi rerum igitur sacer rapiat orator, non specie decoris enervet. Audiant haec, siqui forte sunt iactanticuli in ecclesia oratores. Paulum Segnerium inter Italos, nonnullosque alios excipio, qui miram verborum elegantiam et periodi rotunditatem cum summo eloquentiae spiritu, rara felicitate ac difficili exemplo coniunxerunt.

De reliquis denique scriptis in hac priore voluminis parte editis, nihil opus est heic praefari, quia proprio in loco satis de singulis dictum a nobis fuit. Item posterioris partis opuscula, et praesertim Speculum, pari modo lectoribus proprio in loco commendata fuerunt.

INDEX I.

SERMONUM IN CLASSES DISTRIBUTORUM.

I. DE VETERE TESTAMENTO.

II. DE NOVO TESTAMENTO.

III. DE TEMPORE.

DE SANCTIS.

V. DE DIVERSIS.

INDEX II.

ABECEDARIUS.

A.

B.

C.

1) Sic etiam post Exameronem memini me videret in quodam codice longam ad Deum orationem, nomine S. Ambrosii titulatam, atque incipientem: *Summa et incomparabilis natura.*

INDEX III.

OMNIUM OPERUM IN HOC TOMO CONTENTORUM.

IN PARTE I.


IN PARTE II.

Scripturarum specimina in tabulis excusa.

Quoniam hoc Augustini volumen studio impensiore curandum decreveram, volui etiam praecipuorum ac vetustissimorum, quibus usus sum, codicum speciminibus aere cusis ornatum procedere. Itaque septem tabulis, totum expressi primum sermonem; et ante hunc variarum manuum aetatumque scripturas, prout in prima tabula exhibui. Sunt autem hae VII. paginae ex codice 5758.

S. Augustini Tabula I.

S. Augustini Tab. III



S. Augustin Lith. B

S. Augustini Tab. VI

S. Augustini Tab. VII

SANCTI AURELII AUGUSTINI

EPISCOPI HIPPONENSIS

SERMONES

EX CODICIBUS VATICANIS.

I. DE ADAM ET EVA ET SANCTA MARIA 1).

1. Cum Deus opifex rerum, huius mundi fabricam totam uno artifice fundaret verbo, atque *a*) onus viscerum gravido sermone parturiens, in digestis seminibus *b*) eructuaret; cum intra palatium divini pectoris adolescerent elementa, et in cubiculo sacri pectoris *c*) dormirent; loquitur Deus, et cuncta sunt; loquitur Dominus, et mox procedunt. Nam cum sacris visceribus deductor fabricae proficiscitur sermo, caelum pependit, statim terra iacuit, mare defluxit, dein *d*) factus est homo similis Deo: roboratur corpore, pingitur specie, spiritu adimpletur, vestitur aspectu, constituitur dominus et mundi possessor. Sed quia nulla est felicitas, quae non habeat inimicum, sic oblectantis diaboli sectatus est blandimenta, ut ante disceret perdere quam haberet. O miseranda simplicitas, et innocentia semper incauta! Inimicum diabolum dum respicit fabulantem, sic oblitus est conditorem? Quas ille sedes aut neglexit, aut perdidit, aut noluit, aut amisit! Perdidit ille paradisum, cui iam debebatur *e*) et caelum. Qualem *f*) paradisum, fratres? ubi luxuriosis passibus deambulant flumina, delicatis vagitibus *g*) reflectentes, incessu liquido, placatisque fluctibus *h*), pigra velocitate, ac molli flaminis *i*) strepitu, respirantes murmurant, strepunt, diffundunt: luxuriatur unda per sulcos erroneis lapsibus fugitiva, et delicatas inebrians herbas, propinat floribus ubertatem. Illic verni temporis amoenitate dies inspirat, et alumnis flatibus patrona temperies amicas auras impraegnat. Ibi sobrius decor praedormit in gemmis, et numquam species senescit in flore. Illic est quod deesse non possit, cum semper desit quod

Cod. vat. 5758. p. 5.

p. 6.

a) Ita cod. 2. manu *atque*; sed. 1. m. *adque*; quod in hoc codice et in aliis priscis passim fit. — *b*) Cod. *sensibus*. Et sic etiam apud nos in serm. LXXII. 1. Sed praetuli lectionem Milleloquii *seminibus*. — *c*) In codice repetitur heic *elementa*. — *d*) Cod. 2. m. *deinde*. — *e*) Cod. 1. m. *debeatur*. — *f*) Cod. *quale*. — *g*) Ita Mill. At cod. *vagibus*. Num scribendum *vagitrendus*? — *h*) Cod. *liquidosque placatus fluctos*. — *i*) Ita Mill. At cod. *flamine*.

1) Primus est hic sermo in admirabili codice, olim monasterii bobiensis, nunc vaticano 5758, qui a sancti Augustini aetate non multum abest, ut diximus in praefatione. Et quidem primum hunc sermonem aeneis etiam tabulis excusum totum exhibuimus, ut sit spatiosum pretiosi (quamquam simul mendosi) codicis specimen. Ignorant autem hunc sermonem in sua S. Augustini editione patres Maurini. Legebat tamen saeculo XIV. in codicibus Bartholomaeus episcopus urbinas, qui multam eius partem cum varietatibus recitat in Milleloquio S. Augustini ed. Brix. T. I. col. 928. seq. (et T. II. col. 1131.) ubi dicitur *sermo secundus de annunciatione Virginis*. (Mendose autem T. II. col. 30. *sermo quartus de assumptione Virginis*.) Rectus sane est titulus codicis vaticani; sed nihil vetat, quin sermo dictus fuerit die annunciationis S. Mariae; etenim illi mysterio clausula certe satis congruit. Repetit autem hunc sermonem suum Augustinus, sed saepe aliis verbis, apud nos serm. LXXII.

novitas facit. Illic est et nova serenitas, et numquam mutabile tempus. Paradisi copia, Fratres, non habet terminum.

2. Sed dum haec novum dominum rudis possessio salutaret, serpentina mox momordit invidia; et dum apertius nocere non posset *a*), celabat fa-
*Gen III. 5. cinus in amore. *Eritis,* inquit *b*), *sicut dii* *. O ingeniosa deceptio, atque *c*) artifex homicidium! Errat in lingua latronis simplicitas aliena, et obdulcantibus *d*) fabulis subinvolat feritas homicidii *e*): ubi molles rami, pendentes fornices, unduosa inflarat amoenitas, et profusas cameras explicarat. *Eritis,* inquit, *sicut dii.* O muneratio deceptrix, et praemium funestale!
p. 7. Et quod Deus dederat, perdidit; nec quod diabolus promittebat, accepit. Introducit hostem saeculi in divina palatia debilis inquilinus, et in caelestibus domiciliis barbarum 1) mundi suscepit. Praedatur pomerium, possessor invaditur. Novum corruptelae *f*) genus, nova proditio *g*); seponitur pignus, remansit proditor nudus. Quibus ille artificiis decepit insontes! qua *h*) subtilitate prostravit! Nunc caput erigere *i*), nunc iactare cervices, nunc revolutis orbibus replicare: et inretitis lusibus sua colla reflectens *k*), luxuriam veneno frangebat: ex ore enim venefico stillabat dulcedo mortifera. Paciscitur *l*) de interitu viri cum femina: subarravit 2) inferos, supposuit *m*) mortem. Tale dederat praemium *n*) coniugi, unde maritus possit occidi.

3. Quid est enim femina, Fratres, agnoscite. Muscipulum est animae, latrocinium vitae, suavis mors, blanda percussio, interfectio lenis, perniecies delicata, malum libens, sapida iugulatio: omnium enim calamitas rerum, mulier 3). Quando non deceperit *o*) mundum, quae peccare fecit et
p. 8. caelum? O mulier ista exsecranda, dum decepit! o iterum beata colenda, dum salvat! Plus enim contulit gratiae, quam doloris. Licet ipsa docuerit mortem, ipsa tamen genuit dominum Salvatorem. Inventa est ergo mors per mulierem, vita per virginem: uterque 4) tamen ex virgine, et sine

a) Cod. I. manu *possit.* — *b*) Cod. 1. m. *inquid*, 2. *inquit.* Et sic deinceps plerumque. — *c*) Cod. I. m. *adque*, 2. *atque.* — *d*) Cod. *obdulcantes.* — *e*) Cod. *homicidium.* — *f*) Cod. *corruptile.* — *g*) Cod. 1. m. *proditionis*, 2. *proditio.* — *h*) In cod. interponitur *se*, sed omittit Mill. — *i*) Ita Mill. At cod. *addicere.* — *k*) Cod. *reflectentem*, quod alicui fortasse retinendum videbitur. — *l*) Cod. *paciscit rem.* Sed emendatur in serm. LXXII. — *m*) Cod. *seposuit.* Sed corrigitur in serm. LXXII. et in Mill. — *n*) Cod. *pr[illegible].* — *o*) Cod. 2. m. *deciperet.*

1) Nota epithetum *barbari* diabolo adtributum, barbaricis Augustini temporibus non incongruum.

2) Ita legebat *subarravit* etiam Mill. loc. cit., quod esset novum vocabulum. Sed tamen potiore iure credendum est male scriptum, pro noto *subararavit.* Ceteroquin ne in scriptis quidem editis Augustini cuncta agnita fuerunt nova vocabula a lexicorum auctoribus. Verbi gratia in serm. CCXXIII. fin. legitur: *revirescite, granascite, maturascite.* Scilicet verbum *granasco* non est agnitum. Verbum *expompo* laudativo sensu observavit apud unum Cassiodorium cl. Furlanettus; idem tamen, et quidem cum infamandi sensu apud Augustinum serm. XLV. 8. *libido ardet, timor revocat. Quid times? Inveniri, et damnari; inveniri, et expompari.* Candide idem Augustinus de ord. II. 45. *Me ipsum, cui magna necessitas fuit ista perdiscere, adhuc in multis verborum sonis Itali exagitant; et a me vicissim quod ad ipsum sonum adtinet reprehenduntur. Aliud est enim esse arte, aliud gente securum. Soloecismos autem quos dicimus fortasse quisque doctus diligenter adtendens, in oratione mea reperiet: non enim defuit qui mihi nonnulla huiusmodi vitia ipsum Ciceronem fecisse peritissime persuaserit. Barbarismorum autem genus nostris temporibus tale compertum est, ut et ipsa eius oratio barbara videatur, qua Roma servata est.* Afri certe Tertulliani latinitatem singularem et prope abnormem videmus. Nos plura nova apud Augustinum vocabula deinceps demonstrabimus.

3) Hanc invectionem in mulierem facit aliis verbis Augustinus in serm. de nuptiis Mill. T. I. col. 813.

4) Ignotum fuisse Maurinis hunc sermonem tamquam Augustini, iam diximus. Ecce tamen ex hoc

virilis *a*) coitus permixtione Hic ex incorrupta, ille natus est ex intacta; nullo enim adhuc semine terra nec vomere fuerat sauciata nec imbre. Hic de iam nata, ille de mox edita: per primum vita amissa, per secundum est reddita: primus acceptam perdidit gratiam, secundus cum vita tribuit gloriam: primus suasu virginis cecidit *b*), secundus partu virginis quod iacebat erexit: primus peccando mortis *c*) poenam protulit *d*), secundus patiendo indulgentiam criminum contulit: primus pro culpa de paradiso eiectus est, secundus pro gloria cruci adfixus est. Ergo malum per feminam, immo et per feminam bonum 1): quia si per Evam *e*) cecidimus *f*), magis stamus per Mariam: per Evam sumus servituti addicti, effecti per Mariam liberi: Eva nobis sustulit diuturnitatem, aeternitatem nobis Maria condonavit: Eva nos damnari fecit per arboris pomum, absolvit Maria per p. 9.
arboris sacramentum, quia et Christus in ligno pependit ut fructus 2).

4. Igitur sicut per arborem mortui, ita vivificati per arborem: arbor nobis nuditatem ostendit, vestiit nos arbor indulgentiae foliis: arbor peccatorum nobis incussit ardorem, refrigerium peccatorum aestibus *g*) nobis arbor advexit: arbor scientiae nobis spinas et tribulos genuit, spem et salutem nobis arbor sapientiae peperit: arbor nobis sudorem attulit et laborem, quietem et pacem nobis contulit crucis arbor: arbor lumen nobis corporis patefecit, disclusit *h*) cordis oculos arbor: arbor nobis mundanam insinuavit astutiam, divinam nobis demonstravit prudentiam arbor: terrestrem [cibum paradisi arbor 3)], caelestem *i*) nobis cibum *k*) arbor *l*) contulit crucis: arbor bonum, malum arbor ostendit. Et ut ad originem delicti *m*) redeam, et Deo annuente quod sentire conceditur dicam, Adam nisi corporaliter cecidisset, Christus nos spiritaliter ad istam vitam suscitare desisset 4). O sacramentorum inmane *n*) mysterium! O conclusam perfidis, et manifestam fidelibus disciplinam! Inmortalis mortalem aedificat, parit inmortalem mortalis *o*): incorporalis Deus terra concluditur, caelestibus inve- p. 10.

a) Cod. I. manu mendose *virgine*; 2. *viri*. Visum est nobis scribere *virilis*. — *b*) Cod. *cecedit*. — *c*) Cod. *morti*. — *d*) Ita cod., non *pertulit*. — *e*) Cod. hoc loco et in sequentibus *Evvam* cum duplici *v*, quamquam prior *v* plerumque in codice expungitur. Ceteroqui etiam in biblicis fragmentis a nobis editis constanter legitur *Levvi* pro *Levi*. — *f*) Cod. *cecedimus*. — *g*) Mendose Maur. *vestibus*. — *h*) Cod. *discussit*. — *i*) Cod. *caelestemque*. — *k*) Cod. I. m. *civum*. — *l*) Male in cod. deletum heic fuit vocabulum *arbor*. — *m*) Maur. perperam *dilecti*. — *n*) Pro *inmane*, apud Maur. *Mariae*. Ego scriberem *in Maria*, ut reapse habent nonnulli codices quos citamus ad serm. CII. 5. — *o*) Maur. sine *mortalis*.

loco incipiunt recitare in S. Ambrosii editione T. II. serm. 45, non sine varietatibus, partem huiusmet sermonis, acceptam ex codice quodam vat. ubi temere Ambrosio inscribebatur sub titulo *de primo Adam et secundo* Obiter ego aio, comparationem primi cum secundo Adam fieri etiam in quodam scripto S. Silvestri PP. apud Combefisium in B. conc. T. II. p. 143. Denique ab ipso Augustino in sermonibus CII. 4. et CXIX. 18. apud nos.

1) Augustinus noster de agone christiano n. 24. de Christo ex Maria nato sic. *Magnum sacramentum, ut quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur.* Sic etiam sermone qui est inter editos, LI. 3. *Decipiendo homini propinatum est venenum per feminam; reparando homini propinatur salus per feminam.*

2) Apud Mill. T. I. col. 150. profertur hinc fragmentum cum varietatibus, sed tamquam ex sermone tertio *de nativitate Domini*. Item T. II. col. 29. tamquam ex secundo serm. *de N. D.*

3) Haec videbantur supplenda, utpote omissa fortasse ab amanuense, quod mendum in vocabuli eiusdem repetitione non raro accidit tum amanuensibus tum typothetis. Ita, inquam, supplendum putavimus.

4) Mill. T. I. col. 33. Ex Augustini sermone quodam de nativ. Domini: *Adam nisi cecidisset, Christus ad nos non descendisset.* Corruptissime vero heic scribunt Maurini: *Christus nos in ista vita non spiritaliter suscitare debuisset.*

*

bitur corporalis: Deus homo efficitur, et ex homine creditur Deus. Et hoc totum per Evam committitur, et salvatur *a*) per Mariam. Ergo felix Eva, per quam data est mortis *b*) occasio *c*); immo felicior Maria, per quam tributa est purificatio *d*). Felix Eva, per quam natus est populus; immo felicior Maria, per quam natus est dominus Christus. Igitur altera alteri *e*) melior: immo et gloriosae utraeque *f*): quia non beasset Mariam Christus, nisi Evam priorem *g*), de qua nata est ipsa Maria, definxisset: nec venisset ad populum, nisi prius illa deliquisset in saeculo. Haec mater est humani generis, auctor *h*) illa salutis. Eva nos educavit *i*), roboravit et Maria: per Evam cotidie crescimus, regnamus in aeternum per Mariam: per Evam deducti *k*) ad terram, ad caelum elevati per Mariam. Explicit de Eva et Maria 1).

II. INCIPIT SERMO CONTRA PHARISAEOS *l*).

Cod. vat. [illegible] p. 10. 1. Contra Pharisaeos loqui nos hodie non studio sed dolore, non odii praeiudicio sed veritatis instinctu, hodiernae lectionis pandit et revelat au-
Luc. XIV. 1. ctoritas *. *Et factum est*, inquit, *cum intrasset Dominus domum cuiusdam principis m*) *Pharisaeorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant n*) *eum.* Spiritu insidiantum *o*), non humanitatis affectu. Cum intrasset, inquit, domum, et cetera. Erat in domo fovea 2), in salutatione temptatio, in
p. 12. accubitione laqueus, in cibo dolus erat, in pane gladius, in calice venenum, in communione feretrum, in confabulatione captura. Et si Pharisaeorum talis est mensa, qualis potest esse schola *p*)? si tamen illud mensam dici fas est, quod erat totum caminum *q*) sceleris, coquina malitiae: illic ardebat livor *r*), flammabatur invidia, coquebatur ira, condiebatur simulatio, et criminationum tota fercula parabantur. Et tamen ibi ille agnus Dei, non pascendus sed occidendus, velut *s*) quasi nescius manducabat. Manducabat plane, Fratres, non quasi nescius, sed ut sodalitate saltim *t*) sua, ut contubernio ipso, ut ipsa convivandi *u*) gratia frangeretur feritas, sedaretur ira, extingueretur invidia, et humanitate ipsa homines in hominem iam redirent, caperent affectum, sentirent gratiam, reciperent *x*) parentem, beneficia *y*) probarent, agnoscerent virtutes, amarent curationes, expeterent non impeterent sanitates 3). *Et factum est cum intrasset*, inquit, *Dominus domum principis z*) *Pharisaeorum, et ecce homo quidam hydropicus erat*
p. 13. *ante illum.* Cum intrasset, inquit *aa*), domum principis. In capite morbus erat, qui per medullarum recessus, per secreta viscerum, per venarum

a) Maur. *lavatur.* — *b*) Deest *mortis* in cod. vat., sed adest in Mill. T. II. col. 30. — *c*) Cod. I. m. *occarsio*, qui esset archaismus, ut *thensaurus.* — *d*) Ita cod. Sed Maur. *curatio.* Mill. *tributa est gratia vitae.* — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *utriquae.* — *g*) Cod. *prior*, ut etiam serm. CII. 5. Sed Maur. *priorem.* — *h*) Maur. *dicitur.* — *i*) Maur. *edocuit.* — *k*) Maur. *seducti.* — *l*) Cod. *Farisaeos*, et sic deinceps. — *m*) Cod. I. m. *principes.* — *n*) Cod. I. m. *obserbabant.* — *o*) Ita cod. — *p*) Cod. *scolæ.* — *q*) Ita cod. *caminum* genere neutro. At Mill. *caminus.* — *r*) Cod. I. m. *libor.* — *s*) 2. m. male *velud.* — *t*) Ita cod. ut et in aliis mss. vidi. — *u*) I. m. *convivendi.* — *x*) Cod. I. m. *receperent.* — *y*) Cod. *beneftitia.* — *z*) I. m. *principes.* — *aa*) I. m. *inquid.*

1) Post hunc primum sermonem, sequuntur in codice alii sex eiusdem Aug. quos praetermittimus, quia qui in libris editis extant non tamen sine varietate.

2) Pars aliquanta huius sermonis recitatur etiam in Mill. T. I. col. 426. sub titulo *homilia de convivio Pharisaeorum.* Extat Eusebii quoque gallicani de eodem argumento sermo in B. Lugd. PP. T. VI. p. 783.

3) Hactenus tantum Mill. cum varietate.

meatus, totis currebat et serpebat in membris, ac competenti incremento *a*)
ita ipsam redundabat et diffundebatur in cutem, ut totum corpus in hy-
dropis lacunam verteret et teneret. Unde illuc Christus non epulari venerat
sed curare. Sed ipsius hydropis luem *b*), ipsum principem Pharisaeorum,
sancta lectio iam producat in medium, ut morbi princeps, languoris ma-
gister, pestilentiae caput, qui se *c*) ante mensam non vidit, saltim suam
se videat ante mensam *d*). *Et ecce homo erat quidam hydropicus ante il-*
lum. Quare ante illum, et non ante illos? quia Dominus videbat ante se,
quod in se illi ipso morbo iam saucii *e*) Pharisaei non videbant: stabat enim
ante Dominum pharisaicus *f*) hydrops; stabat sitis ebria, esuriens *g*) crapula,
aqua ardens; stabat phariseici *h*) pectoris tota *i*) forma, plena morbo, vir-
tute vacua, redundans malis, sapientia perinanis *k*), stabat hydropicus an-
te Dominum; stabat prandium Christi, Dei epulum *l*), ferculum Salvatoris, p. 13
ministerium divinae virtutis non voluntatis humanae: quia Christus non da-
pibus humanis, sed curis hominum et languentium sanitatibus pascebatur.

2. *Et respondens*, inquit *m*), *Dominus dixit ad illos.* Non ait dixit,
sed respondit. Respondit cui, loquente nemine? Respondit medicus lan-
guori, quia languidus medicum non quaerebat. Denique loquitur ad legis
peritos, loquitur ad Pharisaeos, in quibus tota languoris necessitas, tota
morbi causa, tota pestilentiae vis manebat. *Respondens dixit ad illos: si*
licet sabbato curare? Auctor sabbati, sabbato quid liceret interrogat? et
ipse qui iusserat, quasi nesciens quid iusserit sic requirit? Fratres, non
ut nescius, sed ut praeceptor interrogat. Interrogabat enim ut praeceptor,
scitabatur *n*) ut dominus, scrutabatur ut Deus, quid profecerit doctrina
penes discipulos, penes homines oboedientia *o*), penes famulos disciplina.
Licet sabbato curare, an non? Quia sabbato peccare prohibuerat, non p. 14
curare, male faciendi non bene faciendi diligentiam denegarat, carnis cu-
ram in luxu non in sanitatibus amputarat; humanae servitutis opera,
non divinae sustulerat opera pietatis; et consecraverat diem, in quo ter-
renis operibus subtractus homo, Deo tantum vacaret et sibi; dixit ad illos:
si licet sabbato curare? At *p*) illi tacuerunt. Silebant enim bestiae quae
insidiabantur ad praedam; tacebant vero solliciti de crimine, non solliciti
de cura tacebant. Qui videt fieri quod existimat non licere, et tacet, iam
cum tacet accusat. Amicus amici *q*) delicta festinat prohibere non prodere.
Sed ideo tacebant, ut esset in culpa Deus, virtus in crimine, in calumnia
salus, in accusatione totum veniae documentum. Sic videt oculus invidiae
iaculo vulneratus; sic accusat hostis Dei, veritatis inimicus. Sed quia me-
dicus pius aegrum saepe curat invitum, adpraehendens hydropicum Chri-
stus dimisit sanum, quia quem conpraehenderit Christus, languoris uni-
versitas mox dimittit. Accessit ad hominem Deus, et morbus ab homine p. 15.

a) I. m. *incrimento.* — *b*) I. m. *lucem.* — *c*) I. m. fortasse *si.* — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. I. m. At 2. m. *sacii.* — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *esuries.* — *h*) 2. m. *pharisaici.* — *i*) Ita videtur in cod. — *k*) Firmatur hinc dubium apud lexica vocabulum *perinanis.* — *l*) Cod. *aepulum.* — *m*) I. m. *inquid.* — *n*) Ita cod. nisi est mendum pro *sciscitabatur.* — *o*) Ita cod. — *p*) I. m. *ad.* — *q*) Cod. iterum *amicus.*

mox recessit. Unde qui a Domino teneri non vult, ab omni aegritudine
* Ps. LXXII. 24. vult teneri. Hinc est quod propheta *a*) tentum se a Domino sic decantat *: *tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria adsumpsisti b*) *me*. Quid plura, Fratres? Si Christus pro sabbato tunc non fecisset hydropici curam, vim sabbati sustulisset. Sed obsecutum est auctori suo sabbatum, per quem deputatum fuerat ad odium criminis, ad exercitium sanitatis. Verum quia Pharisaei in hominibus, Dei pietatem sapere nesciebant, ad iumenta mittuntur, ut caperent ab insipientibus sensum, qui virtutibus Christi ingestum sibi totiens et taliter intellectum miserabiles non tenebant. Explicit.

III. INCIPIT SERMO DE DIVITE ET LAZARO 1).

Cod. vat. 5758. p. 57.

1. Non tam facile auspicia temeritatis nostrae erumperent, nisi vester erga me probatus ac dilectus affectus veniam dicendi concessam, loquendi mihi tribuere dignaretur audaciam: quodcumque enim potuerimus de di-
p. 58. vinis haurire fontibus, ac potandum vestris pectoribus *c*) spiritaliter tra-
* I. Cor. VII. 29. dere, quaeso ut dignemini libenter accipere. Apostolica etenim lectio *, carissimi, hunc sonitum reddit *d*): *tempus breve est, Fratres: reliquum est ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint: et qui utuntur hunc mundum e*), *quasi non utantur: praeterit enim figura huius mundi;* et sicut fur dies Domini ita veniet per ianuas. Omnium volant corda ad praemium: regni caelestis fabricam suadet *f*), ut non inveniat quem condemnet. Ergo vigilare nos iubet Dominus et orare, ne veniamus in temptationem *g*). O anima quae mecum audis et legis, consilium te iam iuvat *h*)
* Dan. IV. 24. sanctissimi Danielis. Sic enim ait *: *consilium meum accipe, rex, et peccata tua eleemosynis i*) *redime;* quod consilium si neglexeris, ad caelum sine causa pulsabis. O anima quae intra carneos fragiles parietes habitas, vigila, inquit *k*), pulsa, pete erogando *l*): pulsanti tibi et petenti, dicit Dominus, ecce adsum; et si transieris per ignem, tecum sum; flamma te non conburet; quem orando si quaesieris, invenies. Cum pulsaveris erogando,
p. 59. Christus tibi aperit ianuas, ut possessor paradisi introeas. Si adhuc, Frater, de fine mundi putas restare, vel tuum tibi considera finem. Si iam non vides mundum parturire, creatura ipsa tecum pariter suspirat et gemit. Paulatim enim subtrahuntur omnia quae bona erant, et accedunt mala quae non erant; ut Dei sermo impleatur: et homo necessario *m*) mutatur. Scriptum est

a) I. m. *profeta*, et sic plerumque alibi. — *b*) 2. m. *ass*. — *c*) Cod. *vestri pectoris*. — *d*) I. m. *reddet*. — *e*) 2. m. *hoc mundo* Sed etiam 4. casus recte se habet — *f*) Cod. *suadit*. Et quidem mendum aliquod heic suspicabar. — *g*) Cod. *temptatione*. — *h*) 1. m. *iubat*. — *i*) Cod. *elemosynis*. — *k*) 1. m. *inquid*. — *l*) Ita cod. non *rogando* — *m*) Cod. evidenter *nec sera*. Scripsi *necessario*. Alii meliorem lectionem divinent.

1) Saepe de hoc argumento Augustinus (ut et alii patres) et quidem infra serm. XIII. Tum in sermonibus iamdiu editis 14. 41. 102. 367, et in vindobonensi 24. De faciendis item eleemosynis passim Augustinus modo sermonibus integris, puta 388. 389. 390, modo obiter et oblata occasione. Quin etiam serm. LXI. 13. narrat se euntem ad ecclesiam concionandi causa et redeuntem, interpellari solitum a pauperibus, ut pro eisdem eleemosynam apud auditores commendaret. In codice lauresbamensi fuit sermo Augustini cum titulo *admonitio de divitibus*. (Spicil. rom. T. V. p. 171.)

enim *: *nudus exivi de utero matris meae, nudus etiam ibo subter terram.* * Ioh. I. 21. Ergo, Frater, nihil tecum adtulisti, quando ingressus es mundum: nihil tecum tollis cum dimiseris mundum. Accipe ergo consilium: cum in manibus tuis habes pretium *a*) tuum, dona tibi de tuo dum tuum est, quia labile est quod tenes et semper extraneum. Adtende pretium tuum; respice Dominum tuum; considera unde te redemerit, quale pretium pro te dederit, sanguinem suum pro te fudit: cariorem te habuit, quem tam caro redemit.

2. Illius divitis fuge, Frater, exemplum, cuius Lazarus pauper canes suis vulneribus pavit, et micas cadentes de mensa divitis non accepit. Eget *b*) Deus in paupere, ad quem tu soles egere. Et non videt dives, quos utique in carne natos similes, dispares fecerunt divitiae. Mortui sunt pares, et p. 60. aput *c*) inferos mutatae sunt vices: dives perdidit, quod habebat; pauper coepit esse, quod non erat. Sed tunc ait dives *: *pater Abraham, mitte* * Luc. XVI. 24. *Lazarum ut intinguat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia adfligor d) doloribus in flamma ista.* O divitem! Hic apothecas plenas habebat, et ibi sitit: hic dimisit, et ibi quaerit. Ergo, Fratres, totum divitis corpus in gehenna ardet, et sola uritur lingua in divite. Et nos discimus non tacere? Tunc dicit Abraham: *fili recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Nunc vero hic consolatur, tu vero cruciaris.* Sed iure exigeres, si dedisses. O mundi bona, aput inferos quam mala accesserunt *e*)! Ad servitium divitis ignes, ad obsequium saevi tortores. Torquetur dives et clamat: o iuste et integer iudex! secundum peccata mea, conpensentur mihi ista: contra annorum meorum, quibus pertuli bona, recipiam vel in duplo vel certe sancti Moysei *f*) iudicio poenas luam in quadruplo *. * Exod. XXII. 1. Cur me per tot milia annorum teneri iubes in flamma nexibus alligatum *g*), ne fugiam? Per momenta conpungor p. 61. ut doleam; saevit in me ignis et non parcit, cruciat et reservat. Responsum est illi: quid faciam tibi? eleemosynam *h*) non fecisti, quae peccatorum tuorum extingueret ignem. Moyses et prophetae *i*) in regno vitae tuae cum esses, clamabant tibi, et non audisti. Nuntius tuus exhibeat mihi paenitentiae tuae fructum 1), et quod petieris dono. Audi, o homo, iustam *k*) in conparatione sententiam; misericordiam non accipiet qui paupero *l*) esurienti non dederit. Fratres mei, manu Dei formati, mecum magno pretio conparati, audite vocem Domini vestri: implete desiderium amici; ex servo enim factus es amicus: fac tibi vicem cum Christo: contra terrenum patrimonium Deus offerat caelum. Sic enim ait *: *venite benedicti Fratres mei,* * Matth. XXV. *possidete vobis praeparatum regnum ante constitutionem mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare;* et cetera *m*), quae saepe cantatis.

a) Cod. *praetium*. Ita et alibi. — *b*) Cod. *aeget*. — *c*) 2. m. heic et alibi *apud*. Sed tamen *aput* in antiquis mss. longe communius, et quidem in cod. Cic. de rep. — *d*) 2. m. *atfligor*. — *e*) Malim dicere *quam male cesserunt*. — *f*) Ita cod. resoluto *i* in *ei*, ut non raro fit in vetustis ms. — *g*) 1. m. *alligatum*. — *h*) Cod. *elemosinam*. — *i*) Ita heic (sed raro) recte cum *ph*. — *k*) Cod. 1. m. *iusta*, 2. *iuxta*. — *l*) Ita cod. quod retineo, quia in glossario meo iam protuli *paupera* ex antiqua Tobiae translatione, *pauperus* ex antiquo ms. lexico, aliaque exempla citavi. — *m*) Cod. heic. *cetera*, sed idem mox *caetera*.

1) Conferendus est cum hoc dicto Augustini locus ex Dulcitii quaestionibus n. 4. ubi de poenis aeternis.

Tunc dicitis vos qui fecistis quod audistis: *Domine, quando te vidimus esurientem aut sitientem?* et cetera. Convenit fidelis debitor ut reddat,
p 62. et creditores excusant? Tunc pater dominus et amicus, cum quo fecistis caeleste commercium, *amen amen*, inquit, *dico vobis, cum a) fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis*. Nonne ego quod accepi, reddo centies tantum, immo milies b) centuplum, et in futuro vitam aeternam? Et sicuti
* Apoc. XII. 6. per Iohannem * promisi mille annorum convivium, et parte dextra regnum: non quia non peccastis, sed quia peccata vestra eleemosynis c) redemistis d). Explicit.

IV. INCIPIT SERMO DE MULIERE CANANEA 1).

* Cod. vat. 5758. 1. Domini et Salvatoris nostri benignitas aequabiliter omnibus iter salutis ostendit, nec aliquem vult esse segregatum, dum cunctos ad se venire hortatur, et perditos revocat semper. Usque adeo eos duritia mentis invasit, ut hunc sequi nolint, qui illos revocare cupiebat errantes, quorum causa
p 63. descenderat ne perirent. Adhuc, popule iudaee e), pro te dominicae inquisitionis sollicitudo pervigilat, et Dominum tuum non vis quaerere, dum quaeraris? Vere perditi, qui adhuc se perisse non sentiunt. Grandis confusio, cum hebitudo f) circumdat eum qui proprium non agnoscit errorem; et dum revocatur, spernit. Quid tibi amplius facere potuit, nisi ut ad te perditum ipse veniret? Ipse enim intellegebat cordis tui profundam indomabilemque perfidiam. Nec alterum misit, ne forsitan g) dubitares: ipse venit, et non credis? Perisse te clamat, et non reverteris? Videte h) ergo quam larga est misericordia Salvatoris! Quid enim virtus divina laborabat, nisi ut hoc solum posset i) adquirere, ne dispersus populus penitus disperiret? Volebat enim eos reparare. Dum enim k) monitis ad se non posset adducere, rebus coepit et mirabilibus provocare. Nec hac tamen ratione flectuntur.
* Ioh. VIII. 48. Dicunt enim *, samaritanus l) est, et daemonium habet. Grandis patientia miserationis divinae! Iniuriam patitur, et non movetur. Vere animum libe-
p 64. ratoris ostendit. Non tibi sufficit, multitudo vesana, quod Dominum tuum non vis agnoscere? Nec hoc beneficii loco ponis, ingrate? Vere scriptum
Deut. XXXII. 5. est *: *gens prava et perversa, haec Domino reddidistis m)*? Quid tam pravum? quid tam perversum? Iter suum perdidit, Deum deseruit: qui dabat remedium, recusavit. Praetereundus est ergo iste populus, qui perdurat in aeterna perfidia. Habemus alteram partem, quae magis debeat praedicari.
* Matth. XV. 22. 2. Inducenda est ergo mulier cananea *, quae ritum barbaricae feritatis

a) 2. m. *quodcumque*. — b) Ita recte cod. ut et alibi prisci codices constanter *milia* pro *millia*. — c) Cod. *aelemosynis*. — d) Cod. *redimistis*. — e) Cod. *iudeae*. — f) Ita cod. — g) Cod. *forsitam*. Certe *m* pro *n*. in aliis etiam codd. interdum vidi. — h) I. m. *videtis* — i) I. m. *possit*. Ita et mox. — k) Cod. *eum*. — l) Cod. *sammaritanus*. — m) Cod. *reddistis*.

1) Subtexitur a manu paulo recentiore huic titulo: *quae dixit, si tetigero vestimenta Domini, salva ero*. Porro alius Augustini sermo de Chananaea (cod. noster *Cananea*) est LXXVII. inter editos. Videmus autem de iisdem non semel argumentis concionantem Augustinum, sive ob annuum evangelicarum lectionum reditum, sive quia diversis occasionibus verbum Dei praedicabat. Hinc multi eius sermones de natali Domini, de paschate, de Praecursore et aliis sanctis, de symbolo ad baptizandos etc.

emolliens confitetur vera, quam feritas genuina possederat *a*). Dicit enim: *miserere mei, fili David.* Confitetur quoniam hac ratione filiam suam non credebat posse purgari. Quem gens barbara David filium confitetur, peculiaris populus non credebat. Nec aliud credula mulier postulabat, nisi ut verbum *b*) Salvatoris audiret; hoc enim solo filiam suam iudicabat posse sanari. Ait enim mulier: nec aliter filia mea sanitatem poterit invenire, nisi p. 65.
vocis tuae potuero inpetrare responsum. Cui nihil Iesus dicendo respondit; nec tamen fidem credentis sprevit; volebat enim ut multiplicaretur credulitas mulieris. Post longum silentium, haec verba Iesus reseravit, dicens: *non est bonum accipere panem filiorum et mittere canibus.* Israhelem *c*) populum, filios esse respondit; adhuc enim aput *d*) Deum filiorum nomen quod haeserat *e*) permanebat, licet in illos tota perisset affectio: nomen perdidit fili *f*), dum patrem contempnit agnoscere. Nescitis vos, infelices populi, hoc sermone iugulari? Patrem respuis *g*), filius dum vocaris. Panes tuos *h*) negavit canibus esse mittendos. Quod si fili nomen amiseris, canes incipient te esse meliores.

3. Vide misericordiam Domini; fidem tibi *i*) servat, ne canes te vincant. Canem mulierem Dominus nuncupavit; tamen nec satis eam praesens hic sermo laceravit: non enim omnium canum una condicio est; in ipsa quidem natura est, sed aliquanta discretio: ita ut mansueti et sapientis generis natu- p. 66.
ra laudetur, quae agnoscat dominum suum, nec ab eius vestigiis aliquando discedat; quae si se diligi senserit, limen domini pervigili observatione custodit; quem non famis effugat, non caedes *k*) expellit; semper dominum suum quasi quaestuosus latratus inquirit: habet obsequium suum; licet voce explicare non possit, tamen corporis communione distinguit. Ait enim: miserere mei, quam *l*) canem dominus nuncupavit. Ait mulier: quare sic me divina voce castigas? Solent et canes de dominorum reliquiis gratulari; nam et de mensis solent fragmenta cadere, quae canum famis subter speculando suscipiat. Canis mihi nomen inponis? non quaero panes filiorum tuorum, sed tantum misericordiae tuae verba desidero: nec me rabidus ardor invasit, ut in dominum meum dentium venena convertam. Canis sum, fateor, latratum meum iam frequenti debes insinuatione suscipere *m*). Latro, et non audior *n*); nec mihi saeva rabies mentis intellegentiam abstersit. Non quaero, sicut tu ipse dixisti, panes filiorum tuorum; vox enim prophetae suc- p. 67.
currit dicentis *: *filios genui et exaltavi, ipsi autem me spreverunt.* Si * Is. 1. 2.
talia redduntur obsequia, si sic habetur dominus, ut post tanta beneficia contemnatur; ne talis ergo sit adrogantia *o*) filiorum, quae patris disperdat imperium.

4. Ait mulier: quam diu volueris, Domine, canem dicas me *p*), latratus mei impudentiam sustinebis, famem meam vocis sacietate *q*) conplebis. Etsi

a) 1. m. *possiderat.* — *b*) Cod. *verbo.* — *c*) 1. m. *Israhel.* — *d*) 2. m. *apud.* — *e*) Cod. *heserat.* — *f*) Archaismus pro *filii.* Sic et alibi. — *g*) 1. m. *respues.* Nimirum *e* pro *i*, et versa vice *i* pro *e*, saepe in hoc et aliis priscis codd. — *h*) 2. m. *suos.* — *i*) 1. m. *tiei.* — *k*) 1. m. *caedis.* — *l*) Cod. *quem.* — *m*) 1. m. *suscepere.* Utrum haec et similia a diversa pronunciatione sint (ut in anglica lingua fit) prout innuit noster p. 2. adn. 3, an potius amanuensium ruditate, in medio relinquo. — *n*) 1. m. *audio.* — *o*) 2. m. *arrog.* — *p*) Superadditur 2. m. *me.* — *q*) 1. m. *saucietate*, sed *u* expuncta. Malim etiam p. 5. retinere *saci.*

me contemnas, quam *a*) natura fecit esse deiectam, habeo tamen quod non incipiat displicere; desiderii tui ardore confraglo *b*): vestigia tua, etiamsi abieceris, non relinquam. Alio iterum sermone vocitabo te, dominum totius naturae proclamabo: divinitatem tuam etsi voce explicare non possum, tamen tota mente confiteor, adoro, veneror, et deposco: tua pietas est, quod inquieta persisto: tui beneficii, quod latrare non desino. Unum tantum sermonem requiro; hoc enim solo desiderii mei poterit ardor extingui: peto et cum fiducia summa deposco; filia enim mea laborat: in tantum enim mihi tua est divinitas comprobata, ut quam variis artibus sa-
p. 68. nare non potui, tua solum voce recipiat sanitatem: exemplum enim tuae pietatis hortatur, et inportunam me esse conpellit. Memor sum enim te dicentem *c*): *petite et dabitur vobis*. Quis enim ad te post haec promissa non currat? quis praemia promissa non poscat? Peto ergo; praesta quod deprecor *d*). Tali ergo Dominus et Salvator noster prece *e*) commotus, postquam fidem precantis agnovit, hoc solum mulieri credenti respondit: *o mulier, magna est fides tua; fiat tibi secundum fidem tuam* 1). Non dixit Dominus: dabo quod postulas; in eius enim conlocavit *f*) arbitrio. Et accepit totum quod fideliter postulavit. Nos ergo, Fratres, ita fide credamus, ut omnia quae poscimus, similiter impetrare 2) mereamur. Amen. Explicit.

V. INCIPIT SERMO DE IRACUNDIA FRATRUM 3).

Cod. vat. 5758. p. 69.
* Matth. V. 17. 21. 22.

1. Audistis hodie qualiter auctoritate gratiae, legis est severitas ampliata. Et impletus est sermo Domini dicentis, *non veni solvere legem sed implere. Audistis, ait, quia dictum est antiquis, non occides g); ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Iracundia homicidio, culpa sceleri comparatur: ut in ecclesia Domini innocentem non esse, magnum sit crimen. Tulit plane, tulit locum crimini, qui in culpa quidquid *h*) crimini debebatur exclusit. Innocentiae custos *i*) est, quia culpam *k*), ne crimen consequatur, abscidit. Laudabilis enim ille est medicus qui tumorem spargit, ante quam serpat in vulnus. Praecautus 4) vero ille est rex, qui somnum expellit in milite *l*), ne hostis dominetur in cives. Sic Christus culpam perculit, ut in christianos crimini nil liceret: punivit iracundiam, ne homicidium nasceretur: motus secuit, ne prodirent causae:

a) Cod. *quem*. — *b*) 2. m. *conflagror*. — *c*) Ita cod. Soloecismos suos vidimus memorantem Augustinum p. 2. adn. 3. — *d*) Cod. *depraecor*. — *e*) Cod. *praece*. Sic et mox. — *f*) 2. m. *coll*. — *g*) 1. m. *occidis*. — *h*) 2. m. *quicquid*, secundum praeceptum Quintiliani inst. I. 7, et Capri ed. Putsch. p. 2241. — *i*) 1. m. *custus*, *u* pro *o*, ut vicissim *o* pro *u* in priscis mss. — *k*) Cod. *culpa*. — *l*) Cod. *militem*.

1) Augustinus noster lib. de fid. et oper. n. 30. de hac muliere loquens ait: *cum ante dixisset Dominus, non est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus; quia ille cordis inspector mutatam vidit, quando laudavit, non ait: o canis, magna est fides tua; sed, o mulier, magna est fides tua.*

2) Superscribitur paulo recentiore manu: *accipere mereamur in nomine domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in saecula saeculorum.*

3) Nimirum de iracundia inter fratres, id est inter christianos; de quo argumento Augustinus etiam in sermonibus ed. LVIII. 8. LXXXII. et CCXI.

4) Observa rari usus vocabulum.

abscidit cogitationem, ut praeveniret effectum. Audistis, ait, quia dictum est antiquis, non occides *a*): qui autem occiderit, reus erit iudicio. Et quid homicidae cum iudicio, qui iam totus damnatus est poenae? Sed cognitorem praevenit, quem sanguis addicit: occisa est caro, sed anima vivit p. 70. occisi: iacet in terra corpus, sed spiritus evolavit ad caelum: occisus iacet hic, sed ibi clamat: aput homines dormit in causa, sed aput Deum pervigil sibi advocatus existit: accusatore opus non est, vacant *b*) testes: dilatio exclusa est, quando aput iudicem adsertor homicidii ipse adstat occisus: humani iudicii est audita tractare, obiecta discutere, occulta perquirere, ubi, quando, quare, cum quo commissa sint indagare, urguere poenis ad confessionem, cogere inconfessum, proferre sententiam. Verum caelestis iudex, qui occulta videt, tacita qui audit, dimersa *c*) qui penetrat, percurrit divina, profunda rimatur, commissa quaerere non laborat: sed aut confitenti largitur veniam, aut sententiam dat neganti *d*).

2. Divino ergo iudicio dixit: *qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Hoc est dicere, illa iudicanda sunt quae sunt media, quae occultant motus sui causas, quae nisi nata fuerint, quare concepta sint nesciuntur; quae bona malave sunt, examinatione panduntur. Iracundia, Fratres, res media est; usu mala fit, non natura: pessima est, cum concipitur ex odio; iniqua, cum generatur ex ira; optima, quando ex amore venit, quando imperat disciplinam. p. 71. Irascitur enim et pater filio, servo dominus, discipulo magister, correptionis studio non furoris, salutis proposito non ruinae, iuxta illud prophetae *: *irascimini, et nolite peccare.* * Ps. IV. 5. Iudicanda est ergo iracundia: si de pio motu est, adprobetur; si de impio, comprimatur. Homicidium vero sententiam expectat solam, quod ante iudicium tendit ad poenam. *Audistis quia dictum est antiquis: non occides e); qui autem occiderit, reus erit iudicio; ego autem dico.* Ego dico auctor legis, iustitiae fons, origo veritatis, vivendi ius, aequitatis regula, norma iudicandi. Ego dico Deus, ego dico dominus; ut his quae per servos dicta sunt, maiora sint per dominum quae dicuntur. Ego dico, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Iudicetur iracundia, ne homicidium puniatur; iudicetur iracundia, ut ira tollatur: iudicetur iracundia, ut instrumentum sit disciplinae, non sit furoris occasio: iudicetur iracundia, ut pietatis causa sit, non reatus: iudicetur iracundia, ut tollat crimina, non ipsa sit crimen. Sed videamus quare ultionis *f*) p. 72. tres tribus culpis taliter Dominus evangelicae tubae clangore distinxit. Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennae ignis. Qui irascitur, sicut diximus, intravit iudicium; praestabit iracundiae causas; et qui irascendo terribilis extitit fratri, terrorem divini iudicii sustinebit. Videat ergo qui irascitur, ne facile, ne sine causa, ne diu, ne

a) I. m. *occidis.* — *b*) Cod. *vacat.* Vel dic *vacat testis.* — *c*) Ita cod. *di* pro *de.* — *d*) Cod. *negantis.* — *e*) Cod. *occidis.* — *f*) Ita cod pro *ultiones* in 4. casu plur., quamquam 2. casus non est in *ium.* Alia exempla alibi interdum vidi, et in meis orthographicis seu palaeographicis indiculis scripsi.

* Ephes. IV. 26. dure *a*), ne in crastino; quia iussum est *: *sol non occidat super iracundiam vestram.* Cum irasceris, fratrem cogita, ut vincas iracundiam caritate: quia si manente iracundia occidens sol pietatis in te lumen extinxerit, succedit in te irae nox, succedunt furorum tenebrae, et totum te ad vota fraternae mortis adducunt. Ac sic, etsi non facto, voto tamen factus es fratricida. Merito ergo iracundus per iram illi iudicio reus est, cui reus est homicida.

3. *Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio.* Racha, Fratres, non est sermo 1), sed subsannantis affectus et iniuria, quae solet aut oculorum nutu, aut obducto narium crepitu faucium fieri, ut et voluntas *b*) contumelias paret, et genus iniuriae nesciatur. Sed Deus qui voluntates *c*)
p. 73. conspicit, vota videt, iudicat affectus, subsannatorem fratris sanctorum concilio adducit obnoxium; quia unius inrisio, ad omnium redundavit iniuriam; et causa membri pervenit ad corpus; et corporis dolor ascendit ad caput. Sic quod uni, quod fratri inrisor ingessit, ad Deum usque prosilisse in concilio caelesti subsannator sentiet et deflebit. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennae ignis. Quod iracundus tegebat in pectore, et quod subsannator claudebat in fauce 2), maledicus expressit in voce: et ideo confessa contumelia, gehennae conputatur incendio: occultis culpis iudicium sententia decernitur Salvatoris, ut pro examinatione causarum, iudicii iustitia comprobetur. Manifestum vero crimen, evidenter destinatur ad poenam. Sed dicit aliquis: quae tanta vis est dicti, ut qui dixerit fratri suo fatue, supplicio deputetur extremo? Tanta, Fratres, tanta; quia in fratre Christus est, et Christus Dei est sapientia. Qui ergo fratri dixerit fatue, Dei sapientiam fatuam nuncupavit. Et sicut ille qui blasphemat Dei Spiritum, caret remissione tam praesentis saeculi quam futuri 3); ita iste qui sapientiae Dei inrogavit iniuriam, transcendit iudicium, et totus descendit *d*) in
p. 74. poenam. Ad haec respondebit auditor: et quis poterit salvus fieri 4)? Quis, Fratres? ille nimirum qui corde non peccat et lingua. Audi prophetam di-
* Ps. XIV. 1. centem *: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet e*) *in monte sancto tuo?* Respondetur: *qui loquitur veritatem in corde suo, et non egit dolum in lingua sua,* et cetera. Haud *f*) linguae convicium pro nihilo habetur, Fratres. Lingua enim facit martyrem *g*), lingua martyrii dat coronam: lingua etiam blasphemum facit, lingua negationis praecipitat in ruinam. Explicit.

a) Cod. *durae.* — *b*) Cod. *voluptas.* Et quidem haec verba *ut et voluptas contumelias paret*, supplentur in margine paulo recentiore manu. — *c*) Cod. *voluptates.* De hac scriptura dixi in adn. ad Cic. de rep. I. 2. — *d*) 1. m. *di.* — *e*) 1. m. *requiescet* — *f*) Cod. *aut.* — *g*) 1. m. *marturem* et *marturii*, at 2. *y.* Sic in Symmachi palimpsesto constanter *Summachu*.

1) Sic prorsus de hoc vocabulo Augustinus etiam de serm. D. in monte lib. I. n. 23, et in Ioh. tract. LI. 2.

2) Hinc iam certo exemplo confirmatur singularis numerus huius vocabuli.

3) Noster Augustinus serm. ed. LXXI. post multa in hanc rem dicta concludit, peccatum adversus Spiritum sanctum esse impaenitentiam. Extat autem de hoc dicto magni Athanasii opusculum.

4) Noster in sermone ed. LV. 2. illo proposito textu, pergit dicere: *ibunt ergo omnes in gehennam ignis? Absit. Domine refugium factus es nobis a generatione in generationem. Ira tua iusta est. neminem in gehennam mittis iniuste. Ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram.*

VI. INCIPIT SERMO DE INIMICIS DILIGENDIS 1).

1. Conpello caelum, voco terram, ut pietatis dominicae novitatem et terra stupeat, miretur et caelum. Quae sentit mens, qui capit auditus, quae doctrina tradidit, ad quod evangelista christianos adtrahit auditores, dicendo *: *diligite inimicos vestros*? Nec recipit *a*) hoc mortalis sensus; viscera hoc humana non capiunt, recusat hoc condicio carnalis, hoc saeculi non admittit auditus. Inbecillus animus amantes amare non sufficit, et diligentes diligere vix valet hominis inconstans natura. Nonne fili *b*) parentes, parentes filios, uxorem vir, virum uxor, frater fratrem, civem cives, parens parentem saepe feralibus odiis persecuntur *c*)? et de caritatis vinculo nodos alligant *d*) odiorum, sumentes de pace bellum, de coniunctione discidium; et ipsa fit causa odii, quae fuerat res amoris. Et si ista, quae pro natura sunt, sic exorbitant a natura, illa quae contra naturam sunt, inserit quis naturae? Ira mali *e*), causa amoris, est res naturae; amor ergo et ira coniungi nequeunt, sic *f*) divisa. Et quomodo dicitur diligite inimicos vestros? Odio habentes se, non odisse; persequentes non persequi, virtus est admirantis: *g*) diligere inimicos, orare pro persequentibus, non valet animus carnis onere praegravatus. Fratres, disperationem *h*) non facimus 2), haec loquentes, sed caelestis praecepti magnitudinem de terrena inpossibilitate monstramus, ut implere istud non sit humani operis, muneris sit divini; Christo auctore ipso cum dicit *: quae inpossibilia sunt penes homines, possibilia sunt aput Deum. Iubendo Deus, velle tuum quaerit; posse, dat ipse qui iubet.

cod. vat. 57 p. 74. — * Matth. V. 44 — p. 75. — p. 76. * Luc. XVIII. 27

2. Sed aperiamus iam in praesenti quid lateat in praecepto. Si lapis lapidi inlisus *i*), cum sit frigidus, emittit ignem, inimicitiarum iuncti ignes lucent, quam possint conflare discordiam? Nonne regna, gentes, populi, dum inimicis inimicitias reddunt, mundum conciderunt universum, bellis sanguinem profuderunt *k*). Saeviente discordia ardebat mundus, et ea sola pereunte saeculo, permanebat incendium. Sicut aqua extinguit ignem, ita dilectio inimicitiarum extinguit incendia. Dilectio enim pacis unda, ros gratiae, caritatis imber, semen concordiae, affectus germen, fructus uberrimus est amoris: et ad summam, dilectio Deus est, probante Iohanne cum dicit *: *quia Deus dilectio est*. Fratres, Deus servos suos non inimicitiis subiacere voluit, sic iubendo, sed talia ut inimicitias auferret imperavit: et voluit dilectione placari, furorem *l*) caritate conpesci, amore inimicitias commutare. Fratres, imitatur Deum quisquis interficit dilectione iram, facit

* I. Ioh IV. 16.

a) 1. m. *recepit*. — *b*) 2. m. *filii*. De hoc archaismo *i* pro *ii* iam dixi. — *c*) Ita *c* pro *q*, ut saepe in priscis codd. — *d*) Cod. *ablegant*. — *e*) *Ira mali* pro *odium mali*. — *f*) 1. m. *si*. — *g*) Num pro *admirabilis*? — *h*) Ita cod. ut alibi *dimergere*, et similia. — *i*) 2. m. *ill*. — *k*) Cod. *profunderunt*, cuiusmodi praeterita alibi vidi in codd. — *l*) Cod. *furore*.

1) In prisco codice bibliothecae laureshamensis, cuius nos catalogum impressimus, legebatur hic Augustini sermo cum titulo: *de diligendis inimicis et bene illis faciendo, ut qui inimici erant convertantur et amici fiant*. Spicil. rom. T. V. p. 171. Reapse in hac pagina legimus *facit amicum de inimico*. Sermo quoque ed. CCCLXXXVI, inter dubios Augustini, inscribitur *de dilectione inimicorum*.

2) Noster etiam in serm. ed. LVI. 14: *non vobis videatur impossibile; ego scio, ego novi, ego probavi esse homines christianos, qui diligunt inimicos suos*.

amicum de inimico, de hoste fratrem, de profano sanctum, de sacrilego
p. 77. religiosum, de gentili efficit christianum. Hoc autem quod dicimus, de se-
quentibus clarius elucescit. *Bene*, inquit, *facite his qui vos oderunt, et*
orate pro persequentibus et calumniantibus vobis; ut sitis fili patris vestri
* Matth. V. 44. *qui in caelis* * *est a*). Dei filius qui bonus est, malis non amantibus dat
amorem. Christus Dei filius odium se habere a mundo noverat, qui dicebat:
odit vos mundus, sed primum me odivit b): tametsi *c*) odium se habere a
mundo noverat, quam bene fecerit, audiamus. Mundus ut serviret idolis,
inimicitias indixit auctori; et ne oboediret *d*) uno *e*) et vero Deo, monstris
maluit innumeris subiacere: atque *f*) in odium creatoris diligit amare viles
et sibi subditas creaturas; faciens quod erat non iudicii, sed furoris: pul-
sabat caelum mugitus laniati pectoris, funestarum servitio victimarum: aër
ipse sacrilegiis sanguinis infundebatur libaminum: ararum *g*) fumo solis cla-
ritas fuscabatur: ut tali cultu non iam creator sed creatura ipsa suum ge-
reret dolorem, quereretur *h*) iniuriam.

3. Nec tamen impietate hac victa est invicti pietas creatoris; quia in
opifice amor operis profanam superabat iniuriam; et facturae dilectio, facta
p. 78. dissimulabat humana, sciens esse amori *i*) gloriae ignoscere, quam punire,
reparare perdita, quam facta servare; et credi hinc auctorem se esse rerum,
cum se rerum cerneret redditorem *k*). Hinc est quod Deus intrat mundum, et
terris miscetur et carni; fit homo; implet hominis servitutem; ut Christum
mundo *l*), Deum virtutibus, obsequiis hominem passionibus*que* comproba-
ret. Facit ergo virtutes ad indicium deitatis suae; dat caeco oculos, quos
non dedit natura nascenti; cumque quamplures caecos praecepto solo ocu-
lasset ad lucem, hinc ergo reformat oculos unde fecerat hominem totum:
sputo suo baptizat limum, ut inmaculatus pulvis sicut in principio divi-
nis *m*) manibus tractaretur, et ipsum esse factorem hominis factura luminum
perdoceret: fugat daemónes *n*) imperio caelesti, et crudeli captivitate pos-
sessos ad suam reducit liberam servitutem: membra paralyticis *o*) soluta
restringit, ne indecorum corporis decus suae imaginis subiaceret: vitae mor-
tuos reddidit, et animas in membra iam faetentia iubet redire: ut geminata
p. 79. virtus et mortem pelleret et faetorem. Verum quia timorem virtus, familia-
ritas dat amorem, vadit ad convivia, nuptias non declinat, omnibus ad
omnia toto iungitur blandimento. Ad postremum patitur, moritur, sepeli-
tur; et hominem, quem pro amore mundi susceperat, pro mundi amore
deponit. Nec tamen sic mundi malitia superata est: nam virtutes eius scaeva
interpretatione *p*) memorabat; communicationem pro vilitate contempnebat,
mortem dabat casui non amori. Tamen ille bonus inexhaustam *q*) pietatis
suae tenuit largitatem, ut faceret gloriosam de pietate victoriam, et tristem
non faceret de severitate vindictam. Ergo, Fratres, diligamus inimicos no-

a) In cod. mendose *est est.* — *b*) 1. m. *odit.* — *c*) Cod. *tamen.* — *d*) 2. m. *obediret* — *e*) Ita cod. — *f*) 1. m. *adque*, quae certe scriptura sollemnis est in priscis codd. — *g*) Cod. *arearum.* — *h*) Cod. *quaereretur.* — *i*) Ita cod. nisi forte mavis emendare *maioris.* — *k*) Ita cod. — *l*) Cod. *mundum.* — *m*) Cod. *divinorum.* — *n*) Cod. *demones.* — *o*) Cod. *paraliticis.* — *p*) Cod. *interpraetatione.* — *q*) Cod. sine adspiratione.

stros, bene faciamus his qui oderunt nos, et oremus pro persequentibus et calumniantibus nobis; ut possimus et nos non de inimicitiis, sed de amicitiis gloriando, Deo sanctam reportare victoriam. Explicit.

In editione romana anni 1819. *sermonum decem S. Augustini, primus est de X. plagis Aegyptiorum et totidem praeceptis Dei, qui sermo valde mutilus erat apud Eugyppium et Maurinos serm.* 8, *sed ope codicis casinensis supplementis tribus auctus fuit. Ceterum casinensis unicus codex adeo mendis erat deformatus, adeoque mancus et imperfectus, ut ea casinensia supplementa omnino a nobis sarcienda refingendaque sint.*

VII. INCIPIT SANCTI AUGUSTINI SERMO DE DECEM PLAGIS AEGYPTIORUM, ET DECEM PRAECEPTIS LEGIS *a*).

1. Domino Deo nostro, cuius cultores sumus, in laude dictum est, Cod. vat. 5758 p. 307.
quodam scributurarum loco *: omnia in mensura et numero et pondere di- * Sap. XI. 21
sposuisti. Deinde apostolica doctrina edocemur *: invisibilia Dei per *b*) ea * Rom. I. 20.
quae facta sunt intellecta conspicere; et ea, quae latent, per manifesta investigare: unde interrogata quodammodo ubique creatura, dominum Deum se artificem habere ipsa speciei suae quadam quasi *c*) voce respondet. Deinde apostolus *d*): ea quae conscribta *e*) sunt in libris, quod dicitur *f*) testamentum vetus, in figura contigisse commemorat: scribta autem sunt, inquit *g*), ad correptionem nostram, in quos finis saeculorum obvenit. Proinde, carissimi, si *h*) ea quae videntur in rerum natura quasi *i*) fortuito provenire, perscrutata *k*) diligenter atque discussa, et prudenter vestigata et inventa laudem intimant creatoris, divinamque providentiam per cuncta diffusam et disponentem, ut dictum est, suaviter omnia, cum attingit a
fine usque in finem fortiter; quanto magis ea quae non solum facta, ve- p. 308.
rum *l*) etiam divinis litteris commendata recitantur? Unde propositam nobis a fratribus quaestionem, immo *m*) inquisitionem et disputationem, quid sibi velit quod decem plagis percutiuntur Aegyptii, et decem praeceptis instruitur *n*) populus Dei, suscepimus *o*) in nomine domini Dei *p*) nostri, adiuvante ipso et donante, adnitente *q*) nobiscum pia intentione cordis vestri, quantum possumus explicare *r*). Qui proposuerunt, quod proposuerunt sciunt, id est proposuisse se noverunt, nec me hoc temere ad vos protulisse recordantur. Quicumque autem non proposuistis, pariter audite quod possumus; ut propositum fratrum, cura sit omnium; et expositum ministerii nostri, alimentum sit universorum. Arbitramur enim ipsum adiuturum *s*), etsi non propter nos, certe propter vos, ut ea dicamus, quae et dici *t*) oportet, et audire utile est, ut in via veritatis eius pariter ambulantes, et ad patriam
pariter festinantes, hostes *u*) et insidiatores itineris nostri, agnoscendo vo- p. 309.
luntatem legis Dei *x*), evitare mereamur.

a) Deest in casinensi *legis*. — *b*) Desunt in casin. verba *invisibilia Dei per*. — *c*) Deest in cas. *quadam quasi* — *d*) Cas. addit *Paulus*. — *e*) Casin. *scripta* — *f*) Casin. *in libris veteris testamenti*. — *g*) Deest in vat. *inquit*. — *h*) In casin. deest *si*. — *i*) Deest in cas. *quasi*. — *k*) Cas. *interrogata*. — *l*) Cas. mendosissime *fuerunt* pro *facta*, *verum*. — *m*) Cas. *imo*. Sed *immo* semper in codicibus. — *n*) Cas. *instituitur*. — *o*) Cas. *suscipimus*. — *p*) Deest in vat. *Dei*. — *q*) Cas. absurde *adveniente*. — *r*) Abhinc in cas. desunt omnia usque ad *arbitramur*. — *s*) Cas. male *adiutorium*. — *t*) Cas. mendosissime *dicamus certe*, *quae didici et audiri ut ille est*. — *u*) Deest in cas. *hostes et*. — *x*) Deest in cas. *Dei*.

2. Decem sunt plagae, quibus populus Pharaonis percussus est; decem sunt praecepta, quibus Dei populus instructus est. Videamus, fratres, quomodo *a*) corporaliter facta, spiritaliter sunt intellegenda. Non enim putamus tantum dicta *b*) atque conscribta, non facta; sed facta credimus, quemadmodum facta legimus: et tamen ipsa facta umbras *c*) fuisse futurorum apostolica doctrina cognoscimus. Putamus ergo spiritaliter *d*) esse investiganda quae facta sunt, facta tamen esse negare non possumus *e*). Nemo ergo dicat: scribtum est quidem, aquam conversam in sanguinem in plaga Aegyptiorum; sed significat aliquid, non enim re vera fieri potuit. Hoc qui dicit, ita quaerit voluntatem Dei, ut iniuriam faciat potentiae Dei. Quid *f*) enim? Si dicendo significare potuit, etiam faciendo non potuit? An numquid *g*) non est natus Isaac, aut *h*) Ismahel? Nati erant, homines erant, et *i*) ex Abraham nati erant, et unus ex ancilla, alter de libera. Quamvis ergo homines fuissent, quamvis nati essent, figurarunt
p. 310. tamen duo testamenta, vetus et novum. Ita prius in fundamento posita rerum gestarum firmitate, significantiam *k*) debemus inquirere, ne subtracto fundamento, in aëre velle aedificare videamur.

3. Arbitror ergo *l*), omnes qui decem legis praecepta contempnunt *m*), spiritaliter pati ea quae Aegyptii corporaliter passi sint *n*). Hoc propositum donec adiutorio Domini *o*) explicem, intentos vos volo et orantes pro nobis, ut dicamus utilia *p*) vobis. Quod enim ad nos pertinet, fortasse cogitamus; quod autem loquimur vobis servimus. Illud ergo prius accipite, ne in numero fallamini, ad plagas istas decem non pertinere quod primo factum est signi causa, ut virga in serpentem converteretur. Aditus enim erat ipse *q*) ad Pharaonem, quo commendabatur Moyses *r*) educturus ex Aegypto populum Dei, nondum autem contumaces feriebantur, sed divino signo iam terrebantur. Neque nunc *s*) opus est, neque propositum est de ipsa virga in serpentem conversa aliquid dicere. Verumtamen quia eius mentionem necessitate fecimus, ne quisquam *t*) in numero erraret, nec
p. 311. debet in cuiusquam auditoris animo *u*) tamquam non intellectae rei scrupulus remanere, breviter dicimus, virga significari *x*) regnum Dei etc.

Hactenus primum casinense supplementum correximus. Exin reliquorum item duorum saltuatim saltem emendationes scribemus. Igitur in textu casin. p. 7. col. 1. v. 18. corrigatur: ad Deum fuit iubendi consilium. *Ibi v. 21. corr.* scelus *pro* secus. *Ibi v. 24.* oboediebat, *vetere orthographia. Ibi v. 27. adde:* dicere demonstratum in duobus apostolis magni gregis arietibus, quorum natalicium uno die celebramus, in Petro et Paulo. *v. 33. dele* ad. *v. 34. dic*: custodes milites interrogatos, *omissis ceteris. v. 37. dic:* iuste fuisse prolaturus in Petrum. Quid dicimus? *v. 40.* responderetque. *Col. 2. v. 2. post vocabulum* moriatur *adde:* Paulus autem cum inclusus et vinctus cantaret in Deum, tremefacta terra, et laxatis vinculis, non abscessit, ne mali aliquid custos carceris pateretur. Dabatur enim humanae iustitiae cogitandae locus, ne alius pro alio puniretur, quando nihil contra divinitus iubebatur. *Deinde v. 7. omissis omnibus usque ad* nemo ergo, *sic in vat.* mens concupiverit (*non* gens cogitaverit). Per traditorem Iudam liberati sumus; sed hoc Iudas nobis non praestitit; occidere voluit, non liberare. Deo laus, Iudae damnatio. Nec tamen hoc faceret Iudas, nisi permisisset Deus, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. *v. ult. corr.* voluerat Deus pati. *Pag. 8. col. 1. v. 9. corr.* diu *pro* dum. *v. 10.*

a) Vat. *quoniam.* — *b*) Cas. *negamus facta, ut putemus.* — *c*) Cas. *umbram.* — *d*) Cas. *spiritualiter.* — *e*) Deest in cas. *negare non possumus.* — *f*) Cas. *qui.* — *g*) Cas. *an non? non.* — *h*) Cas. *aut non.* — *i*) Cas. sine *et.* — *k*) Uterque cod. *significantia.* — *l*) Cas. *enim.* — *m*) Cas. addit *et non observant.* — *n*) Cas. *sunt.* — *o*) Cas. *Dei.* — *p*) In cas. deest *utilia.* — *q*) Cas. *iste.* — *r*) Cas. *Moses.* — *s*) Deest in cas. *nunc.* — *t*) Cas. *quis.* — *u*) Vat. *animum.* — *x*) Vat. *virgas significare.*

fecerant, *pro* fecerunt. *v.* 21. cotidie, *vetere orthographia. v.* 24. *corr.* Cyprianus *pro mendoso* vocatur. *v.* 32. *corr.* hic vestes Aegyptiorum. Et divites exigimus (*non* videntes eximus) *v.* 15. *omittitur* cui *in vat. Item* portamus *pro* ferimus. *v.* 43. *corr.* finis devenit. Itane non fieremus intenti (*omissis cet*[illegible] *v.* 25. loquellae *prisco more* in codd. *Col.* 2. *v.* 10. *corr.* musculas. *v.* 12. deficiunt, *sem*[illegible] *v.* 18. dictum est. *v.* 21. 22. *bis* facit. *v.* 31 et Deo. v. 32. deberemus, nec si laborando et iubendo [illegible]cisset. *v.* 36. est *abest a casin. v.* 44. Utcumque (*pro* at eum.) *Pag.* 9. *col.* 1. *v.* 1. *corr.* intuentes *v.* 3. No[illegible] quae loquar, et quis loquar, divina hominibus. Ecce. *v.* 9. illis *pro* eis. *v.* 11. quantum credimus. *v.* [illegible] *pro* quies) Dei. *Col.* 2. *v.* 3. *a fin.* similes dicit magorum, *pro* comparat magis. *P.* 10, *col.* 1. *v.* [illegible] defecerunt? In secundo enim defecissent, in primo etc. *v.* 11. devita. *v.* 12. penetrant. v. 14. *sine* a. *v.* 17. testimonia. v. 19. discentes, *non* dicentes. *v.* 25. commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu eius universae patriae gentium. *v.* 28. a mari usque ad mare. *v.* 30. sed semper discentes. *v.* 33. *pro* sequitur *corr.* consequenter adiungat. v. 33. resistunt. *v.* 35. Non proficient. Merito in tertio signo deficiunt. Sed ultra non proficiunt. Quare non proficient? *Partem huius sermonis longissimam eugyppianam seu maurinam, nos brevitatis gratia nunc praetermisimus. Ceteroqui constat pretium operis fore si totus hic luculentus tractatus, facta cum codice bobiensi vat. diligenti collatione, aliquando recudetur. Interim nos scripti huius instaurationem alteri substituimus sermoni qui in eodem codice bob. vat. p.* 80. *erat, incipiens:* Omnia quae a Christo; *quem sermonem sine dubio augustinianum, Chrysologi editores ad hunc immerito transtulerunt sub n. XCV, ut alibi diximus.*

VIII. INCIPIT SERMO DE MULIERE ADULTERA 1).

Agnovistis, fratres, si tamen evangelium *a*) diligenter audistis, qualem Cod. vat. 5758. p. 85.
Iudaei temptationis l[illegible] Christo domino posuerunt; sed in ipsum la- p. 86.
cum, quem foderun[illegible]runt *b*), dicentes ad Iesum *: *mulier haec in* * Ioh. VIII. 4.
adulterio deprachensa c[illegible]*: Moyses talem praecepit lapidari; tu de illa quid dicis?* Velut duplice muscipula temptantes capere sapientiam Dei; ut si diceret, occidite, perderet mansuetudinis gratiam; si iuberet absolvi, rescissae legis calumniam sustineret 2). Videns Dominus insidias miserorum, non dixit occidite eam, non dixit absolvite. Sed quid? ipse super illam lapidem mittat, qui scit se non habere peccatum. Id est, iusta quidem lex, quae adulteram iubet occidi, sed lex iusta ministros habeat innocentes. Adtenditis, quam adducitis? adtendite pariter qui sitis, qui adducitis. Si examinatur culpa peccantis, prior luceat sinceritas accusantis. Hoc audito, paulatim de concilio subtrahuntur; remanet adultera sola et Dominus; id est remansit vulnus et medicus; accusatores confusi sunt, nec veniam poposcerunt; adultera confusa est, et sine confusione discessit. Denique dicit ad eam Dominus: *mulier, nemo te condemnavit? Respondit:*
nemo, Domine. Dicit ei Dominus: vade, nec ego te condemnabo. Ita Do- p. 87.
minus nec pietatis remedium subtrahit, nec adulteram iubet absolvi; sed medium tenens iter iudicii, conscientiam tantum consulit accusantis, et mitigat periculum tribulantis *d*). Cum autem consuleretur de adultera Dominus, digito scribebat in terram. Nonne tacitus hoc dicebat: quid iudicatis de terra, terreni? Illi soli competit de hac condicione materiae, cuius est

a) Cod. *evangeliorum*, sed *or* expungitur. — *b*) Cod. *incederunt.* — *c*) 1. m. *conprehensa.* — *d*) Ita cod. in sensu neutro, ut *membris cruciantibus* apud Frontonem.

1) Ita cod. 1. manu. At idem 2. manu *de muliere quae in adulterio depraehensa est.* Hunc autem alterum titulum adamussim habuit codex vetus lauresbamensis, ut legitur in catalogo quem divulgavimus in Spicil. rom. T. V. p. 167. Est igitur nunc feliciter inventus a nobis sermo cuius titulum seu notitiam veterem iam tradideramus. De adultera Augustinus aliis verbis in tractatu XXXIII. ad Iohannem.

2) Sic fere in causa adulterae loquitur Augustinus etiam in sermone edito XIII. 4.

plasma de cinere. Agnosco, luteam massam, et duram non admitto sententiam. Quid etiam in ipsa, Iudaei, exceditis consolatione iustitiam? Unam tantum exhibetis ad iudicium, cum adulterium esse soleat duorum *a*). Ipse super illam lapidem prior mittat, qui scit se non habere peccatum. Quo dicto, turbat conscientia quos ad calumniam armaverat inpudentia. Iudex cordis punxit occulta; et quam in reatum mutarat, sanavit admissa *b*). Si ergo, Fratres karissimi, etiam professis criminibus veniam pietas
p. 88. Domini non subtrahit, cunctosque emendari potius desiderat quam puniri, quanto magis etiam si culpa praeponderavit fragilitatis, fragilis debet ignoscere? ex se conprobans interdum in nostra non esse potestate peccatum 1), quia et loquimur quod nolumus, et agimus quod horremus. Tollit ad tempus iudicium sublimitas inimici: perdit autem diabolus palmam perficiendi, quia donat Deus remedium paenitendi; cui est pietas et potestas in saecula saeculorum. Amen. Explicit 2).

IX. INCIPIT SERMO DE PSALMO ·XXXVI· 3).

1. Ante paululum cantavimus, Fratres: *custodi innocentiam, et vide*
Cod. vat. 5758. p. 95. *aequitatem, quoniam sunt reliquiae homini pacifico* *. Si quod cantavimus,
* Ps. XXXVI. 37. opera demonstremus, profecto erit nobis directio ipse Dominus, ut omnia
p. 96. quae vult, velimus et nos: ipsa est enim sana directio; nam si tu non vis quod Deus vult, curvus eris, et pravitas tua non te permittit pacari *c*) recto. Custodi ergo innocentiam et vide directionem. Pretiosa res est innocentia, Fratres karissimi. Si furari vis aliquid *d*), credo ut adquiras, vide quo manum mittis, et unde tollis. Hac vis adquirere, hac perdes: adquiris pecuniam, et perdis innocentiam. Evigilet cor tuum, qui vis adquirere pecuniam, et perdere innocentiam; et perde potius pecuniam, et custodi innocentiam. Tene quod tenes, ne alius accipiat coronam tuam. Quomodo tenebas saeculum, ne tibi extorqueretur a fure, ita custodi innocentiam, ne tibi extorqueatur a *e*) diabolo. Sit tibi illa patrimonium, quia tibi satis prodest. Quid simile, karissimi, lucrum auri et damnum innocentiae? Nam aurum habent mali, habent et turpes; innocentiam vero soli boni possident. Custodi ergo innocentiam, et vide directionem. Habeto oculos rectos, ut videas directionem, non pravos quibus prave videas. Sunt enim reliquiae homini pacifico.
p. 97. Id est cum mortuus fueris, vives aput Deum; hoc est, sunt reliquiae ho-

a) *Duorum* videtur in cod. sub rasura. — *b*) Ita cod. — *c*) Ita omnino codex. Num pro *precari*? — *d*) Cod. *aliquit*. — *e*) Deest *a* in cod.

1) Hoc intelligitur de gravi tentationis violentia, quae abripit, non tamen cogit, hominis voluntatem. Alioquin absque libertate nullum esse peccatum, omnes consentiunt.

2) Brevior est prae aliis multis hic sermo, fortasse quia dominicalis. Nam die dominico brevius concionari se solitum (nimirum propter reliquam liturgiam) ait Augustinus tract. XLVII. in Ioh. n. 8. *Fratres, quaeramus hoc paulo adtentius. Non nos artat hora quae solet die dominico*.

3) Quamquam extat Augustini continua in totum psalterium dispertita sermonibus enarratio; tamen neque hic neque alii quos subiungemus sermones de psalmis, inter illos continuos apparent. Profecto de psalmorum variis versiculis habentur sermones inter edd. a XIV. ad XXXIV. Vindobonenses item quatuor in quibusdam psalmorum versiculis versantur. Nonne etiam in Iohannem extat Augustini series tractatuum, et tamen multi in idem evangelium extra ordinem habentur sermones in operum T. V?

mini pacifico; secundum illud quod ait: *qui credit in me, licet si moriatur, vivet* *. Conamini ergo, Fratres, et delectamini esse pacifici. Nam dicit Dominus *: *beati pacifici, quia fili Dei vocabuntur.* Delectentur inpii et infideles in multitudine argenti, domorum et mancipiorum, et cetera; quia haec sunt potentiae et deliciae ipsorum. Quae autem erunt deliciae pacifico, videamus. Audi versiculum ipsius psalmi *: *et delectabuntur,* inquit, *in multitudine pacis.* Aurum tuum et argentum, pax tibi erit: praedia tua, vita tua, Deus tuus, pax erit; quidquid hic desideras, pax, pax tibi erit: quia hic quod tibi est aurum, non tibi potest esse argentum: quod vinum est, non tibi potest esse panis: Deus autem tuus totum tibi erit: manducabis eum, ne esurias, bibes *a*) eum 1), ne sitias: inluminaberis *b*) oculos, ne sis caecus: fulcieris ab eo, ne deficias: possidebit te totum integrum totus integer: angustias ibi non patieris cum eo cum quo possides totum, quia et tu et ille unum eritis, quod unum totum et ille habebit, qui vos possidet. Hae sunt reliquiae homini pacifico. Securus esto, custodi innocentiam et vide directionem, quoniam sunt reliquiae homini pacifico; praestante Christo domino nostro, cui omnis est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen. Explicit.

* Ioh. XI 25.
* Matth. V 9.
* XXXVI. 11.

X. INCIPIT EIUSDEM DE PSALMO XL 2)

1. Bene scitis, Fratres, quoniam unaquaeque anima quotiens peccaverit, totiens vulneratur; et tamen dignatus est dominus noster Iesus Christus inclinare caelos et descendere ad terras, ut hominem colonum terrae migraret *c*) ad caelos: et cum ipse patria sit, viam fecit ad patriam; quia ipse est medicus, ipse medicina: anima enim se ipsam vulnerare potuit; sanare non potuit; et quod peius, sana medicum contemsit, nunc rogat aegrota; si tamen rogat, si tamen vi phrenetica *d*) agnoscit medicum suum: roget humilis, quem contemsit superba. Si ergo agnoscis aegritudinem tuam, accipe potionem psalmi huius, et aperi oculos cordis, et bibe quod audis; concorda lingua cum corde tuo; ne sis perstrepens vocibus, et mutus moribus. Dic ergo de corde puro et conscientia bona et fide non ficta: *ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi* *. Ille qui inclinavit caelos et descendit, quaesivit te ante quam eum quaereres, adtulit tibi medicamentum carnem suam. Si solliciti in peregrinatione ambulamus, remedium quaeramus.

Cod. vat. p. 98. — p. 99.
* Ps. XL. 5.

2. Sed fortasse aliquis dicat: pauper sum, non habeo quod medico offeram: non enim quaero quae vestra sunt, dicit apostolus, sed vos. Si enim viduam non potes imitari *e*), saltem calicem aquae frigidae da; frigidam enim

* II. Cor. XII. 14.

a) Cod. *bibis.* — *b*) Cod. *inluminaveris*, *v* pro *b.* — *c*) Animadverte *migro* sensu activo; nisi mavis scribere *homo* et *colonus.* — *d*) Cod. *fren.* — *e*) 1. m. *emitari* heic et mox; quod in aliis quoque vidi mss.

1) Videsis testimonium de ss. eucharistia.
2) Memoratur hic titulus a Possidio in ind. cap. IX, nec non a catalogo vetere laureshamensi apud nos Spicil. rom. T. V. p. 164. 168.

iussit medicus, ne de ligno *a*) causeris. Postremo imitare latronem: omnia
membra fixa habebat, lingua sola ei restiterat; ut apostoli sententia imple-
* Rom. X. 10. retur: *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit in salutem* *. Mo-
p. 100. dico membro confessus est, et grandi voluntate liberatus. Non dixit, ego
dixi, Domine; sed dixit, memento mei Domine. Ergo ut meminerit nostri
Dominus, sit in nobis bona voluntas, demus potum aquae frigidae; quia
* Matth. XXV. 40. dictum est *: *quicumque uni ex minimis meis dederit, mihi b) dedit: et*
qui non dederit uni ex minimis meis, mihi non dedit. Demus nummum
sicut illa vidua omnem substantiam suam ad gazophylacium *c*) posuit: dam-
nemus in quadruplo peccata nostra cum pecunia, sicut et Zachaeus *d*). Si
non habemus et sumus parvi, ut efficiamur magni, ascendamus in arborem,
sicut Zachaeus, ut Christum videamus. Nemo enim videt Christum, nisi
lignum crucis ascenderit. Discutiamus conscientias nostras, ne quid ibi
tineae irae et invidiae inveniamus: accendamus lucernam verbi, ne quid *e*)
ibi perfidiae, ne quid confusionis repperiamus; ut vere et ex corde dicamus:
* Ps. XXIV. 15. *quoniam tu evelles de laqueo pedes meo* *. Per Christum dominum nostrum.

XI. INCIPIT DE DOMINICO PASCHAE 1).

1. In omni quidem psalterio Dominus noster prophetatur atque *f*) can-
Cod. vat. 5758. p. 258. tatur, siquidem ipse habet clavem David, qui aperit et nemo cludit *g*),
* Is. XXII. 22. et cludit et nemo aperit *; sed praecipue in centesimo septimodecimo psalmo,
qui nunc lectus est, resurrectionis eius mysterium praedicatur. Et ipse ad
* Ps. CXVII. 19. patrem victor ascendens, imperat angelis dicens *: *aperite mihi portas iu-*
stitiae, ingressus in eas h) confitebor Domino; haec porta Domini, iusti
intrabunt per eam. Per hanc portam ingressus est Petrus, ingressus est
Paulus, ingressi sunt omnes apostoli, ingressi sunt martyres, et cotidie
sancti quique gradiuntur. Per hanc portam primus latro cum Domino in-
gressus est. Habitote fiduciam, Fratres carissimi, et vos sperate similia. Non
dixit: apostoli et martyres intrabunt per eam, sed iusti intrabunt per eam.
Quicumque ergo iuste agit, et inter iustos Domini esse meruit, intrabit
hanc portam; quia Dominus non quaerit sanguinem confitentium, sed fi-
* p. 249. quod est folium tralaticium in cod. dem, per quam sanguis effunditur. Si habuerimus * fidem, quae potest
sanguinem fundere, inputabitur nobis cruoris effusio. O vere infelices Iu-
daei! o vere miseri atque *i*) miserabiles, qui non intellexistis, lapidem qui
* Is. XXVIII. 16. per Eseiam *k*) repromissus est, qui *l*) ponitur in fundamentis Sion, ut po-
pulum utrumque coniungeret, esse dominum salvatorem, esse Dei filium!
Hunc vos reprobastis aedificantes quondam congregationem Domini, et tem-
pli eius mysteria custodientes *m*): qui reprobatus a vobis, factus in capite
anguli; et primam ecclesiam de Iudaeorum populo congregatam, et creden-

a) Ita cod. — *b*) 2. m. *michi*. Sic et postea. — *c*) Cod. *f*. pro *ph*. — *d*) Cod. 1. m. *Iacceus*. — *e*) 1. m. *quit*. Sic et mox. — *f*) Cod. *adque*. — *g*) Ita cod. — *h*) Cod. *in eis*. — *i*) Ita cod. hoc loco. — *k*) 2. m. *Esaiam*. — *l*) Cod. *quod*. — *m*) Cod. *custudientes*.

1) Eadem vel aeque prisca manu additur: *incipit homilia beati Augustini de dominica resurrectione.*

tes ex nationibus in unum gregem et mysterium foederavit. *A Domino factum est istud, hoc est mirabile in oculis nostris* *; ut nos qui ante passionem Domini sine testamento eramus et lege, adoptaremur in filios Dei. Quid hac die felicius, in qua Dominus Iudaeis mortuus est, et nobis revixit? in qua synagogae occubuit, et est ortus ecclesiae; in qua nos omnes fecit secum resurgere in caelestibus; impletumque est illud quod ipse dixit in evangelio *: *cum autem exaltatus fuero, omnia traham ad me.* Videtur mihi haec dies ceteris diebus esse lucidior, sol mundo clarior inluxisse, astra quoque omnia et elementa laetari; et quae patiente Domino proprium lumen retraxerant, et fugaverant *a*), et noluerant creatorem suum aspicere crucifixum, haec nunc victorem et ab inferis resurgentem suo, si dici potest, fulgore, suo prosequuntur officio. Credit caelum, credit terra, et sagena quae totum mundum piscata est, Iudaeos tenere non potuit? *Haec est dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea* *. Quomodo Maria virgo mater Domini inter omnes mulieres principatum tenet, ita inter ceteros dies haec omnium dierum mater est.

* Ps. CXVII. 23.
* Ioh. XII. 32.
p. 250.
* Ps. CXVII. 24.

2. Rem novam dico, sed quae scribturarum vocibus conprobetur: haec dies et una de septem, et extra septem est: haec est dies quae appellatur octava, unde et in quibusdam psalmorum titulis superscribitur pro octava: haec est in qua synagoga finitur, et ecclesia nascitur: haec in cuius numero octo animae servatae sunt in arca Noë. Similiter, inquit et Petrus *, vos salvos faciet ecclesia. Haec est, de qua ecclesiastes praecepit: *date partem septem, date et octo* *. Et quid me necesse est infinita replicare exponentem *b*) diei huius sacramentum? Hoc tantum dico; quod universa sabbati gratia, et antiqua illa festivitas populi Iudaeorum, diei istius sollemnitate mutata est. Illi in sabbato non faciebant opus servile; nos in die dominica *c*), hoc est in die resurrectionis, opus servile non facimus, quia peccatis et vitiis non servimus: qui enim facit peccatum, servus peccati est *. Illi non accendebant ignem in die sabbati, nos e contrario accendimus in nobis ignem Spiritus sancti, et omne vitium excoquimus peccatorum; de quo igne Dominus ait *: *ignem veni mittere super terram, et quam volo ut ardeat*! Desiderat Dominus istum ignem ardere in nobis, et secundum apostolum * Spiritu nos sancto fervere, ut non refrigescat in nobis caritas Dei. Illi de spinis Deum coronaverunt; nos autem si fuerimus lapides pretiosi, nostrum Dominum coronabimus. Caput imperatorum istius saeculi ornat diadema; nos ideo in capite nostri regis imponimur, ut ornemur a capite: illi non receperunt Christum; nos recepimus humilem filium Dei, ut habeamus postea triumphantem *d*). Ad extremum nobis Christus occiditur, illis homicida Barabbas dimittitur. Pro quibus universis, Fratres carissimi, consona pariter voce cantemus: *hic est dies quem fecit Dominus, exultemus et laetemur in eo.*

p. 251.
* I. Petr. III. 20.
* Eccle. XI. 2.
* Ioh. VIII. 34.
* Luc. XII. 49.
p. 252.
* Rom. XII. 11.

Explicit de dominico paschae.

a) I. m. *fuguerant.* Num. pro *fugerant?* — *b*) Cod. soloece *exponens.* — *c*) I. m. *domenica*, ut nunc Itali. — *d*) Cod. *triunf.*

XII. DE PEREGRINATIONE HUIUS VITAE 1)

Cod. vat. 5758. p. 105. 1. Vitam istam nostram, Fratres karissimi, peregrinationem quandam esse a patria sanctorum caelesti Hierusalem, apertissime docet apostolus *a)* Paulus dicens: quandiu *b)* sumus in corpore, peregrinamur a Domino*. Et quia omnis peregrinus utique habet patriam, nam nemo sine patria peregrinus est, nosse debemus quae sit patria nostra, quo nos oportet neglectis *c)* omnibus inlecebris *d)* et deliciis vitae huius, ad id festinare quo tendimus, et ubi tantummodo nobis licet adquiescere. Noluit enim Deus alibi nobis esse quietem veram nisi in illa patria: nam si et hic daret quietem, non delectaret redire. Hanc ergo patriam Hierusalem vocans, non illam terrenam quae servit cum filiis suis, sicut idem ipse apostolus monet*: illa enim ad umbram significationis cuiusdam data est in terra hominibus carnalibus; quamvis unum Deum colentibus, tamen terrenam felicitatem ab illo desiderantibus. Est autem alia Hierusalem, quam dicit esse in caelis; Hierusalem p. 106. enim sursum est, quae est mater omnium nostrum. Matrem illam dicit tamquam metropolim; nam et metropolis mater civitas interpretatur. Ergo ad illam festinandum est nobis, et cognoscendum peregrinos nos esse, et in via esse.

* II. Cor. V. 6.

* Gal. IV. 25.

2. Omnis homo, qui nondum credit Christo, nec in via est; errat enim: et ipse patriam quaerit, sed nescit qua, nescit ubi. Quid est quod dico, patriam quaerit? Requiem quaerit: omnis enim *e)* anima beatitudinem quaerit: nemo interrogatus utrum beatus esse velit, cum aliqua dubitatione se velle respondet. Omnis homo clamat, beatum se velle esse; sed qua eatur ad beatitudinem, et ubi inveniatur illa beatitudo, hoc nesciunt homines; ideo errant. Nemo enim errat, qui nusquam it: eundo, et nesciendo qua eatur, omnis *f)* error oboritur. Revocat Dominus ad viam; et cum efficimur fideles, credentes Christo, non iam in patria sumus, sed tamen in via iam coepimus ambulare. Quomodo ergo omnes carissimos nostros, si tamen meminimus nos esse christianos, eos qui errant vanis superstitionibus et haere- p. 107. sibus hortamur et monemus ut veniant ad viam, et in viam ambulent; sic et illi qui iam sunt in via, debent se invicem exhortari. Nemo enim pervenit, nisi qui est in via: sed non omnis, qui est in via, pervenit. Illi iam in via sunt, et ipsi nondum securi esse debent, ne ipsius viae deliciis retenti, in illam patriam, ubi sola requies est, non tanto amore rapiantur. Gressus enim nostri in hac via sunt dilectio Dei et proximi. Qui diligit, currit: et quanto quisque artius diligit, tanto currit alacrius: quanto autem quisque minus diligit, tanto pigrius movetur in via. Iam vero si non diligit, prorsus remansit in via. Si vero saeculum desiderat, retro respexit de via. Non habet faciem ad patriam. Quid prodest quia in via est? sed non it, redit autem. Hoc est, quid prodest quia christianus catholicus est? hoc est enim esse in via: et amando saeculum in via ambulat; sed retro

a) Cod. *apostulus*, *u* pro *o*, ut infra, nec non in aliis mss. — b) Ita cod. *n* pro *m*. — c) 1. m. *neclectis*, ut alibi interdum in codd. vidi. — d) 2. m. *illecebris*. — e) *Enim* interponitur a 2. manu. Ita et mox post *nemo*. — f) Cod. *omnes*.

1) Novit Possidius in ind. hoc diserte titulo: *de peregrinatione Christianorum quae in hac vita est*

respexit; unde enim coepit, illuc redit. Si autem per aliquas insidias temptantis et latrocinantis in hoc itinere inimici traducatur ab ecclesia catholica, aut ad haeresem, aut ad ritus aliquos paganorum, aut ad ceteras quas- p. 118.
libet superstitiones 1) et machinamenta diaboli, iam etiam viam perdidit, redit ad errorem.

3. Itaque, Fratres, curramus in hac via, quia christiani catholici sumus, quae est una ecclesia Dei 2); sicut praedicta est in scribturis sanctis. Non enim latere illam Deus voluit 3), ut nemo se excusaret: praedicta est futura per orbem terrarum: exhibita est toto orbi terrarum. Nec nos debent movere haereses et schismata innumerabilia: magis nos turbarent si non essent, quia et ipsa praedicta sunt. Omnes sive qui manent in catholica, sive qui extra catholicam sunt, adtestantur evangelio. Quid est quod dico? Testimonium dant vera omnia esse, quae dicta sunt in evangelio. Quomodo enim praedicta *a*) est ecclesia Dei futura per gentes? Una, constituta in petra, quam portae inferorum non vincant. Porta inferorum est initium peccati: stipendia enim peccati mors; et mors utique ad inferos pertinet. Quid est autem initium peccati? Scribtura interrogetur: initium, inquit, omnis peccati superbia: p. 119
et si superbia est initium peccati, superbia est porta inferorum. Iam ergo cogitate quae res genuit omnes haereses; nullam aliam matrem quam superbiam invenietis 4). Cum enim sibi multum dant homines, et se sanctos dicunt, et ad se volunt turbas trahere, et a Christo divellere, fecerunt utiles haereses, et utilia schismata nonnisi per superbiam. Sed quia ab illis omnibus haeresibus et schismatibus, id est filiis superbiae, non vincitur ecclesia catholica, ideo praedictum est, et portae inferorum non vincent eam.

4. Itaque, Fratres, ut dicere coeperam, in via sumus, curramus amore et caritate, obliviscentes temporalia. Fortes quaerit haec via, et pigros non vult: abundant latrocinia temptamentorum; diabolus *b*) in omnibus faucibus insidiatur, ubique temptat intrare et possidere, et quem possederit revocat a via, aut retardat illum: revocat autem et facit illum non promovere, aut etiam deviare, ut in errores et in haereses schismatis *c*) inlaqueetur, et ad superstitionum aliqua genera traducatur. Temptat enim aut per timorem p. 116.
aut per cupiditatem; sed primo per cupiditatem, per promissiones et pollicitationes aliquas, aut per seductiones delectamentorum. Cum invenerit hominem contempsisse ista, et quasi clausisse adversum se ianuam cupiditatis, incipit temptare per ianuam timoris, ut si iam nihil volebas adquirere in isto saeculo, et propterea clauseras ianuam cupiditatis, nondum clausisti ianuam timoris, si times quod adquisieras perdere. Fortes itaque

a) Cod. heic *praedicata*. — *b*) I. m. *diabulus*. — *c*) I. m. *schemathis*, quod ipsum mendum occurrit mihi graece in titulo apologetici minoris S. Nicephori, ut ibi adnotavi.

1) Saepe Augustinus contra superstitionum ethnicarum reliquias dixit. Confer epist. LV. ad Ianuarium n. 12. 13. De gen. ad litt. II. 35. De quaest. 83. T. VI. col. 12. Serm. ed. IV. 36. IX. 3.

2) Nemo non dignoscit quid inter schisma quodlibet et unam catholicam intersit.

3) Hoc contra haeresim nonnullorum, ecclesiam invisibilem ideo somniantium, quia visibili obtemperare nolunt.

4) Consentit secum Augustinus, nempe de vera relig. cap. 25, et serm. XLVI. 18, quos ego locos iam recitavi ad Cyrilli alex. opusculum de Trinitate p. 1.

estote in fide: nemo vos seducat ad fraudem per aliquam promissionem, nemo inpellat in fraudem per aliquam comminationem. Quidquid *a*) tibi promittit mundus, maius est regnum caelorum. Quidquid tibi minatur mundus, maior est gehenna 1). Ergo si vis evadere omnes timores, time poenas sempiternas, quas minatur Deus. Vis calcare omnes cupiditates concupiscentiae? vitam aeternam desidera, quam promittit Deus. Ita hac claudis diabolo, hac aperis Christo. Explicit.

XIII. INCIPIT SERMO DE LAZARO PAUPERE, ET DIVITE QUI INDUEBATUR PURPURA ET BYSSO 2). DE CAPITULO EVANGELII. (Luc. XVI. 20.)

Cod. vat. 5758. p. 111. 1. Sancta lectio si in ista vita nos salubriter terreat, post istam vitam nemo nos terret; fructus enim timoris, correctio est: non enim dixi tantum, si terreat nos divina lectio, sed si salubriter terreat: multi enim timere norunt, mutari non norunt. Quid autem sterilius timore infructuoso? Quomodo enim omnium nostrum corda trepidaverunt et contremuerunt, cum audiremus illum superbum divitem, contemptorem pauperis ad ianuam suam iacentis, sic torqueri aput inferos, ut nec supplices preces *b*) ei aliquid prodesse potuerint *c*)? responsumque illi non crudeliter sed iuste, quod ei subvenire non posset. Eo enim tempore quo subveniret ei converso misericordia Dei, neglexit *d*) inpunitatem, et meruit cruciatum. Parcebatur ei cum esset superbus, et gaudebat in iactationibus divitiarum suarum, futura tormenta non cogitans, quae in illa superbia nec credere noverat, nec timere. Tamen aliquando venit ad ea. Et quid aliquando? Quanta enim mora erat digni-
p. 112. tatis eius et superbiae? quanta mora est floris faeni, sicut Petrus apostolus
* I. Petr. I. 24. et Is. XL. 6 dicit commemorans de prophetia testimonium *: *omnis caro faenum, et claritas hominis ut flos faeni: faenum aruit, et flos decidit; verbum autem Domini manet in aeternum.*

2. Quantumvis ergo purpura et bysso induatur caro ista, quid est aliud plus quam caro et sanguis et faenum quod arescit? et quantumvis dignitatem et honorem homines praebeant huic carni, flos est quidem, sed flos faeni potest *e*), sed sicut faenum marcescit, ita flos decidit. Habemus ergo quod nos teneamus, ut non decidamus, quia verbum Dei manet in aeternum. Numquid contempsit nos Verbum Dei, Fratres karissimi? numquid istam fragilitatem mortalitatemque nostram despexit? et dixit, caro est, faenum est, arescat? et flos faeni est, decidat, non subveniatur? Immo suscepit faenum nostrum, ut nos aurum faceret; Verbum enim Domini quod manet in aeternum non dedignatum est esse ad tempus faenum, non ut ipsum

a) 2. m. *quicquid*, ut mox et alibi. — *b*) Cod. *praeces*. Nescio cur in antiquis constanter codicibus vitiosas animadverti has diphthongos *praeces*, *praecari*, *praetium*, *interpraetor*, cum derivatis. — *c*) 1. m. *poterint*. — *d*) 1. m. *neclexit*. — *e*) Ita cod.

1) Nimirum et ipsi sancti martyres aeternarum timore poenarum se aliquando confirmabant ad temporalia perferenda supplicia, prout videre est etiam in Constantini diaconi nobilissima omnium martyrum laudatione, quam nos his annis edidimus in Spicil. rom. T. X.

2) Agnoscebat diserte hunc titulum Possidius in indiculo.

Verbum mutaretur, sed ut meliorem mutationem faeno praestaret. Verbum p. 113
enim caro factum est, et habitavit in nobis: et passus est pro nobis Dominus et sepultus, et resurrexit, et ascendit in caelum, et sedet ad dexteram patris, iam non faenum, sed aurum incorruptum et incorruptibile. Mutatio ergo nobis promittitur, Fratres dilectissimi: tamen dum venimus ad illam mutationem, transiturum est hoc faenum, id est omnis dignitas carnis cum saeculo praeteribit, omnis ista fragilitas veterescit. Transierat in illo divite faenum, transierat et flos faeni; sed si tempore faeni sui, et tempore floris faeni sui intellegeret Verbum Domini quod manet in aeternum, et depositis omnibus toris *a*) superbiae et conplanatis, substerneret se Deo, et si nollet proicere *b*) divitias, tamen aliquid de ipsis, pauperibus iacentibus daret, refrigeraretur illi post tempus huius faeni: non sine causa peteret misericordiam, qui cum posset non exhibuit misericordiam.

3. Ergo, Fratres mei, cum legeretur, et audiremus vocem in evangelio: *pater Abraham mitte Lazarum, intinguat digitum suum in aqua, et* p. 114
refrigeret linguam meam, quoniam crucior in hac flamma c); quomodo percussi sumus omnes corde, ne aliquid post hanc vitam tale contingat, et frustra deprecemur *d*)! non enim est locus correctionis, cum ista vita transierit. Ista vita sic est, quomodo stadium; aut vincimus hic, aut vincimur. Victus in stadio *e*), numquid extra stadium quaerit luctari, ut repetat ad coronam quam perdidit? Quid ergo? si timuimus, si exhorruimus, si contremuerunt viscera nostra, mutemus nos cum tempus est; ipse est fructuosus timor: non enim quisque, Fratres, potest mutari sine timore, sine tribulatione, sine trepidatione. Tundimus pectora quando nos pungit conscientia peccatorum. Quod tundimus, est aliquid intus, mala aliqua conceptio: erumpat in confessionem, et non erit fortasse quod pungat: erumpant *f*) omnia peccata in confessionem 1). Nam et ille dives tumidus in bysso, habebat intus, quod utinam erumperet cum vivebat *g*)! Non illi esset forte adhibita flamma perpetua; sed quia tunc superbus erat, umor *h*) ille tumorem fecerat p. 115.
non eruptionem. Pauper autem Lazarus iacebat ad ianuam ulceribus plenus. Neminem ergo pudeat, fratres, confiteri peccata: iacere enim ad humilitatem pertinet. Tamen videte quomodo mutet vices: cum transierit tribulatio confessionum, venit refectio meritorum: venient enim angeli, tollent ulce-

a) Ita cod. recte 1. m. At 2. *torporibus*, quae mihi videtur perversa correctio. — *b*) 1. m. *proiecere*. — *c*) Cod. *in hanc flammam*. — *d*) Cod. *depraecemur*. — *e*) *in stadium*. — *f*) Cod. *erumpat*. — *g*) Cod. *videbat*. — *h*) Ita cod. sine adspir., quod in aliis memini me videre codd.

1) Animadverte Augustini testimonium de facienda peccatorum confessione. Sic etiam in serm. IX. 21. *Pectus premitur crapula impietatis? evomat eam confessio.* Quod autem non de confessione Deo soli facienda intelligendus sit Augustinus, en ut ipse loquitur in serm. ed. CXLIX. 7. de clavibus Petro et ecclesiae a Christo datis: *non sunt istae in ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur?* Tum in sermone LXVII. 3. contra eos qui a Deo solo (prout etiam hodierni nonnulli) absolvi vellent: *dicit aliquis quid prodest ecclesia confitenti?* Respondet: *Dominus ait: quae solveritis in terra, soluta erunt et in caelis.* Et mox. *Quid ergo facit ecclesia? Dictum est ei: quae solveritis, soluta sunt.* Iam et in epist. CCXXVIII. 8. loquitur de calamitate eorum qui sacerdotis defectu moriuntur ligati, id est non absoluti. Quo postremo loco memoratur etiam *dominici corporis communio*, id est ut nunc loquimur sacrum viaticum morientibus impertiendum.

rosum istum et ponent in sinu Abraham, id est in requie sempiterna, in secreto magni patris: sinus enim secretum significat 1), ubi defatigatus requiescat.

4. Iacebat ergo ad ianuam iste ulceribus plenus, dives autem contemnebat eum: cupiebat saturari de micis quae cadebant de mensa eius: ulceribus suis canes ipse pascebat, et a divite non pascebatur. Adtendite, Fratres, quia eget pauper*: *beatus*, inquit, *qui intellegit super egenum et pauperem*. Adtendite, et nolite contemnere tamquam ulcerosum iacentem ad ianuam. Da pauperi, quia ille suscepit, qui in terra voluit egere, et de caelo ditare. Ait enim Dominus*: *esurivi, et dedisti mihi manducare; sitivi, et dedisti mihi bibere; hospes fui, et suscepisti me;* et cetera. Et illi: *quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut nudum, aut hospitem?* Et ille: *cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. In minimis suis laborantibus in terra, quodammodo personam suam misericorditer esse voluit, subveniens de caelo omnibus qui laborant. Christo ergo das, cum das egenti. An times ne aut talis custos aliquid perdat, aut talis dives non retribuat? Omnipotens est Deus, omnipotens est Christus; perdere nihil potes; commenda illi, et nihil amittis. Quando commendas? quando pauperi das. Tales divitiae non transeunt, cum transierit caro ut faenum, et claritas hominis ut flos faeni. Itaque, Fratres, si conterriti sumus, ne tales post hanc vitam poenas a) et cruciatus ardentis flammae patiamur, quales pertulit superbus et inmisericors dives; nunc cum tempus est, corrigamur; tunc enim non est locus subveniendi, quia non est locus corrigendi: tunc enim subvenitur unicuique, cum corrigitur. Ista vita est correctionis, ista vita est auxilii et opitulationis. Conversi ad Dominum 2).

* Ps. XL. 2.

* Matth. XXV. 35. 36.

p. 116.

Explicit sermo de divite et paupere Lazaro.

XIIII. INCIPIT DE CARITATE, ET DE SOLO AMANDO DEO 3).

Cod. Vat. [illegible] p. 117.

1. Exhortationibus divinarum lectionum, et alimentis verbi Dei bene pasci cotidie b) corda caritatis vestrae, non ignoramus; propter desiderium tamen

a) Cod. hoc loco *paenas*. Nimirum hinc *paenitentia* prope constanter in antiquis codd. pro *poen*. — b) Cod. *cotidiae*.

1) Eadem hac interpretatione utitur noster etiam in sermone edito XIV. 4. de Lazaro loquens in sinu Abrahae iacente.

2) In editione maurina S. Augustini ad calcem sermonum 34. et 67, nec non in fine enarrationis psalmorum (itemque in codice quodam meo) habetur sumpta ex antiquis codicibus « oratio quam post singulos sermones atque tractatus dicere consuevit. » Augustinus. Conversi ad dominum Deum patrem » omnipotentem, puro corde ei, quantum potest parvitas nostra, maximas atque uberes gratias aga» mus: precantes toto animo singularem mansue» tudinem eius, ut preces nostras in beneplacito suo » suo exaudire dignetur: inimicum quoque a no» stris actibus et cogitationibus sua virtute expel» lat, nobis fidem multiplicet, mentem gubernet, » spiritales cogitationes concedat, et ad beatitudi» nem suam perducat; per Iesum Christum filium » suum dominum nostrum, qui cum eo vivit et reg» nat, in unitate Spiritus sancti, Deus per omnia » saecula saeculorum, amen. » Aliam breviorem vidi in codice meo sic. « Conversi ad Dominum, ipsum de» precemur pro nobis et pro omni plebe sua adstante » nobiscum in atriis domus suae, quam custodire » protegereque dignetur. Per Iesum Christum filium » eius dominum nostrum, qui cum eo vivit et reg» nat in saecula saeculorum. »

3) Agnoscebat, ut reor, hunc sermonem Possidius sub hoc titulo: *ex evangelio, de dilectione Dei et proximi*. In casinensi codice, teste catalogo apud

quo accendimur in invicem caritatis, loquendum est aliquid caritati vestrae. Quid aliud quam de ipsa caritate? Ipsa est enim, de qua quisque si loqui voluerit, non sibi eligit lectionem quae recitetur, ut de caritate sit occasio sermocinandi; omnis enim pagina quaecumque aperitur, hanc sonat. In hanc rem ipse Dominus testis est, et ex evangelio commonemur, quia cum ab illo quaesitum esset, quae maxima praecepta essent in lege, respondit*: *diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum, tamquam te ipsum.* Et ne aliud quaereres *a*) in paginis sanctis, subiunxit et ait: *in his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae.* Si tota lex et prophetae in his duobus praeceptis pendent, quanto magis evangelium? Caritas enim innovat hominem. Nam sicut cupiditas facit hominem veterem, sic caritas novum. Inde ingemens in conflictatione cupiditatis, ait*: *inveteravi in omnibus inimicis meis.* Caritatem autem ad novum hominem pertingere, ipse Dominus hoc modo significat*: *mandatum novum de vobis, ut vos invicem diligatis.* Si ergo lex et prophetae ex caritate pendent; cum in lege et prophetis testamentum vetus commendatum videatur, quanto magis evangelium, quod testamentum novum apertissime *b*) dicitur, non pertinet nisi ad caritatem? quando et mandatum suum Dominus non dixit, nisi ut vos invicem diligatis. Et novum dixit ipsum mandatum; et ad innovationem nostram venit, et novos homines nos fecit, et novam hereditatem eandemque aeternam promisit.

* Matth. XXII. 37.
p. 118.
* Ps. VI. 8.
* Ioh. XIII. 34.

2. Nam si forte cogitatis quomodo et testamentum vetus dicatur lex, et caritate pendeat, cum caritas innovet hominem, et ad novum hominem pertineat, haec causa est. Praetenditur ibi testamentum vetus, quia promissio terrena est, et regnum terrenum ibi colentibus se Dominus pollicetur. Sed extiterunt et tunc amatores Dei, qui eum gratis amarent, et corda sua casto suspirio mundarent in ipsum; qui remotis integumentis veterum promissorum, pervenerunt ad praefigurationem futuri novi testamenti, et conpraehenderunt omnia illa, quae in vetere testamento, secundum veterem hominem, vel praecepta vel promissa sunt, figuras esse novi testamenti, quas novissimo tempore erat Dominus impleturus, apertissime dicente apostolo*: *haec autem in figura contingebant eis; scribta c) autem sunt propter nos, in quos finis saeculorum devenit.* Occulte *d*) itaque prae-

p. 119.
* I. Cor. X. 11.

a) 1. m. *quaereris.* — *b*) Cod. *apertissimae.* — *c*) 2. m. *scripta.* — *d*) Cod. *occultae*, sed *e* postea deleta.

nos Spicil. rom. T. V. p. 222. est titulus *de diligendo Deo.* Fortasse tamen ibi non sermo noster, sed opusculum *de diligendo Deo* denotatur, quod est in appendice tomi sexti. Ceteroqui nihil melius vel sibi iucundius quam de caritate semper loqui, ait Augustinus tract. VIII. in epist. I. Iohannis, qui omnes tractatus in quibusdam codicibus generatim inscribuntur *de caritate.* In codicibus autem laurhesamensibus (apud nos Spicil. rom. T. V. p. 164. 172. 173.) hi fuerunt Augustini sermones de caritate 1. Admonitio ubi Augustinus ostendit multos esse gradus in caritate. 2. De quatuor virtutibus caritatis. Hunc edidit sermonem Fontanius in tomo III. nov. delic. 3. Sermo de caritate. Sermo quoque vindob. XIX. Augustini inscribitur *de caritate.* Praeclare item Augustinus de amando Deo in serm. ed. CLVIII. 7. Denuo in CCCXLIX. et CCCL. CCCLVIII. Tum sermo Augustini CCCLIV. de amore Dei, et amore saeculi. Denique brevis alter huiusmodi sermo in appendice tomi VI. col. 778.

nuntiabatur novum testamentum, et illis veteribus figuris praenuntiabatur. Adveniente vero tempore novi testamenti, coepit novum testamentum aperte praedicari, et illae figurae enarrari et exponi, quemadmodum ibi intellegeretur novum, ubi promissum est vetus. Erat ergo adnuntiator veteris
p. 120. ris testamenti Moyses; sed qui erat adnuntiator veteris, intellector 1) erat novi: populo carnali vetus adnuntiabat, ipse spiritalis novum intellegebat. Apostoli vero adnuntiatores erant et ministri novi testamenti, non quia tunc illud non erat, quod postea per apostolos manifestaretur. Caritas ergo ibi, caritas hic; sed ibi occultior caritas, apertior timor; hic autem manifestior caritas, minor timor. Quantum enim crescit caritas, tantum minuitur timor. Crescente quippe caritate, secura fit anima 2): ubi autem
* I. Ioh. IV. 18. plena securitas, nullus est timor, dicente etiam Iohanne apostolo *: *consummata caritas foras mittit timorem.*

3. De hac caritate loquentes cum sanctitate vestra, quia sicut dixi quaecumque dominica pagina legeretur, nihil nos aliud quam de ipsa caritate admoneret, accepimus etiam occasionem de praesenti psalmo. Videte si aliud faciunt divina eloquia, nisi ut amemus: videte si aliud agunt, nisi ut accendamur, ut flagremus, ut desideremus, ut gemamus, ut suspire-
p. 121. mus, quousque perveniamus. Laborantibus in terra hominibus, et inter temptationes maximas constitutis, attendentibus plerumque corde mortali et infirma cogitatione quemadmodum hic soleant secundum tempus praepollere mali, et felicitate transitoria superbire; solet autem ista cogitatio temptare servos Dei, quasi sine causa colant Deum, si sibi deesse videant, quo *a*) abundare impios conspiciunt. Sic ergo constitutis hominibus, praevidens Spiritus sanctus istam temptationem nostram, et mutans amorem nostrum 3), ne nobis impii et scelesti homines tanto magis imitandi viderentur, quanto magis eos videremus secundum saeculum esse felices, amore talium rerum, qualium illi abundantia tumescebant, ait: *noli ae-*
* Ps. XXXVI. 1. *mulari in b) malignantibus,* caput psalmi est *, *neque zeleris eos qui operantur iniquitatem, quoniam sicut faenum cito arescent, et sicut holera prati cito cadent.* Numquid faenum numquam floret? sed modicum est
p. 122. quod floret; cito veniet ariditas floris illius; et ut floreat, frigidus aër facit. Calidus quasi aër anni, adventus domini Iesu Christi erit. Quasi frigidus aër anni, hoc tempus est. Sed caveamus ne in frigido anni aëre frigescat caritas nostra: honor noster, nondum apparuit. Frigus est in superficie? in radice sit calor. Sic enim arbores in aestate frondent, et pulcrae

a) Cod. *quod.* — b) Cod. *inter;* quod si retines, dices postea *malignantes.*

1) *Intellector* vocabulum Augustino familiare. Consonat autem sibi idem Augustinus enarr. in ps. CXXXVIII. n. 28. dicens: *ad novum testamentum per intelligentiam pertinens famulus Dei Moyses.*

2) Sic adamussim Augustinus lib. de div. quaest. XXXVI. 1: *signum profectus eius (caritatis), imminutio timoris; signum perfectionis eius, nullus timor.* Nempe intelligit timorem servilem, de quo mirabiliter idem Augustinus in serm. edito CLXI, itemque in clausula sermonis CLXXVIII.

3) Scilicet ab amore saeculi transferens ad longe suaviorem amorem Dei. Quippe ut idem Augustinus retract. I. 4. ait: *laboriosior est huius mundi amor; quod enim in illo anima quaerit, constantiam scilicet aeternitatemque, non invenit.*

sunt, et faecundae sunt, quae per hiemem aridae videbantur. Numquid
totum quod aestate vides in ramis, hoc erat per hiemem? erat, sed in
radice occultabatur. Honor ergo noster, qui nobis promittitur, id est *a*)
honor nondum est: veniat aestas nostra: non dicimus *b*) aestas abscondita
est; melius dicimus, non apparet quam nondum est. Ait enim apostolus
aperte *: *mortui enim estis.* Quasi arboribus loquebatur per hiemem. Sed * Coloss. III. 3
ut noveritis quia superficies mortua videbatur, interiora vero vivebant,
statim subiunxit et ait: *et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*
Videmur habitare in hac terra: ubi fixerimus radicem, considerate. Radix
amoris nostri cum Christo est, in Deo est: ibi opulentia honoris nostri;
sed nondum *c*) apparet modo.

4. Quid autem secutus ait *? *cum Christus apparuerit vita vestra, tunc* * Ibi v. 4.
et vos cum eo apparebitis in gloria. Modo ergo gemendi tempus est, tunc p. 123.
laetandi: modo desiderandi, tunc amplectendi: quod modo desideramus,
non adest; sed non deficiamus in desiderio. Longum desiderium exerceat
nos, quia non nos fraudat ille qui promisit. Non dicimus, Fratres, nemo frigescat: nemo vel tepescat. Etsi servientibus Deo insultant amatores saeculi: ecce nos quae habemus, et quibus fruimur. Ubi est felicitas
vestra? Vos quod videatis non habetis, sed quod credatis habetis. At illi
non credunt, quibus non demonstratur: gaudete quia credidistis: plus gaudebitis, cum videbitis. Et si gemitis, quia non potestis modo id ostendere,
gemitus doloris *d*) vestri proficiet ad salutem, sed etiam ad gloriam sempiternam. Non est quod nobis pro magno ostendant: praesens videtur felicitas ipsorum, nostra futura. Sed verius dicimus, quia nec praesens est
ipsorum, nec futura erit: quia enim amant falsam praesentem, non venient
ad veram futuram. Si autem neglegant falsam praesentem, et illud quod
habent inveniant quid inde faciant, et noverint quid inde conparent, audiant *e*) consilium beati apostoli, quod mandat Timotheo, divitibus prae- p. 124.
cipiendum; ait enim *: *praecipe divitibus huius mundi, non superbe sa-* * I. Tim. VI. 17. seq.
*pere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui praestat
nobis omnia abundanter ad fruendum. Divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent: thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut adpraehendant veram vitam in Christo Iesu domino nostro.* Apostolus eos, qui sibi videbantur felices esse in rebus praesentibus, detorsit
ab intentione terrena, et direxit in caelum. Noluit gaudere de praesentibus, sed sperare futura. Si habentibus ista talia dicit apostolus, quanto
magis totum cor ad id quod futurum est debet extendere, qui in ista
terra statuit nihil habere? sed nihil habere superfluum, nihil habere quod
oneret, nihil habere quod obliget, nihil habere quod impediat. Nam
illud verius perficitur et in hoc tempore in servos *f*) Dei, *quasi nihil
habentes et omnia possidentes* *. Tuum quod voces non sit, et omnia tua * II. Cor. VI. 10.

a) 2. m. *idem.* pro *id est.* — *b*) I. m. *nondum* pro *non dicimus.* — *c*) Ita recte cod. I. m. At 2. mendose *non cum.* — *d*) I. m. *dolores.* — I. m. *audiunt.* — *f*) Ita cod.

p. 125. erunt. Si haeseris *a*) in parte, amittis totum. Quantum enim tibi de divitiis sufficeret, tantum sufficit de paupertate 1).

Explicit sermo de amore Dei et de caritate et de versu psalmi XXXVI.

XV. INCIPIT SERMO DE RESPONSORIO PSALMI LXX.

Deus meus, erue me de manu peccatoris.

Cod. vat. 5758. p. 126. 1. Omnis anima quae intenta cantat voce psalmi Deo, necesse est ut tunc de suis propriis periculis cogitet, et familiari quodam tangatur affectu. Si quid forte tunc vel tribulationis extrinsecus, vel difficultatis intrinsecus patitur, et ad id quod patitur refert quod cantat. Respondimus * (* Ps. LXX. 4.): *Domine, libera b) me de manu peccatoris, et de manu facinerosi c) et iniuriosi.* Fortasse unusquisque vestrum cum haec verba a lectore audit, vel ipse respondit, non cogitat nisi aliquem inimicum suum, aut qui illi calumniatur *d*), aut qui illum parat mittere in carcerem, qui contra illum forte chirographum falsum conponit: ipsum vocat peccatorem, ipsum facinerosum et iniuriosum, ab ipso se cupit liberari. Vides illum cantare, et cum affectu *e*) cantare, vultum etiam verbis psalmi adcommodare, aliquando et lacrimis ora rigare, suspirare inter verba cantandi. Qui nescit discernere affectus, iam illum hominem laudat, et dicit: magno affectu audit lectionem! quomodo gemit! quomodo suspirat! Ille autem de inimico illo suo p. 127. cogitat, a quo aliquam calumniam *f*), aliquam vim, aliquam fraudem et circumventionem pertimescit; et totis viribus, et totis medullis, voce, vultu, suspiriis dicit: *Domine, libera me de manu peccatoris, et de manu facinerosi et iniuriosi.* Talis *g*) qui cantat, vetus homo cantat, et carnaliter intellegens conatur, cum sit vetus, cantare canticum novum. Novus cantet, si novum cantat. Quid est, novus cantet? desiderio novae *h*) vitae innovetur, aliud concupiscat, propter aliud Deo suspiret, sit amator regni caelorum. Brevius dicam: sit amator Dei, Deum amet, gratis amet. Hoc enim et diabolus ille volebat obicere, et in eo volebat convincere sanctum virum Iob, quasi vetus esset, ut ad id, quod promissum est novo, eum pervenire non sineret, quando ait * (* Iob. I. 9.): *numquid Iob gratis colit i) Deum?* Si ergo gratis colit, vicit diabolum; si non gratis colit, victus est a diabolo. Valeret enim calumniatoris *k*) obiectio, si gratis Iob non coleret Dominum. Ideo te, inquit *l*), colit quia tanta illi dedisti. Propterea Deus p. 128. permisit temptari Iob, ut a quo se sciebat gratis coli, et nobis ostenderet imitandum. Deo enim cognitus erat, sed nos latebat. Videte ergo, quid contigit perversitati diaboli; cum unum vult ostendere praevaricatorem, multos fecit sancti imitatores. Non enim eum sibi subiecit, sed nobis osten-

a) Cod. *heseris.* — *b*) Ita heic cod. At supra *erue.* — *c*) Ita constanter 1. m. At 2. manus saepe, sed non semper, scribit *facinorosi.* — *d*) 2. m. *calomn.* — *e*) Cod. 1. m. *adfectu*, 2. *aff.* Alterum hoc retineo, quia supra et infra ipsa 1. manus scripsit *aff.* — *f*) 1. m. *calomn.* — *g*) 1. m. *tales.* — *h*) Cod. *nove.* — *i*) 1. m. *colet.* — *k*) 1. m. *calomn.* Infra tamen *calumn.* — *l*) 1. m. *inquid.*

1) Quod heic docet Augustinus, ipsemet praestitit, teste contubernali eius Possidio, qui sub vitae Augustini eiusdem finem scribit: *testamentum nullum fecit, quia unde faceret, pauper Dei non habuit.*

dit. Quid ergo? Unde intellectus est Iob quia gratis colebat? quia non gratias egit cum haberet, et blasphemavit cum non haberet; sed placitum Dei praeposuit omnibus divitiis suis, tamquam dicens: habeo qui dedit, quid quaero quid *a*) dedit?

2. Dicam ergo, Fratres: quisquis propterea colit Dominum, ut habeat divitias, habeat honores saeculi, et haec ab illo petit, manifestum est quia non gratis colit; ad praemium colit. Si non ei ista Deus det *b*), deserendus est: qui dederit, amplius colendus existimatur. Et non dat nisi ipse, sed tamen si alter dedisset, Deo deserto ad illum confugissent istorum amatores. Ad Deum nitere, Deus tibi sit totum bonum, Deus tibi sit verum bonum. Sublatis ergo omnibus rebus, diabolus quia non tulit illum quem p. 129.
gratis amabat, etiam ipsius voce diabolus prostratus est: *Dominus dedit, et Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est* *. Non dixit: et * Iob. I. 21.
quid sum facturus contra Dominum? plangam me quia non eum possum vincere. *Sit*, inquit *c*), *nomen Domini benedictum*. Solum propter filios suos, quorum timebat peccatum, conscidit vestimenta sua, orans utique paterno affectu pro eis. Quod abstulit Deus, libenter accepit, quia ipsum Deum amplectebatur libentius.

3. Existit aliquis et dicit: non colo Deum propter divitias, et ipse scit; neque propter honores caducos et temporales. Et propter quid? Eliquemus hominem gratis colentem, gratis amantem. Et propter quid? Nolo, inquit *d*), divitias; sufficientiam rerum volo; nihil in domo mea desit; salvus sim cum coniuge, cum filiis meis; hoc mihi sufficit. Adhuc nondum gratis colis Deum. In ipso Iob ostendit hoc nobis. Nam diabolus permissu quidem Dei, qui divitias abstulerat *e*), et non ille, ceciderat; quia sic eas calcabat ut ex Deo penderet. Abstulit et salutem: permisit hoc p. 130.
Deus, et demonstratus est nobis ita gratis colere Deum, ut nec propter ipsam salutem corporis eum coleret et amaret. Et non eum diabolus in uno membro percussit; a capite usque ad pedes putrem fecit; et hoc ad ampliorem subiectionem suam, ut amplius triumpharetur *f*); ut qui seduxerat Adam immortalem, a putri homine vinceretur. Percussit eum itaque gravi vulnere a capite usque ad pedes; et putrescens vermibus patitur coniugem temptatricem, relictam sibi diaboli adiutricem. Illa ipsa erat Eva, sed ille non ipse Adam. Subiecit blasphemandi *g*) suasionem, ut ille amissa patientia, amitteret eum quem gratis colebat. Sed quando amitteret, cui sic inhaerebat *h*)? Quid enim mulieri talia dicenti respondit *? *Locuta es* * Iob. II. 10.
tamquam una ex insipientibus mulieribus; si bona percepimus de manu Domini, mala non sustinebimus? Ecce gratis colens, nec propter ipsam salutem corporis colens, quam communem habemus cum pecudibus.

4. Est ergo aliud quod nobis servat Deus: propter hoc *i*) colatur, pro- p. 231.
pter hoc ametur. Se ipsum servat amantibus: faciem suam vult ostendere

a) Cod [illegible] *Det* superponitur a 2. m. — *c*) 1. m. *inquid*. — *d*) Ita heic cod. 1. m. *inquit*. — *e*) Cod. *obstulerat*. — *f*) 1. m. [illegible] — *g*) Cod *blasphemandis*. — *h*) Ita heic cod. cum diphth. hae. Alibi saepe *he*. — *i*) Cod. *hac* nunc et postea, pro *hoc*.

purgatis non oculo carnis sed oculo cordis: *beati enim mundi cordis a)*,
* Matth. V. 8. *quoniam ipsi Deum videbunt* *. Ama ut videas, quia non est vile quod videbis, non est leve: illum videbis qui fecit quidquid *b*) amas. Et si ista pulchra *c*) sunt, qualis est ipse qui fecit? Non vult Deus ames terram, non vult Deus ames caelum, id est quae vides, sed ipsum quem non vides: sed non semper non videbis, si non semper non amaveris. Ama absens, ut fruaris praesens: desidera, quem teneas, quem amplectaris *d*); inhaere *e*) primo fide, postea inhaerebis *f*) specie; nunc enim peregrinus per fidem ambulas et per spem: cum perveneris, perfrueris eo quem peregrinus dilecsisti *g*). Ipse condidit patriam, ad quam *h*) venire festines: inde ad te litteras misit, ut de peregrinatione redire non differas. Ergo si ad illam patriam tendis, ubi fruaris patriae conditorem *i*), nunc in deserto es *k*) inter multas temptationes *l*): cavendus est hostis *m*); disce contra quem cantes: *Deus*
21. 132. *meus, libera me de manu peccatoris, et de manu facinerosi et iniuriosi.* Peccator diabolus est, Fratres, facinerosus diabolus, iniuriosus: de ipsius manu opta te liberari; ut via peracta, iuxta quam ille audet insidiari, venias ad patriam quo non possit admitti.

* I. Ioh. III. 8. 5. Audi esse diabolum peccatorem. Scribtum est *: *ab initio diabolus peccat.* Iam vero facinerosum et iniuriosum quis ignorat? Quid tam facinerosum est, quam homicida? Quis prior hominem occidit, nisi qui Adam decepit? Et iniuriosus ipse est, qui contra iustitiam facit, quia in veritate numquam stetit. Contra istum facinerosum et iniuriosum cantatur: *Domine, libera me de manu peccatoris, et de manu facinerosi et iniuriosi.* Noli contra vicinum tuum calumniatorem, noli contra potentem qui movit limitem tuum, noli contra ipsum insidiatorem qui te parat occidere: isti enim omnes homines sunt, qui tibi insidiantur; caro sunt; sanguis sunt;
* Ephes. VI 12. p. 133. transeunt. Audi apostolum dicentem *: *non est vobis conluctatio adversus carnem et sanguinem* 1). Ergo adversus quos est conluctatio, contra eos *n*) dicendum est: *libera me, Domine, de manu peccatoris, et de manu facinerosi et iniuriosi.* Non est vobis, inquit, conluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates et rectores mundi tenebrarum harum, adversus spiritalia nequitiae in caelestibus. Hominem, vitando caves; diabolum, orando. Vitatur enim hostis visibilis, ut ubi ille adest, tu ibi non sis; vitas enim, quem vides. Quomodo vitabis quem non vides? orando. Ora contra illum; tela tua, orationis sunt. Tu taces? ideo ille insidiatur. Oras? et ille ardet. Sed ex affectu ora, quo gratis amas Deum, ut perveniat ad Deum oratio tua quem gratis amas.

Explicit sermo de responsorio psalmi LXX.

a) Ita cod. — *b*) 2. m. *quicquid.* — *c*) Alibi sine *h.* — *d*) Cod. *applectaris.* — *e*) Cod. *inher.* — *f*) Cod. *inheribis.* — *g*) Ita cod. 1. m. qui est archaismus. At 2. *dilexisti.* — *h*) Cod. *quem.* — *i*) Ita cod. prisca syntaxi. At 2. m. expungitur *m.* — *k*) Cod. *est.* — *l*) Cod. *temptationis.* — *m*) 1. m. *hostes.* — *n*) 2. m. *quos* pro *eos.*

1) Simili prorsus sententia Augustinus noster in fragmento quoque apud Bedam et Florum ed. Maur. Antuerp. col. 1066. de hoc apostoli dicto loquens ait: *hoc ergo nos hortatur apostolus, ut non contra hominem malum, sed contra diabolum, qui cum illo operatur, oremus; et quicquid possumus faciamus, ut diabolus expellatur et homo liberetur.*

XVI INCIPIT SERMO DE RESPONSORIO PSALMI LXXIIII.

Confitebimur tibi, Deus: confitebimur, et invocabimus nomen tuum.

1. Felices sumus, si quod audimus et cantamus, etiam faciamus: auditio enim nostra, seminatio; operatio autem, fructus est seminis. Ager, in quo seminatur triticum, et spinas generat, non horreum debet sperare sed flammam. Sic et hii qui bona audiunt, et mala operantur, non sibi horreum regni caelorum sperent, sed illum ignem de quo dicitur *: *ite in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis eius.* Hoc praelocutus, admonuerim caritatem vestram, ne infructuose intretis ecclesiam, audiendo tanta bona, et non bene operando; sed secundum bonitatem seminantis, et seminis verbi Dei, ita in vestris moribus et in vestra vita, tamquam in bona terra, uberrimus bonorum morum fructus exurgat *a*), et speretis agricolam venturum parantem vobis horreum quo mittamini. Ecce cantavimus: *confitebimur tibi, Deus: confitebimur, et invocabimus nomen tuum.* Confiteri Deo quid est? nisi humiliari Deo, non sibi adrogare *b*) merita aliqua; quoniam gratia ipsius salvi facti sumus, sicut dicit apostolus *: *non ex operibus, ne forte quis extollatur c); ipsius enim sumus gratia salvi facti.* Non enim praecessit aliqua bona vita, quam ille desuper diligeret et amaret, et diceret: subveniamus, succurramus istis hominibus, quoniam bene vivunt. Displicuit illi vita nostra, displicuit illi in nobis totum quidquid *d*) faciebamus; sed non ei displicuit quod ipse fecit in nobis. Itaque quod fecimus, damnabit; quod ipse fecit, salvabit: damnabit facta mala hominum, et salvabit ipsos homines: ipsi enim homines non se fecerunt, sed facta mala fecerunt. Quid in eis Deus fecit? Quia fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, bonum est; quod autem per liberum arbitrium aversus a conditore et creatore ipse homo est conversus ad nequitiam, male operatus est. Hoc damnat Deus, ut hominem liberet; id est damnat Deus quod fecit homo, et liberat Deus quod fecit ipse Deus.

[Cod. Vat. 5758 p. 134.] [* Matth XXV. 41] [* Ephes. II. 8 et 9] [p. 135.]

2. Non ergo eramus boni, et misertus est nostri, et misit filium suum qui moreretur, non pro bonis sed pro malis, non pro iustis sed pro impiis 1); etenim Christus *pro impiis mortuus est* *. Et quid sequitur? *Vix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsitam e) quis audeat mori.* Forte invenitur aliquis qui audeat mori pro bono; pro iniusto autem, pro impio, pro iniquo, quis velit mori, nisi Christus solus, ita iustus ut etiam iniustos iustificaret? Nulla ergo, Fratres mei, bona opera habebamus, sed omnia mala. Cum ergo talia essent facta hominum non deseruit homines misericordia ipsius; et cum digni essent poena, ille pro poena quae debebatur, donavit gratiam, quae non debebatur: et misit filium suum, ut redimeret

[* Rom. V. 7.] [p. 136.]

a) Videsis p. 39. adn. a. — *b*) 2. m. *arrogare*. — *c*) 1. m. fortasse erat *extolleretur*. — *d*) 2. m. *quicquid*. — *e*) Ita cod. quod et alibi, vidimus *m* pro *n*.

1) Idest impius et impietas, non autem hominum innocentia, causa moriendi Christo fuerunt.

nos, non auro, non argento, sed pretio *a*) fusi sanguinis sui. Agnus immaculatus ad victimam ductus pro ovibus maculatis, si vel maculatis et non totis infectis. Accepimus ergo hanc gratiam; digne vivamus ipsa gratia quam accepimus, ne tantae gratiae iniuriam faciamus. Medicus tantus venit ad nos, dimisit omnia peccata nostra. Si volumus iterum aegrotare, non solum in nos perniciosi erimus, sed etiam medico ingrati.

3. Sequamur ergo vias ipsius, quas nobis ostendit, praecipue humilitatis viam, quod factus est nobis ipse 1): ostendit enim nobis viam humi-
p. 137. litatis praeceptis, et fecit illam patiendo pro nobis: non enim pateretur, nisi se humiliaret. Quis occideret Deum, nisi se humiliaret Deus? Christus enim filius Dei; et filius Dei, utique Deus. Ipse est filius Dei, Verbum Dei, de quo dicit Iohannes: *in principio erat Verbum, et Verbum erat aput b*) *Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio aput Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil c*). Quis occideret, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil? Quis illum occidere posset, nisi se ipse humiliaret? Sed quomodo se humiliavit, dicit ipse Iohannes *d*): *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Verbum enim Dei non posset occidi: ut posset ergo pro nobis mori, quod mori non poterat, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Immortalis suscepit mortalitatem, ut moreretur pro nobis, et morte sua occideret mortem nostram. Hoc fecit Dominus, hoc nobis praestitit. Magnus humiliatus est, humiliatus occisus, occisus et resurgens et exaltatus, ut mortuos nos non relinqueret in inferno, sed exaltaret in se resurrectione mortuorum,
p. 138. quos exaltavit modo in fide et confessione *e*) iustorum.

4. Ergo viam nobis humilitatem dedit 2). Si ipsam tenuerimus, confitebimur Domino, et non sine causa cantamus: *confitebimur tibi, Deus: confitebimur, et invocabimus nomen tuum.* Impudenter enim invocas nomen eius, cui non confiteris. Primo confitere, ut pares habitationem ei, quem invocas. Plenum est enim cor tuum nequitia; confessio autem fundit immunditiam quam geris intus, et mundat domum quo veniat ille quem invocas. Nam quisquis ante quam confiteatur invocat, iniuriam vult facere ei quem invocat. Si enim aliquem sanctum non audes invitare in domum tuam, nisi prius mundaveris domum tuam, ne oculi eius patiantur iniuriam, tu audes in cor tuum plenum nequitia invocare nomen Dei, nisi prius per confessionem fuderis interiorem iniquitatem? Ergo confessio, Fratres mei, humiliat nos, humiliatos iustificat, iustificatos exaltat. Nam si fuerimus superbi, resistit nobis Deus: si fuerimus humiles, exaltat nos

a) Cod. *praetio.* — *b*) 2. m. *apud.* Sic et mox. — *c*) 2. m. *nichil.* Ita et mox. — *d*) 1. m. *Iohannis.* — *e*) Cod. *confessionem.*

1) Augustinus de sancta virgininitate n. 31. *Doctor humilitatis Christus.* Ibidem. *Contra superbiam maxime militat universa disciplina christiana.* Confer serm. ed. XXX. 9. CXVII. 17. Et quidem apud Augustinum infinita piae humilitatis laus est.

2) Nemo est qui sententias suas aliquando non repetat. Ecce idem Augustinus serm. ed. CXXIII. 3. *Ista est via, ambula per humilitatem, ut venias ad aeternitatem. Deus Christus patria est quo imus; homo Christus via est qua imus.*

Deus, quoniam superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: et qui se exaltat, humiliabitur; qui autem se humiliat, exaltabitur. Conversi ad p. 1[illegible]
Deum *a*) etc.

Explicit sermo de responsorio psalmi LXXIIII.

XVII. INCIPIT SERMO DE RESPONSORIO PSALMI XL.

I. Una voce multi cantavimus, quia in Christo unum sumus. Popu- Cod. vat. 5758. p. 139.
lus enim qui dicit plurali numero, pater noster, ipse est qui dicit *: *ego* * Ps. XL. 5.
dixi, Domine, miserere mei: sana animam meam, quoniam peccavi tibi. Multi enim peccare volunt, et peccata sua sibi tribui nolunt. Attendat autem sanctitas vestra superbos homines, quomodo nolunt confiteri Deo. Omnia enim mala quae faciunt, nolunt sibi tribuere; et incipiunt dicere, quia vel fortuna fecit, vel fatum fecit. Sed dicit, diabolus fecit, ne dicat, ego feci. Tollat ergo ista de medio, qui haec dicit; quia et fortuna vanitas hominum est, et fatum inanitas; et qui putaverit aliquid esse fatum, ipse fit fatuus. Et diabolus quamvis sit hostis noster, tamen consentientem supplantat: non habet vim cogendi, sed astutiam suadendi 1). Si autem p. 140.
diabolus male suadens loqueretur solus, et Deus per scribturas bona docens non loqueretur, haberes excusationem aput *b*) Deum. Diceres: cui consensurus eram, nisi ei qui mihi loquebatur, quia tu mihi tacebas? Cum autem diabolus non taceat mala suadere, et Deus non taceat bona monere, aures tuae mediae inter diabolum [mala] suadentem, et Deum bona praecipientem, quare inclinantur ad verba diaboli, et avertuntur a verbis Dei? Dicit tibi ille: fac furtum. Dicit tibi Deus: noli facere furtum. Si audires ambos, pessimus esses: et quomodo tamen posses ambobus obtemperare diversa iubentibus? cum clamet Deus Christus *: *nemo potest* * Matth. VI. 24
duobus dominis servire. Iam vide qualis es, qui contemnis monentem Deum, et consentis diabolo decipienti. Quod cum facis, vel attende, et iam noli facere: et cum videris quia male fecisti, confitere Deo. Accusare noli diabolum, ut possis vere dicere: *ego dixi, Domine, miserere mei: sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* Non fatum peccavit, p. 141.
non fortuna peccavit: sana animam meam, quoniam peccavi tibi. Et quid sum facturus? quia enim peccavi, aegroto: si aegroto, sana animam meam. Hoc est confiteri medico, et invocare medicum. Si peccata tua his volueris tribuere, ut dixi, vel fortunae, vel fato, vel diabolo, non tibi; et iterum bona facta tua tibi volueris tribuere, non Deo, perversus es. Contra enim quidquid *c*) mali facis, malitia tua facis: quidquid boni facis, gratia Dei facis.

a) Ita heic cod. *Deum*, at p. 26. *Dominum*. — *b*) 2. m. *apud*. — *c*) 2. m. heic et mox. *quicquid*.

1) Heic egregie explanat mentem suam Augustinus, qui populari quasi sensu locutus fuerat retro serm. VIII. p. 18, ubi videsis adn. (Quamquam Cyrillus quoque in epist. ad Rom. VII. 18. sic loquitur.) Et quidem de libero arbitrio tres habemus Augustini libros, et de gratia ac libero arbitrio unum.

2. Videte autem quomodo nescio qui homines *a*) nolentes convertuntur ad blasphemias, ut ipsum Deum velint accusare. Cum coeperit enim accusare fortunam, quia ipsa eum coëgit peccare, et ipsa in illo peccavit; incipit accusare fatum; quaeritur ab eo quid est fortuna, vel quid est fatum? et incipit dicere quia stellae eum coëgerunt ad peccatum 1). Videte quomodo paulatim blasphemia eius currit ad Deum. Stellas quis posuit in
p. 112. caelo? Nonne creator omnium Deus? Si ergo tales ibi posuit stellas, quae te cogunt peccare, nonne videtur ipse esse auctor *b*) peccatorum tuorum? Vide quam perversus es, o homo, qui cum Deus accuset peccata tua, non ut te puniat, sed ut illis punitis, te liberet; tu contra propria perversitate, ubi bonum aliquid facis, tibi imputas; ubi aliquid mali, Deo imputas 2). Converte ergo te ab ista perversitate; esto correctus, et incipe contradicere tibi, et a contrario tibi loqui. Quid enim ante dicebas? quod facio bonum, ego facio: quod facio malum, Deus facit. Immo sic est verum: quod facis bonum, Deus facit; quod facis malum, tu facis. Haec dicendo, non frustra cantas: *ego dixi, Domine, miserere mei: sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* Nam si ubi male, Deus facit; et ubi bene, tu facis; iniquitatem loqueris adversus Deum. Audite et hinc
* Ps. LXXIV. 6. quid dicat psalmus *: *nolite*, inquit, *exaltare in altum cornu vestrum, neque loquamini adversus Deum iniquitatem.* Hanc enim iniquitatem loquebaris adversus Deum, qua omnia bona tibi volebas tribuere, et omnia
p. 113. mala illi. Exaltando cornu superbiae, loquebaris adversus Deum iniquitatem; cum humilitate, loquebaris aequitatem. Quae est aequitas, quam loqueris cum humilitate? *Ego dixi, Domine, miserere mei: sana animam meam, quoniam peccavi tibi.*

3. Ideo cum dixisset ipse psalmus: *nolite exaltare in altum cornu vestrum, neque loquamini adversus Deum iniquitatem*, subiecit statim: *quoniam neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montium; quoniam Deus iudex est; hunc humiliat, et hunc exaltat.* Duos homines videt, id est duo genera hominum. Quos ergo duos homines videt? Unum superbientem, alterum confitentem: unum loquentem aequitatem, alterum loquentem iniquitatem. Quis loquitur aequitatem? ille qui dicit: ego peccavi. Quis autem loquitur iniquitatem? ille *c*) qui dicit: non ego peccavi, sed fortuna peccavit, fatum peccavit. Cum ergo videas duos homines, unum aequitatem, alterum iniquitatem loquentem; unum humilem, alterum superbum *d*); noli mirari, quia sequitur quod dicit: *quoniam*

a) *Homines* scribitur 2. m. super rasura. — *b*) 1. *m. autor.* — *c*) Additur *ille* 2. m. — *d*) 1. m. *superrum*, *r.* pro *b*.

1) Augustinus enarr. in psalmum LXXII. n. 22. *Sciatis, Fratres, multos disputare et dicere* etc. *quia stellis subiectae sunt voluntates nostrae, quia unusquisque non pro meritis agitur, sed necessitate stellarum suarum: doctrina mala, doctrina impia.* Item serm. ed. CXCIX. 3. *Vani homines negent voluntatem qua peccant; confingant necessitatem, qua peccata defendant; perditos mores in caelo etiam figere conentur, et a sideribus manare mentiantur.* Adversus has superstitiones dicit interdum etiam Eusebius alex. a nobis editus.

2) Immanem hanc blasphemiam, quae facit Deum peccati auctorem, postea inculcavit impius Mohamedes, praesertim in secunda Corani sura, ut dixi in adn. ad Nicetam byzantinum p. 348. Sine dubio autem Mohamedani caelestis fati superstitione laborant.

Deus iudex est; hunc humiliat, et hunc exaltat. Et parum est quod dixi *a*), Frater, ne sic loquaris, ut tibi tribuas bona quae facis, Deo autem mala; sed etiam bona ipsa quae facis, si Deo sic tribueris, et Deo inde gratias egeris, ut tamen super alios, qui nondum bona operantur, extollas te, et quasi iam perfectae *b*) iustitiae tibi videaris, quia non facis homicidium, aut non facis adulterium, aut non facis furtum, aut ieiunas, aut das eleemosynas *c*), iam inde tibi videaris perfecisse iustitiam, et spernas eos qui ista non faciunt, et superbias quasi sanus intuens infirmos; et sic inprobat te Deus. Debes enim quantumcumque profeceris, non attendere quantum transieris, sed quid tibi restet, donec *d*) finias viam, et gaudeas in patria, exaltatus in rege ipsius patriae, qui propter te ipsum humilis *e*) factus est. p. 114.

4. Propterea duo quidam in templo ostenduntur a Domino; et sic dicit evangelium *: *dicebat autem et adversus eos, qui sibi iusti videbantur, et spernebant ceteros, similitudinem hanc. Duo quidam ascenderunt in templum orare; unus pharisaeus f*), *et alter publicanus.* Pharisaei quasi principes Iudaeorum erant, vel ut docti, vel ut sancti ipsorum: publicanos autem illi habebant nequissimos peccatores. Ascenderunt ergo ambo in templum orare. Et Pharisaeus coepit dicere: *Deus gratias tibi ego.* Videte quia ex eo quod habebat boni, Deo gratias agebat. Sed videte *g*) ubi reprobatur: quia contemnebat eum quem videbat peccatorem. Ideo vide verba sequentia. *Gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri homines, iniusti, raptores, adulteri, sicut et h*) *publicanus iste.* Attendit illum et contempsit, et superextulit se, et nihil rogavit dari sibi, sed tantum gratias egit ex eo quod habebat, quasi iam esset perfectus. Et coepit enumerare iam Deo veluti merita sua: *ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quaecumque possideo.* Ad medicum venerat curandus, et sana membra ostendebat, vulnera tegebat. *Publicanus autem de longinquo stabat, nec oculos ad caelum audebat levare i*), *sed percutiebat pectus suum dicens: Domine, propitius esto mihi peccatori.* Videte quomodo non quaesivit non accusari. Se *k*) accusabat et se verberabat, pugno percutiebat pectus, timore conscientiam, et confitebatur Deo. Attendat sanctitas vestra, quomodo hunc humiliat, et hunc exaltat. Audite verba Domini consequentia: *amen dico vobis, descendit de templo iustificatus publicanus magis quam ille pharisaeus.* Et tamquam diceres: Domine, quare sic? et diceret tibi: *quoniam qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.* Hanc ergo habentes humilitatis viam, Fratres carissimi, proficite *l*), abstinete vos ab omni nequitia, atque *m*) etiam mores vestros, adiuvante Deo, cui confitemini. Conversi etc. 1)

* Luc. XVIII. 9.

p. 115.

p. 116.

Explicit sermo de responsorio psalmi XL.

a) Cod. 1. m. *dici*, 2. *dcis*. — *b*) Cod. *perfecte*. — *c*) Cod. *haelemosynas*. — *d*) Cod. *dum nec*, qui archaismus, non error, fortasse est, pro *donec*. — *e*) Cod. *humiles*. — *f*) 1. m. *fariseus*. Sic et postea. — *g*) 1. m. *bidete*, *b*. pro *v*. — *h*) 2. m. *etiam*. — *i*) 2. [illegible] *levare*. — *k*) Cod. heic et postea 1. m. *si*, 2. *sic*. — *l*) 1. m. *proficite*. — *m*) 1. m. *adque*. Et quidem *adque* etiam alibi in antiquissimis mss.

1) Posthinc litteris inclinatis et quasi barbaricis additur a 2. manu *Quoniam ipse liberat vos de omnibus malis dominus Iesus Christus, qui regnat in saecula.*

XVIII. INCIPIT DE NATALICIO SANCTI IOHANNIS 1).

Cod. vat. 5758. p. 147. 1. Hodierni diei festivitas nota est auribus et cordibus et actibus vestris 2). Unde ergo loquamur hodie, nisi de illo cuius natalis est hodie? Iohannes ergo sanctus natus de sterili, praecursor Domini nati de virgine, factus est domini sui Salvatoris *a*) ex utero adnuntiator. Post uterum *b*) sterilis, quae pareret non erat; virgo unde pareret, non erat: genuit sterilis praeconem, virgo iudicem. Sed multos praecones dominus ipse Iesus Christus ex utero virginis venturus ad homines praemiserat. Omnes prophetae ab ipso praemissi sunt; sed ipse in ipsis loquebatur, qui venit post illos. Cum ergo multos praecones ante se miserit Dominus, quid excellentiae amplius habuit, cuius natalis nobis hodie commendatur? Nam neque hoc sine signo cuiusdam magnitudinis fuit, ut non lateat dies natalis eius. Alii prophetae quando nati fuerint, ignoramus; de Iohanne nescire non licuit. Etiam hoc magnum ipsius, quia ceteri praenuntiaverunt Dominum, et videre desideraverunt, et non viderunt: et si viderunt in spiritu, futurum p. 148. viderunt, praesentem autem non hic viderunt. Dicit autem ipse Dominus de illis ad discipulos suos, quia multi prophetae et iusti voluerunt videre quae videtis, et non viderunt; et audire quae audistis, et non audierunt. Numquid non ipse illos mittebat? Sed erat in omnibus desiderium, si fieri posset, videre hic in carne Christum. Sed quia praecesserunt moriendo, sicut praecesserunt nascendo, non hic eos Christus invenit, sed tamen eos in aeternam vitam Christus redemit.

2. Et ut noveritis quale circa omnes desiderium erat videre hic Christum, recordamini senem illum Symeon, cui non parvo bono nuntiavit Spiritus Dei, quod non esset exiturus de hoc saeculo nisi vidisset Christum. Natus est Christus, cognovit illum infantem in manibus matris, accepit, tenuit in manibus, cuius divinitate ipse portabatur: et tenens in manibus infantem Verbum *c*), benedixit Deum dicens *: *nunc dimittes d*), * Luc. II. 29. *Domine, servum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.* p. 149. Prophetae ergo nulli alii viderunt: Symeon infantem vidit: Iohannes conceptum agnovit et salutavit, iuvenem adnuntiavit et vidit. Excellentior

a) 1. m. *salvator*, 2. *salvatoris*. Casin. *domini sui salutator, ex utero adnuntiator*. — *b*) Ita cod. 1. m. At 2. delevit *m*. — *c*) Ita cod. 1. m. Et sic etiam casin. Sed tamen in nostro 2. m. *verbo*. — *d*) Ita cod.

1) Sermo hic vaticani codicis vetustissimi conferendus est cum illo paris tituli, quem ex casinensibus codicibus eruit vir cl. et mihi dum vixit amicissimus, dominus Frangipanius, ediditque in romano libro n. VII. Multa enim ad litteram eadem sunt; sed tamen initium differt; tum et tota quindecim versuum clausula a casinensi sermone aberat. Sermo quoque CCLXXXVIII. in edit. Maur. cum nostro saepe congruit. Utiliter vero conferentur ceteri sermones Augustini de Baptista T. V. edit. Maur. cum append., et in parisiacis additamentis, nec non etiam vindobonensis unus. De S. Ioh. baptista non modicam graecorum sermonum collectionem memini me videre ms. inter Allatii seu Vernatiae schedas in vallicelliana Patrum Oratorii bibliotheca.

2) Cur dicit *actibus*? Utique hoc loco nonnisi honesti laetitiae pompaeque actus denotari queunt. Ceteroqui superstitiosos baptismos seu lotiones apud Hipponenses in festo Praecursoris reprehendit magnopere Augustinus in serm. ed. CXCVI. 4, et in append. serm. CCLXXVII. 4. Immo de multis veterum superstitionibus in praedicto festo copiose agit Paciaudius de cultu s. Ioh. baptistae dissertatione VIII.

ergo iste omnibus ceteris. Audi de illo testimonium Domini: se illi praetulit, neminem alium. Valde magnus erat, cui iam qui praeferretur, praeter Christum, non erat. Proinde ipse Dominus ita dicit*: *in natis mulierum nemo exurrexit a) maior Iohanne baptista.* Et ut se illi praeponeret: *qui autem minor est in regno caelorum, maior illo est.* Se dixit minorem et maiorem; minorem nascendo, maiorem dominando: post illum enim natus est Dominus, sed in carne, sed de virgine: ante illum autem in principio erat Verbum. Magna res! post Iohannem Christus, et tamen Iohannes per Christum. *Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Quare ergo venit Iohannes? ostendere viam humilitatis, ut praesumptio hominis minueretur, gloria Dei augeretur. Venit ergo Iohannes magnus, commendans magnum. Nam cum a Iudaeis interrogaretur* utrum ipse esset Christus, tam magnus erat ut possent falli homines: dubitatum est de illo, utrum ipse esset Christus; et ita dubitatum est, ut interrogaretur. Iam si esset filius superbiae *b*), non doctor humilitatis, opponeret se hominibus errantibus, et non augeret *c*) ut id putarent? Sed iam quod putabant, acciperet ad honorem suum augendum *d*). Sed absit hoc a fideli amico sponsi, ut se pro illo ab sponsa diligi vellet. Confessus est se non esse quod non erat, ne perderet quod erat: non erat ille sponsus Iohannes. Nam cum interrogaretur, hoc ait*: *qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi stat, et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi. Ego quidem baptizo vos in aqua, in paenitentia; qui autem venit post me, maior me est, cuius non sum dignus corrigiam calciamenti solvere**. Videte quantum minor esset, si dignus esset! Venit docere superbos *e*) humilitatem, adnuntiare viam paenitentiae, venit vox ante verbum.

[Margin: * Matth. XI. 11 — * Ioh. I. 19. — p. 150. — * Ioh. III. 29. — * Matth. III. 11.]

3. De Christo quid dicitur? In principio erat Verbum, et Verbum erat aput Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio aput Deum. Sed ut veniret ad nos Verbum, Verbum caro factum est ut habitaret in nobis. Ergo quia Christum Verbum audivimus; quia vox Iohannes, audiamus. Dum diceretur illi: *tu quis es*, respondit: *ego sum vox clamantis in deserto* 1). Si ergo Christus Verbum, vox Iohannes; ut diceretur nobis Verbum, adsumptus est Iohannes tamquam vox: et ut veniret ad nos Verbum, praecessit vox. Ideo et Christus ante Iohannem erat in aeternum; et tamen nasci prior non debuit, nisi Iohannes et vox ad nos praecederet Verbum. Erit ergo tempus quando videbimus Verbum, sicut videtur ab angelis: nunc tamen proficiamus in Verbo, ut cum ipso maneamus in aeternum. *Illum autem oportet crescere, me autem minui.* Hoc et per nativitates ipsas verbi et vocis apparuit. Natum est Verbum octavo kalendas ianuarias, unde incipit augeri dies; nata est vox ante verbum Dei, quando incipit minui dies: illum, inquit *f*), oportet crescere, me autem minui. Ipsae

[Margin: p. 151. — * Ioh. I. 23. — p. 152.]

a) *Er* sequentem *s* expellere interdum in antiquis mss., iam ego adnotavi in conspectu orthographico Ciceronis de rep. Et rationabilius hoc fieri, docet Priscianus in ed. Putschii p. 995. — *b*) I. m. *superviae.* — *c*) I. m. *ageret.* — *d*) I. m. *agendum* — *e*) I. m. *supervos.* — *f*) Cod. *inquid.*

1) Huc usque codex casinensis, plerumque congruens cum vaticano.

passiones hoc ostenderunt: minutus est Iohannes percussus capite; crevit Christus, erectus est in cruce 1). Itaque, Fratres, celebremus natalem vocis in honore Verbi, *non in ebrietatibus et comisationibus*, sicut dicit apostolus *, *sed omnia quaecumque agitis, omnia in nomine Dei facite; et Deus pacis erit vobiscum.*

* Rom. XIII. 13. Coloss. III. 17. Philip. IV. 9.

Explicit de natalicio sancti Iohannis.

XIX. INCIPIT DE NATALE APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Cod. vat. 5758. p. 172. 1. Beatissimorum Petri et Pauli apostolorum hodie natalis inluxit *a*); natalis non qui mundo implicavit, sed qui de mundo liberavit. Per humanam quippe infirmitatem nascitur homo ad aerumnam *b*), per christianam caritatem nascuntur martyres ad coronam. Et hic dies ob eorum meritum factus p. 173. est nobis: propositus ad celebrandi sollemnitatem, et ad imitandi sanctitatem; ut recordantes martyrum gloriam, amemus in eis quod oderunt qui occiderunt; et amantes virtutem, honoremus passionem. In virtute meritum comparatum est, in passione merces restituta. Unus dies duorum martyrum et duorum apostolorum, quantum ecclesiae traditione percepimus, non uno die passi sunt, et uno die passi sunt 2). Hodie prior passus est Petrus, hodie posterior passus est Paulus: aequavit meritum passionem, caritas occurrit ad diem: hoc egit in eis qui erat in eis, qui in eis patiebatur, qui cum eis patiebatur, qui adiuvabat *c*) certantes, qui coronabat vincentes. Audiamus itaque ex evangelio meritum Petri, audiamus ex epistula *d*) apostolica meritum Pauli: modo recitatum est evangelium, modo audivimus *: *Dominus dixit ad Petrum: Simon Petre, amas me?* Et ille: *amo, Domine. Et rursus Dominus* 3): *pasce oves meas.* Interrogat tertio, non ad aliud, quam hoc quod bis interrogavit. Ad illum tertio interrogare pertine- p. 174. bat, Petrum tertio respondere iam taedebat. Contristatus est enim Petrus, ait evangelium, quia eum tertio Dominus interterrogavit, et ait: *Domine, tu scis omnia, tu nosti quia amo te.* Et Dominus: *pasce oves meas.* Docere vult aliquid, qui interrogat quod novit. Quid ergo voluit tertio interrogans Dominus quod sciebat? Docere Petrum. Quid putamus, Fratres? nisi ut caritas tolleret infirmitatem, et ut nosset Petrus tertio confitendum esse per amorem, qui ter negaverat per timorem. Meritum Petri

* Ioh. XXI. 15.

a) 2. m. *illuxit.* — *b*) 2. m. *herumnam.* — *c*) Cod. *adiubabat.* — *d*) *Epistula*, non *epistola*, constanter in antiquis codicibus, puta Ciceronis, Frontonis, et in inscriptionibus.

1) Similia his partim dicuntur in serm. edito CCLXXXVII. 4. Item serm. CCLXXXIX. 4. Nec non enarr. in psalmum CXXXII. 11.

2) Idem Augustinus serm. ed. CCXCV. 7. de Petro et Paulo ait: *quamquam diversis diebus paterentur, unum sunt.* Tum etiam serm. CCCLXXXI. 1. de iisdem: *sicut traditione patrum cognitum memoria retinetur, non uno die passi sunt per caeli spatia decurrente.* Rei solutio est, quod sicut aiunt Prudentius et Arator, a Sandinio in hist. apost. p. 143. citati, eodem die, nempe III. kal. iulias, sed non eodem anno, passi sunt. Quare hoc loco Augustinus ludens quodammodo verbis, more suo, ait: *non uno die, et uno die.*

3) Vides heic omissa nonnulla de sacro textu; sive quia Augustinus compendio studuerit; sive potius quia amanuensis ὁμοιοτελεύτοις deceptus transilierit, quod sollemne amanuensium vitium alia plurima exempla demonstrant. Confer serm. ed. CCXV. 4. et seq. 4.

quod 1) pavit oves Dei. Meritum Pauli iterum audiamus. Dicebat discipulo suo adnuntiaturus *a*) ei suam passionem futuram; et ei timorem ablaturus exemplo suo *: *testificor coram Deo et Christo Iesu qui iudicaturus est vivos et mortuos, et manifestationem et regnum eius.* Constrinxit illum testificatione, et subiecit: *praedica verbum, insta oportune b*) *inportune.* * II. Tim. IV. 1

2. Hoc audientes et nos pro modulo nostro oportuni sumus volentibus, inportuni nolentibus. Oportunus est esurienti qui panem porrigit; importunus est aegroto qui ad escam cogit: illi cibus porrigitur, illi inpingitur; p. 175. uni est grata, alteri est amara refectio; sed utrumque non deserit dilectio. Accipiamus ergo in exemplis merita apostolorum: passiones autem non solum non timeamus, sed etiam si necesse fuerit subeamus. Audite quid dicat idem apostolus *: *ego enim iam immolor.* Immolatio ad sacrificium * II. Tim. IV. 6. pertinet: passionem suam, sacrificium esse noverat Deo 2). Non illi qui occidebant, sed ille offerebat patri tale sacrificium sacerdos. Cur dixerat: ne timueritis eos qui corpus occidunt? *Tempus,* inquit *c*), *resolutionis meae instat.* Quid ergo, o Paule, in illa resolutione speras, o laboriose, pro quiete? Tempus, inquit, resolutionis meae instat. Quid egisti? quid speras? *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Unde servavit fidem, nisi quia non est territus a persequentibus? *Praedica ver-* v. 2. *bum opportune d*) *inportune e*). Quam ergo sceleratum nobis est, ut cum timemus, fidem non servemus, ei *f*) praesertim qui nos docet et amare meliora, et timere maiora? Quidquid *g*) potest dulce habere ista vita, non est p. 176. paradisus, non est caelum, non est regnum Dei, non est societas angelorum, non est consortium illorum civium supernae Hierusalem. Susum *h*) cor feratur, terra carne calcetur. Docuit nos Dominus contemnere transitoria, diligere aeterna: docuit nos, curavit nos: et curat, quia dignatur: non enim sanos invenit, sed ad *i*) aegrotos medicus venit: calix passionis amarus est, sed omnes morbos poenitus *k*) curat: calix passionis amarus est, sed prior eum bibit medicus, ne bibere dubitaret aegrotus. Ergo bibatur calix iste, si ille eum dederit qui novit quid det, cui det. Si autem non vult ut bibatur, alio modo sanet, dum tamen sanet. Nos tamen tanti medici manibus securi subdamur; omnino certi, nihil *l*) eum adhibiturum quod nobis non expedit. Debitum enim quod exigebat Paulus, tamquam ex merito repetebat. Et quod meritum? *cursum consummavi, bonum certamen certavi, fidem servavi.* Haec egisti; quid speras? *De cetero su-* p. 177. *perest mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illo die iustus iudex.* Non ait, dat, sed reddet: si reddet, debebat. Et num quid

a) 2. m. *annunt.* — *b*) Ita cod. heic et postea, cum unica *p*, quod et in aliis vidi codicibus — *c*) 1. m. *inquid.* — *d*) Ita heic cod. *opp.* — *e*) 2. m. *imp.* — *f*) Ita recte cod. 1. m. At 2. mendose *et.* — *g*) 2. m. *quicquid.* — *h*) Archaismus pro *sursum.* Confer indicem nostrum orthographicum ad Frontonem. — *i*) *ad* 2. m. apponitur. — *k*) Ita cod. cum diphthongo *oe.* — *l*) 2. m. *nichil*

1) In codice lauresah. (Spicil. T. V. p. 167.) *sermo Augustini de sancto Petro, ubi dicitur: pasce oves meas.* Memorat et Possidius in indic. cap. IX.

2) Augustinus idem in serm. ed. CCXCIX. 3. *Immolari se dixit, non mori: non quia non moritur qui immolatur; sed non omnis qui moritur immolatur. Ergo immolari, est Deo mori; ductum est enim verbum a sacrificio. Omne quod sacrificatur, Deo occiditur.*

mutuum acceperat, ut deberet? Debet coronam, reddit coronam, non factus debitor ex mutuo nostro, sed ex promisso suo 1). Neque enim cum eius merita coronabat, non dona sua coronabat. Propterea ergo, Fratres karissimi, propterea Deus debitor quia promissor.

Explicit de natale apostolorum 2).

* Matth. X. 16.

XX. INCIPIT DE CAPITULO ECCE EGO MITTO VOS SICUT OVES *, ET CETERA. DE NATALE MARTYRUM 3).

Cod. Vat. 5758. p. 185.

1. Sollemnitas martyrum, dilectissimi, qua passionis eorum memoriam celebramus, ad imitandum nobis proponitur, ut si quid forte durae temptationis acciderit, usque in finem perseveremus, ut salvi esse possimus, sicut modo ex evangelio lectum simul audivimus: *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* *. Et finis *a*) quidem huius saeculi fortasse longe est, fortasse prope est. Voluit autem Dominus, ut lateret quando futurum sit, ut homines semper parati expectent quod ignorant quando venturum sit. Sed ille ut dixi finis saeculi, sive prope sive longe sit, unicuiusque hominis finis quo ab ista vita in aliam pro merito suo transire cogitur, propter brevitatem mortalitatis huius, longe esse non potest. Ad finem utique suum unusquisque nostrum praeparare se debet 4): nihil *b*) quippe nocebit ultimus dies ei qui omnem diem tamquam ultimum cogitans ita vivit, ut securus moriatur; dum ita moritur, ne in aeternum moriatur. Ista cogitantes martyres sancti, quomodo audierunt vocem Domini dicentis: *ecce ego mitto vos velut oves in medium luporum!* quanta firmitate roborati erant, ut hoc non timerent *c*)! Ex hoc enim apparet, quam multi essent lupi, et paucae oves, quia non lupi missi sunt in medium ovium, sed oves in medium luporum 5). Neque enim ait Dominus: ecce ego mitto vos sicut leones in medium iumentorum, sed oves dicens in medium luporum, satis ostendit paucitatem ovium, greges luporum. Et cum unus lupus quam libet magnum gregem soleat perturbare, missae oves in medium innumerabilium luporum, ibant et non timebant; quia qui eas mittebat, non dimittebat *d*). Quid enim timerent ire inter lupos, cum quibus erat agnus qui vicit lupum?

* Matth. X. 22. — p. 186.

2. In ea quippe lectione audivimus *: « cum tradiderint vos, nolite cogitare » quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris ve» stri qui loquitur in vobis. » Unde dicit alio loco: « ecce ego vobiscum sum

* Matth. X. 19. — p. 187.

a) 1. m. *fines.* — *b*) 2. m. *nichil.* — *c*) Cod. *timirent.* — *d*) 1. m. *demittebat.*

1) Ingeniosa et vera definitio remunerationis a Deo! Conferatur autem enarratio in ps. CII. n. 7. et seqq. Item serm. 2. in ps. LXXII. n. 5: *cum praemium venerit, sua dona coronabit, non merita tua.*

2) Sermo Augustini habitus de die natalicia apostolorum Petri et Pauli, fuit etiam in codice vetere laureshamensi, Spicil. rom. T. V. p. 173. Denique moneo, initium sermonis 58. inter S. Fulgentio adscriptos, cum hoc S. Augustini de duobus apostolis congruere, sed reliqua ibi omnia deinceps discrepare.

3) De natali martyrum, et de nataliciis martyrum sermones fuerunt etiam in codd. laureshamensibus, Spicil. rom. T. V. p. 168.

4) Consonat sibi Augustinus in sermone ad catechumenos n. 8. *Finis mundi in proximo est: et si, ut quidam putant in proximo non est, dies ultimus uniuscuiusque nostrûm incertus est.* Eadem dicit aliis verbis in serm. ed. IX. 2.

5) Non semel delectatus videtur hoc mentis suae conceptu Augustinus; namque et in serm. ed. LXIV. eundem repetit; nec non de serpentis astutia, et de columbae simplicitate.

» usque in consummationem saeculi. » Numquid illi qui tunc istam vocem Domini audiebant, hic erant futuri usque in consummationem saeculi? Sed non solum illos decessuros, verum etiam ceteros, et nos ipsos, et qui post nos in hac vita futuri sunt, successuros Dominus attendebat, et omnes in uno corpore suo videbat. Hanc ergo vocem, qua ait *: vobiscum sum usque in consummationem saeculi, non solum illi, sed et nos audivimus: et si tunc non audiebamus in nostra scientia, audiebamus in illius praescientia. Quapropter ut securi velut oves inter lupos, teneamus praecepta eius admonentis nos ut simus simplices ut columbae, astuti ut serpentes: simplices ut columbae, ne cuiquam noceamus; astuti ut serpentes, ut ne nobis noceatur caveamus. Sed cavere ne tibi noceatur non poteris, nisi in quo tibi noceatur intellexeris. Sunt enim qui pro rebus temporalibus resistendo digladiantur, et cum repraehenderis quod magnopere resistant, cum debeant magis, sicut Dominus ipse praecepit, non resistere malo, respondent illud se facere, quod dictum est, astuti ut serpentes. Attendant ergo quid serpens faciat, quomodo circulos corporis sui pro capite obiciat ictibus ferientium, ut illud custodiat in quo vitam habere se sentit: quomodo cetera, quibus longus est, contemnat, ne caput eius a persequente caedatur. Si ergo vis imitari serpentis astutiam, caput tuum custodi 1). Scribtum *a)* est autem: *caput viri Christus est* *. Vide itaque ubi habeas Christum, quia per fidem in te habitat Christus. *Habitare,* inquit, *Christum per fidem in cordibus vestris* *. Ut ergo fides tua integra permaneat, persecutori cetera oppone, ut illud *b)* ubi vivis, incolume perseveret. Nam Christus ipse salvator caput universae ecclesiae dominus noster, sedens ad dexteram patris, iam feriri a persequentibus non potest; tamen conpatiens nobis, et in nobis se esse demonstrans, Saulo illi qui postea Paulus apostolus factus est, de caelo clamavit: *Saule, Saule, quid me persequeris* *? Et ipsum quidem nemo tangebat, sed pro calcatis in terra membris suis desuper tamquam caput clamavit. Quod si per fidem Christus habitat in corde christiano, ut ipsa fides salva sit, id est Christus in credente permaneat, contemnenda sunt quaecumque percutere vel auferre poterit persecutor, ut illa potius pro fide, non fides pro illis intereat.

* Matth. XXVIII 20.
p. 188.
1. Cor. XI. 3
* Ephes. III 17.
p. 189.
* Act. XXII. 7

3. Hanc astutiam serpentis martyres imitati, quoniam caput viri Christus est, pro Christo tamquam pro capite suo persecutoribus obiecerunt quidquid *c)* mortaliter possidebant, ne ibi morerentur ubi vivebant. Hoc praeceptum Domini tenuerunt monentis, ut essent astuti ut serpentes; ne quando iubebantur capite caedi, tunc se caput perdere crederent; sed carnis capite praeciso, caput Christum integrum retinerent. Qualibet enim saevitia membra corporis tortor invadat, qualibet crudelitate lateribus exaratis dilaniatisque visceribus, ad omnia carnis interiora perveniat, ad caput nostrum non potest pervenire, quod non permittitur vel videre. Per-

p. 190.

a) 2. m. *scriptum.* — b) Cod. I. m. *illut;* sed infra I. m. *illud.* — c) 2. m. *quicquid.*

1) Conferatur locus Augustini similis in enarratione psalmi LII. n. 10.

venit sane, si velit, non saeviendo in nos, sed credendo quod nos. Quomodo autem feminae ut coronam martyrii mererentur, hanc astutiam serpentis imitari potuerunt? Caput enim viri dictus est Christus, caput autem mulieris vir: neque enim pro maritis passae sunt, quando ut paterentur vicerunt etiam revocantium blandimenta maritorum? Quia et ipsae per eandem fidem membra sunt ecclesiae; ac per hoc Christus qui universae ecclesiae caput est, omnium membrorum suorum caput est. Tota ergo ecclesia
p. 191. et femina appellatur et vir; nam et una virgo dicta est. Apostolus dicit*:
* II. Cor. XI. 2. *aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo**. Et vir intellegitur
* Ephes. IV. 13. cum idem apostolus dicit: *donec occurramus omnes in unitatem fidei in agnitionem filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi*. Si ergo femina est, vir eius Christus est: si vir est, caput eius Christus est. Cum itaque caput mulieris vir est, et vir ecclesiae Christus; cum pro Christo etiam feminae passae sunt, serpentis astutia pro suo capite pugnaverunt. Custodiamus ergo adversus persecutores caput nostrum, astutiam serpentis imitemur, et pro ipsis persecutoribus nostris ingemescamus ad Deum, ut et columbarum innocentiam teneamus.

Explicit sermo ubi dicit: ecce ego mitto vos sicut oves in medium luporum.

p. 211. XXI. INCIPIT DE RESPONSORIO PSALMI LXXXIII.

v. 5. Beati qui habitant in domo tua! * et cetera. Feliciter.

Cod. vat. 5758. p. 212. 1. Praesentem psalmum simul nobiscum cantavit caritas vestra. Adiuvate itaque me orationibus vestris, et *a*) sit fructuosus auditus, nec inanis redeat auditor, qui intentus adfuit cum audiret; respondimus enim: beati qui habitant in domo tua 1). Unde beati? quid habituri? quid acturi? Omnes qui beati dicuntur in terra, habent *b*) aliquid, et agunt aliquid. Beatus est homo ille tot praediis, tanta familia, tanto auro et argento; habendo beatus dicitur, beatus est; ad illos honores pervenit, ad proconsulatum, ad praefecturam: agendo beatus dicitur; ergo aut habendo aut agendo. Unde autem ibi beati? quid habituri? quid acturi? Quid habituri, iam dixi: *beati qui habitant in domo tua*. Domum tuam si habueris pauper es 2); si habueris domum Dei, dives es. In domo tua timebis latrones; domui Dei murus ipse Deus est. Beati ergo qui habitant in domo tua: possident Hierusalem caelestem sine angustia, sine pressura *c*), sine diversitate et divisione limitum: omnes habent eam, et singuli habent totam. Magnae illae divitiae: non angustat frater fratrem, nulla ibi indigentia est. Quid ergo
p. 213. ibi acturi? omnium enim actionum humanarum mater necessitas.

a) Ita cod., non *ut*. — *b*) Cod. *habitant*. — *c*) Cod. *praessura*.

1) Ex hoc loco usque ad n. 4. sermo congruit, non sine tamen varietatibus cum edita Augustini enarratione psalmi LXXXIII. n. 8. Mox sermo noster n. 4. refertur sparsim ad enarrationem secundam psalmi XXVI. Totum itaque sermonem heic ponere opus fuit, prout in omnium antiquissimo bobiensi vat. codice iacet.

2) Male in antuerp. ed. coniungitur *pauperes*.

2. Iam, fratres, breviter dixi; currite animo per quaslibet actiones: videte *a*) si eas parit, nisi necessitas. Ipsae memorabiles *b*) artes, quae magnae videntur in subveniendo, patrocinia linguae, et adiutoria medicinae; ipsae sunt enim excellentes in hoc saeculo actiones. Tolle litigatores, quibus opitulatur advocatus? Tolle vulnera et morbos, quid curat medicus? et omnes istae actiones nostrae ad cotidianam vitam quae exiguntur et fiunt, ex necessitate veniunt: arare, seminare, novellare, navigare, talia omnia opera quae parit nisi necessitas et indigentia? Tolle famem, sitim, nuditatem, cui opus sunt ista omnia? Haec etiam quae nobis iubentur bona opera; nam ista quae commemoravi honesta sunt. Sed omnium hominum, exceptis operibus pessimis loquor, detestabilibus operibus, flagitiis, et facinoribus, homicidiis, effracturis, adulteriis, illa nec deputo inter actiones humanas; haec honesta loquor, non parit nisi necessitas: necessitas fragilitatis carna- p. 211.
lis haec etiam quae dixi iuberi nobis: frange esurienti panem tuum; cui frangis, ubi nemo esurit? Egenum sine tecto induc in domum tuam; quem hospitem suscipis, ubi omnes in patria vivunt? Quem visitas aegrum, ubi perpetua sanitate gaudent? Quem concordas litigiosum, ubi pax sempiterna est? Quem sepelis *c*) mortuum, ubi semper vivitur? Nihil ergo horum acturus es ex operibus honestis illis omnium hominum: nihil acturus es ex istis bonis operibus 1).

3. Quid ergo acturus es? quid habiturus? Audi. *Beati,* inquit, *qui habitant in domo tua.* Ecce quid habituri sumus, ut in domo Dei habitemus. Dicet iam: quid ibi acturi sumus? non enim video ibi aliquas necessitates, quae me impellant ad agendum. Ecce modo quod loquor et disputo, necessitas parit. Numquid enim ibi talis disputatio erit, quasi quae doceat ignaros, quasi quae commemoret obliviosos? Aut vero in illa patria evangelium recitabitur, ubi ipsum Dei Verbum contemplabitur? Ergo quia dixit iste desiderans et suspirans ex voce nostra, quid habituri simus in illa patria, cui suspirat, et ait: beati qui habitant in domo tua; p. 212.
dicat et quid acturi simus? *in saecula saeculorum laudabunt te.* Hoc erit totum negotium nostrum, sine defectu laudare Deum 2). Non vobis videatur, Fratres, quasi fastidium ibi futurum, quia si modo hoc diu dicatis, non duratis; ab illo gaudio necessitas vos avertit. Et quia non tantum delectat quod non videtur, si tanta alacritate in ipsa pressura *d*) et fragilitate carnis laudamus quod credimus, quomodo laudabimus quod videbimus? Quum *e*) absumpta fuerit mors in victoriam, et mortale hoc induerit immortalitatem, et corruptibile hoc induerit incorruptionem; nemo dicet *f*) diu steti, nemo dicet diu ieiunavi, diu vigilavi: stabilitas enim magna ibi, et ipsa immortalitas iam corporis nostri suspenditur in contemplationem Dei 3).

a) Cod. *vidite.* — *b*) I. m. *memoraviles.* — *c*) Cod. *sepilis.* — *d*) Cod. *pressura.* — *e*) Cod. *quam.* — *f*) Cod. *dicit*, sed postea *dicet.*

1) Quid in caelo acturi simus, pulcre dicit Augustinus etiam in enarr. ps. LXXXVI. 24, qui locus praesenti sermoni valde alludit.

2) Apud Maur. pro *laudare Deum*, legitur *halleluia.*

3) Augustinus Retract. 1. 2: *non esse beatam vitam, nisi perfectam cognitionem Dei.*

Et si modo verbum hoc, quod vobis in nomine Domini erogamus, fragilitatem carnis vestrae delectat 1), quid nobis faciet illud gaudium? quomodo nos mutabit? Similes enim ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.
p. 216. Iam similes illi quando deficiemus? quo avertemur? Securi ergo simus, fratres: non nos satiabit laus Dei [amor Dei.] Si deficies ab amore, deficies a laude: si autem amor sempiternus erit, quia illa insatiabilis pulchritudo erit, noli timere ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare.

4. Ergo beati qui habitant in domo tua, in saecula saeculorum laudabunt te. Huic vitae suspiremus 2), hanc unam amare debemus, sicut in
* Ps. XXVI. 4. alio psalmo dicit*: *unam peti a) a Domino, hanc requiram, et ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitae meae.* In istis enim terrenis habitationibus diversis deliciis *b*) et voluptatibus homines oblectantur; et unusquisque in ea domo vult habitare, ubi non habitat quod offendat animum, et habet *c*) multa quae delectent. Si autem subtrahantur ea quae delectabant, vult undecumque migrare. Interrogemus quasi curiosius, et dicat iste quid acturus est in illa domo ubi optat et cupit et desiderat, et hoc unum petiit a Domino habitare in ea omnes dies vitae suae. Quid ibi agis, quaeso
p. 217. te? Quid est quod desideras? Audi quid: ut contempler delectationem Domini. Ecce quodammodo *d*), ecce quare volui habitare in domo Domini per omnes dies vitae meae. Habet ibi magnum spectaculum, delectationem ipsius Domini contemplari: vult finita nocte sua haerere in luce illius Iam videte, Fratres: si nos delectant bona ista, quae appellantur bona; si nos delectant bona, quae non sunt per se bona; (omnia enim mutabilia, non per se bona:) qualis erit contemplatio incommutabilis boni aeterni, semper eodem modo manentis? Quandoquidem ista, quae dicuntur bona, nullo pacto nos delectarent, nisi essent bona: nec alio pacto essent bona, nisi ab illo essent, qui simpliciter bonus est.

Explicit sermo de responsorio psalmi LXXXIII.

XXII. INCIPIT DE HUMILITATE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI 3).

cod. vat. 5758. p. 218. 1. Humilitatem domini nostri Iesu Christi commendamus vobis, dilectissimi Fratres, immo ipse commendat omnibus nobis 4). Quantam humi-

a) Cod. contracte *peti*. — *b*) Cod. *diliciis*. — *c*) Cod. *habitat*. — *d*) Melius ed. *quod amo*.

1) Ergo Augustino concionanti aderant cum gaudio auditores. Ipse de se in prologo retractationum: *cum iuvenis coepi scribere, vel apud populos dicere, tantum mihi tributum est, ut ubicumque me praesente loqui opus esset ad populum, rarissime tacere atque alios audire permitterer.* Item in serm. CLXXX. 14. *Quasi vero parvus sit fructus huius sudoris mei, si omnes qui mihi acclamaverunt* etc. *si tot homines qui me adtentissime audierunt.* etc.

2) Hoc loco abrumpitur editio maurina; manifesto propemodum defectu.

3) In editione maurina T. V. post Augustini genuinos sermones, inter eiusdem deflorata a variis eclogariis fragmenta, nonum quidem loquitur de humilitate Christi domini, sed tamen in sermonem hunc nostrum minime incurrit.

4) Sic Augustinus in epistola XLVIII. 1: *admonemus et petimus et obsecramus per Christi altissimam humilitatem.*

litatem, videte. Eseias *a*) propheta clamat *: *omnis caro faenum, et omnis b*) *claritas carnis ut flos faeni: faenum aruit, flos decidit, verbum autem Domini manet in aeternum* *. Quomodo contempsit et abiecit carnem? Quomodo praetulit et laudavit Verbum Dei? Iterum dico, iterum attendite, abiectionem carnis aspicite: omnis caro faenum, et omnis *c*) gloria carnis ut flos faeni. Quid est faenum? quid est flos faeni? Sequitur, et dicit. Vis audire quid sit? Faenum aruit, faeni *d*) flos decidit. Quid verbum Dei? Manet in aeternum. Agnoscamus Verbum quod manet in aeternum. Audiamus evangelistam laudantem Verbum: « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio aput *e*) Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in eo, vita est: et vita erat lux hominum. Magna laus tamquam aeterni Verbi! excelsa laus tamquam Verbi Dei manentis in aeternum! Et quid postea evangelista? Et Verbum caro factum est, et habitavit p. 219. in nobis. Hoc solum si faceret Verbum Deus, ut caro fieret, incredibilis esset humilitas 1): et beati qui credunt hoc incredibile; ex incredibilibus enim constat fides nostra 2). Verbum Dei factum est faenum, mortuus resurrexit, Deus crucifixus est. Incredibilia sunt, quia magnus morbus tuus factus erat, ut de incredibilibus sanaretur. Etenim venit ille medicus humilis, invenit iacentem aegrotum, communicavit cum illo infirmitatem suam, vocans illum ad divinitatem suam: factus est in passionibus occidens passiones, et moriens suspensus in ligno est ut interficeret mortem. Fecit nobis escam, quam acciperemus *f*), et sanaremur. Unde ista esca est, et quos saginat? qui fuerint imitati humilitatem Domini. Tu nec ipsam humilitatem imitaberis, quanto magis 3) divinitatem? Humilitatem imitare si potes. Quando? Unde? Ille Deus, homo factus est; tu homo, hominem te esse cognosce. Utinam quod ipse factus est propter te, agnosceres *g*)! Agnosce te propter ipsum; videas quia homo es, et tanto tamen vales, ut propter te p. 220. Deus factus sit homo. Noli ad superbiam tuam id referre, sed ad illius misericordiam: redemit enim nos sanguine suo dominus Deus noster, et pretium *h*) animarum nostrarum voluit esse sanguinem suum, sanguinem innocentem.

* Is. XL. 6.
* cap. XL. 8.

2. Et quod dicere coeperam, Fratres, si tantum se humilaret 4) Deus, ut fieret homo, quis ab ipso amplius exigeret? Non enim tu ad hoc humiliaris *i*), ut ex homine efficiaris pecus. Et tamen quid simile, si ad hoc humilareris, ut ex homine pecus fieres? Non tanto intervallo humilareris,

a) Ita cod. — *b*) Cod. *omnes.* — *c*) 1. m. *omnes.* — *d*) Cod. *faenum.* — *e*) Hoc loco 2. m. *apud.* — *f*) 1. m. *acceperemus.* — *g*) *Agnosceres* suppletur a 2. m. — *h*) Cod. *praetium.* — *i*) Ita cod. hoc loco, non *humilaris.*

1) De hac Christi humilitate egregie Augustinus etiam in serm. ed. CXXIV. 3.

2) Contra rationalis sectae homines. Conferatur autem Augustinus in serm. ed. CCXLVII. 2. quo loco ait: *ubi defuerit ratio, ibi est fidei aedificatio.* Et tract. XLI. 8. in Ioh. *fides humilitatem habet.* Recole dicta superius p. 34. in adn.

3) More graeco, nam latini plerumque dicerent *quanto minus.*

4) In hoc sermone quinquies Augustinus scribit *humilo* pro *humilio.* Sane *humilo* adserunt duo certissima Corippi exempla a cl. Furlanetto in lexico suo relata, quibus nunc suffragatur Augustinus.

quanto intervallo humilatus est Deus: etenim homo factus pecus, rationale quiddam factum erat inrationale; tamen mortale et mortale *a*): mortalis enim homo, et mortale pecus: nascitur homo sicut nascitur pecus: concipitur homo, sicut concipitur pecus: nutrimentis corporis homo pascitur et crescit, sicut pecus. Quanta habet cum pecore communia! Unam solam
p. 221. rationem mentis habet disparem, ubi posita est imago creatoris 1). At vero Deus qui factus est homo, aeternus factus est mortalis, induit se carnem *b*) de massa propaginis nostrae, sine peccato factus est, homo natus est adsumens in quo pateretur pro nobis. Sed ecce nondum passus est. Modo inspice quid pro te factus sit, ante quam patiatur. Parva ne ista humilitas? Deus homo factus est. O homo, vide quia homo es: propter te Deus homo est; et tu non vis agnoscere quia homo es? Qui nolunt agnoscere quia homines sunt, Fratres, attendamus. Qui nolunt agnoscere quia homines sunt? qui se iustificant, et Deum culpant. Patiatur aliquid homo durum aut asperum in ista vita; nihil tam in lingua positum habet, quam repraehendere Deum, et se laudare: et exclamans indignatione tribulationis suae, non confitetur peccata sua, sed iactat merita sua, et dicit: Deus, quid tibi feci? quare ista patior? Deus, quid tibi feci, dicit homo ad Deum? Respondeat illi Deus: bene dicis, quid tibi feci, quia mihi nihil fecisti,
p. 222. sed omnia tibi. Si enim aliquid faceres Deo, quod Deum delectaret faceres. Hoc est illi facere. Modo autem quidquid *c*) fecisti, tibi fecisti, quia tuam voluntatem secutus, illius imperium contempsisti. Plane si sic intellegas, recte dicis. Quid enim potes facere Deo, ut clames quid tibi feci? Qui in caelum lapidem iactat, caelo iactat an sibi? Quod misisti et tibi non haesit, et in te rediit. Sic et blasphemias omnes si iacias *d*) in Deum, sic omnes iniurias, sic quaecumque movent sacrilegam et impiam et superbam mentem tuam, quanto iactas sursum *e*), tanto gravi pondere super te recidunt.

3. Quid ergo facturus eras Deo? Facturus autem illi esses aliquid, si faceres verbum ipsius: si quod iusserat faceres, bene clamares: quid tibi feci? Et tamen discute iustitiam tuam, excute conscientiam tuam, intra cor tuum, noli foris *f*) clamare, intus inspice, redi ad penetralia cordis tui. Vide si vere nihil mali fecisti: vide si dignum aliquid pateris pro quo *g*) fecisti in qualibet tribulatione constitutus. Non enim peccatori debetur nisi flagellum ignis ardentis et aeterni. Deseruisti Deum tuum, secutus es con-
p. 223. cupiscentias tuas. Quid pateris cum flagellaris? Correptio est, non damnatio. Si flagellat te Deus in hac vita, non tibi irascitur. Noli illum offendere flagellantem: noli illum provocare ut parcat. Provocas illum murmurando, et dimittit te. Fuge sub flagellum corripientis; noli a flagello, sed sub flagellum: ubi caedit *h*), illuc curre: novit quidem ubi feriat, et ubi te inveniat, et sine causa te vis abscondere ab oculis eius qui ubi-

a) Ita cod. — *b*) Ita cod. syntaxi graeca. — *c*) 2. m. *quicquid*. — *d*) 1. m. *iaceas*. — *e*) Ita heic cod. quamquam p. 41. *susum*. — *f*) Cod. *fores*. — *g*) Nempe *pro eo quod*. — *h*) Cod. *cedit*. Sic et infra.

1) Inter tot de homine ad imaginem Dei creato doctrinas atque sententias veterum ecclesiae patrum haec Augustini multo est frequentior et certe verior ac potissima.

que est. Vis fugere ab irato Deo? fuge ad placatum Deum: ab ipso nusquam, nisi ad ipsum. Ab ipso te putabas fugere cum cervices superbas erigeres: humila *a*) eas, et ad ipsum fuge. Flagellat omnem filium quem recipit. Sed dedignaris flagellari? Dedignare ergo hereditari 1). Ad hereditatem te erudit pater bonus; bonus, et cum pascit; bonus, et cum caedit: vere ubique misericors.

Explicit de humilitate domini nostri Iesu Christi.

XXIII. INCIPIT DE EO QUOD OPTULIT ABRAHAM *b*) FILIUM SUUM ISAAC 2).

1. Adhibete huc aures qui accessistis ad Deum, qui fideles esse vos Cod. vat. 5758 p. 224.
creditis; et considerate diligentius quemadmodum fidelium fides probatur ex his quae recitata sunt nobis. « Et factum est, inquit, post haec verba, * Gen. XXII. 1.
» temptabat Deus Abraham*. Et dixit ad eum: « Abraham, Abraham. Cumque ille respondisset, ecce ego; dicit ad eum: « accipe filium tuum carissimum 3) quem diligis Isaac, et offeres *c*) mihi eum: vade, inquam, in *d*) terram excelsam, et ibi offer eum holocaustum in uno ex montibus, quem ostendero tibi. » Accenderat animos eius in amorem filii, non solum posteritatis gratia, sed et promissionum spes. Sed hunc in quo ei positae sunt promissiones magnae istae et mirabiles, hunc holocaustum Domino iubetur offerre in uno *e*) ex montibus. Quid tu ad haec, o Abraham? Quantae et quales cogitationes moventur in corde tuo? Prolata est vox a Deo, quae discutiat et probet fidem tuam. Quid ad haec dicis? quid cogitas? quid retractas? Putas ne, revolves in corde tuo, quia si in Isaac data est mihi p. 225.
repromissio, hunc autem offero holocaustum, superest ut non speretur ulla promissio? Aut magis illa cogitas, et dicis *f*), quia inpossibile est mentiri eum qui repromisit? Quidquid *g*) illud fuerit, promissio permanebit.

2. Verum ego, quia minimus sum, tanti patriarchae cogitationes non valeo perscrutari. Nescire possum, vox Dei quae ad temptandum eum processerat, quas ei cogitationes moverit, quid animi adtulerit cum iuberetur unicum iugulare. Sed quoniam spiritus prophetarum prophetis subiectus est, Paulus apostolus qui per spiritum credo didicerat quid animi quid

a) Ita cod. Vide dicta pag. 47. — *b*) Cod. hoc loco *Abraam*. Sed infra et *Abraam* et *Habraam*. Tanta est inconstantia codicis! — *c*) 1. m. *offers*. — *d*) *In* suppletur a 2. m. — *e*) Cod. *in unum*. — *f*) 1. m. *dices*. — *g*) 2. m. *quicquid*.

1) Nempe *fieri heres*. Et animadverte verbi significatum.

2) Idem argumentum est sermonis inter editos secundi, sed oratio plane diversa. Confer etiam sermonem XL. ad fratres in eremo. Augustini sermones duo *de Abrahamo* extiterunt etiam in codice vetere laureshamensi, Spicil. rom. T. V. p. 168.

3) Dum scribit *carissimum*, sequitur more suo Augustinus italam veterem, quod facit etiam alibi, puta locut. lib. I. 67. ubi *dilectum* vox synonyma, nec non Ambrosius *amantissimum* lib. de Abr. I. 8. Lectio autem de graeca τῶν ό editione manat ubi ἀγαπητόν. At hebr. samar. syr. arab. cum vulgato lat. *unicum*. En autem ut Athanasius in editis per nos fragmentis comment. ad Lucam III. 22. rem conciliat ita scribens ad verba *tu es filius meus dilectus*. Ταυτόν ἐστι τό τε μονογενὲς, καὶ τὸ ἀγαπητόν.—Κα. τῷ Ἀβραὰμ γοῦν σημαίνειν θέλων ὁ λόγος τὸ μονογενὲς, φησί· προσένεγκε τὸν υἱόν σου τὸν ἀγαπητόν· παντὶ δὲ δῆλον ἐκ τῆς Σάῤῥας μόνον εἶναι τὸν Ἰσαάκ: *idem est dicere unigenitum et dilectum.—Nam et Abrahamo sacra scriptura filium unigenitum denotare volens, ait « filium tuum dilectum. » Porro constat unicum ex Sarra extitisse filium Isaacum*

* Hebr. XI. 17. consilii Abraham gesserit, indicavit dicens *: *fide Abraham non haesitavit cum unicum offerret, in quo acceperat repromissiones; cogitans quia et a mortuis suscitare potens est Deus.* Prodidit ergo nobis cogitationes viri fidelis apostolus, quod fides resurrectionis iam tunc haberi coeperit in Isaac 1). Abraham ergo resurrecturum sperabat Isaac, et credebat futurum quod ad-
p. 226. huc non erat factum. Quomodo ergo filii sunt Abraham, qui factum non credunt in Christo, quod ille futurum credidit in Isaac? Immo ut apertius proloquar, sciebat se Abraham futurae veritatis imaginem praeformare. Sciebat de semine suo nasciturum Christum 2), qui et offerendus esset totius mundi verior hostia, et resurrecturus a mortuis. Sed nunc interim temptabat, inquit, Deus Abraham, et dicit ad eum: « accipe filium tuum carissimum, quem diligis. » Non enim suffecerat *a*) dixisse filium, sed adicitur « carissimum » Esto et hoc. Quid adhuc additur? et quem diligis? Sed vide temptationis pondus; caris et dulcibus appellationibus iterum ac saepe repetitis paterni suscitantur affectus, ut amoris evigilante memoria, ad immolandum filium paterna dextera retardaretur; et adversum fidem animi, tota carnis militia repugnaret. Accipe ergo, inquit, filium tuum carissimum, quem diligis Isaac. Esto, Domine, quia commemoras de filio patrem 3); addis et carissimum, quem praecipis iugulari. Sufficiat hoc ad supplicium pa-
p. 227. tris; addis rursum et quem diligis. Sint et in hoc parenti triplicata supplicia; quid opus est adhuc ut commemores et Isaac? Numquid nesciebat Abraham quia filius suus ille carissimus, ille quem diligebat, Isaac vocaretur? Sed quur *b*) hoc additur in tempore? ut recordetur Abraham quia dixeras *c*) ad eum, quod in Isaac vocabitur tibi nomen, et quod in Isaac erunt tibi repromissiones. Fit et commemoratio nominis, ut et repromissionum, quae sub hoc nomine factae sunt, desperatio subeat.

3. Sed haec omnia, quia temptabat Deus Abraham. Quid post haec? « Vade, inquit, in terram excelsam, in unum ex montibus quem tibi ostendero, et ibi eum offeres holocaustum. » Intuemini per singula quomodo fiunt temptationis augmenta. « Vade in terram excelsam. » Numquid non potuerat duci prius Abraham cum puero ad illam terram excelsam, et inponi prius in montem quemcumque delegerat Dominus, et ibi ad eum dici, ut offerret filium suum? sed prius ei dicitur quia offerre debeat filium
p. 228. suum, et tunc iubetur ire in terram excelsam, et ascendere in montem. Quo spectat? ut dum ambulat, dum iter agit, per totam viam cogitationibus discerpatur *d*), ut hinc perurguente *e*) praecepto, hinc vero unici affectu obluctante crucietur. Propterea ergo etiam via iniungitur *f*), etiam montis ascensio, ut in his omnibus spatium certaminis accipiant affectus et fides, amor

a) 2. m. mendose *sufficerat.* — *b*) 2. m. *cur.* — *c*) 2. m. *dixerat.* — *d*) Cod. *discrepatur.* — *e*) Cod. *perurgente*, sed mox ab eadem manu *perurguente*, quae est nota palaeographia. — *f*) 2. m. interponitur *et.*

1) Pulchra Augustini animadversio de futura resurrectione, cuius figuram fuisse Isaacum dicit etiam in enarratione psalmi LI. 5.

2) Christus ipse dominus apud Iohannem VIII. 56. *Abraham diem meum vidit, et gavisus est.*

3) Animadverte latinitatem: *commemorare aliquem de aliqua re*, id est *aliquid in memoriam alicui revocare.*

Dei et amor carnis, praesentium gratia et expectatio futurorum. Mittitur ergo in terram excelsam; et non sufficit patriarchae, tantum opus Domino peracturo, terra excelsa, sed et montem iubetur ascendere, scilicet ut fide elatus, terrena derelinquat *a*), et ad superna conscendat. Surrexit ergo Abraham mane, et stravit asinam suam, et concidit ligna ad holocaustum, et accepit filium suum Isaac et duos pueros, et pervenit ad locum, quem dixit ei Deus, die tertia. Per triduum iter protenditur, et per totum triduum recurrentibus curis paterna viscera cruciantur, ut omni hoc spatio tam pro- p. 229.
lixo intueretur filium pater, cibum cum eo sumeret, tot noctibus puer penderet in amplexibus patris, inhaereret *b*) pectori, subaret 1) in gremio. Vide in quantum temptatio cumulatur. Tertia tamen dies semper apta fit sacramentis. Nam et populus cum exisset de Aegypto, tertia die offert sacrificium Deo; et resurrectionis Domini tertia est dies; et multa alia intra hanc diem mysteria concluduntur. Deinde cum venisset ad locum, accepit ligna ad holocaustum, et superposuit ea Isaac filio suo, et accepit ignem in manibus suis, et gladium, et abierunt ambo simul. Quod ipse sibi ligna portat ad holocaustum, illa figura est quod et Christus ipse sibi baiulavit crucem. Aedificat altare Abraham, imponit ligna super altare, conligat puerum, praeparat se ad iugulandum 2).

4. Multi estis patres in ecclesia Dei qui haec auditis. Putas aliqui *c*) vestrum ex ipsa historiae narratione tantum constantiae tantum animi robur p. 230.
adquirit, ut cum forte amittitur filius morte communi et omnibus debita, etiam si sit unicus, etiam si sit dilectus, adducat sibi in exemplum Abraham, et magnanimitatem eius ante oculos ponat? Equidem non a te exigitur istud animi magnitudinis, ut ipse alliges *d*) filium, ipse constringas, ipse gladium pares, ipse unicum iugules. Haec omnia a te ministeria non quaeruntur. Proposito saltem et mente constans esto, fide fixus, laetus offer filium Deo: esto sacerdos animae filii tui. sacerdotem autem immolantem Deo, non decet flere 3). Vis videre quia exigitur hoc a te? In evangelio Dominus dicit*: * Ioh. VIII. 39.
si filii Abrahae essetis, opera utique Abrahae faceretis. Ecce istud est opus Abrahae: facite operam, quam fecit Abraham, sed non cum tristitia: *hilarem enim datorem diligit Deus* *. Quod si et vos tam prompti fueritis, ut * II Cor. IX. 7.
fortior sit fides in Deum, quam carnis affectus, deputabitur et vobis. . . .
Finis octonarii XV. Deest autem folium primum sequentis octonarii XVI, in qua lacuna perierunt huius sermonis ultima verba, et sequentis in codice sermonis de alleluia *initium, quae est narratio edita psalmi CXLVIII.*

a) 1 m. *derelinqat.* — *b*) Cod. sine diphth. — *c*) *Aliqui* pro *aliquis* etiam apud Cic. de rep. et alibi in mss. — *d*) 1. m. *elleges.*

1) Ita cod. pro *cubaret.* Et animadverte heic sensum pudicum verbi *subo.*

2) Possidius in indiculo operum S. Augustini cap. VIII. recitat sermonis titulum: *de filio Abrahae ducto ad sacrificium.* Maurini autem sermone hoc nostro carentes, adsignant sermonem inter editos secundum. Verumtamen ibi reapse non describitur deductio Isaaci ad sacrificium, prout fit in nostro, quem sine dubio intelligebat Possidius.

3) Ideo veteres etiam ethnici velati sacrificabant, ne quid triste inter eum ritum sibi forte occurreret. Vide Dionysium halic. in nostris additamentis Script. vet. T. II. p. 476, ubi in adnotatione complura huiusmodi exempla exposuimus.

XXIIII. INCIPIT SERMO DE PSALMO CXLVIII.

Cod. Vat. 57 S. p. 237. 1. Sollemnitas paschae haec est, et inluminationis mysteriorum *a*) dies iste, in quo propheta nos cohortatur et dicit: « cantate Domino canticum novum 1). » Sed sicut bona arbor bonos fructus affert, ita et novus homo novum canticum canit. Et iterum sicut non potest arbor mala fructus facere bonos, ita nec vetus homo cantare potest canticum novum. Propterea ergo nobis hominibus propheta dicit: *cantate Domino canticum novum, laus eius in ecclesia sanctorum.* Sollemnitas paschae est, et innovatio mysteriorum dies iste, in quo deponentes in baptismo veterem hominem, novi homines effecti sanctum altarem *b*) circumdant, et de secretioribus thalamis nuper genitos novos filios ecclesia mater educit. Et ideo propheta ad vos maxime loquitur: o novi homines cantate Domino canticum novum 2). Sed sicut beatum est, ablata veteri conversatione, et tenebrosis actibus, factum p. 238. esse hominem lucis et hominem novum, ita infelicissimum est, si qui per Domini iam gratiam ronovatus, ex novo homine rursum convertatur in veterem. Vetus autem homo dicitur, qui secundum carnem est, in quo sunt * Gal. V. 19. opera carnis, quae enumerat apostolus *, fornicatio, immunditia, concupi- * Rom. VIII. 13. scentia mala, et avaritia. Si enim, inquit *, spiritu actus carnis mortificetis, * Coloss. III. 10. vivetis. Novus autem homo est, sicut dicit apostolus *, qui secundum Deum creatus est ad imaginem eius qui creavit eum; et iste est novus qui cantare potest Domino canticum novum.

2. Sed et ille novum Domino canticum cantat, qui neque ut gentilis plures deos, neque ut Iudaei Deum sine filio confitentur, sed unum verum Deum sub mysterio praedicat Trinitatis. Cantet ille canticum novum, qui sacramentum novi suscepit testamenti: et ille novum canticum cantat, qui in dilectione perfectus implet mandatum Domini dicentis *c*): *mandatum* * Ioh. XIII. 34. *novum do vobis ut invicem diligatis* *. Vide denique ubi vel a quibus can- p. 239. ticum istut *d*) novum Domino *e*) cantetur. « In ecclesia, inquit, sanctorum. » Non dixit quia potest hoc unus sanctus implere aut duo vel tres, sed ecclesia et congregatio multorum sanctorum. Sicut enim multi malignantes in unum convenientes, ecclesiam faciunt malignantium 3), ita multi sancti in unum congregati faciunt ecclesiam sanctorum. Licet mihi difficile videatur

a) Ita cod., non *mysterium*. — *b*) Ita cod. cuius generis exemplum nos protulimus in nostro glossario ex itala vetere. — *c*) *dicentes*. — *d*) Ita cod. — *e*) Cod. *a Domino*.

1) De hoc psalmi versiculo agnoscebat Augustini sermones Possidius in indiculo cap. VIII. et IX. Sic etiam cap. IX. habet Possidius titulum sermonis augustiniani de versu psalmi septuagesimi *in tua iustitia erue me, et exime me*, qui omnino est noster XV; id quod ibi adnotari obliti fuimus.

2) In calce huius sermonis legitur *ORIGENIS* nomen, ut nos reapse ex codice in librum nostrum transtulimus. En autem fragmenta Origenis ad ps. 149. apud Ruaeum collecta T. II. 846. seq. belle demonstrant quomodo Augustinus in suo concinnando sermone Origenem expresserit: Expresserit, inquam, neque enim ita Origenis fragmenta cum sermone adamussim congruunt, ut Augustinus interpres potius, quam auctor sermonis credendus sit. Heic itaque Origenes: οὗτος ᾄδει καινὸν ᾆσμα ὁ τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον ἀποθέμενος, τὸν φθειρόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης, καὶ ἐνδυσάμενος τὸν νέον τὸν κατὰ θεὸν κτισθέντα. Confer infra.

3) Origenes: οὐδὲ ἐν ἐκκλησίᾳ πονηρευομένων, ἀλλ' ἐν ἐκκλησίᾳ ὁσίων· καὶ ἐν ταύτῃ μᾶλλον, ἢ ἐν ἑνὶ, ἢ ἐν ὀλίγοις.

in terris ecclesiam inveniri sanctorum: dicit enim propheta *, quia conta- * Os. IV. 2.
minata est terra in sanguine; et adulteria et homicidia effusa sunt super
terram. Quomodo ergo videbitur ecclesia sanctorum haberi posse in terris,
apostolus docet dicens *: quia in terris ambulantes conversationem habe- * Phil. III. 20.
mus in caelis. Et iterum *: in carne autem ambulantes, non secundum car- * II. Cor. X. 3.
nem militamus. Sic ergo efficitur, ut in terris positi, caelestem ecclesiam
faciant sancti. Sicut rursus e contrario peccatores, cum nequiores se fue-
rint effecti, atque *a*) in ultima flagitia devoluti, non iam in terris esse di-
cuntur, sed in inferiora terrae demergi, sicut propheta dicit de eis: in- * Ps. LXII. 10.
troibunt in inferiora terrae. Et ideo, Fratres carissimi, operam demus co- p. 240.
tidie, deponentes veterem hominem cum actibus suis, per spiritum reno-
vari, ut possimus cantare Domino canticum novum, imitationem tenere
caelestium, oblivionem sumere terrenorum. Sicut et apostolus dicit *: « quae * Coloss. III. 2.
sursum sunt sapite, non quae super terram, ubi Christus est in dextera
Dei, ut cum Christo regnare possimus. » Ne forte si terrenis semper in-
cumbamus, et de terra semper cogitamus *b*), et de terra loquimur, et in-
teriora terrae gravius peccando, serpentum more, defodimus, serpentis
etiam nos sententia condemnemur.

3. *Laetetur,* inquit, *Israhel in eo qui fecit eum.* Quaestio videtur exurgere, quomodo putetur, tamquam ceteris hominibus ab alio factis, Israhel super proprio factore debere laetari? Sed si diligentius requiramus quae scribta sunt in genesi de factura hominis, inveniemus iota unum vel apicem in lege Dei non esse mysteriis vacuum. Dicit ergo in genesi primo:
« faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » Et paulo post p. 241.
addit: « et plasmavit Deus hominem de limo terrae. » In quo utique qui
diligentius perspicit, videt illum interiorem, qui ad imaginem Dei est, qui et
Israhel nominatur, factum dici. Israhel autem interpretatur *c*) videns Deum.
Non autem posse videri Deum his oculis, evangelista admonet dicens *: * Matth. V. 8.
« beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Illum vero, qui de
terrae limo est, plasmatum vel fictum nominari. Quod et propheta in alio
loco simul utrumque repetit dicens *: « manus tuae fecerunt me, et plasma- * Ps. CXVIII. 73.
verunt me. » Laetatur ergo Israhel, qui est interior homo secundum imaginem Dei creatus, super eo qui fecit ipsum; non qui plasmavit, sed qui fecit; quia hoc ad rationabilem spiritum pertinet, illud ad materiam corporalem 1) « Laetetur ergo Israhel in eo qui fecit eum; et fili *d*) Sion exultent *e*) in rege suo. » Sed et fili Sion exultare dicuntur in rege suo. Qui illi sunt *f*), operae pretium *g*) noscere. Sion specula interpretatur 2); specula vero est lo-
cus excelsus et editus, de quo longe prospicitur quod venturum est. Si ergo p. 242.
et tu vitam tuam altius a terra et longe sublimius ab humanis vitiis conlo-

a) Cod. *adque.* — *b*) Synchysis temporum *incumbamus*, *cogitamus* etc. — *c*) Cod. *interpraetatur.* — *d*) Ita cod. — *e*) 2. m. *exult.* Sed infra *ex* et *ex* variant. — *f*) Ita cod., non *sunt.* — *g*) Cod. *opere praetium.*

1) Origenes: περὶ μὲν τοῦ κατ᾽ εἰκόνα, τὸ ἐποίησεν εἴρηται. περὶ δὲ τοῦ ἀπὸ τοῦ χοῦ, τὸ ἔπλασε· καὶ ἡ θεία εὐφροσύνη ἐν τῷ κατ᾽ εἰκόνα ἐστί· διὰ τοῦτο Ἰσραὴλ ἐπὶ τῷ ποιήσαντι αὐτὸν προστάσσεται εὐφραίνεσθαι.

2) Confer, si libet, S. Cyrillum apud nos comment. ps. IX. 12.

caveris per virtutem fidei, et per intellegentiae rationem, procul quae sunt ventura prospiciens, recte Sion filius appellaberis *a*). Ex his erat ille, ad quem
* Ezech. III. 17. dicit sermo divinus *: «fili hominis, speculatorem dedi te domui Israhel.» Quaerere ergo quae sursum sunt, et speculari non praesentia, sed futura: et aspicere non quae videntur, sed quae non videntur: quoniam quae videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna sunt: hoc est, filium esse Sion. Exultent *b*) ergo filii *c*) Sion in rege suo. Quo rege? illo
* Ps. II. 6. sine dubio qui dicit *: «ego autem constitutus sum rex ab eo *d*) super Sion *e*) monte sancto eius.» Sed ille rex non super omnes regnat, nisi super eos tantum qui se ei exponte *f*) et voluntate subiecerint. Vis autem scire quomodo regnet Christus in unoquoque? Ex scribturis discamus *g*). Christus ve-
p. 253. ritas est; veritas in mendace non regnat. Christus iustitia est; iustitia non regnat in iniusto. Christus sanctificatio est; sanctitas in peccatore non regnat, in quibus Christus non regnat 1). Si autem vis et hoc discere qui in
* Rom. VI. 12. illis regnat, in quibus Christus non regnat, audi apostolum dicentem *: «non ergo regnet adhuc peccatum in vestro mortali corpore.» Ex quo declarat quod hii qui non sunt sub rege Christo, possideantur a rege peccato. Qui tamen exitus *h*) sit eorum qui noluerunt regnare super se, ex
* Luc. XIX. 27. parabola evangelii edocemur. Ait enim *: «istos autem qui noluerunt me regnare super se, adducite huc et interficite; sed et civitatem eorum igni consumite.» ***Filii autem Sion exultent in rege suo;*** id est filii ecclesiae christiani fideles exultent non in saeculo sed in Christo suo. Conversi etc.

Explicit sermo de alleluia psalmi CXLVIIII. ORIGENIS. 2).

* Matth. IX. 20.

XXV. DE MULIERE QUAE FLUXUM SANGUINIS PATIEBATUR *.

Cod. vat. 5758. p. 250.

1. . . . . ecclesia Dei, ecclesia sancta, cui est ille caput. Si enim ille caput, nos corpus; si tamen tales ut pressuram *i*) a turbis patiamur, non pressuram Domino faciamus. Magna multitudo confluit ad ecclesiam diffusa per omnes terras: credunt omnes gentes; et in omnibus gentibus alia pars premit, alia premitur: quae pars premitur, ipsa tolerat: quae tolerat, ipsa percipiet mercedem, perveniens ad fructum tolerantiae, de quo dicit
* Luc. VIII. 15. Dominus in evangelio *: *fructum affert cum tolerantia.* Ipsa est enim pars sanctorum, ubique diffusa; quia frumentum est, et oportebat frumentum per totum agrum seminari, id est per totum mundum. Dominus enim agrum mundum dixit. Omnes autem fideles suos, non labiis sed corde accedentes ad Deum, frumenta esse dicit: omnes vero qui sic accedunt, ut corde non accedant, paleam ut zizania numerat. Per totum agrum vel per

a) Cod. *appellareris.* — *b*) Cod. *exsultans.* — *c*) Ita heic cod. — *d*) Cod. *habeo.* — *e*) Cod. hoc loco *Aion.* — *f*) Ita cod. pro *ex sponte.* — *g*) Cod. *dicamus.* — *h*) Cod. *exsitus.* — *i*) Cod. heic et mox *praessuram.* Sic etiam postea *praemit* et *praemitur.*

1) Origenes: *υἱῶν δὲ Σιὼν βασιλεύει Χριστός, τουτέστι σοφία, λόγος, ἀλήθεια, ἐφ᾽ ᾧ ἀγαλλιάσθωσαν.*

2) Memorat hunc adamussim titulum Possidius in indiculo cap. VIII. Item in cod. lauresh. apud nos Spicil. T. X. p. 167. Augustini sermo *de profluvio mulieris.* Et p. 168. *de profluvio sanguinis.* De argumento eodem extant duo Chrysologi sermones 35. et 36, et S. Fulgentii falso nomine unus.

totam aream utrumque est et triticum et palea; sed paleae maior pars, tritici minor sed solidior, minor sed gravior, minor sed pretiosior *a*); propter quod laboratur, propter quod cavetur; cui horreum, non ignis praeparatur. Non sibi ergo quisque gratuletur quia intrat intra parietes istos: p. 260.
revocet ad se intentionem, interroget cor suum, sit sibi severissimus iudex ut illum sentiat misericordem patrem: non sibi blandiatur, non accipiat personam suam, sed eat in tribunal mentis suae, adhibeat conscientiae suae tortores timores, fateatur Deo qui sit: si se triticum videt, prematur *b*), trituretur, toleret, non sit anxius quod commixtus est paleae: in area cum illo potest esse: palea in horreo non erit.

2. Verumtamen quia diximus, Fratres dilectissimi, pertineamus ad membrum illius, cuius typum gerebat illa mulier: expectat vero caritas vestra *c*) cuius typum gerebat illa mulier; dicimus enim illam *d*) significasse ecclesiam quae venit ex gentibus: nam Dominus ad filiam archisy- p. 261.
nagogi ibat resuscitandam. Filia archisynagogi iudaeam gentem significat; non enim venit Dominus nisi ad Iudaeos dicens: *non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israhel.* Venit ille tamquam ad filiam archisynagogi. Tunc illa velut de traverso *e*) nescio unde veniens ignota, quia ignorabat, et tetigit Dominum fide dicens: *si tetigero fimbriam vestimenti eius, salvabor.* Tetigit, et salva facta est. Erat autem in ea morbus detestabilis, fluxus sanguinis. Et tamen exhorrent hoc omnes vel audire vel pati: fluxum sanguinis, horrent in corpore? non ergo patiantur in corde. Morbus plus in corde vitandus. Nescio quo autem modo perversitas habitatricis animae, conversa ad habitaculum suum, discessit a se. Fluxum corporis curari vult *f*) dominus *g*), id est animus corpus suum, quam qui habitat ipsam domum, id est se ipsum. Quid prodest domus marmorata et laqueata, ubi paterfamilias sanus non est? Quid dixi? Quid prodest corpus sanum et incolume, ubi animus aegrotat et inhabitator est corporis? Fluxus itaque sanguinis in animo, luxuria est. Quomodo avari hydropicis similes sunt; appetunt enim bibere; sic luxuriosi fluxui sanguinis similes p. 262.
sunt. Avari enim appetendo laborant, luxuriosi erogando: illic appetitus, hic fluxus; sed utrumque occidit. Opus est habere medicum, qui venit ad morbos animarum: sed ideo voluit sanare morbos corporum, ut se ostenderet animi salvatorem, quia utriusque creator est. Non enim creator est animi, et corporis non est: et ideo admonere voluit animam, ut intus sanaretur. Ideo curavit corpus. In corpore intenta fuit anima, ut quod vidit foris operantem Iesum, intus optaret operari. Quid est quod operatus est Deus? Sanavit fluxum sanguinis, sanavit lebrosum *h*), sanavit paralyticum. Omnes isti sunt morbi animae. Clodum *i*) et caecum; nam claudicat omnis *k*) qui non recte ambulat in via vitae: et caecus est qui non credit Deo: et fluxum sanguinis luxuriosus patitur, et maculas leprae omnis *l*) varius et

a) Cod. *praetiosior.* — *b*) Cod. *praematur.* — *c*) Cod. *caritatem vestram.* — *d*) Cod. *illa.* — *e*) Ita cod. — *f*) Videtur scribendum *mavult.* — *g*) Cod. *dominum.* — *h*) Ita cod. *b*, non *p*. Sic nunc Itali dicimus. Ceteroqui infra *leprae.* — *i*) Ita cod. — *k*) I. m, *omnes.* — *l*) Cod. *omnes.*

mendax. Et opus est ut intus sanet ille, qui propterea foris sanavit, ut intus sanare desideraretur.

p. 262. 3. Ergo ista mulier fluxum sanguinis patiebatur, et sanatur ab affectu carnali, quia profluebant omnes vires eius. Sic anima sectando desideria carnalia omnes vires erogat: et consumit in medicos omnem substantiam ista mulier. Sic de illa scribitur. Quomodo gentium ecclesia misera quaerens beatitudinem, quaerens aliquas vires habere, vel quaerens medicinam, quanta consumpserat in medicos falsos, in mathematicos, in sortilogos, in arrepticios, et vates templorum? Omnes enim promittunt salutem, sed dare non possunt, quia nec ipsi habent quod dent. Effuderat ergo omnia, et non curabatur. Dixit: tango fimbriam eius; tetigit, et salva facta est. Quaeramus quid sit fimbria vestimenti. Intendat caritas vestra. Vestimentum Domini intelleguntur apostoli adhaerentes ei. Quaerite quis apostolus missus sit ad gentes: invenietis Paulum apostolum missum; eius enim maxima operatio fuit in apostolatu gentium. Ergo Paulus apostolus missus ad gentes, ipse est fimbria vestimenti Domini, quia ipse erat novissimus apostolorum. p. 264. Numquid est aliud fimbria vestimenti et novissima et minima? Utrumque de se dicit apostolus *: ego autem sum novissimus apostolorum; et ego sum minimus apostolorum. Ipse novissimus, ipse minimus. Ipsa est fimbria vestimenti, et gentium ecclesia tamquam mulier quae fimbriam *a*) tetigit, patiebatur fluxum: tetigit, et salva facta est. Et nos tangamus, id est credamus, ut salvi esse possimus *b*).

* I. Cor. XV. 8. et 9.

Explicit sermo de muliere quae fluxum sanguinis patiebatur.

XXVI. INCIPIT SERMO DE EVANGELIO UBI DOMINUS DICIT:

nolite dare sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos *; et cetera quae sequuntur.

* Matth. VII. 6.

cod. vat. 5758. p. 277. 1. Novit caritas vestra, quandoquidem filii estis ecclesiae Christi in catholica fide radicati atque fundati, mysteria Dei non ad hoc celari, quia invidentur discentibus, sed ut non aperiantur nisi quaerentibus. Ad hoc autem de scribturis sanctis clausa recitantur, ut ad quaerendum erigant animum. Modo nobis evangelica lectio recitata est, ubi praecipit Dominus ne proiciantur margaritae ante porcos. Cum enim hoc moneret p. 278. Dominus servos et discipulos suos dicens: *nolite dare sanctum canibus, neque proieceritis margaritas vestras ante porcos*, hoc quidem illos praemonuit; sed quia non possent ipsi facile cognoscere qui essent canes et porci, qui vitandi erant, ne illis margaritae proicerentur, ne sanctum talibus daretur, et ne clauderetur etiam dignis, continuo addidit et ait: « petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis: omnis *c*) enim qui petit, accipit; et qui quaerens, inveniens *d*); et pulsanti aperietur. » Ergo nolite dare sanctum canibus, neque proieceritis marga-

a) Cod. *fimbria*. — *b*) Cod. *possemus*. — *c*) 1. m. *omnes*. — *d*) Ita cod. 1. m. at 2. *et qui quaerit invenit*.

ritas vestras ante porcos; dispensatoribus praecipit discipulis suis, quos evangelii praedicatores faciebat. Quod autem addidit: « petite et accipietis, » quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis; » populo praecepit, ut cum petit et quaerit et pulsat, tunc intellegatur quia iam non est canis et porcus, cui non debeant proici margaritae.

2. Hoc evidentissimo testimonio evangelico in alio loco satis apparet, p. 279.
quando se Dominus in partes contulit Tyri et Sidonis *. Mulier chananaea *a*) a * Matth. XV. 21.
finibus illis egressa coepit petere salutem filiae suae 1). Dominus eam non audiebat; contemnenti similis videbatur, ut eius fides appareret. Vide quemadmodum differat: datum, quod tamen vult dare, dissimulavit ab illa, ut educeret de corde eius vocem, qua digna esset accipere. Nam cum etiam discipuli dicerent Domino: « dimitte illam, clamat post nos; » ait Dominus: « non est bonum tollere panem filiorum et mittere canibus. » Videte, similis *b*) est illi
praecepto*: « nolite dare sanctum canibus; neque miseritis margaritas vestras * Matth. VII. 6.
ante porcos. » Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israhel: illa enim de gentibus erat. Futurum erat ut etiam evangelium gentibus praedicaretur. Missus est Paulus apostolus ad gentes; maxime ipse missus est, sed post passionem et resurrectionem Domini, eundum erat ad praedica-
tionem evangelii in gentibus. Dominus autem ad eas oves venerat corpo- p. 280.
rali praesentia quae perierant domus Israhel: quia et inde multi crediderunt. Ex eo numero enim apostoli erant; ex eo numero illi centum viginti, in quos supervenit Spiritus sanctus die pentecostes, quem promiserat Domi-
nus in evangelio dicens *: « mitto vobis Spiritum veritatis. » Et quidquid *c*) * Ioh. XIV. 17.
de ipso Spiritu promisit, exhibuit post passionem et ascensionem suam die pentecostes. Erant autem ibi centum viginti, super quos venit Spiritus sanctus, et inpleti sunt, utique de numero Iudaeorum. Quomodo eliguntur oves quae perierant domus Israhel, hoc insinuo sanctitati vestrae. Di-
cit etiam apostolus Paulus * resurgentem Dominum esse plus quam quin- * I. Cor. XV. 6.
gentis fratribus visum: de ipso numero erant. Cum etiam Dominus praedicaretur post ascensionem suam, crediderunt multa milia hominum iudaeorum. Idem *d*) ipsis qui crucifixerunt Dominum, dominatus est eis sanguis Domini: saevientes pretium *e*) suum fuderunt; ipso enim sanguine comparati
sunt quem fuderunt; et quia non vacabat vox illa pendentis in cruce, p. 281.
qua dixit: « pater, ignosce illis quia nesciunt quid faciunt *. » Illi ergo san- * Luc. XXIII. 34.
guinem pretium prius suum fuderunt, post et biberunt *f*). Ergo ad has oves se dixerat missum. Sed tamen credituras etiam gentes praedixerat. Non enim aliquid quasi novi fiebat, quod non esset ante praedictum. Nam et prophetae adnuntiaverunt fidem gentium; et ipse cum hic esset adhuc ante
passionem ait *: « habeo alias oves quae non sunt ex hoc ovili: oportet me * Ioh. XVI. 16
et eas adducere, ut sit unus grex *g*) et unus pastor. » Propterea dictus est

a) Cod. heic *cananaea*, sed postea *chananea*. — *b*) 1. m. *vidite*, *similes*. — *c*) 2. m. *quicquid*. — *d*) An pro *item*? — *e*) Cod. *praetium*. Sic et mox. — *f*) 1. m. *post ebiberunt*. — *g*) Cod. *gres*, ex vitio pronunciationis.

1) Recolendus est apud nos quartus de sermo, qui est de muliere chananaea.


etiam lapis angularis: in angulo enim duo parietes conectuntur *a*), nec faciunt angulum nisi duo parietes, et hoc ex diverso venientes. Nam si ex una parte veniant ambo, angulum non faciunt. Veniens ergo plebs ex Iudaeis, id est ex circumcisione: venientes ex diverso, id est ab idolis et ex praeputio. Gentes ex diversitate quidem venerunt, sed in uno lapide copu-
p. 282. latae sunt. « Lapidem quem reprobaverunt *b*) aedificantes, hic factus est in
* Matth. XXI. 42. caput anguli *. » Nondum ergo gentes venerant, et una iam erat ex gentibus illa chananea praefigurans ecclesiam gentium.

3. Petit ergo, et dicitur: « non est bonum panem filiorum tollere et mittere canibus. » Cum vehementer peteret, canis est appellata. Illa si, accepto quasi contumeliae verbo quod processerat ex ore veritatis, stomacharetur, et discederet accepto convicio, dicens in corde suo: ego beneficium veni petere; si datur, detur; si non datur, quare sum canis? quid enim mali feci quia petivi, quia veni ut acciperem beneficium? Noverat a quo petebat beneficium; quod ab ore ipsius processit, excepit, non respuit, et institit acrius petendo, confitens se esse quod audierat. Ait enim: ita, Domine, id est: verum dixisti quia canis sum. Et quia panem filiorum dixerat, parum est quia confessa est se esse canem; et dominos suos confessa
p. 283. est quos ille dixerat filios: « panem enim filiorum, inquit, non est bonum tollere et mittere canibus. » Et illa: « ita, Domine, inquit; nam et canes edunt de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum. » Quid videtis, Fratres? vehementer petivit, vehementer quaesivit, valde pulsavit. Iam ergo quia petivit, quaesivit, pulsavit, non est canis. Non ergo cani modo dat sanctum Dominus. Ostendit enim illam non canem, quia affectu quaesivit: pulsavit, ut confirmet quod dixerat. Cum enim praecepisset dispensatoribus, nolite dare sanctum canibus, neque proieceritis margaritas vestras ante porcos, eos reprehendens *c*) qui volebant accipere, ut non essent canes, si antea fuerunt canes. Petite, inquit, quaerite, pulsate. Hoc ergo ostendit in muliere chananaea *d*), quam ipse primo canem appellavit, quae cum audito convicio non indignaretur, sed suscepto opprobrio humilitatem fateretur; iam et Dominus ipse tulit ab illa convicium. Ipse dixerat canem, ipse prae-
p. 284. ceperat nolite dare sanctum canibus. Quare tulit convicium, quod ipse dixerat? nisi quia illa accepto convicio, per humilitatem mutata est: et magis quia confessa est quod audierat, destitit esse quod audierat.

4. Quid est quod dixi? quia confessa est quod audierat, destitit esse quod
* Luc. XVIII. 10. audierat? Sicut ille publicanus * qui erat in templo, pharisaeus autem qui iactabat merita sua, et insultabat quasi peccatori longe stanti. Ille oculis deiectis ad terram, nec faciem audebat levare ad caelum, quia non audebat conscientiam levare ad Deum; sed percutiebat pectus suum dicens: propitius esto mihi peccatori. Et quid Dominus? Amen dico vobis: descendit iustificatus publicanus iste magis quam ille pharisaeus: quoniam omnis *e*) qui

a) 2. m. *conn.* Sed cum simplici *n* melius scribitur in antiquis mss. — *b*) Cod. *reprovaberunt.* — *c*) Ita heic cod. *repre.* At alibi *reprae.* — *d*) Alibi *can.* — *e*) 1. m. *omnes.*

S. Augustini Tab. VIII



se exaltat, humiliabitur; et qui se humilat *a*), exaltabitur. Si dicendo se peccatorem, iustificatur *b*); dicendo se peccatorem, destitit esse iam peccator. Quare? quia descendit iustificatus publicanus magis quam pharisaeus. Quomodo ergo iste fatendo se peccatorem, amisit esse quod erat, sic et illa fatendo se canem, amisit esse quod erat. Quid audit a Domino? iam non p. 285.
canis. Sed quid? « O mulier, magna est fides tua! fiat tibi sicut vis. » Proiecit panem; immo dedit, non proiecit; quia iam non cani sed homini *c*) dabat. Dedit enim fidei petentis, fidei quaerentis, fidei pulsantis: et ideo laudavit fidem, quia illa non respuit humilitatem. Intendat sanctitas vestra verba Domini dicentis: « nolite dare sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos. » Et canes quos vult intellegi? Canes sunt calumniosi *d*) latrones; porci autem sunt contaminati caeno voluptatum carnalium. Itaque non simus canes et porci, ut mereamur a Domino fili *e*) appellari. Sicut et illa Chananea ex cane meruit mulier appellari, dicente Domino: « o mulier magna est fides tua! fiat tibi sicut vis. »

Explicit sermo ubi dicit discipulis suis:
nolite dare sanctum canibus, et cetera 1).

XXVII. SERMO SANCTI AUGUSTINI 2) DE ·V· [FERIA] PASSIONIS DOMINICAE 3).

Fecundum salutaris propositi munus, et spiritalis remedii sacramen- Cod. vat. 3835. f. 38. a.
tum divina dispositione completur, dum Christus ad passionis triumphum ab impiis provocatur. Nam cum discumberet cum ·XII· discipulis suis, et manducantibus eis diceret *, amen dico vobis quia unus ex vobis tradet * Matth. XXVI 21.
me, ascendit Christus propriae deitatis tribunal, et illud convivium, velut f. 38. b.
catastam ante se constituens, conscientiae tormento confiteri conpulit reum, ut in auctorem conceptum posset revocare peccatum. Turbatur discipulorum omnium sensus; et licet nossent propriam conscientiam, timuerunt tamen Christi sententiam. Iudas tamen ea fiducia ausus est interrogare Salvatorem, quia implere posset *f*) evidentissimum traditorem. Verecunda Christi sententia: ostendit suam maiestatem, nec refugit passionem. Mira patientia est. Petrus condemnat Ananiam mentientem; Salvator Iudam patienter sustinet traditorem: dupplicat *g*) sacrilegii principatum, dum propositum festinat implere peccatum: et qui scelus paenitere debuerat, urgetur *h*) conceptum

a) Ita cod. Recole autem dicta in p. 47. adn. 1. — *b*) I. m. *iustificatus*. — *c*) In codice perverse *quia iam non homini sed cani*. — *d*) I. m. *calomn*. — *e*) 2. m. *filii*. — *f*) Cod. 3828. *possit*. — *g*) Ita cod. 1835. At. 3828. *duplicat*. — *h*) Al. cod. *urguere*.

1) Hactenus ex antiquissimo omnium bobiensi, nunc vaticano, codice 5758, Augustini sermones sumpsimus.

2) Quia in hoc pervetere codice 3835, cuius splendidam calligraphiam in adiuncta tabula exposuimus, nec non in sequente 3836, aliorum quoque patrum sermones scribuntur, idcirco nomen Augustini, in codicibus scriptum, ad editionem hanc perpetuo transfero, ut certiores faciam lectores de sermonis auctore. Secus vero sermonibus ex codice 5758. sumptis, nomen Augustini semel apponere satis fuit, quoniam is codex nihil praeter Augustinum continebat.

3) Possidius in indiculo cap. X. memorat Augustini *de Domini passione tractatus duos*. In prisco codice laureshamensi, apud nos Spicil. rom. p. 172. sermo Augustini extitit *de quinta feria in passione*. Item hic ipse sermo legitur a nobis in vat. 3828. f. 127. saec. XI. vel XII; quem cum contulerimus, meliores interdum lectiones pro officio nostro editoris praetulimus.

implere cogitatum. Quemcumque, inquit *a*), osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Defuit, Iuda, aliud tuis sceleribus argumentum, ut instrumento pacis traditoris impleres officium? Sed plus patientia divina condemnat obnoxium, ut officio pacis ostenderet reum. Venerunt, inquit, cum fustibus, ut conprehenderent eum. Non sic conprehenditur iustitia, nec sic alligatur sapientia: volenti iniciunt manus, cui si evadere placuisset, numquam an-
f. 39. a. gelorum officia defuissent. « Et eduxit, inquit, Petrus gladium, et percussit auriculam principis servi *b*). » Servum dixit non condicione sed culpa. Denique ita scriptum est *: *qui facit peccatum, servus est peccati.*
* Ioh. VIII. 34. Nam si audisset aliquando verba sapientiae, nec cruentum vulnus exciperet, nec peccati servus testimonio scripturae mansisset. Iubet tamen Dominus in vaginam gladium retorqueri, ne forte agnita legis patientia, sapientia posset adquiri. Adducto Salvatore, sparsis universis discipulis, Petrus sequebatur a longe. Si enim prope sequeretur, semper Dominum fateretur. Negat Petrus se esse discipulum Salvatoris, quando nullas poenas, nulla tormenta pertimuit. Quaerendum tamen est ubi negavit? Ibi negavit, ubi Christus tenetur inclusus. Negat in domo Caiphae. Ubi negat? ubi potest valere mendacium; et tamen secutus est per amorem, quem negaverat per timorem. *Cum respexisset, inquit, eum Iesus, flevit amare.* Pretiosus *c*) est, Fratres karissimi, paenitentiae fructus, quia quod defendi non potest, ablui potest. Lavant lacrimae congeriem peccatorum. Quam pretiosae lacrimae, quae extergunt culpam et exigunt veniam! Profuit illi vere ista amaritudo,
f. 39. b. quoniam quidquid in eo delicti *d*) tabidum fuit, ferramento paenitentiae resecavit; per Iesum Christum dominum nostrum, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

XXVIII. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE ·VI· FERIA PASSIONIS DOMINICAE. 1)

1. Evangelicae series lectionis, qua per ordinem passionis dominicae
Cod. Vat. 3835. f. 51. b. gloriam didicistis, credo quod affatim non solum aures sed et corda vestrae devotionis expleverit. Nos quoque quantum tenuissimae capacitatis vires ammittunt *e*), cum divinis vocibus nostra verba iungamus; atque eandem nostri redemptoris inclytam passionem veritatis indagine retractemus. Sed nescio quo pacto, karissimi, ubi sermo se prodere incipit, causam sensus horrescit. Quomodo enim animus non turbetur infirmus, in quo totus territus et conturbatus est mundus? Condemnatur ecce in concilio Iudaeorum Dominus: Pilato traditur alligatus, et sacras manus sacrilegae catenae vinxerunt. Ad *f*) tribunal dehinc praesidis sistitur, non ut reatus in illo, sed ut innocentia panderetur; ut reportaret testimonium iudicis, qui sub crude-

a) Codd. *inquid.* Sic etiam deinceps constanter. — *b*) Cod. 3835. *servum.* Tunc autem dicas: *in auricula principis servum.* — *c*) Cod. *praetiosus.* Sic et mox. — *d*) Ita uterque cod. *delicti.* — *e*) Ita codd. — *f*) Ila prior cod. et secundus etiam 1. m. Sed hic 2. m. *ante.*

1) Extat etiam in cod. 3828. f. 127. b. Immo sermo Augustini *de sexta feria* fuit etiam in codice vetere laureshamensi, ut vides memoratum in Spicil. rom. T. V. p. 172.

libus vinculis meritum non amiserat innocentis. Consiste mecum in hac actione comminus *a*), Iudaea consiste: ede mihi litis tuae titulum, accusationis genus crimenque denuntia: producito testes in medium, causae necessarios adhibeto, nihil cognitioni iudicis desit, nihil praesidis subtrahatur examini: paratus sum pro domino meo convictus ipse dapmnari. Ecce f. 52. a
interim in facto praeiudicata es traditoris: auctor tuus confugit ad laqueum, ultimum capiens ex poena solacium *b*); reum se sibi ipse constituit; et post iudicium tuum, de se ipse continuo iudicavit. Remansit ecce cum voce impii traditoris inefficax paenitudo facinoris; nec confessionis meritum optinuit, sed magis sceleris sarcinam in paenitente congessit. Peccavi, inquit, tradens sanguinem iustum; et proiecta pecunia in templo *c*), abiit, et laqueo se suspendit. Pependit inter caelum terramque *d*) medius vago funere suffocatus, et cum flagitio suo tumefacta noxii *e*) viscera crepuerunt, nec cadaveri terra solitam exhibuit sepulturam *f*).

2. Habes, Iudaea, quod vere imiteris exemplum; sed digna non eris quae conceptum non perficias sacrilegium. « Sedenti inquit *, Pilato pro * Matth. XXVII 19.
tribunali, misit ad eum uxor eius dicens: nihil sit tibi et iusto illi; multa enim passa sum hodie in somnis propter eum. » Ecce iudex terretur in coniuge; et ut crimini Iudaeorum non praebeat in iudicando consensum, pertulit in uxoris adflictione iudicium. Iudicatur ipse qui iudicat, torquetur ante quam torqueat; et ut nihil mali in perniciem operetur insontis, f. 52. b
insomnio exagitatur uxoris. Iam quid ibi ageret iudicis conscientia, cuius sic torquebatur et costa 1)? Denique quem vultis, inquit, demittam *g*) vobis, Barabban an Iesum qui dicitur Christus? At *h*) illi dixerunt, Barabban. Dicit illis Pilatus: *quid ergo faciemus de Iesu qui dicitur Christus?* Dicunt illi: *crucifigatur.* Quid agis, synagoga damnabilis *i*)? Iustum sanguinem ducis ad victimam, et absolvi manifestum postulas homicidam? Latronem iudicas innocentem, et innocentem poscis ad crucem? Ille, qui vos occidit, tuo suffragio morti subtrahitur; et qui mortuos ab inferis suscitavit, te insistente damnatur? Reus fit, qui reus non fuit? et indemnis evadit, qui olim damnari iam debuit? In utrumque rea tenêris *k*), et exitio innocentis, et absolutione latronis. Et quamquam sacrilegium inpactae crucis omne nefas excedat, tamen et illi adversum te iudicium divinae ultionis expectant, quorum Barabbas latro sanguinem fuderat; quia participasse est scelus homicidii, veniam meruisse latroni.

3. Tunc, inquit, accepit aquam, et lavit manus coram populo dicens: *mundus sum ego a sanguine huius iusti; vos videritis.* Illi autem dixerunt: *sanguis huius super nos et super filios nostros.* O quam bene furor f. 53. a.
caecus es! quam digno praecipitio iactaris, insania? Quaenam ex te ratio est pertinacissimae mentis, sic velle alium perdere, ut prior malis ipsa

a) Ita cod. [illegible] Cod. 3828. *supplicium.* — *c*) Cod. 3828. *templum.* — *d*) Cod. 3828. *et terram quasi medius.* — *e*) Cod. 3828. *optione facta* [illegible] *viscera.* — *f*) Exin codex 3828. hiat. — *g*) Ita cod. — *h*) Cod. *ad.* — *i*) Cod. *damnavilis.* — *k*) In ipso codice ponitur gravis accentus supra alteram *e*.

1) Nim. [illegible]or, quoniam Adamo uxorem Evam de costa produxit Deus.

perire! Sub alieno exitio tuis iugulis parricidales dexteram suam movere! Currit ecce per prosapies generis vena facinoris; et cum crimine radicis suae pullulant iniqua plantaria. Egreditur ex metallo uteri sui tam cruenta progenies, et infesta sanguine nascitur infausta posteritas. En quae bona ad heredes tuos quodam sacrilegii testamento transmittis! Macula sanguinis innocentis te perfundis, et posteros perimis. Pertinaciter quidem in mortem nostri redemptoris insistis, sed crudeliter tuos natos mucrone impietatis extinguis. Quaere iam cui possis videri non noxia, quae erga filios tuos extitisti pertinax parricida. *Tunc demisit a) illis b) Barabban, Iesum vero flagellis caesum tradidit illis ut eum crucifigerent.* » Heu me miserum! quibus auribus hoc audio, vel qualiter sensibus meis tam funesta commendo? Ecce Dominus meus optatur ad verbera; ecce iam caeditur; rumpit sanctam cutem violentia flagellorum, et repetitis ictibus crudelia vulnera
f. 53. b. scapularum terga conscindunt. Pro dolor! Iacet extensus 1) ante hominem Deus, et supplicium patitur rei, in quo nullum vestigium peccati potuit inveniri. Ad victimam vita ducitur, et ad crudelissimum mortis occasum addicta pietas evocatur. Ambitur sacrum caput aculeis spinarum, et divinum verticem poenalis coronae pompa c) circumdat. Sed in spinis illis nostra eum peccata pungebant.

4. Ventum tandem est crucis ad capum 2), ubi pias manus terebrant saeva vulnera, et conpaginem palmarum rumpit violentior foratura 3) clavorum. Figuntur cruce clavis effossa d) vestigia, officia pedum impedimenta poenalia nexuerunt. Adhaesit quietum corpus stipiti, et immobile lignum inconcussa membra portavit. Fert poena ipsa pendentem, et tormentis suis nexi artus incumbunt. Sed festinate, oro, et incitatis cursibus properate. Sentio enim moliri nescio quid creaturam, et intestinis motibus nonnihil elementa intellego parturire. Minatur ecce propria mundus excidia, et rerum natura inusitato pavore terretur. Dies medius tenebrarum tyrannide discluditur, et perdidit cursum fugitiva luce fraudatum. Sol abscondit radios suos, et orbem globus luminis obscuravit, atque incubatricem 4) noctem
f. 54. a. dissimulato iure contradictionis ammisit e). Dies ecce non dies est, et nox repentina non nox est: importunae tenebrae aliena tempora pervaserunt: moriente vero die, novum dies sensit occasum. Expectabant cuncta elementa exitum proprii conditoris: axem suum mundus extremum vergere cupiebat in limitem. Volebat, credo, saeculum ire protinus in ruinam, ne auctoris sui tacens praeteriret iniuriam. At f) ubi consummatis omnibus sacramentis, sua sponte spiritum quiete cum victoria mortis exposuit, ilico rumpuntur sacrario dicata velamina, et in publicum templi secreta mittuntur, ut ammissi g) sacrilegii clandestina machinatio h) panderetur. Agitatur internis terra

a) Ita cod. — b) Cod. *illi.* — c) Cod. *ponpa.* — d) Cod. *cruces clavi et effossa.* — e) Ita cod. pro *admisit.* — f) Cod. *ad.* — g) Ita cod. pro *admissi.* — h) Cod. *macinatio.*

1) Nempe Dominum humi pronum, non stantem ac rectum, verbera excepisse dicit, quem sacrae passionis modum apud alios quoque me legere memini.

2) Observa *capum* pro *capulum*, id feretrum.

3) Animadverte latinum vocabulum, quod in vulgarem postea Italorum sermonem transiit.

4) Rursus novum videmus latinitatis vocabulum *incubatrix*.

concussibus, et molis suae nutante fundamine fluctuabunda 1) commotione iactatur. Dederunt petrae crepitum fragore sonigero, et viscerali motu disrupta saxa crepuerunt. Patuerunt portae protinus inferorum, et monumentorum secreta claves proprias perdiderunt: vacui facti sunt carceres sepulchrorum, et rediviva corpora Dominum agnoverunt. Explicit.

XXIX. ITEM SERMO S. AUGUSTINI DE ·VI· FERIA.

Sufficit quidem, Fratres carissimi, ad testimonium venerandae passionis elementorum inopinata turbatio, fuga siderum, terrae inexpertus tre- Cod. vat. 3835. f. 54. a. f. 54. b.
mor *a*), solidorum fractura saxorum, pavor insolitus inferorum, et spontanea reseratio sepulchrorum. Haec sola publicant Dominum nostrum, haec maiestatis eius testantur arcanum. Ecce insuper, infelix Iudaea, etiam traditor tibi reliquit testimonium facti sui, qui supplicium non potuit videre damnati; et cum ammissum *b*) non possit excusare peccatum, ad te revocavit cum pecunia sacrilegium. Dixit enim: peccavi, tradens sanguinem iustum. Sed non potuit vitare peccatum. Sic enim de eo ait Spiritus sanctus *: *et oratio* * Ps. CVIII. 7.
eius fiat in peccatum: ut in eo quod paenitentiae festinavit ad portum, ibi incideret aeternum et sine reparatione naufragium. Respondit igitur omnis turba Iudaeorum: *sanguis huius super nos et super filios nostros.* Magna plane vis criminis, quae nec prolixitate temporis aboletur, nec saeculorum oblivione sepelitur. Sanguis ecce Domini nostri polluit in praesenti reos, de futuro obligat nascituros. En, Iudaea crudelis, te perpetratum nefas innexuit, et natos tuos elogio 2) criminis implicavit: et cum soleat crimen cum persona deficere, pergit magis et posteros innodare. Udant en dominicos f. 55. a.
vultus sputa sacrilega; maxillas inpurae verberant palmae; cerebrum tundit ictus arundinis; et per omnes currit iniurias atrocitas saevientis. Portans umeris *c*) crucem praetorium egreditur, et tali onere colla innocua praegravantur *d*). Laetus quidem et absque ulla suspicione formidinis moriturus ibat; sed nostra peccata in illa cruce portabat. Deinde fel in escam pendenti offertur, et aceti potio in patibulo propinatur. Mirum! Hoc de te, Iudaea, Dominus noster promeruit, qui te in deserto per ·XL· annos panibus angelicis annonavit 3), et ex petrae visceribus cum sitires aquam potus salutaris exhibuit? Et qui aquam in nuptiis pretiosum *e*) mutavit in vinum, meritus profecto fuerat ut in siti sua abs te accepisset acetum! Inter haec ecce subito tenebrarum caligine tota passionis indignitas tegitur, et omnis iniuria novae noctis obscuritate celatur. Indixit sibi mundus inopinata auctoris sui morte funereum luctum, cunctarumque confusio naturarum; et sacrilegium suum

a) Cod. *traemor.* — *b*) Pro *admissum.* — *c*) Ita cod. sine adspir. ut etiam apud Frontonem. — *d*) Cod. *praegrabantur.* — *e*) Cod. *praetiosum.* Sic et infra, et passim.

1) *Fluctuabundus*, et mox *soniger*, vocabula lexicographis colligenda.

2) Augustinus serm. ed. CCCLV. 3: *ambos exheredavit; illam cum laude, istum cum elogio, id est cum vituperatione.*

3) En vocabulum, quo confirmatur voc. *annonari* Capitolini, de quo nonnulli frustra hactenus dubitabant.

non agnoscit caecitas Iudaeorum? Rumpuntur spiritalium scissa velamina, et sacrarii facies sacrilegio spoliante detegitur. Reddunt inferi corpora re- f. 55. b. diviva sanctorum, et in occursum auctoris inferos penetrantis temporalem accipiunt beatae animae commeatum. Convenite iam christianae gentes, concurrite fidelissimae nationes: Dominus enim noster non in patibulum crucis, sed in tribunal ascendit: expandit ecce manus, et alas extensas aperuit, non ut crucis supplicio satisfaceret, sed ut nos ex omni orbe ad credulitatem ecclesiae congregaret.

Spicil. p. 172.

XXX. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE FERIA ·VI·

Cod. vat. 3835. f. 55. b. (item vat. 3828. f. 152. b.)

1. Postea quam virginei partus orbe toto miraculum caeleste resplenduit, et gaudia sunt dominicae nativitatis expleta, epiphaniae *a*) quoque procurata est veneranda sollemnitas, Dominus discipulis suis passionis suae praedicit ordinem, loquitur qualitatem *. « Ecce, inquit, ascendimus Hierosolymam, et filius hominis tradetur summis sacerdotibus, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus, et inludent ei, et conspuent eum, et post tres dies resurget. » Qui futura praedicare *b*) potuit, potuit et cavere: ignaros adversa praeveniunt, non scientes; pati voluit, qui sponte eam 1) ubi pateretur ascendit: mors invitis imperat, volentibus servit. Ergo cum volens *c*) moritur, non casus est sed potestas. « Potestatem habeo, inquit *, ponendi animam meam; et potestatem habeo, inquit, sumendi eam: nemo tollit *d*) eam a me. » Ubi animam ponendi potestas est et sumendi, ibi moriendi non est necessitas sed voluntas. Nemo, inquit, tollit eam a me. Si nemo, utique nec mors. Denique nec mors tollere, nec inferus *e*) potuit hanc tenere; qua iubente, tremens etiam vinctas animas quas tenebat amisit. Et monumenta, inquit, scissa sunt, et multa corpora sanctorum resurrexerunt. Sicut nascente Christo conceptus nescivit ordinem, suum partus non agnovit usum, non tenuit ius natura; ita moriente eo, dicione tartarus perdidit quos tenebat: abiecit infernus ius potestatis antiquae: inveteratae legis cautum 2) novo sanctionis ordine mors amisit. Sed ad coepta redeamus.

* Matth. XX. 18.

* Ioh. X. 18.

f. 56. a.

2. « Ecce, inquit, ascendimus Hierosolymam, et filius hominis tradetur summis sacerdotibus, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus » et cetera. Sciens scientiarum Deus, sciens quia pretiosa sunt futura; quod ad crucis scandalum, ad passionis procellam, ad auctoris iniuriam, terra tremeret, paveret caelum, fugeret lux, refugeret sol, horreret infernus, tota moveretur atque ipsa se confunderet creatura; mundus enim qui corpore nostro tectam non potuit sufferre deitatem, nudatam f. 56. b. carne quod portaturus non erat praevidebat, cum cognovisset praesertim

a) Cod. 3828. *epiphania*. — *b*) Ita uterque cod. non *praedicere*. — *c*) Cod. *dolens*. — *d*) In cod. 3828. repetitur *inquit* — *e*) Ita codd. At infra *infernus*.

1) Nempe *Hierosolymam*. — 2) Id est *pactum, syngrapham*. Confer Corippum apud Forcellinum.

quod tanta quae in homine sunt conmissa piacula, putabantur exercita in ipsam fuisse divinitatis iniuriam. His discipulos suos Dominus semel et iterum praemonebat, ponens ante oculos eorum, et velut harenam suae constituens passionis, et inducens in eam. Quot *a*) contumeliarum genera, tot genera bestiarum: quot expectatores 1), tot persecutores adfuturos esse signabat; qui de conflictu non victoriam, sed voluptatem 2) quaerentes de sola morte vincentis *b*), adclamando *crucifige crucifige*, sic truces oculos, sic voces funestas ad caelum, immo in caelum usque levaturi; donec crudeli sagnitio 3) se ac posteros, pio dimicantes involverent et volutarent in sanguine, vociferando *sanguis huius super nos et super filios nostros*. Filius, inquit *c*), hominis tradetur summis sacerdotibus, et cetera. Depingebat dominus Iesus passionis suae spectaculum saepissime sic dicendo; ut expectata expectantes discipuli non subiti ponderis mole premerentur, non repentino obruerentur incursu *d*). Animum scita parant, confirmant nuntiata, monent expectata, et reddunt per omnia fortiores. Sicut miles de superventu hostis p. 57. a.
habet periculum; ita si hostem praesciat, fert triumphum. Rex fortis quamvis fortium munitus accinctu, non valet cavere ignota; nota agmina etiam singularis nescit timere bellator. Hinc Dominus discipulos suos tempestatem totam passionis suae ante scire voluit, ut in ipso turbine magnanimos faceret, redderet fortiores. *Ecce ascendimus Hierosolymam*, et cetera. Sicut qui una vice lapsum magnae domus suscipit et ruinam, ita et Christus post magna et multiplicia passionis suae pondera, unum resurrectionis suae subposuit fulcimentum, ut apostolorum fidem iamque lapsuram susciperet, et ad aeternam dirigeret firmitatem.

3. *Post tres dies resurget.* Non satis est abscessus tristis, ubi velocissimus est regressus. Post tres dies. Hoc abire sic fuit et redire, ut ibi eum non defuisse perluceat. Deus cum vadit, hic est; cum hic est, nusquam deest: iit *e*) Christus, sed ab apostolis non abiit: accessit ad mortem, sed a vita Dominus non discessit: descendit in infernum, sed non defuit caelo; ipso probante cum dicit*: *nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo,* * Ioh. III. 13
filius hominis qui est in caelo. Nolle mori, est timoris humani; mori et resurgere est solius deitatis insigne. Et post tres dies. Quare non post quat- f. 57. b.
tuor? quare non post quinque, sed post tres? Ut in passione filii totius trinitatis monstraretur assensus. Triduum trinitatis loquitur in figuram, quia trinitas quae per operationem Christi in principio fecerat hominem, ipsa in fine hominem per Christi reparat passionem. *Faciamus*, inquit, *hominem. Ite*, inquit, *baptizate omnes gentes in nomine patris et filii et spiritus sancti in remissione peccatorum.* Si in remissione peccatorum commu-

a) Cod. *quod.* — *b*) Ita codd. — *c*) Cod. *inquid.* Sic et infra. — *d*) Cod. B. *occursu.* — *e*) Cod. B. *irit.*

1) Pro *spectatores*. Sicut infra *expectantes* pro *spectantes*. Nam et verbi *expecto* pro *specto*, exempla protuli in meo glossario. Quid plura? Sic loquitur etiam Cicero de rep III. 7.

2) Cod. *voluntatem*. Et quidem vocabula *voluntas* et *voluptas* permutari, pluribus exemplis ego confirmavi in meis adnotationibu criticis ad Ciceronem de rep. I. 2.

3) Ita codd. Et notemus voc. *sagnitium* pro *sagina*, ut videtur. Nisi malumus *crudelis agnitio.*

nis pietatis trinitas, quomodo non in passione filii totius una est voluntas trinitatis? «Sicut Ionas *a*) fuit in ventre ceti tribus diebus, inquit, et tribus

* Matth. XII, 40. » noctibus; ita erit et filius hominis in corde terrae*» In corde terrae dixit, non dixit in potestate terrae; ut terra suum sentiret, agnosceret, tremeret, et non teneret auctorem; obsecutura susciperet, non de corruptione pulsaret *b*): nec dominicum corpus partem suam crederet terra, sed supernae socium susciperet maiestatis. Sed movet animum *c*), cur pater filium mortem voluerit vel permiserit sic subire? quur *d*) Dominus tali *e*) et tam contumeliosa morte vitam voluerit reparare mortalium? Cur Spiritus sanctus consenserit

f. 38. a. divinitatem descendere ad tantam carnis iniuriam, ut plures de scandalo pereant, quam de credulitate salventur? Nasci et mori Deum, non capit *f*) mens humana. Fratres, hoc si scire volumus, hodie differamus, ut inquisitioni maximae *g*) sermo latior, ipso Christo satisfaciente, respondeat.

Explicit.

XXXI. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE ·VI· FERIA.

Cod. Vat. 3835, f. 8. Cod. Vat. 3828, f. 132 b.

1. Proxime cum dominicae passionis multas et acerbas *h*) contumelias audiremus, cogitatione subito incidimus *i*) in illud, quare Deus qui totum quod habet caelum, quod terra portat, quod capit mare, quod tartarus celat *k*), iussu fecit, imperio distinxit, mundum tantum composuit ad decorem, et ut sententiam mortis solveret, imbrem sacrati sanguinis desudavit? Origo rerum, auctor naturae, quare nasci voluit, nisi quia mori voluit? Quare Deus carnis inbecilla *l*) suscepit, nisi quia carnis elegit iniurias? Quare totius dominus creaturae formam servitutis intravit, nisi ut totas servitutis iniurias sustineret? Adiudicari iudex, cognitor diligit addici, quando se a perditis passus est iudicari. Quae patiendi necessitas, ubi salvandi *m*) inest et

f. 8. b. possibilitas et potestas? Aut quae ibi moriendi causa est, ubi vivificandi virtus est et facultas?. Ecce ascendimus Hierosolymam, et filius hominis tradetur *n*) summis sacerdotibus, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus, et inludent ei, et conspuent eum, et post tres dies resurget. Ascendimus Hierosolymam, et in die paschae, ut *o*) ad passionis pompam, et ad spectaculum mortis, atque *p*) scandalum crucis, iudaicae urbis universitas conveniret. Non sufficit passio communis, non mors secreta, non mors simplex, non mors morti similis; nisi ut quanta erat patientis singularitas, tanta esset et singularitas passionis. Actum est ut auctor saeculi, saeculo teste moreretur; et a mundo mundi dominus ante per poenam quam per gloriam nasceretur. Pax caeli traditur doli osculo, tenetur tenens omnia, alligatur omnium nexus, ducitur adtrahens universa, a falso veritas accusatur, sistitur cui adsistunt omnia: Iudaei gentibus tradunt, reddunt

a) Codd. *Iona* — *b*) Ita codd. — *c*) Cod. B. *movetur animus.* — *d*) B. *cur.* — *e*) Cod. 3835, seu A. *talem et tam contumeliosam mortem.* Nam cum plurium codicum fit collatio, ita nobis designantur litteris A. B. etc. — *f*) A. *capet.* — *g*) Cod. *maximae* — *h*) Codd. *acervas.* — *i*) A. *incedimus.* — *k*) Codd. *scielat.* — *l*) A. *invecilla.* — *m*) A *salvandi.* — *n*) A. *a summis.* — *o*) Deest *ut* in B. — *p*) A. *adque.*

gentes Iudaeis: Herodi mittit Pilatus, remittit Herodes Pilato: et commercium fit impietatis, pietas: sanctitas in nundinam crudelitatis perducitur: flagellatur remissio, condemnatur venia, inluditur maiestas, ridetur virtus, f. 59. a. perfunditur largitor imbrium sputis, clavis ferri caeli strator affligitur *a*), mellis dator cibatur felle, propinator fontium potatur aceto; et cum nihil iam restet ex poenis, mors refugit, mors moratur, quia suum ubi esset nil sentit. Suspecta est vetustate novitas: hunc primum, hunc solum vidit hominem peccati nescium, noxa liberum, iuris sui legibus nil debentem. Miratur in terra, quem de terrenis conspicit nil habere. « Primus, inquit, homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis *. » Accedit tamen * I. Cor. XV. 47 confederata iudaico mors furori, et desperata tunc vitae tangit *b*) et invadit auctorem, volens perire tota, tantam ne perderet praedam.

2. Sed iam quae promissa sunt, inchoemus. Quare ad mortem, et ad talem mortem Deus pater miserit filium suum? quare tam contumeliosae subcubuerit passioni? quare Spiritus sanctus conregnantem una sibi deitate *c*) Christum ad carnis iniuriam tantam permiserit pervenire? Orate, Fratres, ut dignatione qua passus est, passionis suae revelet arcanum, et causam nobis *d*) omnibus tam sacratae mortis inspiret. Primum quidem nobis est intuendum, rex quando gloriosior? quando indutus purpura, diademate decorus, aspersus auro, solio sublimis, ad ponpam tantum *e*) parat f. 59. b. ire, sedens in secreto *f*)? An quando in campo *g*), communis cultu, honore ultimus, periculis primus, onustus *h*) ferro, gravis armis, pro patria, pro civibus, pro liberis *i*), pro vita omnium, perimit hostem, discrimina despicit, contemnit vulnera, ipsam libens mortem suorum suscipit ad salutem? ut maiorem contemtum mortis, quam de ipso hoste victoriam referat et triumphum? Et quare displicet *k*) si Christus de sinu patris, de deitatis secreto, ad nostram servitutem venit, ut nos suae redderet libertati? nostram mortem suscepit, ut nos eius morte viveremus? quando nos *l*) despectu mortis mortales in deos retulit, terrenos caelestibus aestimavit? Et quomodo Deus Christum ad iniuriam vocat tantam, quod homines tantam tollit et extollet *m*) ad gloriam? Sed dicit aliquis: habet hoc necessitas humana, divina *n*) non habet hoc potestas. Verum dicit: divina non habet hoc potestas, sed necessitudo habet et recipit hoc divina. Nemo, inquit, habet maiorem caritatem, ut quis animam suam ponat pro amicis suis. Miraris *o*) si pro nobis posuit, quod suscepit ex nobis? qui fecit propter nos tanta, et talia largitus est nobis? Quan- f. 60. a. tum virtus, potestas, magnificentia creantis operum contemplatione lucebat, *tantum* latebat dilectio Dei, tantum Dei *p*) caritas habebatur obscura. Subiectis dare, donare servis, est adsuetum donantis indicium: pati pro subiectis, pro servis mori, insigne est caritatis immensae, documentum singularis est hoc amoris. « Commendat, inquit, caritatem suam Deus in nobis; quia

a) Cod. A. *stractor* quasi *structor*. — *b*) Cod. *vita et angit*. Iudicent critici. — *c*) Cod. *unam sibi deitatem*. — *d*) B. *in nobis*. — *e*) Codd. *tanti*. — *f*) Codex uterque *sedet* (vel *sed et*) *in secretum*. — *g*) Codd. *campum*. — *h*) B. *honustus*. — *i*) A. *liveris*. — *k*) A. *displicit*. — *l*) Codd. *non*. — *m*) B. *extollit*. — *n*) A. *divinitas*. Sic et mox. — *o*) Cod. A. *miratus*, B. *miratis*. — *p*) B. *Dei*. At A. *Deus*.

* Rom. V. 8. cum impii tantum *a)* essemus, Christus pro nobis mortuus est *. » Et alibi :
* Ioh. III. 16. « sic dilexit Deus hunc mundum, ut filium suum unigenitum traderet *. »
Praestet quivis beneficia, largiatur dona, sit benefactor in prosperis, diligat obsequentes; numquid illi poterit comparari, qui in se suorum suscepit adversa? qui se periculis anteponit suorum, qui se pro suis dat poenis, ore *b)* obiectat morti, ut illos neci subtrahat, illos reservet ad vitam? Adversis probatur amor; affectio pensatur periculis; poenis examinatur dilectio; morte, perfecta caritas munitur. Hinc est quod Christus intrat carnis iniuriam, subit contumelias passionum, poenarum genera percurrit,
f. 60. b. mortem 'suscepit peramaram: quia damnari voluit, qui quod fecerat sic amavit. Deitatis autem non est voluntas haec nova: antiquae legis prima vox hoc quaesivit: diliges *c)*, inquit, dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua: quia vera dominatio est ipsa quae amore imperat, non timore: quae per affectum sibi et corpora subdit et corda: quae amando, non invitam sed voluntariam sibi instruit servitutem. Haec ergo prima causa est dominicae passionis, qua sciri voluit quantum amaret hominem Deus, qui plus amari voluit quam timeri.

3. Secunda causa est, ut sententiam mortis, quam iuste dederat, iustius aboleret. Statutum suum Deus patiendo implere voluit, ne compelleret im-
* Matth. V. 17. perando: sicut fatetur ipse, non veni solvere legem sed adimplere *. Nutat *d)* bonis promissio boni a Deo, si a Deo malis quae statuta sunt evanescunt. « Iota unum, inquit, aut unus apex de lege non praeteribit *e)*, donec omnia
* Matth. V. 18. » fiant *. » Aperta *f)*, prudens quicumque sapit, qui sentit, intellegat. Si propter sententiam suam proprio filio non pepercit, contra sententiam suam
f. 61. a. cui possit ignoscere? Qui mentiri nescit, nescit ignoscere. Ergo quia primus homo adiudicante Deo de reatu incurrerat mortem, et eam delegavit *g)* suo generi, transmisit ad posteros; quia corpore iam mortalis, generaret mortales obnoxios non liberos, non absolutos sed addictos; venit de caelo secundus homo, venit solus peccati nescius, venit solus reati *h)* nostri alienus; venit qui peccato nihil debebat et morti; venit ut fieret *i)* inter mortuos liber, ut mors morte damnaretur, quae rapere iussa reos, innocentiae ipsum pervadere praesumsit auctorem; ut sic transiret a morte reatus hominis, homini innocentia sic rediret *k)*; et mors praevaricatrix facta addiceretur Christo, cui ante Adam fuerat praevaricator addictus: essetque Christus origo nova, origo vitalis, pater viventium, sicut dixit apostolus: « si-
» cut in Adam omnes moriebamur, sic omnes vivamus et vivificemur in
* I. Cor. XV. 22. » Christo *. » Et quia multae causae sunt dominicae passionis, et noster iam claudendus est sermo, hodie differamus, ne obscuret festina discussio, quod latior poterit aperire tractatus. Explicit.

a) Ita uterque codex ex italica, ut puto, vetere. — *b)* Ita uterque cod. — *c)* A. *diligis.* — *d)* Cod. uterque *nute.* — *e)* A. *praeterivit.* — *f)* Ita codd. — *g)* A. *deligavit*, B. *dilegavit.* — *h)* Ita uterque cod. Iudicent grammatici. — *i)* A. *fierit.* — *k)* A. *rederet.*

XXXII. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE LATRONE IN ·VI· FERIA PASSIONIS 1).

1. Lectio evangelii docet nos quemadmodum multis peccata sua Domino confitentibus, cito possit venia promereri *a*). Unde exemplum accipiamus, Fratres karissimi, latronis illius qui cum Domino fuerat crucifixus, qui cum in poenis esset pro suis facinoribus affixus, non sui curam habebat, sed Domino propria peccata pandebat, dicente scribtura: « confessio et pulchritudo in conspectu eius*. » Foedaverant illum propria facinora, sed confessio ei paradisum patefecit, dicente Domino: « amen dico tibi, hodie » mecum eris in paradiso. » Paradisum enim, Fratres mei, quinque vel eo amplius milia annorum 2) fuisse praeclusum scriptura testatur. Ex illa primi hominis *b*) transgressione procurante, exinde non proiectum sed dimissum scribtura testatur; et inmortalitate carens, factus est mortalis morti subiectus. Nunc autem Dominus noster, qui propria morte mortem occidit, latroni paradisum patefecit. Uno enim tempore duo beneficia videmus esse concessa, unum in quo paradisum patefecit, alterum quo latronem in eum *c*) introduxit; hodierna namque die antiquam nobis patriam reddidit, paternam civitatem ostendit, domum pristinam redonavit: hodie namque, ait, mecum eris in paradiso. Quid ais, Christe? Crucifixus es, clavis retineris, et paradisum facile polliceris? Valde, inquit; ut in cruce possint meam omnes invenire virtutem; ut in ligno mea largitas demonstretur. Et quoniam crux dedecoris fuerat signum, et apud omnes ignominia putabatur, crucis infamiam mirandis beneficiis decoravit. Et ex hoc magis magisque virtutes eius ostenduntur: non enim illo in tempore mortuum aliquem reddidit luci, nec mare a suo tumore compescuit, nec expulit daemones, sed cruci susspensus, clavis affixus, omni subiugatus dedecori, subcumbens infamiae *d*), insultantium derisione delusus, latronis adversam mentem valuit commutare, ut ex omni parte eius divinitas sentiretur. Etenim universam terruit creaturam, et ad meliora convertit, et honore summo decoravit. Hodie, inquit, mecum eris in paradiso. Sed framea totius ignis ardore succensa versatur*: sed ipse qui et ignis, et ipsius gehennae, et vitae mortisque imperium tenet, ingrediendi concessit potestatem. Si enim homines, quibus corpori *e*) medendi cura est, amplius ammiramur *f*) cum aegrotos omni spe desolatos arte propria curaverint et summae reddiderint sanitati, quantum Christum nostrum iustum est ammirari donantem vulneribus sanitatem, publicano et meretrici remedium pollicentem, et eis salutem perpetuam largientem, dignos eos caelorum amoenitate donare?

Cod. vat. 3835. f. 61. a. et b. (item vat. 3828. f. 155.)

* Ps. XCV. 6.

f. 62. a.

* Gen. III. 24.

f. 62. b.

2. Sed dicit aliquis: Unde tanta beatitudo latroni? quid egit tale ut post crucem paradisum mereretur? Vis eius citius audire virtutem? Quando

a) A. *veniam promireri.* — *b*) A. *primo homine.* — *c*) Cod. uterque *in eo.* — *d*) Codd. *infamia.* — *c*) Codd. *corpore.* — *f*) Ita uterque cod. et mox *ammirari* pro *adm.*

1) Apud nos in Spicil. rom. T. V. p. 172. codex laureshamensis habuit *S. Augustini sermonem de VI. feria et latrone.*

2) Scilicet secundum LXX. interpretum supputationem. Adi hoc loco doctissimi Baronii adnotationem ad Martyrologium rom. die 25. decembris.

cum Petrus negabat in terra, latro confitebatur in cruce. Primus discipulus puellae vilissimae minas tolerare non valuit, et latro suspensus undique populum circumstantem despiciens, oculis fidei caelorum Dominum pura mente cognovit dicens: memento mei Domine cum veneris in regnum tuum. Nec transitorie istum praetereamus latronem; neque erubescamus talem accipere magistrum, quem non erubuit Dominus noster primum introducere in paradisum: nec pudeat nos eius magisterium, qui caelestem conversationem ante omnes meruit primus. Non dixit ad eum, sicut ad Petrum, veni sequere me, et faciam te piscatorem hominum; nec dixit ad eum sicut ad ·XII· discipulos, sedebitis *a*) super ·XII· sedes iudicantes ·XII· tribus Israhel;
f. 63. a. nihil ammirationis ostendit, non mortuos resuscitavit, daemones non fugavit, non martyres provocavit, nec ullum ei fecit Dominus de caelorum regno sermonem; nihil de gehenna locutus est; et ante omnes eius imperium confitetur. Nam Iudaei famam gloriamque eius infamare cupientes, et ex omni parte temptantes, universa pervertebant. Sed undique veritas praefulgebat, et illis insultantibus insultabat et latro.

3. Vidisti latronem et latronem? uterque pendent in cruce, utrique factis sibi similes, una in eis conversatio, sed non una mentis confessio, nec eo utrique sensu perdurant, nec eis similis donatur eventus; sed bonus, caeli beatitudinem hereditario iure promeruit, alter inhaesit gehennae tartaris deputatus. Duo etenim latrones cum Domino erant crucifixi, ut impleretur scriptura, et cum iniquis deputatus est. Unde unus insultat, alter adorat; unus blasphemat, alter benedicit, et blasphemantem prohibet *b*) dicens: nec Deum tu times? Vidisti credulitatem in cruce? vidisti perseverantiam, in tormentis et poena? prudentiae vidisti magistrum, (de cruce
f. 63. b. subito evolavit ad caelum 1), et in poena positum caelestis iudicis secreta narrantem? Quod enim sui memor fuit, quod sana mente vigilavit, quod clavorum confixione constrictus alium *c*) increpabat dicens: « nos quidem » iuste, nam digna factis recepimus; hic autem nihil mali fecit; » nobis fidei magistrum demonstravit. Ait ergo: « Domine, memento mei dum ve» neris in regnum tuum. » Nisi confessione peccati sarcinam dimisisset, indulgentiam nón meruisset. Denique audire meruit: « hodie mecum eris in » paradiso. » Ecce quantum praestitit confessio, ut sine dilatione introduci latro mereretur in paradisum *d*)!

XXXIII. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE LIGNO CRUCIS ET DE LATRONE 2) IN SABBATO SANCTO.

1. Fratres carissimi *e*). In primordio ex virginis terrae limo factus est ho-
Cod. vat. 3835. f. 89. a. mo; sed postquam praevaricatione propria serpentis veneno per mulierem

a) A. *sedevitis.* — *b*) A. *prohibit.* — *c*) A. *aliud.* — *d*) A. *paradiso.* — *e*) Ita cod. modo *car.* modo *kar.*

1) Videtur prope extra vagans haec pericopa, ut etiam asteriscus in codice A positus innuit.

2) In codice laureshamensi (apud nos Spicil. Tom. V. pag. 172.) *Augustini de cruce et latrone.* Item *dede duobus latronibus.* En ut sermones, qui a nobis nunc eduntur, testimonium fidele habent a diversorum locorum temporumque codicibus!

deceptus perdidit vitam, per virginem Mariam et regnum recepit et vitam 1). Contempsit Adam praeceptum, accipiens ex arbore pomum; sed divina pietate quidquid Adam perdidit, Christus invenit; et primo latronem, qui confessus est, in ligno crucis redemit. Quantum ergo valeat lignum crucis, advertat sanctitas vestra. Primo, de diluvio *a*) aquarum humanum genus arca lignea liberavit: de Aegypto Dei populo recedente, Moyses mare *b*) virga divisit, Pharaonem prostravit, et populum Dei triumphali malagma 2) redemit adversus Pharaonem regem exercitumque, et dracones eius sola virga levavit. O potens virga, quae terram imbribus inundavit, caelum tenebris obduxit, siccavit et mare fluctibus! Cinxerant Hebraeos Aegyptii: Moyses tamen orabat, et Dominus respondebat ei. Divisum est mare, et populus intravit: et secutus Pharao impius pertinax cum curribus et quadrigis in profundo defecit: et Moyses virgam *c*) tenens, quod lignum praefigurabat crucis, de mediis fluctibus liberatus, incolumis cum populo Domino decantavit. Ergo ut lignum, quod figuram ostendebat crucis, laudibus proferamus, ordinem consequamur.

2. Dum venissent in Merra, non poterant bibere aquam Merrae, amara enim erat; idem iussu Dei Moyses lignum in aqua misit, et amaram aquam f. 90. a. in dulcedinem commutavit. Ex lignea virga de spiritali petra salutaris unda profertur. Et ut Amalech gens barbara vinceretur, circa virgam Moyses expansis manibus extenditur. Scalae ligneae patriarcha Iacob incumbentem angelum somniat, et per eandem alios descendere, alios cernit ascendere. Et lex Dei arcae testamenti creditur ligneae; ut his omnibus quasi per gradus quosdam ad lignum crucis salus hominum perveniret. Quapropter lignum crucis caeli sustinet machinam, terrae fundamenta conroborat, omnes homines salvat; maxime quibus est in frontibus fixa tropaea *d*), et inmortali conpage eos restituet, et aeternam perducit ad vitam. Et quia iam ad lignum crucis ordine venimus, karissimi Fratres, habent diversas intellegentias Dei sermones. Latro de ligno vindemiat inmortalitatem, latrocinatur caeleste imperium, vim facit regno caelorum, virtute propria per fidem vincens; ipso Domino dicente: regnum caelorum vim patitur; et qui vim faciunt, diripiunt; hoc est, accipiunt illud. Adam eiectus est de paradiso, et latro mittitur in paradisum; exivit fur, et introivit fur. Quid est hoc, Fratres? Utique exivit qui furatus erat, accipiens pomum ex arbore; et introivit *e*) latro, qui furatus est de cruce salutem. In cruce duo latrones; imago ostenditur Iu- f. 90. b. daeorum et gentium. Latro, quem paenituit, imago gentium est, qui per vanitatem ambulaverat primum, et post haec veritatem cognovit in ligno *f*). Latro qui usque ad crucem non credidit, imago Iudaeorum est. Sed sicut virga in rubro mari vias dividens, Pharaoni impio naufragium fecit, populum autem Dei de captivitate redemit; sic et nunc Christi crux vias divisit;

a) Cod. *dilubio.* — *b*) Cod. *de virga.* — *c*) Cod. *virga.* — *d*) Ita cod. — *e*) Cod. *introibit.* — *f*) Cod. *lignum.*

1) Recole primum huius nostrae collectionis novae sermonem.

2) Ita cod. Est autem hoc Augustini exemplum lexicis addendum.

Iudaeis viam perditionis, qui non crediderunt; gentibus vero et nationibus viam salutis, quae *a*) crediderunt. Sicut scriptum est: novit *b*) Dominus viam
* Ps. I. 6. iustorum, et via impiorum peribit *. Perpendamus ergo, examinemus iustum Dei iudicium, et dicamus cum propheta: iustus es Domine, et rectum iu-
* Ps. CXVIII. 137. dicium tuum *. Propter unam fidei vocem latro salvatur, et in paradisum *c*) introduci meretur. O profunda Dei iudicia! o altitudo divitiarum! o ammirabilis *d*) rerum materies! Adam ante quam de inferis liberaretur, paradisum latro iam possidere meretur. Unum peccatum Adam de paradiso eiecit, una iustitia latronem paradisum possidere permisit.

f. 91. a. 3. Discutiamus, karissimi Fratres, diligentius scrutemur vetera et nova. Neminem sanctorum invenimus ante latronem per vocem in paradisum introire, non Abraham, non Moysen, non prophetas, non apostolos. Quomodo per momentaneam confessionem latroni dicitur: amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso 1)? Vocavit Deus Abraham, et dixit ei: exi de
* Gen. XII. 1. terra tua et de cognatione tua, et vade in terram quam tibi dixero *. Et tamen non ei dicitur in paradisum *e*). Et latro meretur audire: hodie mecum eris in paradiso? Primo Deus legem Moysi dedit, et fructum legis promisit, hoc est bona terrae, loquente Domino ipso Moysi: si custodieritis legem
* Lev. XXVI. 3. et 5. domini Dei vestri, bona terrae manducabitis *. Nulli tamen fit ante latronem promissio paradisi. Ut impleatur illud quod scriptum est: meretrices et
* Matth. XXI. 31. publicani praecedunt vos in regna caelorum *. Credidit Abraham Deo, credidit ei per sanctos angelos sermonem mittenti, de propria auctoritate legem proferenti regalem. Credidit et Esaias, sed videns Deum in maiestatis gloria. Vidi, inquit, Dominum sedentem super thronum excelsum et eleva-
* Is. VI. 1. * Ezech. X. 4. tum *. Credit et Ezechiel, sed considerans eum super cherubin igneum *. Crediderunt et prophetae, sed diversis modis unusquisque sicut possibile
f. 91. b. erat videre humanae naturae. Vidit et Moyses, et credidit Deo de igne loquenti, et globum, et tubam, et tonitruum, et fulgura quae fidem ei poterant stabilire *f*). Et latro credidit Christo pendenti in cruce; cognovit Deum, et accepit paradisum propter unum sermonem. Solus iste latro vidit filium Dei salvatorem, non super sedem regalem, non in templo radiantem, non de caelo loquentem, non per angelos disponentem, sed cognovit eum inter latrones in cruce pendentem. Vidit eum in iniuria, et adoravit in gloria. Vidit condemnatum quem distraxerat Iudas, et ipse eum regem agnovit. Et postulat medicinam: « Domine, inquit, memor esto mei cum » veneris in regnum tuum. » Numquid iam, Fratres, latro iste legem audierat? numquid prophetas legerat? Homicidia exercebat, et latrocinii gladium acuebat. Sed occansione *g*) inventa, sub momenti hora confessionis de infernis *h*) evadere, et ad requiem pervenire toto corde quaerebat. Ergo et

a) Cod. *qui.* — *b*) Cod. *nobit.* — *c*) Cod. *paradiso.* — *d*) Ita cod. pro *adm.* — *e*) Cod. *paradiso.* — *f*) Cod. *stabilere.* — *g*) Ita cod. — *h*) Cod. *de inferna.*

1) Sermo fuit etiam in vetere codice laureshamensi, teste indiculo a nobis edito Spicil. T. V. p. 163. cum titulo *S. Augustini, ex eo quod Dominus dixit ad latronem: hodie mecum eris in paradiso.*

nos, Fratres, custodiamus fidem crucis in nobis, et accipiemus praemium immortalitatis. His nos praecedentium virorum fides ad arcana venerandae legis invitet. Publicani illius et centurionis credulitas firmet, ut pura mente, devota conscientia ad caelum semper aspiciamus. A Christo semper expectemus auxilium. Christi venerandum nomen inploremus. Pro salute nostra salutari Deo spiritales victimas offeramus. Sic nobis feliciter cuncta provenient. Sic victoriae, opulentia, pax, sanitas, et triumphi, in saecula saeculorum. Amen. Explicit.

XXXIV. IN FERIA ·III· PASCHAE SERMO [1]

1. Resurrectio domini nostri Iesu Christi forma est christianae fidei. Quod enim natus est ex homine, homo certo tempore; Dominus autem ex Domino est sine aliquo tempore. Quod ergo natus est in carne mortali, in similitudinem carnis peccati, quod portavit infantiam, transgressus est pueritiam, pervenit ad iuventutem, et hanc perduxit ad mortem, hoc totum resurrectioni militavit. Non enim resurgeret, nisi mortuus esset: mortuus non esset, nisi natus esset: ac per hoc quod natus est, et mortuus est, resurrectioni profecit. Natum hominem de homine Christum dominum, multi et alii crediderunt. Quamvis de virgine non noverunt, tamen hominem natum crediderunt Christum. Et amici et inimici crucifixum et mortuum crediderunt Christum; sed inimici resurrexisse non noverunt, nisi soli amici. Hoc autem propter quid? Ille autem Dominus quod nasci voluit, quod mori voluit, resurgere intendit, ibi nobis definivit fidem. In genere enim nostro, hoc est in genere humano, duas res non noveramus: suscepit quod noveramus, nasci et mori. Nam ut doceret quod non noveramus, suscepit quod noveramus. Itaque cum fuit in regione terrena, in conditione mortalitatis nostrae, prorsus ita eum decuit nasci et mori. Nam usitatum est, ut in caelo esse homo non posset, in terra esse non desineret. Resurgere autem, in aeternum vivere, quis noverat? Hoc novum attulit ad regionem nostram qui venit ex Deo factus pro homine homo, factor hominis Deus. Non erat magnum Christo esse quod erat, sed magnum esse voluit, se fieri quod coeperat. Quid est fieri quod coeperat? Fieri homo, qui hominem fecerat. Haec est miseratio eius.

2. Totum igitur in ista vita, in qua volunt beati esse homines, et non possunt: bonum est enim valde quod volunt, sed in regione sua non quaeritur quod cupiunt. Certa quaeque enim in suis regionibus quaerun-

[1] Hunc ego sermonem legebam in codice vat. 6454. f. 225, qui sane recens est, sed ex antiquo aliquo exscriptus. Erat autem hic aliis Augustini sermonibus interiectus, quamquam ipse anonymus, ut saepe in eiuscemodi collectionibus fit. Ceterum persimilis est hic sermo tot illis paschalibus qui in Augustini leguntur editionibus. Nemo vero miretur quod tot fuerint Augustini sermones paschales; nam praeter quam quod quadraginta per annos concionatus est, non unicus erat paschalis in anno sermo, sed complures toto illo sollemni tempore, et in vigiliis etiam atque octavis, et usque ad ascensionem vel pentecosten. Possidius certe inter scripta Augustini legebat *per vigilias paschae tractatus XXIII*.

tur in terra: non ubique nascitur argentum, non ubique nascitur aurum, non ubique plumbum; et ipsae fruges aliae alibi proveniunt, sicut regio quaeque tulerit vel recusaverit: alia poma in illo loco, alia in illo, diversa per diversa; et nihil ubique, nisi nasci et mori. Non de universo mundo (dico) sed de ista parte infima mundi: in caelis enim non est nasci et mori. Ex quo ibi condita sunt omnia, cadere inde potuit primus quidem angelus cum sociis suis; sed pro ipsis qui ceciderunt angelis, homines illuc venturi sunt, et implebunt locum eorum qui ceciderunt. Quia ergo diabolus vidit hominem ascensurum unde ipse ceciderat; vidit, et invidit; cecidit, et deiecit. Totum vicit (Christus) sed descendit. Cecidit homo; nisi enim ille descendisset, de captivitate diaboli homo liberatus non fuisset.

3. Studeamus ergo, Fratres mei, habere hanc temporalem bonam vitam: si enim bona fuerit in opere, beata erit in mercede. Si autem recusas opus, qua fronte mercedem quaeris? Si non potes dicere Christo, feci quod iussisti, quomodo audebis dicere, redde quod promisisti? Ideoque, Fratres, devote sinceroque cordis affectu iugiter omnium sanctorum suffragio Domini misericordiam postulemus: ut qui digna etiam petere nescimus, digniora gratis aeternae felicitatis gaudia percipere mereamur. Per dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat dominus per omnia saecula saeculorum Amen.

A D N O T A T I O.

Non semel diximus, novos Augustini sermones his annis Vindobonae, Romae, et Parisiis editos, nostris quoque plerumque oculis occurrisse in vaticanis codicibus; et tamen eos a nobis tamquam iam vulgatos, fuisse praetermissos. Verumtamen tanta erat saepe in parisiensi praesertim libro, propter italorum amanuensium socordiam, corruptela, ut aliqui saltem reficiendi prorsus essent, et ad vaticana exemplaria revocandi; quod futuri editores non negligent; si certe honori Augustini consulere volent. Exemplum variarum non dico lectionum sed faciendarum emendationum in parisiensi sermone XXIII, (qui est item de resurrectione Domini) ponemus, collato cum codice vat. ottob. 977. *f.* 262.

Ed.	Cod.	Ed.	Cod.
extendebatur	expendebat.	correptus	defunctus.
operabatur	comparabat.	manubria	manubias.
potest potentiam laedere	potentiam laederet.	pharetratus	faleratus
		compellunt	compellabant.
sanguinis beati	sanguinis arca beati.	eripuit potentes	eruit potenter.
sola carne	sola caro	mundum	mundum immundum.
et quamvis passam	homo sit passus crucifixus.		
gloriae crucifixus	gloriae dicitur.		
captiva	captura		

Atque haec lectio admonet me ita esse scribendum etiam apud nos p. 137. *nempe:* plus penset cruor mundus, quam mundus immundus. *Etsi in codice deest* immundus.

XXXV. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI IN PASCHA.

1. Maria veniens ad Christi domini monumentum, appellat Dominum hortulanum, quia infantum plantaria floruerunt. Ecce lilia renatorum ornant altare dominicum candidis turbis *a*) gaudiorum; ecce lilia nova de fonte plantata, gratia nutrita, et sanguine candidata, quia isti sunt qui laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine agni, qui tollit *b*) peccata mundi. Ecce surrexit caro Christi, et flos campi de scrobe *c*) sepulchri: et apparuit in horto lilium convallium, cum ad sepulchri novam scrobem *d*) gaudiorum nuntii descenderent angelorum. Venit Maria, sepulturae portans aromata, et invenit in sepulchro suavia resurrectionis unguenta, non unde ungueret *e*) corpus dominicum, sed ut chrismate perfunderet capita renatorum. Venit ad monumentum, extimat clausum, et invenit ad ianuam sepulchri, paradisi vela pendentia linteorum. Dicunt ei angeli: mulier, quid ploras? aut quem quaeris? Iesum quaeris intra petram, qui iam confregit mortis gehennam *f*)? Quid quaeris, Maria? plantatam vitem veram? Ecce de palmitibus mortuorum paratur tibi in horto renovata vindemia. Non audisti David prophetam dicentem: « filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae *?» Qui sunt novellae olivarum? Ecce circa altare dominicum sunt infantes 1) per medium florescentes aquarum; quia isti desideraverunt sicut cervus ad fontes aquarum. Quid est ergo, Maria? quem quaeris? non est hic; surrexit enim, sicut dixerat vobis. Vide, aspice linteamina; nihil est quod te terreat. Linteamina enim Christi, sepultura est peccati tui *g*), unde extergas lacrimas luctus tui, et in sudore refrigeres *h*) desiderii tui. Videbis *i*) in paradiso, quem quaeris in monumento.

Cod. vat. 1855. f. 97. a. et b. item vat. 3828. f. 160. item vat. 1270 f. 22.

f. 98. a.
* Ps. CXXVII. 3

2. Accessit, recessit, prospicit *k*), quem quaerebat invenit. Aspicit et extimat hortulanum, quia vere ab ipso suscepit nova plantaria renatorum. Domine, inquit, requiro a te, doce me. Et si aestimo hortulanum, non facio calumniam, dum requiro vitam meam. Si tu sustulisti Dominum meum, indica ubi posuisti eum. Numquid vidisti, quem dilexit anima mea? Si tu es fur corporis Domini mei, esto consolator luctus mei. Si tu sustulisti *l*), partiamur simul, et de te et de me gaudebit *m*) genus humanum. Si tulisti, non avaritia *n*) appetisti, sed misericordia dilexisti: perge, ostende locum: ego paro humeros meos, et tollo tecum. Stat hortulanus, et tacet. O vere *o*) hortulanus dominus Christus, qui levavit plantaria de gehenna, quae antiqua obruerat sepultura! O vere hortulanus, qui eradicavit mortem, et introduxit secum ad paradisum collegam latronem! O hortulanus vilis specie,

f. 98. b.

a) A. *turribus*. — *b*) A. I. m. *tullit*. — *c*) A. *scrove*. — *d*) A. *nova scrove*. — *e*) Ita cod. B. et C. — *f*) A. *gehenna*. — *g*) B. *sepultura sunt pectoris tui*. — *h*) A. *refrigereus*. — *i*) A. *videvis*. — *k*) A. *profecit*. — *l*) B. *si tulisti*. — *m*) A. *gaudevit*. — *n*) A. *abaritia*. — *o*) B. *verus*.

1) Ex Augustini sermone CCLX. constat dictos fuisse *infantes* quicumque recens baptizati erant, etiamsi adulti fuissent et coniugati. *Infantes*, inquit, *appellamini, quoniam regenerati estis, et novam vitam ingressi estis, et ad vitam vitam aeternam renati estis*. Mox pergit dicere: *qui habetis uxores, nihil mali faciatis praeter uxores.*

dulcis in voce! Iam simplex est horti ianua, nulla ibi de terrore custodia. Ideo libenter interrogat secura Maria: suspicor autem quia Iudaei tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum: sed quia te video, te interrogo; a te discere desidero, quod requiro. Et Dominus Mariae dat vocem, et indicat veritatem: labia eius destillant melle; et obumbrantur unguenta Mariae, quae cum meliorem accepisset odorem, exclamavit in voce, rabboni! quod interpretatur magister; et adoravit eum, effundens lacrimas, et quaerens tenere genua eius. Dicit ad eam Iesus: noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem 1). Hoc est, iam fide vive; spiritus est qui vivificat. Resurgens Christus a mortuis, credi debet *a*), non tangi: qui eius desiderant tenere genua, accedant ad eius altaria. Noli me tangere, nec dum enim ascendi ad patrem. Et illa dixit: Domine, quare non mihi permittis
f. 99. a ut te tangam? Vel fimbriam vestimentorum tuorum ego non debeo tangere, quem *b*) tangebant aegroti et sanabantur? Tu in ligno pependisti, et in sepulchro iacuisti: tu paradisum reserasti; admitte me ad hortum deliciarum tuarum. Sanasti Evam, iucunda *c*) Mariam. Ostendisti mihi vitem meam; laetifica me de vindemia tua. Et Dominus: vade, inquit, ad palmites meos apostolos et ad Petrum: occurrant in Galilaea *d*), et ibi tibi apparebit plena vindemia. Ecce igitur de Christo resurgente, et de sarmentis apostolicis triumphavit Galilaea: ecce de Domino et infantibus tamquam de vite et palmitibus hodie laetatur nostra mater catholica ecclesia. Explicit 2).

XXXVI. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE RESURRECTIONE DOMINI IN PASCHA.

Cod. vat 5830. f. 100. b. item vat 5828. f 157.

1. De resurrectione Domini nostri Iesu Christi, quantum valemus lingua humillima, vestrae dilectioni narravimus: deponentes lugubre maeroris *e*) pallium, accipiamus laetitiae indumentum, cum de resurgentis vita gaudemus.
f. 101. a. Testantur elementa rediviva, quae erant funereo tegmine iam sepulta. Ad exsequias Domini, relictis cursibus suis obsequio famulante migraverant; nunc nobiscum laetantur, quia nobiscum resurrexisse Dominum profitentur. Propter laborem vigiliarum brevi sermone currimus evangelium 3). Maria festinat ad tumulum; Maria, non mater Domini quae virgo genuit, et post partum virgo permansit; sed aliam Mariam nominamus, quae fugientibus apostolis, ad sepulchrum Domini sola pervenit. Apparuit ei Salvator rediens ab inferis victor, de diabolo triumphator. Lugete animae miserorum, quae non meruistis post tartari carcerem superos revidere 4). Apparuit ergo mulieri: oportuit enim obviare sponsam sponso, ecclesiam Christo, redemptori captivam, domino famulam, creatori creaturam Adhuc illa carnis nebula

a) A. *devet*. — *b*) Malim *quam*. — *c*) B. et C. *ioc*. et sic etiam A. 2. m. — *d*) A. *Galilea*. Sic et mox. — *e*) Cod. A. *meroris*.

1) Dicti huius prolixam Sadoleti Cardinalis explanationem ad Clementem VII. P. M. edidimus nos in Spicil. rom. T. II.

2) Deinde in codice A. sequebatur sermo Augustini de resurrectione Domini, incipiens *una sabbati;* qui est sermo XXV. inter illos nuperius Parisiis editos ex monasterii casinensis codicibus.

3) Simili locutione Augustinus serm. ed. CCXXVIII. in paschate: *post laborem noctis praeteritae, diu vos tenere sermone non debeo.*

4) Adde hoc exemplum verbi *revidere* plautinae auctoritati apud Forcellinum.

fuerat caligata, et hebetem *a*) corporis caecitatem gerebat in mente, ut non agnosceret quem noverat, non aspiceret quem videbat, non crederet cui crediderat. Mox reddita est sanitas mentis, fugatae sunt tenebrae falsitatis: vade, inquit, dic fratribus meis. Non dixit, dic errantibus, dic trepidantibus, f. 101. b
dic fugitivis, dic latentibus, dic negantibus; dic, inquit, fratribus meis.

2. Plures namque Marias, Fratres karissimi, fuisse quis ambigat? quae pro qualitate meritorum, post resurrectionem Dominum videre meruerunt. Una denique cum unguento prima sabbati, alia sine unguento vespere sabbati, venisse ad sepulchrum Domini designantur. Sed haec admittitur pedes Domini tenere, illa tangere prohibetur. Haec discipulis Dominum nuntiavit resurrexisse; illa extimans *b*) furatum esse, congemuit. Illi in gloria sua Christus occurrit, haec adhuc Dominum cum mortuis quaerit: nec inmerito tangere prohibetur, quae viventem cum mortuis requirebat. O ammirabilis *c*) bonitas Salvatoris! Appellat fratres, quos noverat negatores! Perrexit mulier, nuntiat apostolis Dominum resurrexisse. Solvite, fugitivi *d*), vincula tarditatis: redite ad Dominum, redite ad magistrum: quia mulier nuntiat, non sit opprobrium *e*). Thomas unus de discipulis ambiguae mentis incredulus, de resurrectione dubius, et paene perfidiae laqueo suffocatus *f*), aspicit Christum corpore vestitum, quod fuerat passione nudatum. Ipse ex integris genetalibus *g*) virginis membra infantis eduxit, qui clausis ianuis iuvenem introduxit. Expavit apostolus culpam suam, et confessionis paenitentiam publicavit. Veni, inquit Dominus, tange vestigia vulnerum meorum: festina et curiose, festina per fidem, ut vulnera tua vulneribus meis sanentur, et mens tua sauciata perfidiae iaculis, indulgentiae medicamento curetur. Thomas reus, a quo fuerat Deus offensus, prostratus pedibus Salvatoris lamentabiles *h*) gemitos 1) fudit: Dominus meus, ait, et Deus meus. Semper mitissimus Christus confitentem non contemsit. Nolo, inquit, sis incredulus sed fidelis. Bona est paenitentia, Fratres, si tarda non fuerit: et si fuerit sera, in opere videatur esse perfecta. Facile *i*) agnoscimus veniam creatoris, quam paenitentiam peccatoris. Explicit.

XXXVII. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI IN PASCHA.

1. Post custodias saevas et vincula dura, post inlusiones et verbera, cod. vat. 3835. f. 102. a. item vat. 3828. f. 157. b. et vat. 1270. f. 17. b. in quo tamen postremo tribuitur sancto Severiano.
post aceti et fellis pocula mixta *k*), post supplicia crucis et vulnera, postremo post ipsam mortem et inferos, surrexit de suo funere caro nova recidiva 2) foenicis, quam ultimus sol et cinnamae coxerant pietatis 3): redit ab occiduo

a) A. *ebetem.* — *b*) B. *existimans.* — *c*) Codd. *ammiravilis.* — *d*) B. *captivi.* — *e*) B. *obpr.* — *f*) A. *suffucatus.* — *g*) B. *genitalibus.* — *h*) A. *lamentaviles.* — *i*) Ita codd. pro *facilius.* — *k*) B. *mista.*

1) *Gemitus, ti.* Adde hoc Augustini exemplum plautino unico apud Forcell. Alter tamen cod. *gemitus.*

2) Ita A. B. *recidiva*, idque latine dicitur recte pro *rediviva*, quam postremam lectionem maluit codicis 1270. scriptor, qui etiam a *phoenicis* vocabulo usque ad *redit* lacunam fecit, non intelligens interiecta.

3) Cod. A. *cinnamae moxerint.* In B. saltem 2. m. *cinnama*, quod bene se habet; etenim ex cinnami surculis sibi rogum struere phoenicem, veteres tradunt.

latens vita, et in morte salus servata resurgit, pulchrior reditura post fu-
nus. Quid caenam illam liberam commemorem, ubi tingebat discipulus men-
dax digitum, edebat cum pane caedem, et sorbebat cum sanguine potio-
nem? O crudele proditoris convivium! Rogo, quibus oculis aspiciebat,
quem sub dente premebat, parricida pariter et conviva? Vendidit argento
Dominum, fecit de magistro ferale commercium, accepit aurum, et per-
didit Deum. Ipse autem Iudas inter epulas carnifex, inter nectareos cibos
amarus, vipeream cruentat animam, et caecum alit sub pectore vulnus 1).
Accepit mox a Christo bucellam, quam male sibi conscia mens ferre non
potuit: cucurrit ad Iudaeos, pensat in pretio mortem suam, et dum alienum
sanguinem vendit, proprio laqueo disperiit *a*). Ecce traditur Christus, ecce
f. 103. a. ducitur, ecce flagellatur, ecce suspenditur. Quid tibi profuit, o Iuda, ut mor-
tem alienam tuo sanguine mercareris? Christus redivit ab inferis, et tu in
poena torqueris: illi nihil nocuisti, tu vero pretium *b*) simul et animam per-
didisti. Cur Iudaea ferox, quem occideres comparasti? Servares tibi quod
emeras, non perderes quod habebas! Tollis de innocente consilium, ducis
sicut ovem *c*) ad gladium, cruentas membra, dividis vestimenta. Quid lucri
invenisti, quia sic saevisti? Ecce Christus ex oceano mortis tamquam ro-
seum iubar ascendit, et super te funerea caligo permansit. Aspice solem no-
strum radiare per orbem. Ubi est quod *d*) iamdudum figebas in cruce? Spi-
nas etiam capiti eius et coronam de vepribus *e*) texuisti; acetum quoque ama-
rum felle propinasti commixtum. Ille tamen accepit non quod biberet, sed
quod potius reprobaret. Denique gustavit merum tuum, et amputavit fru-
* Hier. II. 21 ctum tuum. Ego, inquit*, te plantavi vineam fructiferam totam: quomodo
conversa es in amaritudinem, vitis aliena *f*)? Sustinui ut faceret uvas *g*), fecit
autem spinas.

f. 103. b. 2. Ruit subito nox medio die, et mortem Domini omnis creatura ne
videret effugit. Texit faciem suam lugubri nube omne caelum, et totus orbis
tenebris obvolutus occultavit vultum suum, ne videret in cruce dominum
suum. Elementa *h*) ipsa turbantur et rugiunt, saxa rumpuntur, sepulchra pa-
tescunt, mortui revivescunt *i*). Factum est interea chaos, timet omnis natura
periculum, et Iudaea perficit parricidium. Unus erat latro et corpore et
mente proximus; alter alteri quidem vicinus, sed multum corde divisus.
Pendebat Christus in medio, et tamquam rex fulgebat in throno: confite-
batur unus et honorificabat, alter *k*) incredulus blasphemabat. Iudex mox di-
ctat uni sententiam, alteri porrigit indulgentiam. O mira rerum conversio!
Latro credit, et Iudaea fremit. Fecit latro de cruce impetum et intravit para-
disum rhomphaea *l*) framea 2) circumdatum, Iudaea vero amisit lumen quando

a) B. *disperit*. Cod. C. insigniter varians *propriae linguae odas perdidit*. — *b*) Ita A. C. at B. *corpus*. — *c*) A. *obem*. — *d*) Ita tres codd. *quod*. — *e*) A. *vebribus*. — *f*) B. 2. m. et C. *alienae*. — *g*) A. *ubas*. — *h*) A. *ael*. — *i*) Ita A, at B. C. *reviviscunt*. — *k*) A. *alteri*. — *l*) A. *romfea phramea*.

1) Agnoscis heic auctorem lat. Augustinum Virgilii aen. I. 3. IV. 2. X. 733. imitatorem, non graecum Severianum. Sic et infra *ruit nox*, ex aen. II. 250.

2) Ea sibi constat Augustinus, qui in epist. 140. 41. frameam non lanceam sed gladium esse contendit. Agitur enim heic de cherubini custodis flammeo gladio Gen. III. 24. Ceterum cod. 1270, seu C. habet *rhomphaea flammea*, quae optima lectio est.

perdidit solem. Sicut scriptum est: super eos cecidit ignis et non viderunt solem *. O violentus latro! o artificiosus effractor! ipsum claviculariuni tenuit, et per ipsum ad paradisi interiora pervenit. Ecce surrexit hodie Christus, et post supplicia multa inlaeso corpore coruscavit. Non eum umbrosa vorago, non aerea claustra, non indomabilis *a*) mors morte oppressit: dirae cessere formae, imperiumque tartareum *b*) omne succubuit. Non ibi praesente Christo ultrices flammae, non saeva supplicia resonabant: gemitus ille tristis omnisque luctuosus clangor obstipuit: captivorum disrupta sunt vincula: nox ipsa infernusque resplenduit: vomuerunt anfractae *c*) cavernae captivos, et animas tabidorum 1) iam tenues antra caeca de suis custodiis laxaverunt: ceciderunt ferales illae cruentae manus, atque rubiginosi tortores viso Domino tremuerunt. Coeperunt sentire quod fecerant, et suis se poenis carnificina torquebat.

* Ps. LVIII. 9
f. 104. a.

3. Mox resolutos populos reducit Christus in lucem, alloquitur saucios, reficit fatigatos. O mea quondam *d*), inquit, creatura, opificium meum, non te ea sorte condideram, ut in has plagas et in haec exitia *e*) pervenires: paradisum tibi paraveram, non infernum: delicias praeparavi, vitamque beatam, non mortem constitui. Ecce quo te perduxisti, et hic me descendere compulisti; ut paululum de maiestate humilis ad hunc carcerem huc usque venirem, dum in me *f*) te his tormentis et tenebris liberarem. Iudicem me esse culpa tua fecit; ut te ita derelinquerem necessitas delicti tui compulit. Quid agerem iustus, nisi damnaretur iniustus? Si te per potentiam eriperem, iustitiam utique amisissem; coactus sum amore tuo pugnare cum adversario tuo. Sustinui globos uteri virginalis, accepi sortem tuam, auspicatus sum infantiam, iacui in praesepio, flevi, dormivi, crevi, esuriem sitimque sustinui *g*). Quae fuit, rogo, tanta cupiditas pomi, ut meorum praeceptorum obliti inter ipsa primordia periretis? Debui quidem ingratos aeternis donare *h*) suppliciis: sed, fateor, vicit me pietas: non angelum misi, sed ego ipse propter te descendi, permisi me occidi, et sic ad istos inferos veni. Exite nunc vincti, exurgite miseri, respirate captivi: ecce vobis ignota lux fulgeo, ecce rores infundo, ecce nodos omnes catenasque disrumpo *i*); ecce tartari sedes noctemque profundam foetidumque chaos extermino. Sufficiant exactae poenae, fovebit *k*) vos semper maiestas mea, cum in caelo fuerit caro mea. Explicit.

f. 104. b.

XXXVIII. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI IN PASCHA.

1. Domini resurrectio induxit mundo laetitiam. Quanto fulget in aspecto 2), tanto fervet in affectu. Vetus homo migravit, novus advenit. Prae-

cod. vat. 5834.
f. 105. b. et f. 106.
a.

a) A. *indomeralis*. — *b*) Deest hoc vocabulum in B. At in A. mendose *reum*. — *c*) Ita in B. *anfractae*. 2. m. At A. *anfracta*. C. *antractae*. — *d*) Tres codd. concorditer *quaedam*. Sed malui scribere *quondam*. — *e*) A. *exidia*. — *f*) A. *imme*. B. *ergo*. C. *in me*. — *g*) A. *sustenui*. — *h*) Ita tres codd. *donare*, non *damnare*. — *i*) C. *dirumpo*. — *k*) A. *foverit*.

1) *Labedorum* evidenter legitur in utroque cod. A. B. At vero in cod. C. seu 1270. relinquitur lacuna, quia librarius, aeque ac ego, id genus vocabuli non intelligebat. Scripsi autem *tabidorum*, ut sanus aliquis, non tabidus, sensus fieret.

2) *Aspectus*, *i*, refert Forcellinus ex Accio.

varicatio Adae confusa est, cum nobis gratia Christi donata est. Dudum catena erroris trahebat animas miserorum, nunc caritatis vinculum redemptos ducit ad caelum. Erubuit diabolus in furoribus suis. Christus occiditur, et mundus ab erroribus liberatur. Christus resurgit, et hostis evanuit. Miracula virtutum apparuerunt *a*), non ut homines perfidi confunderentur, sed ut perditi redimerentur. Quanto maeret luctibus synagoga Iudaeorum, tantum iucundatur *b*) ecclesia christianorum. Triumphemus in Christo qui nobis donavit misericordiae medicinam, dum per lignum tribuit tropaea gloriosa. Iudas vendidit dominum suum, Petrus negavit magistrum suum: Iudas desperavit, Petrus titubavit: latro paradisum meruit. Inter traditorem mercatoremque sanguinis Christi, et negatorem magistri, et confessionem latronis, signaculum meruimus redemptoris. Sufficiant caritati vestrae quae pro eruditionibus animarum dedit dominus Deus. Explicit.

XXXVIIII. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE HOSPITALITATE IN SANCTO PASCHA.

1. Fratres karissimi, hospes *c*) in terra esse voluit Dominus caeli, pere-
Cod. vat. 3835. f. 108. b. grinus in mundo, per quem factus est mundus; non quia ille indigebat cum hospes intrabat, sed hospes esse dignatus est, ut tu haberes suscipiendo be-
* III. reg. XVII. 6. nedictionem. Eliam sanctum famis tempore per corvum *d*) Dominus pascebat*, et quem persequebantur homines, ei serviebant aves: adferebat corvus servo Dei mane panes, et ad vesperam carnes. Non indigebat ergo ille, quem
f. 109. a. Deus ministris avibus pascebat. Et tamen quamvis Elias non indigeret, mittitur ad viduam in Sareptam, et dicitur ei: vade ad illam viduam, pascit *e*) te. Defecerat Deus, ut Elias ad viduam mitteretur? Sed si Deus servo suo sine humano ministerio *f*) semper praeberet panem, vidua unde haberet mercedem? Mittitur ergo non indigens ad indigentem, non esuriens ad esurientem. Et dicit: vade, adfer *g*) mihi. Illa modicum habebat, quod consumtura fuerat, et moritura respondit, quantum haberet intimavit Eliae. Et ait illi: vade, prius adfer mihi. Illa non dubitavit, sed adtulit. Optulit refectionem, et meruit benedictionem. Benedixit sanctus Elias hydriam farinae et capsacen olei. Illud in domo repositum erat consumendum: et illud *h*) oleum in palo pendebat finiendum. Accessit benedictio, et illud quod erat modicum, thensauri facti sunt: laguncula olei facta est fons olei: farina parva uberrimas *i*) segetes superavit. Si Elias non indigebat, Christus indigebat?

2. Ideo, Fratres, admonet nos scriptura sancta, quia plerumque servos suos potest pascere Deus; sed ideo facit indigentes, ut inveniat operantes. Nemo superbiat, quia dat pauperi; Christus pauper fuit. Nemo superbiat,
f. 109. b. quia hospitem suscipit; Christus hospes fuit: melior est susceptus, quam

a) Cod. *apparunt*. — *b*) 2. m. *iuc*. — *c*) Cod. *ospes* heic et infra. — *d*) Cod. *corbum*, *b* pro *v*, etiam infra. — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *mysterio*. — *g*) Cod. *adfers*. — *h*) Cod. *illut* hoc loco et postea. — *i*) Cod. *huberrimas*.

suscipiens; ditior accipiens, quam tradens: qui accipiebat, cuncta possidebat: qui dabat, ab illo acceperat quod dabat. Nemo ergo superbiat quando dat pauperi. Non dicat in animo suo: ego do, ille accepit: ego suscipio, ille indiget tecto. Forte quod tu indiges, plus est: forte quem suscepisti, iustus est: ille indiget panem, tu veritatem: ille indiget tectum, tu caelum: ille indiget pecuniam, tu iustitiam. Fenerator esto, eroga quod recipias: noli timere ne te feneratorem iudicet Deus. Prorsus, prorsus esto fenerator. Sed Deus tibi quid dicit? Quid vis? fenerare vis? Quid est fenerare? minus dare et plus accipere. Ecce mi da, dicit tibi Deus: ego accepi minus, et do plus. Quid? Centumplicia *a*), et vitam aeternam. Quem quaeris? Vides unde crescat pecunia tua. Hominem quem quaeris, quando accipit gaudet 1); quando reddet, plorat: ut accipiat, precatur; ne reddat, calumniatur. Da quidem et homini; et noli te avertere ab eo qui mutuum *b*) petit; sed tantum accipe, quantum dedisti. Non ploret cui dedisti, nam beneficium perdidisti. Et si hoc ipsum, quod daturus es, vel quod accepit, et exigitur, forte ad manum nondum habet; pertulisti petentem, expecta habentem. f. 110. a. Cum habuerit, dat tibi. Noli facere angustias ei, cuius angustias relaxasti: ecce tu dedisti, et exigis: sed non habet unde reddat; cum habuerit, reddet tibi. Noli clamare et dicere: numquid fenus quaero? tantum peto, quantum dedi: quod dedi, hoc accipiam. Bene facis, sed nondum habet. Non es fenerator, et vis cui praestitisti, ut quaerat feneratorem ut tibi reddat? Si propterea fenus non exigis, ne te feneratorem patiatur, quare vis ut propter te alium feneratorem patiatur? Premis, suffocas *c*): etsi tantum exigis quantum dedisti, suffocando tamen et angustias faciendo, non beneficium dedisti, sed potius maiores angustias intulisti.

3. Sed forte dicis: habet, unde reddat: habet domum, reddat: habet possessionem, vendat. Quando a te petivit, ideo petivit ne venderet: propter te non faciat, qui subvenisti ne fieret. Hoc sit *d*) ita circa homines: hoc iubet Deus, hoc vult Deus. Sed avarus es? Dicit tibi Deus: esto avarus, esto quantum potes avarus; sed me conveni pro avaritia tua. Dicit tibi Deus, me conveni: ego filium meum divitem, pauperem pro te feci. Pro- f. 110. b.
pter nos enim pauper factus est Christus, cum dives esset*. *II. Cor. VIII. 9. Aurum quaeris? ille fecit. Argentum quaeris? ille fecit. Familiam, pecora, quaeris? ille fecit. Possessionem quaeris? ille fecit. Quid quaeris tanta quae fecit? Ipsum quaere qui fecit. Cogita quemadmodum te dilexit. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: omnia per ipsum, et ipse inter omnia: qui fecit omnia, factus est inter omnia: qui fecit hominem, factus est homo, factus est quod fecit, ne periret quem fecit. Adtende divitias. Quid divitius *e*) eo per quem facta sunt omnia? Et tamen ille cum dives esset, mortalem carnem accepit in utero virginis: infans natus est, pannis infantilibus in-

a) Ita cod. — *b*) Cod. *mutum.* — *c*) Cod. *suffucas*, sed mox *suffocando.* — *d*) Cod. *sic.* — *e*) Cod. *diutius.*

1) Similiter Virgilius aen. I. 573. *urbem quam statuo, vestra est.* Sic etiam apud nostrum Augustinum p. 75. interpungere fortasse licuisset: *quem quaeris, non est hic; surrexit enim.*

volutus est, in praesepe positus est, patienter expectavit aetates, patienter tempora pertulit per quem facta sunt tempora, suxit, vaguit *a*), infans apparuit, sed iacebat et regnabat: in praesepe erat, et mundum continebat: a matre nutriebatur, et a gentibus adorabatur: a matre nutriebatur, et ab angelis nuntiabatur: a matre nutriebatur, et stella fulgente declarabatur.
f. 111. a. Tales divitiae, talis paupertas; divitiae ut creareris, paupertas ut restituereris. Ille ergo pauper susceptus est hospitio quasi pauper: dignatio fuit suscipientis, non miseria egentis.

4. Forte dicis tibi: o beati qui meruerunt Christum suscipere! o si ego
* Luc. XXIV. 15. tunc essem! o si unus fuissem de duobus illis quos invenit in via *! Tu esto in via, non deerit hospes *b*) Christus. Putas enim iam non tibi licere suscipere Christum? Unde, inquis, licet? Iam resurgens manifestatus est discipulis suis; ascendit in caelum; ibi est ad dexteram patris; non est venturus nisi in ultimo saeculo ad iudicandos vivos et mortuos: venturus autem in claritate, non in infirmitate; daturus regnum, non quaesiturus hospitium. Quando dabit regnum? Excidit *c*) tibi quod dicturus est? Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ille dives, egens est usque in finem saeculi: eget prorsus non in capite sed in membris suis: ibi eget in quibus doluit: quando dixit: Saule Saule, quid me persequeris? Obsequamur ergo Christo: nobiscum est in suis, nobiscum est in nobis. Nec frustra dixit: ecce ego vobiscum sum usque in consummationem saeculi.
f. 111. b. Haec faciendo cognoscimus Christum; in bonis operibus misericordiae, non corpore sed corde, non oculis carnis sed oculis fidei: quia vidisti, credidisti, ait cuidam discipulo suo incredulo, qui dixerat non credam nisi tetigero. Veni, tange, et noli esse incredulus. Tetigit, et clamavit, dominus meus et Deus meus! Et Dominus, quia vidisti me, credidisti: ipsa est tota fides tua, quia credidisti quod vides: laudo eos qui non vident et credunt; quia cum viderint, gaudebunt. Explicit.

XL. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE PHARAONE *d*)

Dicendus in diebus azymorum, et de resurrectione Domini.

cod. vat. 3835 f. 127. b. 1. Fratres karissimi. Auditus lectionis sensum excitat auditoris. Dum audivimus in mare mersum fuisse populum Pharaonis, populum suum Deus inlaesum perduxit ad litus. Nam Pharao cum suis in mare mansit obrutus; populus Domini marino campo undas *e*) sulcabat: et naufragium Pharaonem ad mortem proximabat. Stat Moyses contra mare, clamoribus concutit caelum, quia Pharaonem cernebat committere bellum. Qui ait: modo perit populus tuus, Domine. Cui Dominus dixit: Moyses, Moyses, quid vociferaris? Modo de inimicis tuis gratulabis 1). Ego caelum mensus sum palmo,
f. 128. a. et terram conclusi pugno; et putas quia cum Pharaone non pugno? Ingre-

a) Ita cod. pro *vagavit* aut *vagiit*. — *b*) Cod. *ospes*. — *c*) Cod. *escidit*. — *d*) Cod. *Far*. Sic ex infra. — *e*) Cod. *unda*.

1) En *gratulo*, *as*, terminatione activa.

ditur mare israheliticus populus, et Pharaonem ad naufragium proximat diabolus. Dominus ad ripam inlaesos perduxit Hebraeos. Nam Pharaonem et *a*) sescentos *b*) currus electos 1) in mare reliquit deceptos. Ingreditur mare Pharao prosecutus; et tamquam si *c*) dicerent undae: salvum te venisse, viator! magnum est quod existi praesumtus: magnum est quod te invadit sudor; sed magnificentius est quod *d*) te modo magnus invadit frigor. Nobiscum venisti pugnare: modo populum Dei portamus ad ripam, et postea tecum revertemur ad pugnam. Veni: nos tibi paramus campum, et tuae animae inferimus damnum. Veni securus, ad tuos non reversurus. Dant undae venienti fallacem pelagi tranquillitatem: ingreditur mare securus, scatentibus ungulis quadrigarum, et violentiam patitur undarum. Ecce subito unda veluti a somno experrecta *e*), fit durae noctis imago teterrima, et adversus Aegyptios inmutatur: obligat *f*) litus, praeparat sinus unda adversarium populum exceptura, et crispantibus fluctibus obruit omnes in vigilia matutina. Dicunt ei: unde tu, viator aquarum? Quare violentiam pateris undarum? Nemo pugnat, viator. Percute undas, si potes; iugula fluctus, si praevales. Ante omnes exivit Pharao ad ripam, quando perdidit vitam. Nam populus Dei pervenit ad terram promissam. Explicit 2).

XLI. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE OCTAVA *g*) PASCHAE.

1. Paschalis sollemnitas 3), dilectissimi, hodierna diei festivitate concluditur; et ideo hodie etiam neophytorum habitus commutatur, ita tamen ut candor qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur. In qua quidem re optinenda primum id nobis iam nunc agendum est, dilectissimi, ut quia quinquagesimae dies sunt, id est indulgentiae ac remissionis; ita nobis sanctorum dierum festivitas agatur, ut relaxatione corporum puritas non corrumpatur animorum; sed potius abstinentes ab omni luxu *h*), ebrietate, lascivia, dantes operam sobriae remissioni ac sanctae sinceritati, id efficere temtemus, ut quidquid nunc corporali abstinentia non adipiscimur, mentium puritate quaeramus. Et sane debemus hoc non utilitati tantum nostrae nunc et saluti, sed etiam festivitati ipsi ac tempori. His enim diebus Dominus post resurrectionem videndum se apostolis suis, tenendum, am-

cod. vat. [illegible] f. 132. a. vat. 3828. f [illegible] b ottob. 977. f. 290. b

a) Cod. *cum* pro *et*. — *b*) *Sesceuti* pro *sexcenti* etiam in codice Cic. de rep., quod videtur rusticae pronunciationis vestigium. — *c*) Cod. *qui*, et mox *unde*. — *d*) Cod. *quo*. — *e*) Cod. *experta*. — *f*) Cod. *obligant*. Sed corrigo, et intelligo *occupat* vel *obsidet*. — *g*) Cod. *octabas*. — *h*) Ita codices duo, at tertius 2. m. *luxuria*.

1) Animadverte *frigor* pro *frigus*.

2) Post hunc sermonem (quem aegre genuinum dicerem, nisi summa codicis antiquitas, litteris uncialibus scripti, suaderet) sequitur in codice f. 128. b. *sermo sancti Augustini in die octavarum paschae*, qui incipit: *hodiernus dies magno sacramento*; et est sirmondianus 19, seu maurinus 159. Non desunt aliquae varietates, quas singillatim adnotare non vacat. Sed illa est insignis, quod in n. 3. post illa verba *quomodo exigit misericordiam ab illo, qui numquam erit miser*; omissis omnibus subsequentibus, attexitur in codice haec inedita clausula. *Miserere ergo, homo, fratri, tuo, qui a Deo quaeris misericordiam; ut fisus valeas cum propheta clamare: adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus, misericordia mea. Et iterum: confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius.*

3) Sic incipit etiam editus sermo CLXXII. in editionis maurinae appendice. Sic item in homiliario Alcuini f. 160. b. Noster tamen vaticanus statim prorsusque decurrit diversus.

plectendum perfruendumque concessit. Unde cum sollemnitas quinquage-
f. 132. b. simae ex eo constet, quod nunc Dominus cum discipulis praesens fuit; scire nos, dilectissimi; convenit, quod ita demum nos vere sollemnes sumus, si sollemnitate sic utimur, ut praesentem Deum habere mereamur. Quaeris forte unde id fieri, aut quomodo possit, ut Deus praesens sit? Neque te ammiratio *a*) rei huius ac magnitudo deterreat. Actus *b*) tantum vestros et conscientias cogitate. Res haec in vitae probitate consistit. Scitote quod si vos praesentiae Dei iam dignos redditis, praesentem Deum iam habere coepistis. Invocantes se Deus sequitur: et trahit, et non repugnantes sanctos diligit, flagitiosos fugit. Nemo de possibilitate rei huius queratur: is tantum praesentem Deum non habet, qui [a] se abesse compellit. Nemo absentiam Christi sustinet, nisi qui praesentiam non requirit. Multi se quaerere putant; sed aliud est vere quaerere, aliud praesumptionem habere quaerentis.

2. Nonnulli enim ex fratrum nostrorum numero, dilectissimi, festivos se esse dubitant, nisi gulae, nisi ventri, nisi luxuriae satis fecerint. Dicendum vobis cum libertate est: non est hoc, Fratres, festivitatem colere
f. 133. a. Dei, sed coinquinare. Vultis ergo scire quid sit hominem festivum esse? imitamini in aliquo illos, qui primi hac festivitate usi sunt, sanctos Dei; quorum semper fuerunt, ut legimus, dies sobrii, noctes pudicae, sanctae vigiliae, sopor castus, actus probi, conversatio honesta, vita sibi ex
* Phil. III. 19. omni parte consentiens. Neque illos sequamur, quorum ut apostolus ait*, finis est interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Hi enim, dilectissimi, divinis sollemnibus non intersunt, hi diei festa non sapiunt. Quamvis enim quis praesens esse videatur, re tamen ipsa abest, qui conversatione disiunctus est. Horum laetitia, dilectissimi, lacrimabilis *c*) est, horum exultatio luctuosa, non placans Dominum sed exacerbans; quia quamlibet quis sollemnitatem pro honore divino celebrare se credat, festivitatem Dei quod in probris agit, iniuria est. Vultis scire, me verum dicere? Audite de hoc loquentem Deum: *si attuleritis*, inquit *similaginem, vanum est; incensum abominatio est mihi; neo-*
* Is. I. 13. *menias vestras et sabbata vestra odit amima mea**. O infelix talium miseranda perditio! Et qua tandem alia re Deo placere poterunt, qui etiam ipso se cultu faciunt displicere? Quae ergo his propitiandi reatus spes est, quibus propitiatio ipsa vertitur in reatum? Videtis ergo, Fratres, quanto aliud est vera, aliud falsa festivitas: aliud honor, aliud contumelia: aliud placare Deum, aliud offendere. Si vultis ergo vera sollemnitate uti, si veris
* Phil. IV. 4. gaudiis frui, *gaudete*, ut apostolus ait*, sed *gaudete semper in Domino.* Sicut enim quaedam, ut scitis, sunt turpia gaudia, et ideo qui in Domino gaudere optat, flagitiosa oportet gaudia non requirat. *Et nolite*, inquit
* Ephes. V. 18. apostolus*, *inebriari vino, in quo est luxuria d*); *sed implemini spiritu, loquentes vobismet ipsis, hymnis et canticis spiritalibus, cantantes et psal-*

a) Ita cod. pro *adm.* — *b*) Cod. A. *actos.* Sed B. et C. *actus.* — *c*) A. C. *lacrimavilis.* — *d*) A. *luxoria*, ut alibi.

lentes in cordibus vestris. Haec est firma mentium laetitia vera; haec est exultatio sancta; haec Deo digna festivitas. Sic plane sollemnes sumus: sic in aliqua apostolorum similitudine festa celebramus: sic etiam illud apostolicum munus adsequimur, ut praesentem Deum habere mereamur, per dominum nostrum Iesum Christum.

XLII. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE OCTAVA PASCHAE.

1. Post dies octo iterum erant discipuli eius intus, et Thomas ille, qui tunc cum eis non fuerat, quando gavisi sunt discipuli viso Domino; et qui referentibus postea discipulis dixerat, nisi videro fixuras clavorum, et mittam digitum meum in latus eius, non credam. Hoc ergo hodie, id est octavo post resurrectionem die, cum discipulis reliquis posito, venit Iesus ianuis clausis. Sic oportuit venire, ubi cor incredulitate clausum erat fidei luce reserandum. Non inmerito ergo etiam octavus dies pari aut paene pari devotione celebratur, qua ille celebratus est, a quo octavus iste numeratur. In illo enim resurrectio acta, in hoc confirmata est. Nec minus dura atque tenebrosa hic incredulitatis ianua, quam illic inferni porta, perrumpitur. Venit ergo, inquit, Iesus ianuis clausis. Est quod nos quoque cum Thoma dubitemus, nisi facti respiciamus auctorem. Sed si Deum esse, de quo loquimur, cogitemus, cui nihil invium, cui humanum quoque pectus pervium confitemur, nulla prorsus dubitatione tenebimur, quominus hoc idem corpus clausis introductum est ostiis, sicut clausis et incorruptis virginis matris eductum visceribus genitalibusque credamus. Unde in ipsa statim salutatione, pax inquit vobis. Hanc ergo nobis semper afferat, hanc a nobis reposcat, hanc in nobis inveniat, hanc relinquat. Deinde dicit Thomae: infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et pedes meos, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus sed fidelis. Non est meum meos ludifacere (a) phantasmate: vanam imaginem visus timeat, veritatem corporis manus et digitus exploret. Potest fortasse aliqua oculos caligo decipere; palpatio corporalis verum corpus agnoscat: spiritus, inquit, carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Quod ostia clausa penetravi, sola est virtus divini spiritus, sed non sine vera carnis substantia. Alioquin quid profuit me suscepisse hominem, si piguit suscitasse? Respondeamus ergo et nos, et fateamur cum Thoma, id quod miraculum divinae virtutis exposcit. Tu dominus meus et Deus meus! Nobis enim ille dubitavit, nobis exploravit, nobis credidit, nobis in illo Dominus manus et lateris vulnera contrectanda permisit. Dicit ei Iesus: quia vidisti me, credidisti; beati qui non viderunt et crediderunt. Habemus igitur et firmitatem palpata credentium, et beatitudinem non visa credentium. Scripta sunt haec, inquit *, ut credamus quia Iesus est Christus filius Dei. Et ut credentes, vitam habeamus in nomine eius.

cod. vat. [illegible] f. 133. b. et f. [illegible] Item vat. [illegible] f. [illegible] b. vat. 4951. f. 146. b. ottob. 977. f. 326.

f. 13[illegible] b.

* Ioh. XX, 31.

(a) Ita cod. A. Sed tamen B. C. D. *ludifi*[illegible].

f. 135. a. 2. De consequenti vero quam legi audivimus manifestatione eius, illud advertisse sufficiet, quod qui nocte tota inaniter retia arbitrio suo missa, indifferenter incerto latere traxerant *a*), in verbo Domini, luce iam reddita, missa in dextrum latus plena traxerunt. Illud vero quod in hac eadem manifestatione *b*) cum discipulis, sicut *c*) etiam aliis evangelii locis ante passionem refertur, cibum sumpsit, suspicionem phantasiae penitus avertit. Neque enim post resurrectionem corpus illud sustentaculis ciborum indiguisse credendum est, quod iam maiestas sola vegetabat. Traxerunt ergo in terram rete plenum non promiscuis piscibus, sed magnis piscibus, ex quibus nullum proiceret electio. Quid autem significet tam sublimis ista piscatio, sequenti relatione clarescit. Et cum tanti, inquit, essent non est scissum rete. Sic trahuntur retia, quae in Dei verbo ac voluntate mittuntur. Captura magna est, scissura nulla. Illi piscatores erant, quibus Salvator dixerat: venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. Quae ergo istis
f. 135. b. hominum piscatoribus retia, nisi doctrina fortissima veritatis, quam mendacii scissura non violet? Movet me in istis piscatorum verbis consentiens subalterius 1) loci relatio. Nec simpliciter *d*) in passione Domini refertur, tunicam ipsius ab his, qui sibi vestimenta eius dividebant, non fuisse scissam: ergo nec doctrina apostolica, quae in his apostolorum retibus figuratur; nec vestis dominica, quae ecclesia pura, sancta, catholica, pati umquam potest scissurae ullius foeda dispendia. Ubicumque igitur aliqua doctrinae scissura conspicitur, ibi non potest dominica vestis, nec magnorum, ut ait, piscium captura cognosci. Cavete itaque, dilectissimi, scissa illa ab integritate catholicae fidei haereticorum dogmata 2). Dominum nisi integra vestis non capit. Fideles Domino nonnisi integri retis captura constringit *e*). Cavete, dilectissimi; multae enim scissurae sunt, ne quis aliquando ad schismatum pannos ab huius vestis integritate desciscat. Multi fidelium in captivitatem deveniunt; multi haereticos dominos sustinere coguntur 3). Sed si non coguntur ad sa-
f. 136. a. crificia, quid refert, si coguntur ad sacrilegia? Sit ergo fidelibus etiam in captivitate corporis, fidei libera privata confessio. Haec singulis, et quod peius est, frequens ac familiaris est captivitatis persecutio. Si non desit fides, potest adesse martyrium. Per dominum nostrum Iesum Christum. Explicit 4).

a) A. *detraxerunt.* B. *traxerint.* C. *traxerunt.* — *b*) A. *in hanc eandem manifestationem.* — *c*) Cod. C. *sic.* — *d*) Cod. A. B. *simplicitas.* Desunt tamen verba *nec simplicitas* in codd. C. D. — *e*) Ita cod. C. Sed. A. B. *constringat.*

1) Ita evidenter codd. A. B. Num ergo novum vocabulum *subalter*, sicuti habemus *subalternus*? Codices tamen C. D. *alterius.*

2) Dicuntur haec contra schismaticos Donatistas.

3) Vides heic tempora Augustini, quibus barbari ariani praevalebant in Africa.

4) Post hunc sermonem sequitur in codice sermo sancti Ambrosii de octava paschae, sumptus ex commentario in Lucam X. 168. Hoc autem ideo adnoto, ut dicam corrigi a nostro codice illum locum ff. 173, de quo lis est Maurinis cum Petavio. Namque ubi in editione maurina legitur *Ammaoni et Cleophae*, in codice habetur *Cleopae et alio,* omisso illo mendoso *Ammaoni.*

XLIII. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE ASCENSIONE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI.

1. Fratres dilectissimi, cortinae hodie nubium per aethera *a)* tendun- cod. vat. 3835 f. 137. b.
tur, quia imperator angelorum revertitur ad caelum. Praeparatur cherubin aurea, ex utroque latere miro aethere gemmata, quam 1) ante iam vaticinabatur propheta, et cantabat caelesti harmonia per divini spiritus lyram: ascendit super cherubin, et volavit super pinnas *b)* ventorum. O cherubin, quae est meritorum tuorum sacra conlatio? In te Dominus sedet, abyssos videt.
Et ubi videt abyssos, tres audivimus pueros *: qui intueris abyssos, sedens * Dan. III. 55.
super cherubin. Ascendit ergo Dominus post sepulchrum caelum, post crucem thronum. Deducamus oculis cordis usque ad consistorium maiestatis;
quia deduxit Elisseus magistrum Heliam *, cum eum videret in curru flam- * IV. reg. II. 11.
meo *c)* volantem; et accepit geminati spiritus hereditariam potestatem; quem cum videret equis vectatum ignitis, emisit clamorem validae vocis in dolore cordis de ascensu doctoris: pater mi, pater mi, currus Israhel, et
quadriga * eius; et non vidit eum amplius. Tunc accepit ab eo meloten * ita cod.
pelliciam, quam Elisseus sumeret * arma, et divideret ripam iordanicam. * ita cod.

2. Hoc faciebant et dilecti apostoli domino Salvatori, cum conscende-
ret caelum caelorum, portatus nubibus candidatis ad orientem regni cae- f. 138. a.
lestis. Clamabant post eum apostoli omnes tamquam passeres dulces: Christe domine, dominetur casta speciosa columba: clamasti nobis de ulmo *d)* crucis, gemens pro nobis gemitum pietatis. Huc hodie habes nidum in dextra patris; collige pullos tuos a malis acceptoribus 2) iudaeis, nos quos rege-
nerasti in carne assumpti hominis; congrega nos sub alarum tuarum teg- * ita cod.
mine specioso, ut non dissipemur a iudaico argumento *. Tu enim promisisti dicens: « Hierusalem, Hierusalem, quotiens volui colligere filios tuos » sicut gallina pullos suos! » Promisisti in terris: ascendis victor in caelos *e)*: memento Domine pretiosi *f)* sanguinis tui: collige ad te, quos emisti, in illo glorioso habitaculo tuo, ubi tu sempiterna praesides maiestate, ubi et nos mercedis nostrae recipiamus honorem. Tu dixisti non relinquam vos orphanos *g)*. Ascendis *h)* hodie laureatus, et contristatur noster apostolatus, nisi paracletus *i)* veniat advocatus. Ascendit Dominus super caelos caeli, ut caeli enarrent *k)* gloriam Dei, et angeli dicant angelis quod Spiritus sanctus can-
tabat in psalmis *: « adtollite portas principes vestras *l)*, et elevamini portae * Ps. XXIII. 7.
» aeternales, et introibit rex gloriae. Quis est iste rex gloriae? Dominus » fortis et potens, Dominus potens in proelio: » praedestinatus in evangelio, exultans pater in filio, simul cum Spiritu sancto. Ipse est gloriae rex, et caput ecclesiae: ipse redit ad nos qui numquam deserit nos; quia

a) 1. m. *aera*. — b) 2. m. *pinnas*. — c) *Currum flammeum*. — d) 2. m. *culmo*. — e) Cod. *caelis*. — f) Cod. *praetio*. — g) Cod. *orf*. — h) Cod. *ascendes*. — i) 2. m. mendose *paraclytus*. — k) Cod. *enarrarent*. — l) Cod. *vestri*.

1) Vides femineo generi dari cherubin. Graeci solent neutri.

2) *Acceptor* pro *accipiter* fuisse Lucilii vocabulum, testis est Charisius, ut iam observavit Forcellinus. Addatur nunc lexicis exemplum Augustini.

sic descendit ad inferos, non deserens caelos. Ascendit ergo in altum *a*), caelo patefacto; mundo redempto, captivam duxit captivitatem, paternam perficiens voluntatem. Ascendit in iubilatione, elevatus candida nube, in voce tubae caelestis, in throno quietae salutis, communi *b*) gloria patris. Supplicemus ut mittat nobis Spiritum sanctum paracletum *c*) huius comitem trinitatis; ut psallamus ei dicentes ALLELUIA; celebrantes cottidiana sollemnia; quia facta est caelis et terris una consortio *d*), ad caelos revertente paternamque substantiam *e*). Explicit.

XLIIII. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE ASCENSIONE DOMINI.

1. Glorificatio domini nostri Iesu Christi 1) resurgendo, et in caelos hodie ascendendo completa est. Resurrectionis diem *f*) ipsius paschae dominico celebravimus; ascensionis vero diem hodie celebramus. Festus nobis dies uterque inluxit: ideo enim resurrexit, ut nobis exemplum resurrectionis ostenderet: et ideo ascendit in caelos *g*), ut nos desuper sua misericordia protegeret. Christi enim resurrectio, cunctorum est populorum redemtio. Ergo Salvator redivivum corpus assumpsit, et inter florentes arbores, inter candentia lilia, carne iam mortua refloruit. Resurrecturi sunt enim et homines de sepulchris suis, ut cuncta virentia quae videmus ligna, redeunte anno resurgent, quodammodo ut imago Dei nunc resurrectura. Sic enim post hiemalis rigoris frigidam quodammodo sepulturam, pullulare elementa omnia festinant, ut resurgente Domino et ipsa resurgere videantur. Nam utique ex resurrectione Christi Iesu aër salubrior, sol calidior, terra fecundior. Ex eo surculus virescit in frutice, herba crescit in segete, vinea laetatur in palmite. Si igitur cum reflorescit Christi caro, omnia floribus vestiuntur, necesse est ut homo aliquando credat se esse resurrecturum. Floruit igitur Dominus cum resurrexisset de tumulo, fructificat cum ascendit in caelum. Nam ascendens in caelum, ad patrem scilicet, fructum suae carnis reportavit, et ipse in se per spem nostram nos conlocavit, et in discipulis iustitiae semina dereliquit. In resurrectione namque Christi tartarum aperitur, neophyti *h*) ecclesiae sinu suscipiuntur, innovatur terra, caelum per Spiritum sanctum reseratur: aperto enim tartaro *i*) mortui redeunt ad vivos, innovata *k*) terra germinat resurgentes, caelum reseratum suscipit ascendentes, sanctorum corpora ingrediuntur in sanctam civitatem.

(cod. vat. 3835. f. 157. a; vat. 3828. f. 172. b.) (f. 157. b.)

2. Habemus ergo dominum et salvatorem nostrum Iesum Christum: credimus enim illum prius pendentem in ligno; nunc credimus iam sedentem in caelo: pretium nostrum dedit cum penderet in ligno, collegit quos redemit cum sedit in caelo. Cum enim omnes collegerit, quos utique per

(f. 158. a.)

a) Cod. *alto.* — *b*) Cod. *commune.* — *c*) Cod. *paraclitum*; sed ante *paracletus* lectum est. — *d*) Cod. *consortia.* — *e*) A. *paternaque substantia.* — *f*) Cod. C. *resurrectionem ipsius.* — *g*) A. B. *caelis.* — *h*) B. *neophytus suscipitur.* — *i*) A. B. *apertum tartarum.* — *k*) Codex uterque mendose *invocata.*

1) Sic incipit sermo CCLXIII. in editione maurina, qui tamen paulo post plane fit diversus ab hoc nostro. Ceteroqui denuo maurinus redit ad nostrum, qui rursus dissidet a maurino in tota clausula.

tempora collegit, in finem temporis veniens ipse restituit. Et quomodo scriptum est, Deus manifestus *a*) veniet *, non quemadmodum occultus venit; * Ps. XLIX, 3. occultum enim oportebat eum venire, ut propter nos iudicaretur. Manifestus veniet, ut non iam iudicetur, sed ut ab omnibus iudex videatur. Si enim prius manifestus veniret iudicare, quis eum auderet *b*) tenere? Nisi ille humiliter veniret, nostrum nullus redimeretur. Quandoquidem de ipso dicit apostolus Paulus *: si enim cognovissent, numquam dominum gloriae * I. Cor. II, 8. crucifixissent. Sed si ille non occideretur, mors non moreretur. Trophaeo *c*) suo diabolus victus est. Exultavit enim diabolus quando hominem primum seducendo in mortem deiecit. Secundo, sine causa mortem inferendo, primum hominem occidit; occidendo, causam quam tenebat amisit; novissimum primum de laqueo perdidit.

3. Facta est ergo vera victoria domini nostri Iesu Christi, cum ad inferos descendit, et universorum vincula dissolvit. Alligavit fortem, et vasa f. 158. b eius diripuit. Resurrexit et ascendit in caelos *d*). Et impletum est quod audistis cum apocalypsis legeretur: vicit leo de tribu Iuda *. Ipse leo dictus * Apoc. V, 5. est; ipse agnus occisus est: leo propter fortitudinem, agnus propter innocentiam: leo quia invictus, agnus quia mansuetus. Et iste agnus occisus morte sua vicit leonem illum; leonem qui quaerit quem devoret. Dicitur enim et diabolus leo feritate non virtute. Apostolus quippe ait Petrus *: vigilare nos oportere adversus temtationes; quia adversarius, inquit, ve- * I Petr. V, 8. ster diabolus circuit sicut leo quaerens quem transvoret 1). Sed quomodo circuit, dixit: sicut leo rugiens circuit quaerens quem devoret. Quis non incurreret in dentes leonis huius, nisi vicisset leo de tribu Iuda? Contra leonem leo, contra lupum agnus. Exultavit diabolus quando mortuus est Christus; sed in ipsa morte Christi est diabolus victus: tamquam in muscipula mortem Christi escam accepit. Gaudebat ad mortem Christi, quasi praepositus mortis: de quo gaudebat, inde illi tensum est; et nesciebat quia ibi laqueum tensum habebat. Muscipula diaboli crux Christi est: esca f. 159. a. qua caperetur, caro Domini fuit. Et ecce resurrexit dominus Iesus Christus, in caelos *e*) ascendit, et viam nobis perveniendi ad caelum ostendit. Ubi est, mors, qui pependit in ligno? ubi est insultatio Iudaeorum? ubi est typhus 2) et superbia caput ante crucem agitantium et dicentium: si filius Dei est, descendat nunc de cruce. Ecce plus fecit, quam illi insultando exigebant: plus est enim de sepulchro resurgere, quam de ligno descendere.

4. Iam vero quanta gloria est, quod ascendit in caelum, quod ad dexteram patris sedit! Sed hoc oculis carnis non cernimus, quia nec pendentem in ligno vidimus, nec resurgentem de sepulchro conspeximus. Totum hoc

a) Ita cod. A. B. *manifestus*. — *b*) A. *auderet*. — *c*) A. *tropaeo* — *d*) A. *in caelo*. — *e*) A. B *caelos*.

1) Ita codices duo antiquissimi A. B. Porro hoc ego vocabulum (ex italica vetere) libenter observo apud afrum hominem Augustinum; quandoquidem vocabulorum *transvoratio*, et *transvoro*, nonnisi ex afris auctoribus Caelio Aur., Arnobio, atque Apuleio, refert exemplo Forcellinus. Nunc vero illic addatur haec quoque Augustini auctoritas.

2) Typhus pro fastu. frequenter apud Augustinum.

fide tenemus, et oculis cordis intuemur. Laudati quidem sumus quia non vidimus et credidimus. Nam Christum viderunt et Iudaei, sed crucifixerunt eum. Non est magnum videre Christum oculis carnis, sed magnum est tenere Christum oculis cordis. Si modo Christus nobis praesentaretur, et
f. 1..9. b. stans ante nos nihil nobis loqueretur, unde scire poteramus quis esset? Deinde tacens, quid nobis prodesset? Nonne melius in evangelio absens loquitur, quam praesens taceret? Et tamen non est absens a nobis, si corde quidem teneatur. Crede in illum, et intus est 1). Non est quidem ante oculos tuos, sed possidet cor tuum. Nam si absens esset a nobis, quod modo audivimus, non verum sed mendacium esset: ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Explicit.

XLV. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE SANCTI IOHANNIS BAPTISTAE.

cod. vat. 183.. f. 203. b. 1. Gratias agimus domino Deo nostro 2), Fratres karissimi, qui nos ad videndum sanctitatem vestram sua miseratione perduxit, et donavit nobis hoc gaudium quod mutuo *a)* invicem habemus affectum. In cuius ergo nomine vos salutamus, ipse debet esse auctor nostri sermonis, qui est largitor nostrae salutis. Nam [de] quo alio aliud loquamur vobis *b)*, nisi de illo qui modo ex evangelio loquebatur omnibus nobis? Zacharias itaque sacerdos Dei summi cum in ordine vicis suae sacerdotio fungeretur, intrat in sancta sanctorum, et populus sequebatur eum, ut cum illo Dominum orarent in templo. Cumque sacris altaribus adsistens Deo munera devotus offerret *c)*, apparuit illi angelus Domini stans a dextris altaris in illa hora supplicationis. Cumque Zacharias viso eo formidine turbaretur, ait illi angelus: ne timeas Zacharia, exaudita est enim deprecatio tua; etenim Elisabeth uxor tua concipiet et pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Iohannem. Et Zacharias respondit: unde mihi hoc? ego enim sum senex, et uxor mea sterilis *d)* et processior 3) in diebus suis. Angelus a Domino nuntiat
f. 204 a. Zachariae filium nasciturum; et ille, se suaque coniuge aetate provectis *e)* dubitat esse futurum: et cum hoc negat aetati *f)*, non credidit maiestati. Oblitus quippe, nihil inpossibile Deo. Cui angelus respondit: quoniam non credidisti verbis meis, quae implebuntur in tempore suo, ecce eris mutus, nec loqui poteris, donec impleatur verbum Dei 4).

a) Ita cod. 2. m. Sed malim *mutuum*. — *b)* Cod. *nam quo alio aliud loquebamur nobis*. — *c)* 2. m. *offereret*. — *d)* Cod. A. saepe *sterel*. sed non semper. — *e)* Cod. *se suamque coniugem aetate provectus*. — *f)* Cod. *aetate*.

1) Gravissime commendat necessitatem utilitatemque fidei noster Augustinus in ps. XXXI. enarr. II. n. 4. *Nemo computet bona opera sua ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas quid homo faciat, sed quid cum facit adspiciat.* Praeterea in libro de fide et operibus n. 11. *Quidquid homo velut recte fecerit, nisi ad pietatem quae ad Deum est, referatur, rectum dici non oportet.* Haec legant pseudo-philanthropi, et qui pompaticam quandam vanamque iustitiam absque vera religione affectant.

2) Diversus est hic sermo Augustini, a XXIV. maur, et ab illo qui est in appendice n. CCCIII, quamquam eadem initii verba sint. Patet autem dictum fuisse hunc sermonem ab Augustino reduce ad suum populum, post iter aliquod, cujusmodi ab eo interdum suscipiebantur vel concionandi apud exteros causa, invitantibus episcopis, vel ut synodis interesset.

3) Animadverte novum vocabulum *processior* comp. a *processa*.

4) Praeluditur heic fidei christianae. Namque ut

2. Quid *a*) putamus, Fratres karissimi? quia sacerdos ille ideo intraverat in sancta sanctorum, ut filios precaretur a Domino? Absit. Dicit aliquis: unde hoc probas? Unum est, quod breviter *b*) dico. Si petisset filium, crederet adnuntiatum. Angelus ei dicit quod filius nasceretur, ille non credidit. Certe hoc probaverat. Quis rogat sine spe? aut quis non credit in spe? Si non speras, quare petis? Si speras, quare non credis? Interea Elisabeth conceptum portabat infantem: (in) publicum prae pudore munus egredi nolebat, quia quod habuit erubescebat: non condicione erubescebat parilitatis, sed pudor eam revocabat provectae aetatis: munus iuventutis tempus protulit senectutis: non peperit tempore quo volebat, et genuit aetate quando nolebat: lactavit infantem in senectute, quae fuit sterilis in iuventute. Hoc non fuit communis carnis affectio, sed erat divinae ma- f. 204. b
iestatis promissio. Zacharias enim filium ex se nasci non credebat: Deus autem prophetam mittere disponebat. Natus ergo Iohannes ex semine virili, sed praecepto verbi divini. Natus est, inquit, propheta non sine patris invidia, quem suae mentis praepedivit perfidia 1). Non credidit divino praecepto, et vinctus est linguae inpedimento. Infans in utero matris exultavit, et de ventre prophetavit. Unde, inquit, hoc mihi ut mater Domini mei veniat ad me? Magna humilitas, Fratres mei! mater Salvatoris venit ad matrem Praecursoris. Salutabat Christum Iohannes, et ambo non videbantur in carne. Christus enim in utero Mariae hospitabatur *c*), et Iohannes in ventre Elisabeth *d*) portabatur. Denique et ipsa vox prophetica ex persona Christi cecinit dicens *: « prius quam te formarem in utero novi te, et ante * Hier. I. 5
quam exires de ventre sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te. » Beatae sunt talium matres, quae sanctorum factae sunt genetrices *e*)! et beatae semper erunt, quae talium matres dici meruerunt 2)!

3. Agnoscamus itaque amborum nativitates, et discernamus singulorum admirabiles *f*) generationes: iste de sterili *g*), ille de virgine: sterilitas conversa f. 205. a
est in fecunditatem, virginitas mansit post fecunditatem: sterilis genuit praeconem, virgo genuit iudicem. Elisabeth genuit Iohannem baptizatorem, Maria peperit Christum salvatorem. Haec duo, Christus et Iohannes: dominus et servus: humilitas et claritas: Deus humilis in claritate, homo humilis in infirmitate 3): Deus humilis propter hominem 4), homo humilis propter se hominem. Deus enim humilis ut prodesset *h*) homini, homo humilis ut non obsit *i*) sibi 5). Agnoscat servus humilitatem suam, ostendat Deus maiesta-

a) Cod. *quod.* — *b*) Cod. *brebiter.* — *c*) Cod. *osp.* — *d*) Cod. hoc loco et infra *Helisabeth.* — *e*) 2. m. *genitrices.* — *f*) Cod. *admiravites.* — *g*) A. *sterile.* — *h*) Cod. *prodesse.* — *i*) Cod. *obset.*

ait Augustinus confess. lib. VI. 7. *Doctrina catholica iubet ut credatur etiam id quod non demonstratur. Durus est, hic sermo,* inquit idem Aug. serm. CXXXI, *sed duris; hoc est incredibilis, sed incredulis.* Et de quant. animae n. 12. *Auctoritati credere, magnum est compendium.* Confer serm. vat. XXII.

1) In serm. LVI. ed. Paris. ex cod. casin. locus est huic similis, sed cum mendo *praesidia* pro *perfidia.*

2) Audacter propemodum SS. Mariae fidem commendat Augustinus his verbis (de s. virginitate n. 3.) *Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.*

3) Pie Augustinus confess. lib. XI. 41. *O quam excelsus es, Domine, et humiles corde sunt domus tua!*

4) Augustinus serm. ed. CXXIII. 1. *Medicina tumoris hominis, humilitas est Christi.*

5) Rursus iuvat recitare Augustin. Ep. CXVIII. 22.

tem suam. Dicat idem Iohannes, non sum dignus corrigiam calciamentorum eius solvere. Multum se humiliaverat, si diceret dignus sum. Quid enim si diceret dignum, numquid sederet in iudicio ad dexteram patris? Numquid veniret ad iudicandos vivos et mortuos? Sed quid dicit? « Me
* Ioh. III. 30. » oportet minui, illum autem crescere*. Qui post me venit, ante me factus
* Joh. I. 27. » est; cuius non sum dignus corrigiam calciamenti solvere*. » Magna humilitas! Et hic *a*) est dignus amicus sponsi; dicturus enim erat amicum se esse sponsi. Et ne illa amicitia aequalitas forte ab aliquo inprudente intellege-
f. 205. b retur, dicit se amicum propter amorem, deiecit se ad vestigia propter timorem.

4. Agnoscamus ergo haec duo, et in ipsa differentia passionum intellegamus, quid est, illum oportet crescere, me autem minui. Legimus Iohannem passum martyrem pro legis veritate, non pro Christi nomine; non omnino pro ipso nomine Christi; neque enim ideo decollatus est Iohannes, quoniam confessus est Christum, aut quoniam cogebatur *b*) negare Christum; sed quoniam monebat temperantiam, monebat iustitiam, et dicebat Herodi: non tibi licet habere uxorem Philippi fratris tui; ideoque occisus est. Si ergo occiditur non pro Christi nomine, tamen pro legis veritate, quia veritas Christus est. Loquantur ergo ambae istae passiones, illum oportet crescere, me autem minui: illum dicit in cruce exaltari, se autem capite decollari: ille crevit in ligno, hic est deminutus in gladio. Locutae sunt passiones hoc mysterium: loquantur et dies: nascitur Christus 1), et augetur dies; nascitur Iohannes, et minuitur dies. Minuatur ergo honor hominis, et augeatur honor Dei, ut honor hominis inveniatur in honorem Dei. Explicit.

XLVI. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE SANCTI IOHANNIS BAPTISTAE 2.

cod. vat. 1835. A. f. 209. a. Et 3828. B. f. 183. a. Et 480. C. f. 170. a. Urbin. 77. D. f. 306. b.

1. Cum et patriarchas pariter et prophetas, et universos denique sanctos qui sub antiqua lege vixerunt, ecclesiae Christi sancto honore venerentur *c*), scire nos convenit *d*), dilectissimi, quur solius tantum *e*) Iohannis prophetae nativitatis diem colat populus christianus, praesertim cum multos prophetarum passos et interfectos pro Dei nomine atque honore manifestum sit; secundum illud Domini dictum, quo per Stephanum Iudaeos increpat

a) Cod. *hoc.* — *b*) Cod. A. *cogitabatur.* — *c*) C. D. *ecclesia veneretur.* — *d*) D. *vos.* — *e*) Ita A. B. Al *tamen.*

Nec aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatem viam munias, quam quae munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus vidit infirmitatem, Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas; et quoties interrogares, hoc dicerem. Quoties me interrogares de praeceptis christianae religionis, nihil me aliud respondere, nisi humilitatem, liberet. Huic humilitati saluberrimae, quam Dominus noster Iesus Christus, ut doceret, humiliatus est, maxime adversatur quaedam, ut ita dicam, imperitissima scientia etc. Passim vero, doctissimus alioquin in omni scientia Augustinus, in scriptis suis christianam humilitatem impense commendat. De humilitate Christi habes sermonem vatic. XXII.

1) Idem Augustinus in serm. maur. CXCII. 3. *Hodie natus est* (*Christus*) *quo die minor dies nullus in terris, a quo tamen incrementa dies sumunt.*

2) Sermo qui sequitur multam habet similitudinem cum serm. XVIII. a nobis item edito. Porro lectio codicis B. paulo recentioris, melior saepe est quam antiquioris A.

dicens *: quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Cum ergo agnoscamus etiam tunc sanctos Dei persecutionem sustinuisse atque martyrium, quid est quod ecclesia Christi non defert his nataliciis sollemnitatem, quorum suscipit atque amplectitur passionem? Illud scilicet, dilectissimi, quia iidem populi *b*) dies illos, quibus *a*) prophetas persecuti sunt et interfecerunt, tradere cultui ac memoriae noluerunt; scilicet ne religiosa posteritas, dum passiones sanctorum coleret, scelus persecutorum semper horreret: ac sic oblitterando martyrum dies, fecerunt memoriam sanctorum natalium non esse diuturnam, dum timent recordationem malorum suorum esse perpetuam. Sed nihil tamen egerunt hoc faciendo. Quid enim eis prodest, quod dies martyrii eorum ignoramus, dum *c*) ipsos martyres novimus? Nihil ergo profecerunt. Natales quidem sanctorum pro Christo passorum *d*) scire non possumus, sed cottidie tamen prophetas, qui pro Deo passi sunt, honoramus; ac sic grandi compendio exigua detrimenta pensantur; cum, quibus singuli dies sublati sunt per oblivionem, tempus omne tribuitur ad honorem.

* Act. VII 52. f. 209 b.

2. Quid ergo est? Cum haec ita sint, quid est quod natale tantum sancti Iohannis, aut per odium aut per neglegentiam Iudaeorum, fidelibus non delevit *e*) oblivio? Illud scilicet quia eo *f*) tempore, quo beatus Iohannes passus et interfectus est, iam coeperat nasci populus christianus; et ideo f. 210 a.
cultum martyris, quem neglectura Iudaeorum fuerat impietas, Christianorum pietas consecravit: maxime quia eum licet sub vetere lege vixerit *g*) non tam Iudaeorum prophetam quam suum esse martyrem iudicavit; quia praedicans fidem Christi, eius utique confessor fuit, cuius praecursor advenerat; et doctrinam iam evangelicam primus inchoans *h*), pro eo utique passus est martyrium, cuius adnuntiavit adventum. Nec inmerito legem ac prophetas usque ad Iohannem Baptistam fuisse legimus, quia in eo utique lex vetus desiit, a quo praedicatio primum novella surrexit. Quod si vultis plenius intellegere, videte evangelistam qui lectus est, principium scripturae sacrae a beatissimi Iohannis praedicatione sumentem. Videtis *i*) quam congrue usque ad Iohannem lex esse memoretur: recte enim finis esse veteris legis dicitur, quia exordium est evangelii. Nec solum hoc. Quid enim evangelista subiungit? Fuit, inquit, Iohannes in deserto baptizans et praedicans. Hoc quod in deserto sanctus Iohannes scribitur praedicasse, non otiosum est, dilectissimi. In deserto enim, hoc est *k*) in occulto loco, gentilis populus designa- f. 210 b.
batur; qui utique adhuc tunc solitarius et sine Deo errans, ferino poenitus ac beluino *l*) more vivebat. Iohannes ergo missus ad praedicandum adventum Domini et ad nuntiandam omnibus fidem Christi, ideo Iudaeorum civitates reliquerat, quia in deserto ecclesiam requirebat; secundum illud: laetetur desertum ac floreat sicut lilium. In deserto ergo, ut diximus, dilectissimi, populus gentilis: in liliis *m*) sancti quidem homines ac fidelissimi designan-

a) Codd. *deferet.* — *b*) Al. *per eundem populum.* — *c*) A. B. *qui.* — *d*) A. B. *sanctarum passionum.* — *e*) A. *delebit.* — *f*) C. D. *ex.* — *g*) A. B. mendose *dixerit.* C.D. *direxerit.* — *h*) A. B. *incoans.* — *i*) D. C. *videte.* — *k*) A. B. *et.* — *l*) A. *veluino.* — *m*) A. *liliis.*

* Is. XXXV. 1 tur. Et ideo « laetetur, inquit, desertum, et floreat sicut lilium *. » Bene liliis sanctos scriptura conparat, habentes utique et nitorem simul et suavitatem; nitorem ex castitate, suavitatem *a*) ex mansuetudine. Sancti enim quasi lilia Dei *b*) sunt, dilectissimi, et odoris boni et candoris eximii: candorem
II Cor. II. 15. quidem habentes ex puritate, odorem ex suavitate; sicut apostolus ait *: quia Christi bonus odor sumus Deo. Haec ergo lilia in deserto, id est in ecclesia prophetis atque apostolis inserentibus nata, mutua sibi pace et caritate coniuncta, coronam Christo candidam texuerunt; secundum illud
* Phil. IV. 1. apostoli quo *c*) ait, sanctos coronam suam esse dicens *: Fratres, gaudium et
f. 211. a. corona mea, sic state in Domino. Fuit ergo, inquit, Iohannes praedicans in deserto; in deserto utique, sicut et alius evangelista dicit: factum est Dei verbum super Iohannem Zachariae filium in deserto.

3. Bene evangelista nativitatem volens incipientis ecclesiae demonstrare, licet praedicare in Iordane *d*) dixerit, verbum tamen Dei in praedicantem venisse memoravit; ut intelligeremus *e*) scilicet, ecclesiam *f*) non tam ab homine quam a divinitate coepisse. Factum est enim, inquit, verbum Dei super Iohannem. Ergo licet Iohannes tunc praedicaverit, ecclesia tamen a verbo Dei coepit; significans ecclesiam in verbo Dei et fide Christi fundatam *g*). Fuit ergo, inquit, Iohannes praedicans *h*) baptismum paenitentiae. Plenius hic iam, dilectissimi, et apertius typus ecclesiae demonstratur; erat enim, inquit, praedicans baptismum paenitentiae; et baptizabantur ab eo confitentes peccata sua. Visibiliter hoc quidem, dilectissimi, agi in Iudaeorum populo videbatur, figura tamen rei ipsius ad ecclesiam pertinebat. Qui enim agunt paenitentiam, nisi ecclesiae tantum filii et christiani homines ab errore conversi? Numquid enim hoc perfidis nunc Iudaeis prodest, qui non modo se errasse ante non paenitent, sed cottidie errores suos augent? Quomodo enim peccatorum suorum paenitentiam agunt, qui Christum etiam ho-
f. 211. b. die persequuntur? Baptizabantur ergo, inquit, confitentes peccata sua. Iudaeus itaque populus tunc baptizabatur, sed terra iam sanctae *i*) ecclesiae purgabatur. Videtis ergo, dilectissimi, hoc christianis et sanctis tantummodo convenire, qui peccata sua et in baptismo confitentur 1), et post baptismum emendare contendunt *k*); quorum propositum paenitentia est, quorum vita confessio, qui incessabiliter *l*) se purificantes cottidiano baptismo lavantur *m*). Quod ut faciatis, dilectissimi, hortor et obsecro; et vel quasi praepositus vester salubriter moneo, vel quasi pater amabiliter exigo.

a) Hem inconstantiam heic *suabilitatem*, quum paulo ante scriptum sit *suavitatem*. — *b*) in C. D. deest *Dei*. — *c*) Al. *quod*. — *d*) Ita codd. Num pro *Iohanne*? — *e*) Etiam A. hoc loco *intellig*. At alibi passim *intelleg*. — *f*) Deest *ecclesiam* in B. — *g*) Novem praec. verba desunt in codd. A. B. — *h*) A. B. *baptizans*. — *i*) Deest *sanctae* in B. C. — *k*) C. D. *satagunt*. — *l*) A. *incessaviliter*. — *m*) A. *labantur*.

1 Ad adultorum baptismum requiri peccatorum paenitentiam, tum per se patet, tum et Tertullianus adfirmat de paen. cap. 6. *Lavacrum illud obsignatio est fidei, quae fides a paenitentiae fide incipitur et commendatur*. Quin etiam peccatorum confessionem ante baptismum exigebat Cyrillus hierosol. Catech. I. 5, ubi videsis Toutaei adnotationem. Ceteroquin, quia plenissimam peccatorum ablutionem facit baptismus, confessione verbali apud iudicem sacerdotem opus non est, quia nihil ab eodem iudice in baptismo posset retineri. Atque haec est catholicae ecclesiae praxis communis.

1. Cum loco hoc, dilectissimi, beati Stephani et Iohannis reliquias 1) multorumque aliorum conditas noveritis, videtis autem hodierna hic festa celebrari, forsitan quidam vestrum, natalem eorum quos nominavi esse existimant; quod non ita est, dilectissimi. Natalem enim illorum sequenti, si Deus annuerit, tempore honoraturi sumus; nunc autem translationem ipsorum honoramus. Praeclare ergo, ut videtis, dilecti, ecclesiae nostrae Deo donante concessum est, ut sanctorum martyrum cultum *a*) alio tempore in natalibus coleret 2), etiam nunc geminata festivitate celebraret. Gratias ergo Domino, quod vincimus obsequio eorum ceteras civitates. Multae urbes natalem tantum illorum *b*) celebrant, nobis etiam translatio quasi natalem alterum dedit. Peculiaris itaque est nobis frequentatior ista sollemnitas. Peculiarius aliis obsequiis beatissimos martyres nobis reddidistis debitores. Illi semel pro Deo passi sunt, et nobis contigit duplicata festivitas. Haec ergo de sollemnitate praesenti; nunc etiam de psalmo aliqua dicamus.

Cod. vat. 3828. f. 138. a.

2. Cantate Domino canticum novum, laus eius in ecclesia sanctorum*. Nemo vestrum, dilecti, cum invitari nos a propheta ad canticum novum audit, voces tantum nostras desiderari Deo credat. Deus enim, ut credimus, non tam linguae auditor est, quam fidei; nec tam dulcedine cantuum, quam cordium delectatur affectu. Sicuti idem psalmista alibi docet dicens*: clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine. Videtis, dilecti, quod propheta eloquio vocis placari *c*) voluit, quem fide ac pietate animi subplicavit; et ideo clamavi, dixit, in toto corde meo, exaudi me Domine. Fiducialiter utique exaudiri se a Domino postulavit, qui toto ad Deum corde clamaverat. Unde intellegitis, quod cum psalmus qui lectus est, novum a nobis canticum exigat, ad profectum nos ac devotionem cordis invitat. Cantate enim, inquit, canticum novum. Quid est novum canticum, dilecti? nova utique viventium disciplina 3), secundum illud quod apostolus dicit*: vetera transierunt, facta sunt omnia nova, omnia autem ex Deo. Quomodo omnia nova facta sunt? quia Christus ad terras veniens, antiquae legis observantiam reppulit, et novae fidei gratiam consecravit. Cantate ergo, inquit, canticum novum. Bene canticum novum in ecclesia dixit esse sanctorum: nam cantico novo vitae sanctitas indicatur. Necesse est ubi cantatur canticum novum, novam ibi esse ecclesiam sanctorum.

* Ps. CXLIX.

* Ps. CXVIII 145.

* II. Cor. V. 17.

3. Ac per hoc, dilecti, cum intellegitis quod ad emendationem vos psalmista et profectum vocat, incipite et vos cantare canticum novum, ut incipiatis

a) Cod. *cultu*. — *b*) Cod. *illum*. — *c*) Cod. *placeri*, fortasse pro *placere*. — *d*) Ita cod.

1) Animadvertamus sancti quoque Iohannis (Baptistae puto) reliquias apud Hipponem regium. Nam de sancto Stephano quidem sic Hippone loquebatur Augustinus serm. ed. CCCXVIII. 1. *Nos in isto loco non aram fecimus Stephano, sed de reliquiis Stephani aram Deo.* Plura dicit idem Augustinus de S. Stephani apud eandem urbem memoria et miraculis lib. XXII. 8. de C. D.

2) Adnotent heic heterodoxi martyrum cultum.

3) Confer Augustinum in sermone ed. XXXIV. qui est *de cantico novo*. Item in enarratione psalmi CXLIX.

et vos omnes ecclesia esse sanctorum. Unde et vos, dilecti, si novum can-
tare canticum vultis, novam vitae sinceritatem Deo debetis. Nemo enim
f. 138. b. novum canticum cantat, qui in antiquitatis vitiis perseverat. Hoc autem a
christianis longe abesse debet, quia omnis qui ad ecclesiam catholicam ve-
nit, novum se canticum cantaturum, id est novam vitam acturum se esse
promittit. Cum enim gentilis fuerit, ut christianus fiat, sicut mutatur vo-
cabulo, sic debet mente mutari. Et ideo quod novum nomen accepit, no-
vam vitam ingredi debet: quia miserum et perniciosum est, quod qui chri-
stianus sit nomine, paganus sit pravitate: et cum nova est professio in re-
ligione, sit vetus error in moribus. Ideo siquidem et Dominus noster in
* Matth. X. 5. evangelio *, quod paulo ante audistis legi, in viam *a*) inquit gentium ne abie-
ritis. Quae est via gentium, dilecti? Gentilis utique perversitas. Ac per hoc
paganorum viam ingreditur, qui paganitatis vitia *b*) sectatur. Quae est via
gentium, dilecti? Omnis scilicet error, omnis libido, omnis inpuritas. Unde
* Eph. IV. 17. 19. etiam monet nos apostolus dicens *: hoc ergo dico et testificor in Domino,
ut iam non ambuletis sicut et gentes ambulant. Et paulo post: qui desperan-
tes, semet ipsos dederunt in inpudicitiam, in operationem erroris 1) et in-
munditiae omnis, in avaritiam *c*). Et avaros pariter et inpudicos, gentiles esse
* Eph. V. 5. apostolus dixit *. Videtis ergo quod quicumque christianus avarus est, genti-
lium vias sequitur: quicumque inpudicus est, in gentium pravitate versatur.
Fugite hanc viam, dilecti. Gentilis utique via est lascivitatem 2) sequi,
ebrietate pollui. Gentilis via est, inpudicitia sordidari. Vitanda est ergo haec
via, dilecti, quia via talis perniciosa est, quia talis non est via. Illa enim,
dilecti, illa recta via appellatur, quae ambulantem errare non sinit, quae
itinerantem recto itinere perducit. Haec autem, de qua diximus, vitiorum
via; quia viatorem suum non ducit, sed inducit 3). Fugite ergo hanc viam,
* Ioh. XIV. 6. dilecti. Habetis enim et vos ducem Dominum *. Via vestra, fides est; via
vestra, sobrietas est; via vestra, caritas; via vestra, sinceritas; via vestra,
Dei timor; via vestra, Dei amor; via vestra, aeterna vita est; via vestra,
aeterna felicitas est. Hanc diligite, hanc sequimini, hanc tenete. Grande
enim praemium huius viae est, dilecti. Quicumque hanc viam non reli-
querit, Christum perpetuo possidebit 4).

a) Cod. *via*. — *b*) Cod. *vita*. — *c*) Cod. *avaritia*.

1) Ita cod. Et observemus bonam apud Paulum lectionem *erroris*, quae tamen neque in graecis neque in latinis editionibus extat.

2) Adde hoc novum exemplum vocabuli *lascivitas* illis afri Coelii Aureliani et Firmici Materni.

3) Nempe *decipit*, ut grammatici sciunt.

4) Hunc sermonem subsequitur in codice alius eiusdem Augustini dictus in natali S. Stephani; qui reapse idem est ac sermo ed. CCCXXVII, dictus de communi martyrum, exceptis tantum quatuor primis verbis *natale beatissimi martyris Stephani*, et clausula quae ita se habet. *Sanctus admirabilis martyr Stephanus, cuius hodie sollemnitas celebratur, quam bonam vitam habuit! Israheliticam vitavit causam, dimisit synagogam Satanae, Christo credidit, catholicae ecclesiae ordinatus est diaconus, manus capiti ipsius posuerunt apostoli, coronam in capite a Christo accipere meruit.*

XLVIII. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE SANCTI IOHANNIS BAPTISTAE.

Cod. Vat. 1835. A. f. 214. a. et 3828. B. f. 194. et 490 C. f. 171. a.

1. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini humanae sapientiae conterens cedros. De contractis senio visceribus et vitio sterilitatis adustis, hodie, Fratres karissimi, nasci Iohannem iussit *a*). Inde lectio sonuit, quae per saeculum totum viribus summis increpuit, et obsurdescentem mundum, atque terreno *b*) marcore solutum, novo mellifluo pulsans *c*) sonitu, nunc clamore fortissimo suscitavit. Hic est enim Iohannes, de quo annuntians propheta dicit: vox clamantis in deserto. O vastum saeculi desertum! o formidolosa ubique viantibus solitudo! Nullus (f. 215. b.) namque iam hebraeam terram patriarcha, nullus propheta calcabat. Patulae enim fauces Leviathan *d*) ad perniciem: iudaeus paratus itinera cruenta servabat, in quibus saepe veridicos ad se missos vates lapidibus oppresserat: universa quoque gentium terra sine rege Christo, sine accola verbo, infecundis lignis et duris lapidibus habundabat, quia hoc erat quod colebat. Texerant eam undique silvae vitiorum, atque crescentium ex se criminum rupis *e*): taetra et aspera facies spinosae foeditatis horrebat. Non illa falcem legis senserat, non ibi vomer caelestis agricolae sulcos semitae rectioris induxerat: nullum semen gratiae spiritalis foecunda manus sparserat: sed, sicut canitur in psalmo *, terra erat deserta et sine via et sine aqua. Non enim apud (* Ps. LXII. 3) gentes antea aut aqua erat aut via, ubi homines falsus error incerta semper confusus varietate fallebat: ubi nullus imber indulgentiae ardentia scelera undis succurrentibus restinguebat.

2. In hac ergo heremo Iudaeorum seu gentium senticosa, vox clamavit: praeco imminentis iudicis venit, Salvatorem et ipse occidendus annuntians, homines ad viam disciplinae melioris exhortans, parate inquit viam Do- (f. 215. a.) mino, rectas facite semitas Dei nostri. Omnis vallis implebitur *f*), hoc est omnis humilis exaltabitur; et omnis mons et collis humiliabitur, hoc est omnis altus elidetur; quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. Et erunt quae prava sunt, directa; et aspera, in vias planas: scilicet ut quidquid *g*) tortuosi serpentis anfractuosus et lubricus error invexit, quidquid scabrosae naturae claudicosa durities *h*) aperuit, rectae et inoffensae viae securioris ac semitae fidelis planities adaequaret. Hoc ergo vox ista clamat, hoc universo mundo praeco tantus insinuat: parate, inquit, viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri. Iam siquidem Maria Christum Spiritu sancto maritante conceperat, iam sine alieno semine inpollutus virginis venter excreverat. Iam hinc *i*) evangelistarum currebat quadriga candentis alvi *k*), plenum Deo cursum per orbem ductura *l*). sonabat. Ideo vox iudicem, tuba praeibat regem, ut saeculum conveniret, et mundus totus audiret, terrificisque clangoribus surdas aures hominum sonus gravissimus aperiret.

a) Quinque praecedentia verba desiderantur in A. B. — *b*) A. B. *tenerum.* — *c*) Al. cod. *pulsavit.* — *d*) Deest haec vox in A. B. — *e*) *Rupis* deest in C. — *f*) A. *impleritur*, et mox *exaltavitur*, *humiliavitur.* — *g*) A. *quidquod* — *h*) Ita cod. A. At B. *claudicosas duritias.* C. *callosas duritias.* — *i*) A. B. *hic.* — *k*) Ita codd. A. B. — *l*) A. *ductatura.*

f. 215. b. 3. Cum igitur sacerdos Zacharias adstaret altaribus, annuntiato caelestis regis praecone, confestim incredulus pater obmutuit *a*); sensit vox genuina silentium; vetus lingua conticuit Iudaeorum. Zacharias sacerdos a sacrificio revertitur mutus, quia verus erat sacerdos ilico nasciturus. Torpuerunt in cubili *b*) suo membra verborum, vox in suis succisa radicibus aruit, atque in ipsis conatibus victa defecit. Nihil aperto ore sonabat, quia intra caecum uteri dehiscentis chaos absortus et interceptus sermo perierat. Ante verbum vox 1) nascitur. Perdidit itaque Iudaea sermonem patrium, et ius novae vocis transivit ad filium; quia Iohannes Christo erat exhibiturus obsequium. Verum incredulus ille pater, qui Gabriheli *c*) a thronis regalibus venienti noluit accommodare fidem, post incarceratam vocem, quam vasta faucium profunditas, et hiulca viscerum secreta receperant, ubi mater, naturae vincula nodos uteri et implicamenta resolvit, generali more *d*) pater recepit vocem. Fundit novum partum anus sterilis, et soluta sunt ora patris. O mira rerum et naturae conversio! Hic recidivo calore virescunt emortua aevo viscera, hic verbum arescit in lingua: hic concipitur vox,
f. 216. a. hic tollitur vox: sed cum nascitur quod concipitur, confestim solvitur quod ligatur.

4. Ad mysterium redeamus. Erat igitur ecclesia priscis temporibus in-
* Is. LIV. 1. fecunda, de qua dicitur *: laetare sterilis quae non paris, erumpe et exclama quae non parturis, quia multi filii desertae magis quam eius quae habet virum. Quae postea quam divino repleta munere salutis spiritum
* Is. XXV. 18. parturivit, sicut scriptum est*: « propter timorem tuum in utero accepimus, et parturivimus spiritum salutis; » obstipuit lingua eius qui genuit, id est in synagoga propheticus sermo defecit. Idcirco iudaeum, quem incredulitas fecerat mutum, vox nata perducit ad verbum; ut in partu suo agnoscat fidem, qui noluit agnoscere annuntiatum sibi dominum Salvatorem. Minuantur nunc dies, crescant noctes: humilietur in carne Deus: exuperetur tenebrosus in cruce iudaeus. Necesse est ut dies resurgendo iterum crescat in lucem, et nox victa in sua permaneat caecitate *e*); id est synagoga velamento excaecetur perfidiae, donec plenitudo gentium introëat; et sic omnis Israhel salvus fiat, miserante domino nostro Iesu Christo, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

XLIX. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE SANCTI IOHANNIS BAPTISTAE.

Cod. vat. 1835. A. f. 216. et 3828. B. f. 200. et 480. C. f. 171. a. Urbin. 77. D. f. 303.
f. 216. a.

1. Persuasum habet ac tenet *f*) error dubiae vetustatis, religionem divinam superstitionibus fingere, usu insimulare, ratione decolorare, quin etiam mendaciis verisimilibus veritatem protegere. Nam ut nox, quae per-

a) A. B. *omm.* — *b*) A. *cuvili.* — *c*) A. B. *Gabrihelo.* — *d*) A. B. *generata voce.* Sed confer serm. 56. n. 3. paris. ex cod. casin. — *e*) Sequentia omnia desunt in codd. A. B. — *f*) B. D. *hactenus* pro *ac tenet.*

1) Inter Augustini sermones de S. Ioh. Baptista Possidius in indiculo cap. VIII. legebat etiam cum titulo *de vvce et verbo*, qui sine dubio est ille editus CCLXXXVIII. Sed tamen nihil vetat, quominus ad hunc quoque nostrum idem Possidius respexerit.

sequitur diem, diesque vicissim noctem suscipiens, dissipat et excludit, ita remissam paululum veritatem, densus horror errorum *a*) insequitur, humanis ingeniis tenebras infusurus. Sed cum splendens refulserit ratio, veritas propellit errorem. Nam hic vel maxime dies, cum Iohannis Baptistae natalis sit, tantis erroribus dehonestatur *b*), et paganica credulitate *c*) vana polluitur, ut sacri baptismatis gestiant *d*) stagni vel fluminis puritate mundari 1). O fama, quantum adiuvas *e*) fidem! quae dum incognita pervagaris, natalem diem sancti Iohannis Baptistae gentibus publicasti, et a nondum christianis celebrari fecisti. Quid tibi loquax fama non liceat? quae res verisimiles adigis *f*) testimonium reddere *g*) veritati. Videmus namque diluculo, prius quam solis ortus inrumpat, redire nudos *h*) a fontibus iuvenes *i*): videmus quoque superstitiosis matrum manibus gestari velatis capitibus unctos infantes 2). Sic catechumeni temeratis quod sanctum est? Sic fideles erratis? Ignosco gentibus quod ignorant, vobis autem non ignosco christianis quod f. 217, a
optime scitis. Gentes enim quod nesciunt simulant, vos quod colitis profanatis. Apostolus Paulus hoc dicit *: « gentes quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt faciunt: huiusmodi legem non habentes, sibimet ipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis scribtum in cordibus suis, testimonium sibi reddente conscientia sua. » Populum autem christianum sic corrigit ab errore *: « qui abominaris idola, sacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras? nomen enim Dei per vos blasphematur in gentibus. »

* Rom. II. 14 — * Ibi 22.

2. Sed ut Baptistam Iohannem hodie natum esse perdoceam, ianuas temporum et metas breviter explicabo. Duo sunt anni solistitia *k*), aequinoctiis duobus interpositis separata: unum solistitium hodie geritur, alterum autem ·VIII· kal. ianuariarum die similiter celebratur. Aequinoctium vero unum est ·VIII· kal. octobrium die: aliud ·VIII· kal. aprilium repperitur. His ergo quattuor anni cardinibus constitutis, Iohannes, et dominus noster Iesus Christus, singulis aequinoctiis concepti sunt, ut solistitiis singuli nascerentur. Utriusque autem conceptum nativitas indicat singulorum. Nam Iohan- 217. b.
nes hodie natus, ·VIII· kal. octobrium die videtur esse conceptus; Christus autem filius Dei ·VIII· kal. aprilium die Verbo maritante conceptus est, ut ·VIII· kal. ianuariarum die legitime nasceretur. Tempora tunc obsecuta naturae, hodie meritis singulorum. Iohannes cum dies inchoat minui, natus est, ut Christus filius Dei, cum dies crescere incipit, nasceretur, eodem Iohanne dicente *: ipsum quidem oportet crescere, me autem minui. Recte Iohannes Christum ut diem constituit, quem prior David propheta psalmographus diei comparavit *. « Hic est, inquit, dies quem fecit Dominus, exultemus

* Ioh. III 30 — * Ps. CXVII. 24.

a) Codices *error astrorum*. — *b*) A. B. *oneratur*. — *c*) Codd. *crudelitate*. — *d*) Ita cod. A. B. At. C. D. *indigeant*, cum aliis varietatibus. — *e*) A. *adiubas*. — *f*) C. *compellis*. — *g*) A. B. *dicere*. — *h*) A. *udos*. — *i*) A. *iubenes*. C. *ephebos*. — *k*) Ita A. B. 1. m. At 2. *solstitia*. Sed paulo post *solistitium* sine ulla emendatione.

1) Est hic locus in codd. A. B. corruptissimus.

2) Augustinus in append. serm. CCLXXVII. 4. *Ne ullus in festivitate sancti Iohannis aut in fontibus aut in paludibus, aut in fluminibus, nocturnis aut matutinis horis se lavare praesumat: quia ista infelix consuetudo adhuc de paganorum observatione remansit.* Confer serm. CXCVI. 4, et videsis adnotata ad sermonem nostrum XVIII.

et iocundemur in eo.» Diem 1) quem memorat, Christus est, qui et natus est, et occisus, et post obitum resurrexit. Audite hoc vulgi sapientes. Si alia *a*) vobis temporum ratio est, nostrae tamen fidei accipite rationem. Baptistam Iohannem nos hodie natum colimus, quo vos solem miramini aequipondio *b*) contineri. Et si vobis ulla temporum ratio est, nobis tamen concordat: quia *c*) aut ratio rationi, aut religio religioni consentit.

f. 213. a. 3. Audite vos quoque qui corpora vestra gurgitibus fluminum matutinis horis lustratis. Nolite haec inrite *d*) facere: nolite fingere quae nescitis. Quod si aliqua vobis huius purgationis est fides, sacrosanctam ecclesiae aquam petite: errores *e*) abicite, et accipite veritatem. Vos autem, christiani, hunc diem non solum Ioannis Baptistae, sed natalem quoque baptismatis eximate. Iohannes enim Baptista hodie natus est, a quo idem baptizatus est Christus. Magnus quidem iste qui dare potuit baptisma, sed maior est ille qui sumsit. Denique humilitatem dantis advertite, et accipientis potestis agnoscere veritatem, evangelista dicente: «qui post me venit, fortior inquit Iohannes, me est, cuius non sum dignus solvere corrigiam calciamenti. «Ego quidem baptizo vos in aqua, ipse autem vos baptizabit *f*) in Spiritu sancto.» Postquam igitur venit Iesus ad Iohannem, idem Iohannes hoc dixit: «ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est, de quo dixi: post me veniet vir qui ante me factus est, quia prior me erat.» Et postquam venit Iesus ad Iordanem, ut baptizaretur a Iohanne, respondit ei Iohannes dicens: ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Et dixit ei Iesus: sine modo; sic enim oportet *g*) nos implere omnem iustitiam. Tunc deposuit illum in aquam, et baptizatus Iesus ascen-
f. 218. b. dit de aqua, et aperti sunt ei *h*) caeli, et ecce Spiritus sanctus *i*) descendit de caelo tamquam columba, et mansit super eum. Et vox de caelo audita est: «hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene conplacui.» Hic est ergo natalis dies Iohannis datoris sacri baptismatis, quem omnes christianos decet honorare. Tenete, Fratres, hanc fidem. Et ne aliquis dubitet, estote christianae fidei subiecti 2). Hic est, inquam, sacri baptismatis (dies), quem *k*) vos homines ignorantes aquis mendacibus exercetis. Det

a) D. *autem* pro *alia*. — *b*) D. *aequipendio* — *c*) A. *quae*. — *d*) C. D. *in irritum*. — *e*) A. *ergo res*. — *f*) A. B. *baptizavit*. — *g*) C. D. *decet*. — *h*) *Ei* deest in A. B — *i*) *Sanctus* deest in A. B. — *k*) A. *quam*.

1) Ita cod. A; quod latinitas concedit, ut dixi p. 81. Ceterum B. C. D. *dies*.

2) Mirifice noster Augustinus epist. CXVIII. 32. *Qui non possunt ista diiudicare RATIONE, FIDE credant.—Audent haeretici imperitos quasi RATIONE traducere, quando maxime cum ista medicina Dominus venerit, ut FIDEM populis imperaret. Conantur ergo auctoritatem stabilissimam fundatissimae ecclesiae quasi RATIONIS nomine et pollicitatione superare.—Illa rectissima disciplina est, in arcem FIDEI quam maxime recipi infirmos.* Legant haec hodierni rationis sectatores, qui totius fidei christianae fundamenta evertere moliuntur; et certe omnem eradicant ex animis suis pietatem. In qúa atheismi impietate, ut pergam verbis Augustini loqui, quantam voraginem aperiant sectandis perditis moribus, quis non videat? Et tamen illorum argumenta non sunt fulminea, sed fumea: et si scientiam fortasse habent, carent tamen sapientia.. Denique idem Augustinus de moribus ecclesiae catholicae num. 47: *nihil in ecclesia catholica salubrius fit, quam ut rationem praecedat auctoritas.* Audiant postremo eundem Augustinum de vera religione num. 14: *rationi ad credendum praecedit auctoritas.* Denique serm. CCCLXI: *auctoritatis pondere christianus ducendus est, qui Christo credidit.* O ubi estis fontes lacrymarum, qui hodiernae fidei defectum satis defleant!

vobis sacrosancti baptismatis Dominus veniam, quia ignorantes quod verum sit, facili simplicitate peccatis. Explicit.

L. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE APOSTOLORUM 1).

1. O piscator! cui iubebat non dico curator, sed infimus obsonator, Cod. vat. 1835. A. f. 246. b. et 6454. B. f. 309.
modo genibus provolutus eum adorat imperator 2). O duo luminaria, qui
omnium tenebras inlustrant! quorum triumphi diem hodierna devotione
fidelissima celebramus *a*), ut per quos initium divinae cognitionis accepimus,
per eos usque in finem saeculi capiamus regni caelestis augmentum: qui
in conspectu generis humani mirabiles apparuerunt. In eorum agnitione
mutatio *b*): quia praevalendo deficiunt persequentes, et deficiendo praevalent
interempti. Nec potest ullatenus explicari quibus modis haec interfectio
pretiosa pensetur. Moriuntur abiecti, et orbis terrarum capiunt principa-
tum 3). Moriuntur mundanae eruditionis ignari, et existunt doctrinae caele-
stis auctores. Moriuntur captores piscium, et efficiuntur hominum pisca- f. 247. a
tores. Moriuntur soliti maria perscrutari mediocris *c*) artis officio, redduntur
saeculi examinatores et iudices. Moriuntur poenis tormentisque defecti, et
fiunt curantes hominum passiones. Moriuntur terrenae dignitatis extranei,
et eorum pontificio caelum aut reseratur aut clauditur. Moriuntur aliquando
morituri, et pretiosae mortis efficiuntur aeternae *d*). O admiranda commer-
cia, quae nulla possunt extimatione taxari! per quos unigeniti sacrum cor-
pus Deus exornans *e*), et unius ecclesiae suae fundamenta constituens. Nam
unus dies duorum martyrum est et duorum apostolorum, quantum eccle-
siae traditione percipimus: nam non diverso, sicut quidam garriunt, sed
uno tempore, uno eodemque die 4) gloriosa morte in urbe Roma sub Caesare
Nerone agonizantes coronati sunt, et pariter sanctam romanam ecclesiam
Christo Deo nostro consecraverunt. Aequavit meritum in passione, qui
eos unum quidem de aequoris piscatione, alium vero ex praedictae sanctae
ecclesiae persecutione, ad aeternam vocavit redemptionem. Hoc enim egit f. 247. b.
in eis qui erat in eis, qui in eis patiebatur, qui adiuvavit *f*) certantes, et
coronavit vincentes. Explicit.

a) A. *fidelissime celebremus.* — *b*) B. *mutati.* — *c*) A. *mediocre.* — *d*) Ita B. ubi tamen expungitur *aeternae.* At A. *praedosae motis efficiuntur aeterna.* Locus mendosus. — *e*) A. *exorans.* — *f*) Cod. *adiubavit*, et mox *coronabit.*

1) In appendice maurina sermo CCIV. extat incipiens: *Filioli mei*, qui congruit cum nostro vat. usque ad verba: *nam iste beatissimus Petrus.* Post quae verba postrema edita, non sine sermonis, vel adsuti segmenti indicio, sic prosequitur codex vaticanus. Attamen apparet additamentum factum esse Romae potius quam in Africa. Quamquam igitur omittendum fortasse fragmentum hoc videbatur, tamen retinuimus propter Romam, et apostolorum honorem, et ob summam codicis antiquitatem. Quin immo fragmentum hoc sermonis extat etiam in cod. vat. 6454. f. 309.

2) Consonat sibi Augustinus epist. CCXXXII. 3. *Videtis imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare.* Confer etiam append. maur. serm. CCIV. 3.

3) Nempe hoc sensu dicit Augustinus epist. XLIII. 7. *In romana ecclesia semper apostolicae cathedrae viguit principatus.*

4) Augetur suspicio adsuti fragmenti, quia contraria Augustini sententia legitur in his vatic. sermonibus XIX. et LIII. Ceteroqui et S. Gaudentius brix. serm. XX, de uno die cogitasse videtur. Et quidem in codice etiam 6454. sic tantummodo scribitur: *nam uno die passi sunt: hodie prior passus est Petrus, hodie posterior passus est Paulus.* De hac controversia docte scribit Baronius ad an. Ch. LXIX. num. 4.

LI. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE EVANGELIO, UBI DICIT IESUS PETRO: SIMON IOHANNIS, AMAS ME*?

* Ioh. XXI, 15.

1. Quantum nos recitatae evangelicae lectionis textus docuit hoc in loco, tertio apparuit Iesus discipulis suis postquam resurrexit a mortuis; qui cum pranderet, dicit ad Petrum: « Simon Iohannis, amas me? Dicit ille: Domine, tu scis. » Adsidua ergo domini nostri Iesu Christi post resurrectionem praesentia maiorem fiduciam credulitatis dedit. Nam humanae infirmitati consulens Deus *a*), saepius se discipulis suis voluit exhibere, ut de resurrectione eiusdem nihil dubitationis adferret. Frequens enim conspectus Domini plenum indicium veritatis effecit. Et licet plurimum ad fidem sufficeret semel visum, tamen quo resurrectionis suae manifestius testimonium proderet, in apostolorum suorum intulit frequenter aspectu. Non enim apostolos suos praesentiae suae celebritate perstrinxit, sed conspectus sui praesentia satiavit, ut cum his escas ederet *b*), non quasi indigens cibo; quid enim iam necessarium corpori redivivo? sed ut manifeste ex mortuis resurrexisse monstraret, cum ea quibus vita humana sustentatur alimenta perciperet. De qua re et in actibus apostolorum scriptum est *: « per ·XL· dies, inquit, postquam resurrexit a mortuis, manducavimus cum illo, nos testes sumus. » Et tam iugis Domini et tam continua post resurrectionem praesentia, et fidem credulitati addidit, et locum perfidiae denegavit.

(Cod. vat 1835 f. 251. a. — f. 251. b. — * cap. X. 41. — f. 252. a)

2. Sed praetermittendum nullo genere est, quod dominus noster Iesus Christus hanc evangelii partem ita conplexus est dicendo: Simon Iohannis, amas me? quam interrogationem trina propositione dilatavit 1). Quid est ergo quod Dominus Petrum ter scrutari voluit, et responsum sibi a Petro voluit ter adhiberi? Hoc in loco sic Petrum Dominus (interrogat) quasi qui secretum humanae cogitationis ignoret. Et dixerat: quid cogitatis in cordibus vestris nequam*? Et alibi: videns Iesus cogitationes eorum *. Qua de causa Petrum utrum ab eo diligeretur interrogat trinae vocis officio, cum divinarum partium fuerit cuncta praescire? Scriptum est enim, quia Deus scit quid sit in homine. Et ipse alibi dicit *: ego sum (qui) scrutor *c*) renes et corda. Quomodo ergo de Petro utrum in amore Dei esset expensus exquirit? Neque enim fieri poterat, ut Petrus eum Deum esse, probata sibi eiusdem resurrectione, non crederet, quem ante passionem et Christum esse et Dei filium credidisset. Dixerat enim: tu es Christus filius Dei vivi. Dein qui amoris sui erga Dominum dedisset documenta non minima, dum se usque ad mortem comitem pollicetur. Quam ergo hoc in loco Petri dilectionem vult Dominus habere conpertam, quam iam plurimis documentis Petrus dederat conprobatam? Non ergo frustra dilectionem suam ter Dominus proposuit, nec sine causa ter Petrus quod Dominum amaret si-

(* Matth. IX, 4. — * Luc. V. 22. — Hier. XVII. 10. — f. 252. b.)

a) Ita cod., non *Dominus*. — *b*) Cod. *hederet*. — *c*) Cod. 1. m. *praescrutor*, 2. *praescrutator*.

1) Conferatur sermo vatic. XIX. ubi similiter loquitur Augustinus.

mili ratione respondit. Non ergo hic vel scientiae vel ignorantiae locus *a*) est, quod Dominus Petrum frequenter interrogat. Nihil est enim quod divinam possit latere virtutem qua dicit*: prius quam te formarem in utero, novi te. *Hier. I. 5. Et apostolus ait*: « quos praescivit, et praedestinavit; et quos praedestinavit, hos et vocavit; quos vocavit, hos et sanctificavit. » *Rom. VIII. 29. Mirum ergo quod probari sibi voluit in voce, qui sciret quid Petri versabatur in pectore. Non ergo hic Dominus propter amorem proprium apostolum suum trina interrogatione examinat, sed quia Petrum nodus trinae interrogationis adstrinxerat sub ipsa Domini interrogatione, ideo ter interro- f. 253. a. gatur post resurrectionem a Christo, ut cum trina confessione crederet, quem sub ipso tempore passionis tertio denegasset. Ipso utique numero confessionis apostolum suum Dominus voluit absolutum, quem trinae perfidiae noxa fecerat religatum. Et quia dixerat*: « qui me confessus fuerit *Matth. X. 32 coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo qui in caelis est » propter confessionem nominis sui apostolum Petrum Christus dominus noster voluit reformari, ut eum ipse possit coram patre suo et angelis confiteri. Explicit.

LII. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI IN NATALE SANCTI PETRI,

ubi dubitavit 1) in fluctibus cum ad eum venit super aquas*. *Matth. XIV. 28.

1. Fratres karissimi, aut erroris (reus) est aut delicti, qui Petro apo- Cod. vat. 1835. A. f. 265. b. et vat. 6454. B. f. 311.
stolo, hoc est ecclesiae fundamento 2), aliquid infidelitatis adscribit; sicut temerarium est, dilectissimi, eum incredulitatis *b*) arguere, cui solvendorum et ligandorum criminum potestas est pro meritis divinitus adtributa. Aut quis potest alius tam idoneus inveniri, si apostolo culpa inuritur *c*)? si Petro praecipue, cui ipse Dominus testimonium perhibuit, quod sit culpabile *d*) inrogatur. Multi enim sensu indocibiles *e*), qui rei gestae rationem ignorant, laqueos non minimae offensionis incurrunt, ut credant hoc loco fidem certam et solidam in apostolo non fuisse, ubi ei dicitur a Domino: o modicae fidei, quare dubitasti? non considerantes magnitudinem ipsius fidei, qua dictum est a Petro: Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas. f. 266. a. Utique qui dicit iube, credidit potestati. Ingens ergo hic credulitas *f*) fuit, ut audaci saltu, et de navi intrepido descensu, profundo se crederet elemento, et inusitatam gressibus viam securus intraret, non metuens quod et hone-

a) Cod. *locutus*. — *b*) Cod. A. *incredulitas*. — *c*) Mendose A. At recte B. — *d*) A. *culpavile*. — *e*) Cod. A. *indociviles*. — *f*) A. *crudelitas*, et sic B. I. m.

1) Legebat hunc sermonem Possidius indic. cap. VIII. sed pro *dubitavit*, scribebat in titulo *titubavit*. Nempe: *de eo quod Petrus in mari titubavit*.

2) Animadverte vocari ab Augustino Petrum ecclesiae fundamentum. Eant nunc impii, et adhuc romanae Petri sedis firmitatem, et Capitolii immobile saxum, oppugnent! Scilicet tu es Petrus, et super hanc petram etc. Tum serm. ed. CXVII. 2. *In uno Petro figurabatur unitas omnium pastorum*. Postremo de baptism. lib. II. 2. de Petri apostolatu loquens ait: *quis nescit illum apostolatus principatum cuilibet principatui praeferendum?* Denique praeclare remensis Hincmarus praef. capitul. ad archid. *Beatus Petrus apostolus, cuius vice in ecclesia funguntur episcopi*.

rosum *a*) esset humani corporis pondus; et liquidum maris, solidum non portaret ingessum. Tantum enim fiduciae Domini verbo conceperat, dicentis veni, ut crederet vestigiis suis non pelagi infidam mobilitatem *b*) subditam, sed tamquam terrenam soliditatem esse subiectam. Nam cum Dominus super mare iter ageret, ita eius subditum pedibus obtemperabat elementum, ut nec se mare subtraheret, et venerandas Domini plantas non tangeret. Nec mirum, karissimi, si ei natura aequoris serviebat, cuius est arbitrio et dispositione perfecta. Soli ergo Christo debitum *c*) erat, ut siccis per aquam vestigiis ambularet, et fragilitatis humanae ratio postulabat ut Petrum turbaret ventus, pluvia terreret. Inde est ergo quod ex parte aliqua mersus est, ne inter Deum et hominem nihil inciperet discrepare; essetque inter homines non minima dubitatio, si Petrum hoc *d*) vidissent
f. 266. b. fecisse quod Christum; nec honor Deo debitus *e*) redderetur, quia non esset mirum a Deo gestum, quod et ab homine videbatur effectum.

2. Et quia in hoc saeculo tamquam in aliquo mari positi sumus, in quo utique et spiritalium nequitiarum turbidines *f*) sustinemus, omni sollicitudine naufragium declinantes, teneamus fidei nostrae solida *g*) et stabilitatis vestigia, ut saeculum *h*) hoc quod dominus noster Iesus Christus pedum suorum, hoc est adventus sui, virtute calcavit, nulla nos ex parte praecipitet vel demergat. Certe si aliqua nos velut ingruentia *i*) periculorum temptare coeperit, exemplo *k*) apostolorum clamemus ad Dominum, dicentes: Domine libera nos quia perimus *l*). Melius enim est nobis interpellando Dominum liberari, quam dissimulando et non orando periculum mortis incurrere. Sed ut ad coepta *m*) redeamus, plurimum ergo sibi humana usurpatio licentiae daret, si virtutem cum Deo coepisset habere communem. Idcirco ergo Petrus apostolus visus est hominibus in fluctibus dubitasse, ut sciremus nihil dandum esse nostro actui; sed totum quod
f. 267. a. recte gerimus, divinae adscribendum esse virtuti. Cui est honor et gloria in saecula saeculorum 1).

a) Cod. A. *honorosum.* — *b*) A. *movilitatem.* — *c*) A. *devitum.* — *d*) Codd. *hic.* — *e*) A. *devitus.* — *f*) B. *turbidinem.* — *g*) A. *solidam.* — *h*) A. *saeculorum.* — *i*) Codd. *ingruenti*, quod videtur mendosum pro *ingruentia*, cuius sunt exempla in Cangii glossario — *k*) A. *exemplum.* — *l*) A. *peribimus*, id est *perivimus.* — *m*) A. *accepta.*

1) Hactenus codex antiquissimus vaticanus 1835. At in alio recente 6454. prosequitur sermo, absque ulla interruptione, ut infra subiicimus. Verumtamen alienam esse a praesenti sermone, qui est de Petro tantum, hanc continuationem, nemo non videt. Conferatur autem sermo LIII. 2. paris. ex cod. casin. qui est de Pauli conversione. Sic ergo codex noster 6454. *Et quia dignum et congruum est, Fratres, ut gaudia nostra cum sanctis apostolis conferamus; et his annuntiemus dominicae resurrectionis gloriam, qui consortes sunt dominicae passionis. Nam ipse, quem vas* [*facere*] *electionis suae dignatus est, et voluit magistrum gentium dare, non solum fidelium animos a pietatis proposito revocabat, sed etiam nolentes a Christo desciscere lapidibus obruebat. Hunc nobis ipse Dominus apostolum condonavit, tribuitque nobis ex Saulo Paulum, ex apostata fecit apostolum, et fecit ecclesiae ex persecutore doctorem. Amator passionis factus est, qui persecutionis auctor extiterat: et qui in alienis afflictionibus prius gratulabatur, in suis postmodum persecutionibus laetabatur. Ipse qui tunc in apostolo suo virtutem istam exercuit, ipse nunc de ipso infernorum conclavi, et ex ipsis draconis faucibus animarum nostrarum captivitatem eripuit; et nobis a tenebris ad lucem remeantibus aeternae vitae ianuas patefecit; praestante domino nostro Iesu Christo, cui est honor, laus, et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.*

LIII. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE UBI BEATUS PETRUS IN MARI TEMPESTATEM SUSTINUIT IN NAVI 1). *Matth. XIV. 24.

1. Nutritos hirundo pullos suos cum volandi arti disponit, paululum quidem in aëre dimittit, quibus tamen ipsa vicina est, ne forte decidant trepidando, adhuc infirmi volando. Ita et salvator noster Iesus Christus discipulos suos quasi teneros pullos de nidulis quietis emittens marinis fluctibus adprobandos; at *a*) ubi coepit pinnas devotionis eorum marina procella turbare, et ventosa tempestas dissipare, ipse potens est sequi navigio qui imperat vento. Fecit sibi potentissimam monopedam 2), singularem quadrigam, mirandam suis vestigiis plateam componens, non marmoribus ornatam sed fluctibus pictam, non saxis sed plantis. Non longe recedit, qui pie praemisit. Ambulabant soli et non soli, temptandi, probandi, visitandi. Invenit occasionem quasi subtilis fur effractor, qui excitat tempestatem, qui non amat tranquillitatem; et quasi absente magistro discipulos temptat, ventos inflat, excitat mare, et sequentem non videt gubernatorem. Fit servis, absente domino, ergo tantum *b*) sine causa naufragium, sed tenetur pietate navigium. Illi interea manus extendunt, lacrimas fundunt, vela deponunt, strident funes et restes, ut Petrus solvatur et diabolus alligetur. Ubi exclamant, inquit, Domine salvator noster? Praemisisti nos, et dimisisti nos. Ecce naufragator, ubi es tu potentissime gubernator? Ecce tempestas, ubi es pietas? Ecce mare latrat, ubi es tu agnus Dei qui tulisti peccata mundi?

2. Continuo advenit Dominus, cum pietate subridens ad teneros pullos. Ventis turbantibus dissipatis, venit potenter, appellat clementer, suos quoque reficit sapienter. Vident et turbantur, qui non videndo turbabantur. O inenarrabilia, Fratres mei! Ubique metus, aut de periculo, aut de miraculo. Sed tulit illis timorem, qui mitigavit tempestatem. Nolite, inquit, timere; ego sum. Magna fit eis consolatio, Domini personae interpretatio *c*). Domine, clamant; securi sumus, si tu es: non timemus, si tu es. Et Petrus ait: possum facere quod facis, si tu es; sed proba mihi vere si tu es; et iube me venire ad te super aquas, si tu es. Domine ad te dixi: sine te non praesumpsi; si iubes, dixi; sed si iuvaveris, quod dixi. Si non iuvas, noli iubere; sed si iuvas, dignare iubere, et iube me ad te

a) Cod. *ad*. — *b*) Cod. *argutatum*, quod sic emendandum putavi. — *c*) *Interpretatio* pro *mitigatio*, notus tropus.

1) Hunc ego sermonem sumpsi ex codice 55. bibliothecae rom. Sessorianae, saeculi sexti vel septimi. Edideram ante hos annos in spicilegio rom. T. VIII; nunc rursus inspecto codice, eundem imprimo, tum quia Augustini novos sermones coadunare placet, tum quia est argumenti similis praecedenti. A Possidio quidem in indiculo cap. IX. egregium habet testimonium his verbis: *de evangelica lectione, ubi Domino iubente Petrus super mare ambulavit.* Etsi ergo sermonis stilus videtur humilis et argutulus, attamen Possidii verba titulum hunc inter Augustini sermones recitantis, dubitare nos haud sinunt.

2) Adnotent vocabulum lexicographi. Sic autem loquitur Augustinus ob denotandam divinorum gressuum velocitatem. Cangius in gloss. med. et inf. lat. laudat Odonis haec carmina: *sunt homines uno tantum fulti pede, cursu—auram vincentes, qui recto nomine dicti—monopedae.* Non ergo Odo creator huius vocabuli fuit, quod nunc apud classicum auctorem Augustinum legimus. Cf. Gell. lib. IX. 4.

venire super aquas. Et Dominus e contra: veni ad me, si praesumis de me. Laetus Dominus vultuque iucundo favens, expectans piscatorem suum, confessorem suum, praesumtorem 1) suum, confessorem suum, et primum carbunculum lapidem pretiosum 2), non longe expectans 3) sed prope propter pietatem.

3. Petro itaque mare *a*) subripit trepidanti. Sensit mare in Petro fidem deficere, et coepit maiore *b*) undarum lingua latrare. Solvitur quod erat firmatum, quia fidei solutum est firmamentum. Velut cera sole calente soluta, sic coepit unda laxari mollita. Sensit petram pelagi Petrus vacillare iam *c*) debilem fluescentem: et depressis vestigiis atque palpitantibus membris, extensis palmis, exclamat et dicit: adiuva me, Domine, et miserere mei. Semper mihi timor est sine te, et in navicula et super unda praesumpsi venire ad te. Quare tollar a te? Adiuva me, ad navem revoca, ascende mecum, veniam tecum. Ille ille *d*) Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob, Petrum allevavit, firmavit, ambulare intrepidum fecit, trepidantes discipulos refecit, compescuit procellam, gubernavit naviculam. Ipsam suam sponsam, nostram matrem, tranquillet ecclesiam! et inter istam tempestatem ipsum habeamus semper gubernatorem, quem Petrus habuit defensorem! Amen.

LIV. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE APOSTOLORUM.

Cod. vat. 1835. f. 267. a. 1. Audiamus, Fratres karissimi, hunc piscatorem principem omnium apostolorum, qui fideli responso meruit ianitor esse regni caelorum. Accepit solvendi ligandique potestatem, quia invenit latentem Domini maiestatem in persona 4) hominis. Interrogat dominus Christus discipulos suos, quid de eo vulgi aestimaret opinio, dicens: quem me dicunt esse homines filium hominis? At *e*) ille divino ignitus spiritu respondit, non quod fuerat interrogatus, sed quod desuper fuerat inspiratus: « tu es, inquit, Christus filius Dei vivi. » Cui Dominus ait *: « beatus es Simon Bar Iona quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in caelis est. » Incarnationis mysterium et tam profundi altitudinem sacramenti, humanus sensus et carnis sapientia non potest intueri, nisi a Domino fuerit revelatum. Ecce, Fratres, apostolus humilis et pauper invenit investigabiles *f*) divitias Domini per confessionem *g*) gloriae nominis Christi. Invenit divitias caelestes, credendo non discutiendo 5); semper enim credidit *h*); nec

* Matth. XVI. 17.

f. 267. b.

a) Cod. *maris*. — *b*) Cod. *maiora*. — *c*) Cod. *volitare nam*. — *d*) Ita cod. — *e*) Cod *ad*. — *f*) Cod. *investigaviles*. — *g*) A. *confessionis*. — *h*) Ita heic cod. quamquam alibi saepe *credедit*.

1) Illuminat hunc locum ipse Augustinus ep. CXL. 36. *Petrus ex egregio praesumtore tam creber negator effectus*. Item alibi sic de Petro loquitur.

2) Κορυφὴ τοῦ ἀνθρακολίθου ὁ ἀπόστολος Πέτρος, inquit S. Sophronius in comm. liturg. p. 35.

3) Haud scio an Augustinus innuat locum Matth. XXVI. 58. *Petrus autem sequebatur eum a longe*. Et Luc. XXII. 61. *Et conversus Dominus respexit Petrum*. Etenim et heic et supra *expectans* poni videtur pro *spectans*, ut interdum alibi.

4) Id est *in forma*.

5) Hoc quoque contra rationis humanae plus aequo sectatores; qua de re tam mirus est nostri Augustini locus Retract. I. 2, ut heic prorsus recitandus vi-

aliquando discessit 1), cuius fides tantam gratiam meruit, ut etiam per mare Dominum sequeretur. Quando autem hic unda calcasset, si humanam rationem tractasset? Quando liquido elemento vestigia solidae carnis inpresserat, nisi verbis Domini credidisset? Non ergo discussit, sed credidit 2); et ideo illi alta Dei mysteria revelata sunt. Revelavit Dominus discipulis suis ineffabilia *a*) fidei sacramenta, et manifestavit eis odorem notitiae suae. Manifestavit se piscatoribus Dominus, ut universus mundus evangelii retibus caperetur. Ecce ubique docent piscatores sapientiam, et errant grammatici et oratores sequentes stultitiam 3). In simplicitate cordis Dominum quaeramus, Fratres karissimi, et eius adventum tamquam cottidie venturum esse credamus; ut correcti a vitiis, vanam spem saeculi relinquentes, ad palmam supernae vocationis attingere mereamur.

2. Natalem igitur celebramus sanctorum apostolorum, primi et novissimi. Scio quidem vos scire quod dixi; sed numquid quia vos scitis, nos silere debemus? ut reddentibus vobis quod vestrum est, nos remaneamus f. 268. a.
innoxii. Vos enim redditis sollemnem professionem *b*), et nos debemus facere qualemcumque sermonem, ut omnes pariter celebremus devotionem. Petrus itaque primus est apostolorum, et Paulus novissimus apostolorum *. Deus * I. Cor. IV. 9.
autem qui eos sua vocatione sanctificavit, ipse illos in passione coronavit, primus et novissimus; primus videlicet, ante quem nihil; novissimus, post quem nihil: nec originem eius aliquis antecedit, nec finem eius excedit. Origo eius non habet initium, finis non habet finem. Ita ergo ille, qui est primus et novissimus, aeternitatem perpetuam commendavit. Ipse apostolos suos primum et novissimum aequaliter coronavit. Vita eorum praedicat caritatem, mors eorum consecrat sollemnitatem. Una dies 4) illis occurrit coronandis, civitas una tumulandis. Non sunt in terris corpora eorum saparata, quorum merita sunt in caelis aequata. Viventes in carne plantaverunt ecclesias sermone suo; morientes pro Christo rigaverunt sanguine suo; adiuvant *c*) nos orantes merito suo 5).

3. Bene sibi occurrerunt ad unum diem, ut quibus fuit communis prae- f. 268. b.
dicatio civitatis, una esset sors individuae caritatis. Sane, sicut traditum

a) Cod. *ineffavilia* — *b*) Cod. *processionem*, quod vix retineri poterit. — *c*) Cod. *adiubant*.

deatur. *In hominis quidem natura nihil est melius, quam mens et RATIO. Sed non secundum ipsam debet vivere, qui beate vult vivere; alioquin secundum hominem vivit; cum secundum Deum vivendum sit, ut possit ad beatitudinem pervenire: propter quam consequendam, non se ipsâ debet esse contenta, sed Deo mens nostra subdenda est.*

1) Confer retro sermonem vat. LII.

2) Hinc S. Hilarius de Trin. lib. I. 37. *Ultra naturalem opinionem fidei obedientia nos provehit.* Tum noster Augustinus de util. cred. n. 21. *Catholica ecclesia venientibus praecipit FIDEM, haeretici promittunt RATIONEM se reddituros.* Et postea: *Manichaei Catholicam* (ecclesiam) *vel maxime criminantur, quod illis qui ad eam veniunt, praecipitur ut credant; se autem non iugum credendi imponere, sed docendi aperire fontem gloriantur.* Sed de hac re praeclare sanctus Leo PP. disserit in epistola CXXXIII, cuius verba, quasi trabale telum, irrationales rationis amatores percutiunt.

3) Augustinus in Ioh. VII. 17. *Magnus Cyprianus orator, sed prior Petrus piscator. Melius est* (inquit idem Aug. serm. ed. CXXXIII. 6.) *cum pietate nescire, quam cum insania iudicare.*

4) Una dies, sed non idem annus: primo Petrus, deinde Paulus. Confer serm. vatic. XIX.

5) Vides fidem de intercessione sanctorum. Sane martyres favore suo interesse rebus humanis, narrat Augustinus de cur. ger. pro mortuis n. 22.

*

habemus, primus beatus Petrus passus est: oportebat enim vocationis ordinem et in morte servari. Deinde beatissimus Paulus, novissimus quidem apostolorum, sed magister gentium. Paulus ergo parvus, tamquam dominici fimbria vestimenti, sed tamen quae possit salvare tangentes. Elegerunt ambo Romam principem romani nominis civitatem; Petrus propter principatum apostolorum, Paulus propter magisterium gentium. Sed illic tantum corpora posuerunt; ubique autem merita sua disperserunt, sicut modo cantavimus: « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum *. » Quicumque hominum in quacumque parte terrarum novit Iesum Christum dominum nostrum, necesse est Petrum sciat et Paulum. Hoc est, in omnem terram exivit sonus eorum. Quocumque enim non venerunt viventes pedibus suis, mortui pervenerunt in litteris suis; ex quo *a*) nobis cottidie apostolica verba recitantur. De ipsis instruuntur ecclesiae catholicae; exinde confunduntur haeretici; inde confutantur inimici. Quia ergo non potuimus ubique corpora eorum habere, eloquia eorum possumus tenere. Corpora enim eorum necesse fuerat ut in uno loco ponerentur, sed virtutes eorum ubique exercentur; in Christo Iesu domino nostro, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti, Deus per omnia saecula saeculorum. Amen. Explicit.

(f. 2.3. a — margin)

LV. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI IN *b*) NATALE BEATI PAULI APOSTOLI.

(Cod. 1838. A. f. 313. a. et vat. 5269. f. 65. vat. 3828. B. f. 205. f. 313. b.)

1. Fratres karissimi, gubernator in tempestate dinoscitur 1), miles *c*) in acie probatur, delicata *d*) iactatio est ubi periculum non est. Sicut enim gubernator eruditus inter marina discrimina, inter minaces fluctus *e*), inter extollentium se aquarum metuenda cacumina fretus, fixus gubernaculo suo intentis oculis haeret ad caelum, et inpetu non frangitur tempestatis, sed gubernans in periculis navem *f*) propitiante Domino perducit ad litus; et sicut miles inter cruentos gladios, inter hostium feroces aspectus intrepidus pro regis sui iure *g*) decertans, si mori illic contigerit, laudabiliter *h*) moritur; si vero vicerit, palmis victricibus et honoribus decoratur; ita et beatissimi apostoli Petrus et Paulus velut gubernatores et milites contra adversarias potestates omni tolerantia *i*) perstiterunt, nec victi sunt, sed potius vicerunt. Ergo Petrus et Paulus sanguinem fuderunt.

2. Sed videamus, Fratres, causam, quare ista perpessi sunt, scilicet quod inter cetera miracula etiam magum illum Simonem 2) de vacuo aëre unius

a) Malim *ex quibus*. — *b*) Ita cod. *in*, ut in serm. vat. LII, non *de*. — *c*) A. *milex*. Sic et infra. — *d*) A. *delicta*. — *e*) A. *fluctis*. — *f*) A. *nabem*. — *g*) A. B. *iura*. — *h*) A. *laudaviliter*. — *i*) A. mendose *omnem tollenrantiam*.

1) Videbam hoc initium in tabula aenea excusum editionis romanae novorum serm. S. Augustini; ipsum tamen hactenus sermonem nusquam.

2) Qui sequitur tractus de Simone mago, extat etiam in appendice maurina serm. CCII. De eo disserit ad serm. LXXII. S. Maximi Brunus, quem vide cum sua adnotatione. Et quidem legitur etiam in breviario rom. ad diem quintam iulii.) Ceteroqui codex noster antiquissimus, uncialibus litteris scriptus, hanc reliquam sermonis partem Augustino magna cum auctoritate vindicat. Nam Brunum, quidquid potest ad Maximum suum unguibus fidiculisque trahere solitum, valde scimus: quo morbo alios quoque aliorum auctorum editores laborasse, alibi docebimus.

solummodo orationis *vi*, praecipiti *a*) ruina, in terra prostraverunt. Cum enim Simon magus atque maleficus Christum se diceret, et tamquam filium ad f. 314. a.
patrem adsereret et ad caelum volando se posse conscendere, atque elatus subito magicis artibus 1) per aëra volare coepisset; tunc Petrus et Paulus fixis in terra genibus precati sunt Deum, et precatione sua vicerunt magicam levitatem. Primum enim ascendit ad Deum sanctorum oratio, quam magi Simonis falsa volatio; et ante pervenit iusta petitio, quam iniqua praesumptio. Ante Petrus et Paulus in terris positi optinuerunt quod petebant, quam Simon perveniret in caelestibus, quo numquam pervenire valebat. Tunc igitur Petrus et Paulus oratione facta Simonem magum victum de sublimi aëre rapuerunt, et quodam praecipitio in saxum elidentes eius crura confregerunt *b*). Et hoc in obprobrium facti illius, ut qui paulo ante volare temptaverat, subito plantas amittens ambulare non posset: et qui diabolicas pinnas adsumpserat ut in caelum ascenderet, divisis membris in terra conlisus, coram omni populo turpiter iacuisse monstratus est. Sed ne forte, Fratres, hoc mirum videatur, quod magus iste atque maleficus praesentibus apostolis per aëra aliquantulum volaret, hoc patientia Petri et Pauli fecit. Permiserunt enim illum sublimius ascendere, ut de alto f. 314. b.
eum ostenderent cecidisse. Voluerunt eum aliquantulum aëris in excelso levari a conspectu omnium populorum, ut illo cadente, unde fuerat gavisus *c*) a turba fidelium, inde terreretur sequentium numerus perditorum.

3. Nam cuius meriti sint, Fratres dilectissimi, beatissimi Petrus et Paulus, hinc possumus intellegere, ut cum dominus noster Iesus Christus orientis regionem propria inlustraverit passione, occidentis tamen plaga ne inhonora fuisset in aliquo derelicta, istorum exhibuit sub suo imperio sanguine purpuratam. Et licet illius passio nobis sufficiat ad protectionem, tamen horum apostolorum simulque martyrum memoriam nobis contulit ad salutem. Nam ecclesia Domini, sponsa Christi, quae est una et vera regina, ipsa genuit Petrum, ipsa genuit Paulum, ex ipsa nati sunt, ab ipsa nutriti sunt; postea nutritores et defensores eius effecti sunt. Nonne ipsa Paulum pariebat, ut ex lupo fieret agnus? Natus est Paulus, crevit, et factus est magnus. Natus est, sed difficile satis, ita ut omnia membra contremescerent *d*) matris. Natus est quando baptizatus est a fratre, et inluminatus f. 315. a.
a Deo patre continuo coepit defendere matrem, et coepit velle Petrum videre 2). «Audivit enim Petrus quia Saulus eum quaerebat, et plus » eum formido tenebat. Noli timere, beate Petre, quia magnus tibi natus » est frater: habes qui te honoret, habes qui tecum laboret: non enim » Saulus te quaerit, sed Paulus vas electionis te cupit videre. Benedic

a) Cod. *praecipitis*. — *b*) A. *confrigerunt*. — *c*) Ita cod. — *d*) In B. 2. m. *contremiscerent*.

1) Augustinus in ps. IX. n. 24. *De Simone diffamatum est, cum sceleratis artibus caelum se putasset adepturum, et de humana generatione in divinam generationem rebus magicis transiturum.* Obiter autem adnoto, magicae artis reis in XII. tabulis supplicium fuisse constitutum, teste eodem Augustino de C. D. II. 19.

2) Totus qui sequitur tractus, uncis a nobis inclusus, omittitur in codicibus A. 1835, et C. 1269, sed tamen legitur in satis antiquo. B. 3828.

» Deum patrem, et suscipe fratrem, et habes cum quo defendes matrem. » O beate Petre, quia conversus est Saulus, miraris? qualis es tu, erit et » ipse talis, et unus vobis erit natalis. Prior es, sed aequalis est 1). Qui » illum fecit ex Saulo Paulum, ipse te fecit ex Simone Petrum. Unus vos » mutavit, unus vos honoravit, unus vos coronavit: mutavit persecuto» rem, mutavit et piscatorem: et si te priorem, et illum posteriorem, ta» men ambobus unum dedit honorem. »

4. Heia *a*) sancte Paule, veni veni, sequere Petrum, sed docentem non fugientem; fugiebat te, quando nesciebat te; sed nunc audivit quia evangelizas fidem, quam aliquando expugnabas, et in te clarificat *b*) Deum. Feci, confiteor, feci; sed peccatum non habeo, quia ignorans feci; ego feci, sed ipse non sum qui feci. Si quaeris, ego feci « si discernis non ego feci 2). » Et quid agimus *c*) sancte Paule, quia fecisse te, et non fecisse, utrumque testaris? Dicis quia fecisti, dicis quia non fecisti. Haesitat cor nostrum, quia ambiguos nos dimisisti. Dicis quia tu fecisti; quis est qui Paulo non credat? Iterum dicis quia tu non fecisti; quis audeat dicere Paulo, mentiris? Maxime quia tantus videris, ut quidquid dixeris, indiscusse *d*) credaris. Ego feci, inquit, quando Stephanum lapidibus interfeci: sed ex quo caelitus Christi nomen novum accepi, « statim peccatum meum ego cognovi *e*). » Fecit Saulus, numquid fecit Paulus? Multum distat *f*) inter Saulum et Paulum. Et vere, Fratres, vultis scire quia multum distat inter Saulum et Paulum? Saulus lapidavit,
f. 315. b. Paulus lapidatus est. Saulus persecutus est ecclesiam, Paulus persecutionem passus est propter ecclesiam. Saulus Christianos virgis affecit, Paulus pro Christo quinquies quadraginta una *g*) minus accepit. Saulus persecutus est sanctorum congregationem *h*), Paulus per fenestram in sporta summissus est. Propterea multum inter Saulum et Paulum. Illud nomen a parentibus in littera legis accepit; istud nomen novum a Christo semel accepit.

5. Dicamus aliquid, Fratres, etiam de sancto Petro, qui fuit piscator, cui iubebat, non dico curator, sed infirmus *i*) obsonator; et modo genibus fixis eum adorat imperator 3). Ideo mundi sapientes evanescunt, quia perdiderunt mentes: quia placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Duo luminaria magna, qui omnium gentium tenebras inlustrant, et omnibus veneratoribus suis bona beneficia praestant, Petrus et Paulus, primus et novissimus; sed tamen ambo aequales. Scimus quia non est in illis maius et minus. Primus cum Simon esset, et ligare et solvere noverat retia piscatorum; factus est Petrus, et coepit ligare et solvere
f. 316. a. vincula peccatorum. Novissimus cum Saulus diceretur, multos de Christianis *k*) iniuriis afflixit, multos crudeliter interfecit. Factus est Paulus, et

a) Ita cod. A. B. cum adsp. — *b*) A. *clarificabat*, C. *glorificat*. — *c*) C. *aimus*. — *d*) B. mendose *indc*. — *e*) Haec desunt in B. — *f*) Vocab. *distat* deest in A. C. Sic et infra. — *g*) C. *quadragenas*, *unam minus*. — *h*) B. etiam heic *ecclesiam*. — *i*) Ita codd., non *infimus*. Iam *infirmus* pro *infimus* interdum dici, novit latinitas. — *k*) A. C. *multos Christianos*.

1) Apostolatu, non primatu; electione, non praerogativa. Et sic intellige etiam inferius. Et quidem satis nota est damnatio propositionis de bicipiti ecclesiae culmine, Petro ac Paulo.

2) Haec item desunt in codd. A. C.

3) Recole apud nos fragmentum sermonis L.

propter Christum peiora passus est, quam quod fecit. O divina providentia! o divina mysteria! o divina clementia! o divina secreta! Quomodo Christi ecclesiam aedificaverunt Petrus et Paulus! Et celebramus hodie eorum festa sollemnia in laude divina, « a) praestante domino nostro Iesu Christo, » qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti, Deus per omnia, » saecula saeculorum. Amen. » Expliciunt sermones de secunda b) vigilia beati apostoli Pauli num. X. 1).

LVI. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE SANCTI LAURENTII MARTYRIS 2).

1. Inter laurigeros 3) confessores, quos ad caelum provexit perennis gloria triumphorum, sanctus Laurentius variati decoris fulgore coruscat; quoniam et leviticam candidam, et martyrialem sortitus est in passione coronam 3). Quosdam igitur sanguis roseus cruentavit, alios flamma tamquam in fornace succendit; in his rutilus, in istis purpureus color effulsit. Inter omnes beatus Laurentius palmis versicoloribus radiavit: sicque verbera, ignis, et gladius, et omnis officina saevitiae, laudis titulos martyribus pepererunt, quoniam non sunt in certamine victi, sed ascenderunt de saeculo coronati. Quid igitur dolor, quid poena, quid mors homines terretis? Cod. vat. 1836. f. 46. b.

a) Deest sequens clausula in B. C. — b) Cod. tantum *sec.*

1) Sic in codice antiquissimo 1835, qui f. 329. explicit cum hac pretiosa adnotatione litteris maioribus scripta: QUI LEGIS, OBSECRO UT ORES (cod. ORIS) PRO SCRIPTORE, UT PER APOSTOLORUM PRINCIPEM (cod. PRINCIPUM) SOLVANTUR (cod. SOLVATUR) VINCULA AGIMUNDI PRESBYTERI PECCATORIS (cod. PECCATORI.) DEO CAELI GRATES. (Liber est) BASILICAE APOSTOLORUM PHILIPPI ET IACOBI.

Nunc Romae dicitur ecclesia ss. apostolorum. Porro in dicta basilica recitavit S. Gregorius PP. homiliam suam XXVI in evang. Sequitur in pluteis vat. codex 1836. eadem aetate eademque manu scriptus, qui est prioris continuatio. Iam vero in hoc cod. 1836. f. 12. legitur sermo, inter maurinos LXV. incipiens: *Fratres dilectissimi, admonent nos eloquia divina* etc. qui a nobis idcirco, ut ceteri editi, omittitur. Verumtamen in eo sermone ff. 6-8. tanta occurrit varietas, ut hanc particulam saltem in scholio recitare, prout est in codice, pretium operae sit. « Redeamus ad causam, » quod paulo ante dicebam. Quare mortuum est corpus? quia discessit vita eius, hoc est anima. Quare » mortua est anima? quia deseruit eam vita eius, » Deus. Breviter enim his cognitis, scitote certumque retinete, corpus mortuum esse sine anima, » animam mortuam esse sine Deo: omnis sine Deo » mortua habetur anima. Plangis mortuum? plange » peccatorem, magis plange impium, plange infidelem. Scriptum est: *luctus mortui, VII. dies; fatui autem et impii, omnes dies vitae illorum* *. An » vero non in te sunt viscera miserationis christianae, ut plangas corpus a quo recessit anima? » et non plangas animam a qua recessit Deus? Hoc » tenens martyr respondeat comminatori: quid me » cogis ut negem Christum? Ego ut negem veritatem? Si noluero, quid facis? Percutis corpus » meum ut recedat inde anima mea. Non timeas, » martyr, gladium persecutoris; animam time, ne » moriatur in gehenna. Iudex ergo Dominus habet » potestatem et corpus et animam occidere in gehenna ignis. Vis nosse quae sit mors animae, » intellege prophetam dicentem: tollatur impius, » ut non videat claritatem mundi. Timeat ergo anima mortem suam, et non timeat mortem corporis sui. Illam mortem timentes, et illam vitam » martyres diligentes, promissa Dei expectantes, » minas persecutorum contemnentes, et ipsi aput » Dominum coronari meruerunt, et nobis celebranda ista sollemnia reliquerunt. »

2) Ante hunc sermonem legitur in antiquissimo nostro codice 1836. f. 43. b. sermo maurinus CCCV. qui incipit: *Agnoscit fides vestra.* Attamen in nostro cod. habetur clausula inedita sic.. *Christus teneatur. His vocibus excellentissimi Salvatoris, et gratia eius inspirati, amore eius accensi sunt martyres: tubâ veritatis vicerunt promissa vanitatis, pervenerunt ad gloriam aeternitatis.*

3) Hoc initium cum lata particula legebat olim in in mss. etiam auctor Milleloquii T. I. col. 1150.

4) Martyrii laudes Augustinus in enarrationibus psalmorum praecipue praedicavit. Extant item insignia de martyrio summatum veterum scripta, Tertulliani, Clementis alex., Origenis, Cypriani.

* Eccli. XXII. 13.

Vicit vos fides, superavit martyrum fortitudo, iam non potestis timeri post
f. 47 a. finem; provexistis martyres, non vicistis; evanuit virtus vestra, facta sunt de vobis lucrativa commercia, ut per vos iretur ad gloriam, quia tenuerunt martyres in passione constantiam. En, ubi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus? Totum frangit, qui mori non timet: totum superat, qui ad Christum moriendo festinat. Non enim potest formidare poenam, qui se scit a morte transiturum ad vitam. Quando igitur beatus Laurentius illa supplicia, illa incendia toleraret, nisi cuperet ad caelorum palatia laeta migrare? Noverat namque victurum se esse post funus, post ignes refrigeria repperturum *a*). Solvebatur namque corpus eius, et defluebat ardentibus prunis exustum: ibat in cineres et favillas quod de terra fuerat procreatum: reddebat miserae genitrici partum suum: refundebat limosae materiae vasculum suum: quod de terra acceperat, terrae reddebat; quod de humo increverat *b*), flamma conflabat. Quid igitur inter haec tormenta spiritus faciebat, nisi ad caeli partes se sublevabat? Non enim poterat anima igne torreri, quia in carne non poterat superari.

* Ps. CXXVIII. 7. 2. Vox ergo omnium martyrum est illa, quae canitur in psalmo *: anima
f. 47. b. nostra sicut passer liberata est *c*) de muscipula venantium: muscipula contrita est, et nos liberati sumus: adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit caelum et terram. Cremata est igitur angusta et fragilis corporis cavea, et sicut passer de vinculis evasit martyris anima. Liberata est a corporis poena, receptura in fine corpus suum; quia Deus artifex qui dignatus est hominis adnumerare capillum, spopondit nihil ei de ipso corpore periturum 1). Capil-
* Luc. XXI. 18. lus, inquit, de capite vestro non peribit *. Erubesce *d*) iam, incredule Manichaee, qui resurrectionem futuram esse diffidis 2). Christus dixit, veritas dixit, qui mentiri non potuit, hominis nec quidem capillum esse periturum. Non potest discuti, quod omnipotens voluit polliceri; nec est animarum, ut Plato putavit 3), in alia corpora transitus; quia non potest esse homo asinus aut camelus, sed erit unusquisque hominum in suo corpore iudicandus. Ut video, perfide, qui non vis credere, times surgere: sed velis nolis, necesse est ut resurgas, et agnoscas verum esse quod negas. Sed o, pace eius, praeteri contradictionis vetustissimam faecem *e*): nunc, homo, compendio va-

a) ita cod. — *b*) Cod. *increberat*. — *c*) Cod. *liverata es*. — *d*) Cod. *perivit*, *eruvesce*. — *e*) Cod. *fecem*.

1) Huc usque etiam Milleloquium.

2) Contra Manichaeos resurrectionem corporum tuetur Augustinus etiam lib. IX. adversus Faustum manich. cap. 3. Insuper in prisco ad Iobum commentario adhuc inedito, cuius ego verum auctorem proprio in loco patefacturus sum, cap. VII. 9. ad ea verba: *nam si homo descenderit ad inferos, haud amplius ascendet, nec revertetur ultra in domum suam, neque eum recognoscet locus eius*; sic commentarii auctor ait. Ταῦτα δὲ λέγει, οὐχὶ τὸν τῆς ἀναστάσεως ἀθετῶν λόγον, ὡς ἐνόμισαν Μανιχαῖοι καὶ Οὐαλεντινοί, ἀλλ᾽ ὅτι, φησίν, ὁ τελευτήσας οὐκ ἔτι ἐπανήξει εἰς ταύτην τὴν ἀγωγήν, οὐ τεθνητῶν ἐφάψεται ἔτι πραγμάτων, ἑτέρας λήξεως τυγχάνων· πέπαυται γὰρ αὐτῷ λοιπὸν ὁ τῆς πολιτείας λόγος, καὶ τῶν βιωτικῶν ἔργων ἐκεχειρίαν ἔχει, παραδραμούσης τῆς ἐπιπόνου ἐργασίας καὶ τῷ θανάτῳ ἐπισχεθείσης: *haec autem dicit, haudquaquam destruens resurrectionis doctrinam, ut Manichaei Valentinique existimarunt; sed quia, inquit, qui obiit, haud in huius vitae conversationem redibit, neque mortalia attinget ulterius negotia, quoniam aliam stationem sortitus est: namque eius civilis vita desiit, et mundanorum operum vacationem adeptus est, dilapsis iam et a morte inhibitis laboriferis curis.*

3) Legatur circa hoc Augustinus noster de civ. Dei lib. XXII. cap. 27.

dis ad caelum, si nolueris declinare martyrium: seu velis enim seu nolis, eris in isto saeculo moriturus. Quid igitur dubitas pati pro Christo, qui te nosti minime duraturum in mundo? Laudemus ergo, Fratres karissimi, et f. 48. a honoremus Laurentium sanctum, qui pretiosum fidei margaritum etiam inter fumiferas flammas servavit inlaesum. Omnes igitur divitiae et omnis sensus, gemmarumque decor, et lapidum multicolor pulchritudo, aut ante mortem eripitur, aut certe si usque ad mortem servatur, tamen in ipsa morte penitus non tenetur. Thesaurus vero *a*) fidei, cui nullae opes poterunt comparari, in baptismo adquiritur, in passione servatur, post passionem immortaliter possidetur. Hic igitur aurum in tormentis *b*) si confessus fueris 1), perdis; si negaveris, servas: ibi Christum inter uncatos torvosque *c*) carnifices, tunc perdis si negaveris; si vero confitearis, adquiris. Explicit.

LVII. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE SUSANNA ET SENIORIBUS 2).

1. Dilectissimi Fratres, pratum nobis liliorum dominus noster Iesus Cod. 1836 f. 50 b. Christus in evangelico campo plantavit, quod numquam venti urentis aestu marcescit. Libet istos campos oculis circumlustrare canescentes; et per singulas turres liliorum, civitatem lucidam videre regni caelorum, sanctorum adornatam agminibus angelorum. Inter ista lilia caelesti immortalitate nitentia, aspicimus exiguum lilium, castam illam pudicamque Susannam, quam velut lilium indicat nomen 3); ut cum coniugalem custodit castitatem, amplectuntur et cooperiunt istud *d*) lilium lilia illa caelestia, quae diligunt f. 51. a sanctitatis suae imitatoriam disciplinam. Ibi Michahel, ibi Gabrihel, ibi Raphahel, ibi throni, virtutes, dominationes, principatus, et potestates, Cherubim quoque et Seraphin *e*): et aquae illae quae super caelos sunt, quae circa piscinam pomerii, ubi intrat Susanna lavare, dulciter requiescunt. De quo pomerio inpudici prosiliunt seniores, ora inverecunda pandentes, ut inter teneram ac delicatam *f*) planitiem circumflagellantium *g*) liliorum concreparent fauces spinarum de labiis seniorum. Esto, inquiunt, nobiscum, quia in tui sumus concupiscentia: clausimus iam ostium propter commune secretum: nullus testis est qui accuset, nullus arbiter qui condemnet.

2. Et expavit subito lilium candidatum, quod Susannae vocabulum protestatur et meritum. Et expavit, inquam, et tali coepit voce senioribus respondere. Vae mihi! quid *h*) estis? Vos agnosco et non cognosco: volo

a) Cod. *fero*. — *b*) Cod. *tormenta* — *c*) Cod. *torbosque*. Et nota *uncatos* pro *uncis armatos*. — *d*) Cod. *istum*; sed paulo infra *istud*. — *e*) Ita cod. cum terminatione *n*, non *m*. — *f*) Cod. *dil*. — *g*) Malim *circumflagrantium*. — *h*) Malim *qui*.

1) Respicit ad notissimam historiam S. Laurentii, a quo iudex ethnicus ecclesiae pecuniam sibi manifestari flagitabat.

2) Sermo hic inscribitur diserte Augustino, prout est heic in titulo, extatque in antiquissimo codice litteris uncialibus seu rotundis scripto, de quo iam dixi in adn. pp. 59. et 111. Certe nisi haec argumenta me permovissent, numquam ut puto Augustino scriptum hoc tribuissem: de quo nondum omnem dubitationem deposui, ex vix ab eo iuvene, et adhuc scholae colores retinente, dici potuisse iudico. Rem nihilominus a tam vetusto codice mihi exhibitam negligere non sum ausus. De Susanná et Ioseph extat Augustini sermo ed. CCCXLIII, qui valde utiliter cum hoc conferetur.

3) Scilicet hebraice שׁוֹשַׁנָּה *lilium*.

I. 31. b. oculis satisfacere, sed timeo istud de senioribus credere. Vos estis iudices mei? An falluntur oculi mei? An forte ille qui transfigurat se velut angelum lucis, et ministros suos sicut ministros iustitiae, ipse mihi vestros vultus *a*) voluit similare? Nos, inquiunt, sumus iudices Israhel, nos seniores populi, nos habemus potestatem ut istud non sit crimen, si nobis tradideris volumptatem *b*). Vae mihi! non estis iudices sed latrones: mutastis aetatem, mutastis et vocem, quia mutastis et mentem: plus de vobis erubesco, quam de me pertimesco. Unde procedit iudicium, cur inde pudoris alieni adpetitur furtum? Clausistis pomerium, numquid clausistis et caelum? Scriptum
Ps. XXXIII. 16. est enim *: « oculi Domini super iustos, et aures eius ad preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala ». Caelum conlustrat, terram visitat, inferos penetrat, inspicit dormientes; et non aspicit fornicantes? Horrendum est incidere in manus Domini, quia horribilis est expectatio futuri iudicii. Cogitate illud divinum iudicium, caelestem vobis pingite thronum.
I. 32. a. Ego expecto Dominum: adhuc modicum, donec veniat qui venturus est, et non tardabit *c*): et si facit moram, sed meam non deserit pugnam: Spiritu sancto suo meam instruit conscientiam 1).

3. Reclamant spinae contra lilium: si non consenseris nobis, inquiunt, dicemus contra te testimonium, quia fuit tecum iuvenis *d*), et lapsus est de manibus nostris. O angustiae mihi undique! Si non consensero, non effugio manus vestras: si autem *e*) hoc fecero, non effugiam iudicium Dei. Sed melius est mihi in manus vestras incidere, quam in manus Domini mei falsa *f*) stare. Melius trado animam meam pro testamento et legibus Domini, et moriar in innocentia mea. Teste 2) est caelum super me, quia sine causa adpetistis me. Testimonio sunt mihi loca ista, prata sonantia, nemora concinentia, cantus avium diversarum, quae pudoris mei consolantur effectum. Garrit mihi turtur, ab ulmo crucis gemens, ut coniugale non violem *g*) sacramentum, sed sim istius turturis imitatrix, quae nec viventis masculi violat torum, nec recedentis damnat affectum. Turtur est casta;
f. 32. b. ego, si dignum est, ero inpudica? Et vincit me avis exigua? Testis est enim Dominus meus, numquam me cum alieno viro causa luxuriae commiscuisse conloquium. Tabulas coniugii mei teneo, quas sum in divino lectura iudicio, ne ipsae tabulae meae *h*) sponsionis accusent, ubi seniores intererant, principales praesto fuerunt, fides conscripta, fides promissa, scribae adnotarunt, angeli subscripserunt. Date veniam, angeli Dei mei, et adiuvate *i*) pugnam pudoris mei. Tu sancte Michahel, qui stas pro filiis populi mei, non sit tibi indignum a meo pudore in isto pomerio repulsare serpentes, qui pugnans et vincens de caelo proiecisti draconem. Audeo te in auxi-

a) Cod. *uultos*. — *b*) Ita scribitur in cod. — *c*) Cod. *tardavit*. — *d*) Cod. *iubenis*. — *e*) Cod. *enim*. — *f*) Ita cod. Sed tamen *a* secundum a 2. manu est. — *g*) Cod. *violet*. — *h*) Cod. *mei*, fortasse pro *me*. — *i*) Cod. *adiubate*.

1) Idem Augustinus serm. cit. n. 1. sic loquitur de Susanna: *contemnebat quod audiebat, quia timebat quem non videbat*.

2) Similiter omnino Alcimus Avitus, saeculi [illegible] Iustiniani [illegible] *teste*, de eodem hoc Susannae argumento agens, et Augustinum fortasse spectans, poem. lib. VI. 576. *Caelum teste vocat, famamque recusat inanem* [illegible] Augustini [illegible]

lium postulare, beatissime Gabrihel: qui venturus es ad virginem 1), veni
ad coniugalem: qui salutaturus es sanctitatem, protege castitatem. Tu, san-
cte Raphahel, adesto Susannae pugnaturae, qui interfuisti virgini mox
nupturae: tu copulasti Tobiae Sarram: tu Helciae serva Susannam. Re-
dite ad vos, o iudices Israhel, quia mecum est Deus Emmanuhel. Non
sum factura quod dicitis: non timeo quod obicere cogitatis: non deduco f. 53. a.
canos patris mei cum luctu ad inferos. Non me accusabunt ubera matris
meae, et lactis praebiti *a*) iudicaria nutrimenta. Non potui esse virgo sacra,
ero vel casta matrona. Non potui esse virgo, non ero vel casta meo ma-
rito? Habeo militiam meam, non perdo victoriam meam.

4. Inter istas advocatoriae orationis voces, quas angeli mirabantur, et
ad quas stupebat chorus omnium prophetarum, inter spissos arborum ra-
mos dum suavis avium inmurmurat sonus, inmanis a senioribus falsis con-
citatus est strepitus, ita ut pomerium clamantium vocibus repleretur. Pro-
siliunt servi patris et coniugis, omnis domus spoliata * concurrit, videntes * ita cod
Susannam stare velut columbam simpliciorem gementem, illos tamquam
accipitres *b*) fingentes criminis falsitatem, quia polluere nequiverunt *c*) casti-
tatem. Totius domus familia ad testimonia seniorum maesto ore dependent *d*):
inclinatur omnium vultus in terram. Sed de casta Susanna minime permittit
erubescere *e*) maritum vel parentes [is] qui fecit caelum et terram. Differ-
tur *f*) in crastinum de fraude iudicium. Facta est parentibus, marito, pro- f. 53. b.
ximis, familiae toti vel alumnis Susanna quasi *g*) cadaver mortuum: plan-
gunt eam, et nulla mortis est causa. Transigunt parentes atque maritus
totam pervigilem noctem in crastinum cogitantes: pudore operit caput pa-
ter, crinem dissipat mater, maritus gemit et fremit, miscetur in eo pu-
dor et furor, orant Deum flebilibus tota nocte querellis *h*), utrumnam
certa est conpactio falsitatis?

5. Iam dies albescit *i*), et matutinum rumpitur iubar: expavescit mater,
contremit pater, quia lux iam causam ad publicum revocabat, ubi omnis
patria confluebat. Exeunt parentes atque maritus Susannam deducentes
non ad iudicium sed potius ad sepulchrum, quia conrumpunt mores bo-
nos conloquia mala. Circa omnes parentes dolor, circa omnes populos
furor. Famosa nobilisque matrona adducitur audienda: non vir, non fe-
mina domi remansit: exit sponsus de cubiculo suo, et nova nupta de
thalamo suo: iuvenes *k*) et virgines, seniores cum iunioribus conveniunt ad
iudicium, sicut scriptum est; et fit ibi non criminis magnum *l*) sed laudis
theatrum. Seniores praecipiunt nudari Susannam, quo suam possint explere f. 54. a.
concupiscentiam: patet omnibus vultus ille in Susanna securus, effigie

a) Cod. *praeviti.* — *b*) Cod. *ancipitres.* — *c*) Cod. *nequieverunt.* — *d*) Cod. *dependunt.* — *e*) Cod. *eruvescere.* — *f*) Cod. *differentur.* — *g*) Cod. mendosissime: *familia et totius vel alumnis Susanna quasi ad cadaver.* — *h*) Ita cod. qui est archaismus. — *i*) Cod. Cod. *alvescit.* — *k*) Cod. *iubenes.* — *l*) Malim scribere *magnum non criminis* etc.

1) Etiam in serm. cit CCCXLIV. 3. ab Augustino comparatur Susanna liberata a propheta Danihele, cum Maria quam angelus a viri Iosephi suspicione purgavit. Tum ibidem num. 4. rursus loquitur de castitate coniugali Susannae, et de virginali deiparae Mariae.

hilari proclamabat: non genae pallentes: ibat secura et castitate munita: ibat, inquit, matronali gressu constans et fortis, ita ut omnium oculos libertate suorum deiceret oculorum, quia nescit scire *a*) poenas, quem conscientia non fatigat. Illi accusant, illa tacet 1); expromitur *b*) iam ab illis sententia tamquam in ream, quam Dominus sciebat a crimine alienam. Illa autem tacito cordis gemitu Dominum intuens, ad illum suspirans dicebat: Domine iudica et vindica causam meam. Deus, etsi taces ad suspirium meum, saltem suscipe vel spiritum meum. Sequitur populus et vulgus ignobile *c*), alii ducentes, alii frementes; *alii* expectaturi *d*), alii sepulturi. Alteri prudentiores et verecundi non sequebantur, nolentes tantum honestae feminae videre supplicium. Concrepat totum parentum vocibus caelum.

6. Exclamat puerus *e*) Danihel, in quo Spiritus sanctus calamum cordis instruexerat *f*): sic fatui estis, filii Israhel, non iudicantes, neque quod verum est agnoscentes? Condemnastis filiam Israhel: revertimini tandem ad iudicium, quia falsum adversus eam locuti sunt testimonium. Ad haec verba, populi omnes ardentiore aviditate *g*) fervescunt, parvuli iudicis expectaturi
54 b. iudicium. Paratur thronus iudici, iunior residet: audit, discernit, et punit: iubet eos ab invicem separari, quo possit falsitas adprobari. Separat eos iustitia, quos iunxerat inpudentia. Et interrogat primum, quanam sub arbore in pomerio viderint eos? Respondit, sub lentisco. Eo remoto, alioque adducto, dicit facinus sub ilice *h*) commissum. Discrepant verba, quae firmaverat serpentis malitia, ut possit omnibus casta doceri Susanna. Confestim exclamat Deo laudem, et seniorum postulat ultionem. Sed de poena illorum nihil est opus dicere. Sed de victoria Susannae delectat, dilectissimi, nova lingua cantare, quia convertit Dominus luctum in gaudium, conscidit *i*) saccum parentum, et praecinexit eos de Susannae laetitia. Facta est domus parentum simul et coniugis quasi ecclesia sanctitatis: canitur ubique laus alleluia: resultat amen, quia non tradidit Dominus animam sibi confitentem, sed clariorem fecit suo adiutorio in certamine sanctitatem; quia castitas Deo dicata potest *k*) mori, nam non potest superari. Conversi 2) ad dominum Deum nostrum gratias agamus ei, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen. Explicit. Deo gratias. Amen 3).

a) Cod. *luscire*. — *b*) Cod. *expremitur*. — *c*) Cod. *ignorile*. — *d*) Id est *spectaturi*; nam *expecto* pro *specto* apud varios auctores vidimus. — *e*) Ita cod. Et quidem non desunt alia exempla v. gr. Paulli. — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *abiditate*, et mox *parbuli*. — *h*) Cod. *hilice*. — *i*) Cod. *conscendit*. — *k*) Cod. heic et mox *posse*.

1) Adamussim Augustinus in ps. CXXXVII. 2. *Clamabant certe qui Susannam accusabant, et ad caelum oculos non levabant: illa tacebat, et corde clamabat: unde illa meruit exaudiri, isti puniri.* Item serm. ed. CLVI. 15. *Clauso ore, labiisque immotis Susanna istâ voce clamabat.*

2) Hanc clausulam vidimus Augustino usitatam in aliis etiam sermonibus. Recole dicta a nobis in adn. p. 26. Adde et serm. de discip. chr. in T. VI.

3) Post sermonem de Susanna, sequitur in codice f. 58. sermo de Martha et Maria, qui est CIV. in editione maurina; incipitque a verbis *sanctum evangelium*, desinitque in illis *sed Deus qui incrementum dat.* Ibi vero codex sine ulla interruptione prosequitur, explicans illud Lucae XI.27. sic: «Extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti. Vere beata Maria, quia (habuit) in sacrario ventris sacerdotem. Nam quidquid in saeculo futurum erat, id totum de eius beato ventre processit. Processit enim sacerdos et hostia, Deus resurrectionis, et sacerdos oblationis, et hostia passionis. Hoc autem totum in Christo agnoscimus. Deus est, quod ad patrem redit; pontifex, quod se ipsum victimam obtulit

LVIII. INCIPIUNT HOMILIAE IN NATALE SANCTI ANDREAE APOSTOLI 1).

1. «Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilaeae vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et Andream fratrem eius mittentes retem 2) in mare; erant enim piscatores; et ait illis: venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum *.» Primus Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater eius. Ordinem apostolorum et meritum uniuscuiusque, illius fuit distribuere, qui cordis arcana rimatur. Primus scribitur *a*) Simon cognomento Petrus, ad distinctionem alterius Simonis, qui appellatur chananaeus, de vico Galilaeae Channa *b*), ubi aquas Dominus vertit in vinum. Et apostolorum paria iuga consocians *c*), iungit Petrum et Andream, fratres non tam carne quam spiritu. Simon pone maerorem 3) vel oboediens 4) interpretatur, eo quod oboedivit vocem Domini dicentis cum Andrea: venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Petrus agnoscens interpretatur 5), eo quod agnovit unde alii discipuli dubitabant. Domino interrogante: vos quem me dicitis esse? ipse Petrus subripiens cogitationes discipulorum, respondit 6): tu es Christus filius Dei vivi. Pro quo et nomen *d*) hoc accepit. Et Cappadociam atque *e*) Galatiam, Bithyniam pariter et Pontum, provinciasque confines, dum Iudaeis praedicans circuit, posterum *f*) Romam inlustraturus accessit.

Cod. Vat. [illegible] f. 95 a.

* Matth. IV, 18.

f. 95 b.

2. Andreas graecum est, latine virilis dicitur 7), eo quod robustus in praedicatione sive ad persecutiones pro iustitia tolerandas fuit, et Scythis *g*) praedicavit. Isti primum vocati sunt ut Dominum sequerentur. Piscatores et inlitterati mittuntur ad praedicandum, ne fides credentium, non virtute Dei, sed eloquentia atque doctrina, fieri putaretur. Vocat quippe eos, ut qui erant piscatores piscium, fierent hominum. Sicut enim pisces elevantur *h*) de profundo per retem, sic praecepto Dei homines isdem praedicantibus de

a) Cod. [illegible]. — *b*) 2. m. *Chanaam*. — *c*) Cod. *que sociat*. — *d*) Cod. *nomine*. — *e*) Cod. *et que*. Sic et infra. — *f*) Ita cod. pro *postremum*. — *g*) Cod. *Scythas*. — *h*) Cod. *elebantur*..

» pro nobis. Mariae ergo beatus uterus, sed templum » fuit Christi. Quid est autem in illo, nisi quod su» per caelos aestimandus est? ubi quasi in secretiore » tabernaculo mysterium divinitatis disponitur su» per caelos. Plane beatus uterus Mariae aestiman» dus est, quia victorem filium Dei ad caelos re» misit. Inde venit ut pateretur; hinc redit ut reg» nans adoretur. Inde humiliatus descendit, hinc » ad patrem glorificatus ascendit. Melius tamen tem» plum corporis, quam caeli: residens enim Chri» stus in caelis, ibi est terribilis, hic autem man» suetus; ibi peccata vindicans, hic peccata con» donans; ibi potestate iudicis utitur, hic per dile» ctionem inter fratres honoratur; atque ut simus » beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt.

1) Sermonem hunc inter augustinianos retineo, quia sequens, qui item est inter illos de S. Andrea, sine dubio augustinianum se esse demonstrat.

2) Ita cod. In antiquo Matthaei textu, quem nos edidimus Script. vet. T. III. part. 2. p. 257, legitur *retiam*. Iam de hoc ipso textu extat homilia quinta in evang. S. Gregorii PP. sed diversa ab hac.

3) Huius interpretationis saltem vestigium est in glossario, quod citat Schleusnerus in lex. T. N. Σίμων, *ἀκούων λύπην*. Noster a שמע *posuit*.

4) A שמע *obedivit*. Tam *obedio* cum accus. habemus apud alios duos afros scriptores Apuleium et Frontonem. Videsis Forc. lex.

5) Reapse apud Hesychium in lexico: Πέτρος ἐπιλύων, ἐπιγινώσκων. Et quidem Origenis lexicon reddit ἐπιγινώσκων, ἢ ἐπιλύων. Sine dubio enim ex origenianis lexicis haec sunt, de quibus nos in adn. ad S. Cyrillum in psalmos locuti sumus. Porro etiam Cyrillus in Luc. VI 19. apud nos in hac Bibliotheca PP. T. II. p. 192. hanc Petri vocabuli interpretationem tradit, ἐπιλύων ἢ ἐπιγνούς. Porro haec dicimus, non quia nos hisce tricis valde delectemur, sed ut Augustini hunc locum luce aliqua aspergamus.

6) Augustinus serm. ed. LXXVI. *Petrus apostolorum in ordine primus etc. unus pro multis dedit responsorium: tu es Christus etc.*

7) Ἀνδρεία *virilitas*, ἀνδρεῖος *virilis*.

profundis saeculi erroribus redimerentur. Tres igitur evangelistae piscatores
f. 96. a dixerunt 1); nominis inmutationem solus Iohannes *a*) intulit 2). Merito ergo piscatores dicuntur, quibus officium piscandi Iesus ademit *b*), et misit ut homines ad salutem et credulitatem perducerent sua praedicatione; quia per
* Hier. XVI 16. prophetam sic dictum fuerat de ipsis: mittam piscatores, et piscabuntur eos*. Totum ergo hoc in apostolis completum est, qui ex piscatoribus effecti sunt piscatores hominum. Sicut enim pisces retibus de mare auferuntur, sic praedicatione apostolica homines de saeculo tolluntur, et perveniunt ad credulitatem filii Dei. Altera die stabat Iohannes, et ex discipulis eius duo. Et respiciens Iesum ambulantem, dicit: ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Iesum. Istos duos discipulos Iohannis, Andream et Philippum fuisse, manifestum est, qui ideo secuti sunt Christum dominum, ut aliquid ab eo discerent; quod eis ipse dicit: venite post me; ac si apertius diceret: credite et videte, id est intellegite. Die quoque illo inluminati crediderunt dominum Iesum Christum Deum esse. Quod dicit, hora erat quasi decima, quid aliud hora illa decima significabat, nisi finem testamenti veteris et initium novi? quia et Iohannes figuram legis veteris gestabat; duo vero isti discipuli dilectionem Dei et proximi figurabant. Relicto ergo Iohanne, duo discipuli secuti sunt Dominum, quia praete-
f. 96. b. reunte legis figura, advenit novum testamentum, quod est evangelium Iesu Christi.

LIX. ITEM UT SUPRA.

Cod. vat. 1836. f. 98. a. 1. Dixit Iesus discipulis suis: «ecce ego mitto vos sicut oves in medio
* Matth. X. 16. luporum*.» Quia ipse est pastor ovium et magister, in evangelio testatur dicens: «ego sum pastor bonus; pastor bonus animam suam ponit pro
* Ioh. X. 11. ovibus suis*.» Merito discipulos suos propter innocentiam ovibus conparavit; lupos autem eos significat, qui post passionem Domini apostolos et ceteros credentes propter filium Dei persequuti sunt; inter quos qualiter ambulare deberent *c*), praemonet; estote, inquit, simplices sicut columbae. Vult ergo Dominus, *ut* sicut columba est sine dolo, sine felle, quod est amaritudo peccati, obliti iracundiae et iniuriarum praesentis saeculi vivamus, iter angustum vitae aeternae ingressi, (quam, inquit, angusta via est quae ducit ad vitam!) deposita superficie veteris, id est pristinae, ut promissa divina capiamus. Et astuti, inquit, sicut serpentes. Hic est quem imitari *d*) debemus. Serpens enim certo tempore per foramen angustum fulcire *e*) se dicitur, ubi cum magno labore deposita exuvia *f*) veteri, velut novus efficitur. Cuius astutiam nos imitantes, inter angustum conversationis, velut novi homines in saeculo apparere debemus, in novitate ambulantes. Est et alia astutia serpentis. Si venerit in manus se volentis occidere, totum corpus suum plagis et vulneribus tradit, et nihil aliud gestit, nisi caput integrum custo-

a) Cod. *Iohannis.* — *b*) Cod. *adimit.* — *c*) Cod. *deverent.* — *d*) Cod. *haec est qui imitare.* — *e*) Cod. *fulciri.* — *f*) Cod. *exubia.*

1) Matth. IV. 18. Marc. I. 16. Luc. V. 2. 2) Ioh. I. 12.

dire 1). Ad quod exemplum et nos provocamur, ut si tempore praedicationis in manus inimicorum devenerimus *a*), pro capite nostro, id est pro filio Dei, totum corpus tormentis et suppliciis, etiam ipsi morti *b*), subiciamus; quia caput nostrum Christus est.

2. Iterum alibi dixit Iesus ad discipulos: «vos testimonium perhibebitis *c*) de me, quia ab initio mecum estis*. Haec locutus sum vobis ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos*; sed venit hora, ut qui interficit vos, arbitretur obsequium praestare se Deo; et haec facient, quia non noverunt patrem neque me. Sed haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis 2).» Quid? Hoc pertinet ad illud quod dixerat: « nunc autem et viderunt, et oderunt me et patrem meum. Sed ut impleatur sermo qui in lege eorum est, quia odio me habuerunt gratis. » Eos qui viderunt et oderunt cum testimonio manifestiore convincit *d*). Immo vero etiam aliquos ex illis, qui viderant et adhuc oderant, ad fidem, quae per dilectionem operatur, sui *e*) manifestatione convertit; et tanti sanguinis impie atque inmaniter fusi indulgentiam perceperunt *f*), ipso redempti sanguine quem fuderunt. Christi enim sanguis sic in remissione peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiam peccatum possit delere *propter* quod fusus est. Hoc ergo intuens Dominus dicebat: odio me habuerunt gratis. Tamquam si diceret: odio me habuerunt, et occiderunt videntes. Sed tale de me Paraclitus testimonium perhibebit, ut eos faciat in me credere non videntes. Et vos, inquit, testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Perhibebit Spiritus sanctus, perhibebitis et vos. Quia enim ab initio mecum estis, potestis praedicare quod nostis; quod ut modo non faciatis, illius Spiritus plenitudo nondum adest vobis. Ille quippe testimonium exhibens, et testes fortissimos faciens, abstulit Christi amicis timorem. Et vos testimonium perhibetis, id est quia Deus sum, quia ab initio mecum estis: hoc est ab initio praedicationis. Haec locutus sum vobis, id est haec verba, ut non scandalizemini, id est ut non negetis.

* Ioh. XV. 27.
* Ioh. XVI 2.
f. 99. a.
f. 99. b.

3. In his exemplis praecedentibus docuit Dominus discipulos suos, ut eum imitando fierent fortiores; adiciens et promittens eis, quod venturus esset Spiritus sanctus, qui de illo testimonium perhibebit. Et adiciens quod et ipsi fierent testes eius, operante hoc ubique in eis Spiritu sancto. Deinde quae passuri essent etiam exprimens ait: extra synagogas facient vos. Quid autem mali erat apostolis expelli de iudaicis synagogis, quasi non inde se fuerant separaturi, etiamsi eos nullus expelleret? Sed nimirum hoc voluit denuntiare, quia Iudaei Christum non fuerant recepturi, a quo isti non fuerant recessuri: et ideo futurum erat ut foras mitterentur cum illo hii qui esse non possent sine illo, ab eis qui esse nolent in

a) Cod. [illegible] — *b*) Cod. morte — *c*) Cod. [illegible] — *d*) [illegible]

1) [illegible] bus tractat Augustinus in serm. ed. LXIV. Immo di- [illegible]

[illegible] quoque suum sermonem denotare Augustinus.

2) [illegible] XCII [illegible] XCIII [illegible]

illo. Discipuli ergo sic in eum credentes, ut impleti Spiritu sancto, hoc est dono gratiae Dei, non sint de numero eorum, qui ignorantes Dei iustitiam, et suam volentes constituere, iustitiae Dei non sunt subiecti; * Ioh. XII. 43. de quibus dictum est *: dilexerunt gloriam hominis magis quam Dei. Illis congruit prophetia, quae de ipsis invenitur impleta: « Domine in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die, et in tua * Ps. LXXXVIII. 16. iustitia exaltabuntur; quoniam gloria virtutis eorum tu es *. » Merito eis di- f. 100 a. cetur: extra synagogam facient vos; illi scilicet qui zelum Dei habent, sed non secundum Dei scientiam; propter quod ignorantes Dei iustitiam, suam *a*) volentes statuere; et eos expellunt, qui non in sua sed in Dei iustitia exaltabuntur. Nec expulsi ab hominibus erubescunt *b*); quoniam gloria virtutis eorum tu es.

4. Deinde subicit: sed venit hora, ut omnis qui interfecerit *c*) vos, arbitretur se obsequium praestare Deo. Et hoc facient quia non cognoverunt patrem neque me; hoc est non cognoverunt Deum nec eius filium, cui se in vobis occidendis praestare arbitrantur obsequium. Quae verba Dominus ita subicit, tamquam ex hoc consolaretur suos, qui de synagogis iudaicis pellerentur; renuntians enim quae mala essent pro eius testimonio perpessuri. Quid sibi ergo vult extra synagogas facient vos; sed venit hora? Tamquam hoc dicturus fuisset: separabunt illi, inquit, vos; sed ego vos colligam. Aut separabunt illi quidem vos, sed venit hora vestrae laetitiae. Sed cum dixisset, absque synagogis facient vos, ideo addidit *d*): sed venit hora, et cetera; ut intellegerent atque gauderent, multos se Christo adquisitu- f. 100. b. ros, cum de Iudaeorum congregationibus pellerentur; ut eos non sufficeret pellere, sed non sinerent vivere, ne omnes ad nomen Christi sũa praedicatione converterent. Iste itaque sensus est in his verbis, extra synagogas facient vos. Sed nolite solitudinem formidare: separati quippe a congregatione eorum, tam multos in meo nomine congregabitis *e*), ut illi metuentes ne templum quod erat aput *f*) eos, et omnia legis veteris sacramenta deserantur, interficient vos, sic fundentes sanguinem vestrum ut Deo se praestare arbitrentur obsequium. Nam mori pro Christo nondum erant idonei apostoli, quibus dicebat: non potestis me sequi modo. Unde primus eorum Petrus, qui hoc se iam posse praesumpserat, aliud expertus est quam putabat. Et tamen postea viri et mulieres, et pueri et puellae, iuvenes et virgines, senes cum iunioribus innumerabiles 1) martyrio coronati sunt.

5. Si ergo in caritate proficiatis, quam diffundit in cordibus Spiritus sanctus docebit *g*) vos omnem veritatem. Proinde ait, quod vel vos docebit omnem veritatem, vel deducet *h*) vos in omnem veritatem. Sed cum discipuli prohiberentur, ne docerent in nomine Iesu; sed ipsi dixerunt eis: si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate. Non

a) Cod. *sua*. — *b*) Cod *eruvescunt*. — *c*) Cod. *interficirit*. — *d*) Cod. *addedit*. — *e*) Cod. *congregavitis*, et infra *provati*. — *f*) Ita heic cod. ut saepe in aliis codicibus. At in serm. seq. *apud*. — *g*) Cod. *docevit*. — *h*) Cod. *deducit*.

1) Adhuc observa testimonium Augustini de infinito martyrum numero, quem Dodwellus dissert. cypr. XI. de pauc. martyr frustra minuere nisus est; recte in hoc a catholicis scriptoribus refutatus.

enim possumus nos quae vidimus et audivimus non loqui *. Et illi convocantes eos, caesos dimittebant. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumelias pati. Omni autem die in templo circa domos non cessabant docentes et evangelizantes Christum Iesum. Sicut scriptum est *: « obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello. Nam et alii ludibria et verbera experti insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, temptati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circumierunt in melotis et in pellibus caprinis, egentes, angustiati, adflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, et in montibus, et in speluncis, et in cavernis terrae. Et hii omnes testimonio fidei probati sunt. Sicut scriptum est *: non veni pacem mittere in terra sed gladium. Quomodo non venit pacem mittere Dominus, cum ipse pacem attulerit generi humano? Et cum ipse diversarum gentium homines, inimicos sibi invicem, in unitatem fidei adductos *a*), pacificos fecerit *b*)? Quando et apostolis hoc reliquerit dicendo *: pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Sed hic gladium Spiritum sanctum dicit, sicut alio loco manifestat *: et qui habet, inquit, tunicam, vendat, et emat sibi gladium. Et Paulus apostolus gladium Spiritum sanctum ostendit dicens *: adsumite scutum fidei, et gladium Spiritus. Hic ergo gladium, id est Spiritum, missurum se in orbem terrarum Dominus dicebat, per quem inter parentes et proximos eos qui crediderunt, et illos qui credere noluerunt, inimicitias fore c) propter verbum veritatis demonstrat. Et omnia completa tam in actibus apostolorum, et diversis temporibus facta invenimus; praestante ipso domino nostro Iesu Christo, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti in saecula saeculorum. Amen. Explicit 1).

* Act. IV. 20. — f. 101. a. — * Hebr. XI. 33. — * Matth. X. 33. — * Ioh. XIV. 27. — f. 101. b. — * Luc. XXII. 36. — * Ephes. V. 16.

a) Cod. *addictos*. — b) Cod. *fecit*. — c) Cod. *viri* pro *fore*, vel *fori*.

1) Post sancti Augustini sermonem, qui est editus CCCXXXV, sequitur in codice f. 172. b. sermo alius, a stilo Augustini prorsus alienus, immo africana quadam barbarie totus horrescens, et intolerandis scripturae mendis scatens. Incipit: *inlustris huius diei praeclara sollemnitas, dilectissimi Christiani, omnem a fidelibus, mentis asperitatem amittit, dum* etc. Atque hic sermo non in codice tantum antiquissimo vat. extat, verum etiam in casinensi et in florentino, sed ubique iisdem mendis obscuratus et obrutus. Attamen gemma in hoc latet, nomina scilicet duorum martyrum Theogenis sociorum, quae nullum hactenus ecclesiae monumentum revelasse videbatur; ac ne Bollandiani quidem in notitia S. Theogenis ad diem 26. ianuarii. Theogenes quidem videtur fuisse martyr hipponensis; quia certe Theogenes episcopus hipponensis nominatur a SS. Cypriano et Augustino, apud praedictos Bollandianos. Tum vero *memoria* seu *altare S. Theogenis* diserte appellatur in Augustini sermone edito CCLXXIII. 7. *quando audistis dici apud memoriam sancti Theogenis, a me vel ab aliquo fratre vel collega meo, offero tibi sancte Theogenes.* Idem vero Augustini testimonium de memoria sancti Theogenis Hippone, occurret in alio a nobis edendo semine. Nunc in sermone vaticano cognoscitur illorum martyrium igne fuisse peractum: *hii qui ignium sua tradiderunt membra calori.* Tum denique beatorum martyrum nomina recitantur: *scitote ergo, beati martyres Hildaevora, Vihila, et Theogenes.* Priora utique duo nomina barbaricam patriam denotant. Iudicent porro lectores num hi duo tantummodo socii fuerint Theogenis, an potius plures, sex nimirum aut etiam triginta sex, ut varie legitur in martyrologiis. Exin in codice 3836. post alia multa, sequebatur in fol. 199. b. sermo Augustini *de die iudicii, et illis verbis discedite a me maledicti*, qui tamen paene totus extat in appendice maur. serm. LXXVIII, ideoque omittendum putavimus. Idem sermo legitur etiam in cod. vat 6454. p. 69.

LX. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE EPIPHANIA 1).

Cod. vat. 3825 f. 117. a. b.

1. Festivitatis nostrae, ut probabiliter celebritatem colamus, rationem nosse debemus. Epiphania, quam hodie observamus, graeco nomine appellata, ostensionem vel apparitionem nostro sermone significat. Ideo autem ostensionis vel apparitionis hic dies dictus est, quod se in hac die manifestis signis Christus Deus noster ostenderit. Hodie enim vel a Magis stellam illam sequentibus nostri *a*) Christum dominum adoratum esse confirmant; vel aquas illas in Galilaea a Domino *in* vinum esse conversas. Proxime ergo celebravimus diem, quo natus est Dominus; hodiernum vero colimus, quo est manifestatus. Manifestavit itaque se, cum inaudito et mirifico opere aquas vertit in vinum. Sicut enim divini operis est naturam condere, ita et commutare. Itaque eiusdem rei, cuius creator erat, etiam recreator 2) effectus est: quia facile ex alio in aliud transferre opus suum potuit, qui hoc ipsum potuerat ex nihilo proferre. Nam cum ageretur celebritas nuptiarum, et ut evangelium loquitur *, cum vinum epulantibus defecisset, vasa Dominus aquis iussit impleri, quae cum impleta essent, iussit hauriri. O insigne miraculum 3)! Inter manus atque oculos ministrorum latenter caelestis virtus operatur. Res agitur, nec tamen quemadmodum agatur, agnoscitur: latet ratio, effectus apparet. Unde istud? nisi quia omnia quae vult Deus efficit; nisi quia illius totum posse, solum velle est. Unde, nisi quia tam magnifica potestas eius est? Ut non immerito de eodem in ordinatione totius creaturae propheta testetur *: ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.

* Ioh. cap. II.

* Ps. XXXII. 9.

2. Mirum hoc quidem; sed quid non mirum in omni opere suo Dominus noster ostendit? Sed ut haec ipsa altior mysticus intellectus requirat, quid illae significabant nuptiae, quibus Christus intererat? nisi illas utique quibus ipse Christus ecclesiae iungebatur, qui tamquam sponsus procedens e thalamo suo, ad sponsatam sibi promissi iure veniebat? ubi utique ex aquis vinum, id est ex gentibus fideles conversione divini operis efficit. Fit ergo ex aquis vinum, cum fiunt de gentibus christiani, de rapacibus largi, de superbis humiles, de inpatientibus patientes, de crudelibus pii, de adulteris casti. Sic itaque Iesus in vinum aquas convertit, cum divina operatione qui fuerat infidelitate vilissimus, fit religione pretiosus. Et sane audeo dicere, quia cum utrumque opus Christi sit, admirabilior est tamen Domini ista conversio, cum ex peccatore facit iustum, quam cum ex aqua reddit vinum. Quantum enim est in hac operatione homo ipse pretiosior, tanto est conversio ipsa praestantior. Ibi mirificas admovit manus aquae elemento suo; hic homini, id est imagini suae. Ibi aquae species in vinum et colore et sapore transfertur, hic vero in hominem *b*) quod magis mirum sit,

a) Ita cod. — *b*) Cod. *homine*.

1) Conferantur in maurina editione sermones sex de epiphania, a CXCIX. ad CCIV, (item noster vat. CXL.) qui eiusdem coloris sunt.

2) Animadvertant grammatici *recreator* proprio, non translato, sensu.

3) Confer apud nos sermonem CXVIII. 4.

idem homo: nec tamen idem est, cum exterior permaneat *in* interiore mutatus. Dicit Dominus: ego occido, et vivificabo *. Quomodo vivificat, sic occidit. f. 118 a
Sed ista est occisio Domini, ista et vivificatio, cum in uno eodemque homine occidit impium, et vivificat innocentem.

3. Igitur, sicut supra diximus, hodierna die Iesus Christus adoratus a Magis creditur, qui quidem inusitate refulgentem stellam sequentes, ambulaverunt per terram pedibus, per caelum oculis 1). Hii itaque dominum nostrum Iesum Christum cum repperissent, procidentes adoraverunt, atque obtulerunt munera, aurum, thus, et myrrham; myrrha hominem indicantes, auro regem fatentes, Deum thure venerantes. Sed dum offerunt munera, ipsi Deo munus effecti sunt. Tunc adimpletum est quod dictum est per prophetam: prius quam sciat puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariae *. * Is. VIII. 4
Damascenorum gens potens divitiis, virtutem utique suam Domino dedit, cum ab ea Christus aurum, quod gentibus dominatur, accepit. Spolia vero Samariae, id est gentilitatis; id enim significat accepit, dum per credulitatem Magorum videtur utique spoliata gentilitas. In Magis enim primitiae gentium consecratae sunt: in quibus illud praefiguratum est, quod etia postea probatum videtur a Domino salvatore nostro, compulsos fide venturos esse gentiles, et occursuras ex remotis terrae partibus gentes, quae Christum Iesum domimum et Deum faterentur. Magi eum longe a se positum expetierunt, Iudaei apud se natum reprobaverunt. Illi eum adoraverunt adhuc pannorum obscuritate humilem, isti crucifixerunt iam signorum virtute fulgentem. Quem utique idcirco primum prophetae, et deinde etiam Magi adnuntiaverunt; ut omnis homo inexcusabilis esset qui Christum Iesum dominum non confiteretur. Iudaei utique inexcusabiles essent, si non confiterentur, quem etiam prophetae eorum praedixissent. Gentes inexcusabiles essent, si non crederent, in quem etiam Magi credidissent.

4. Sunt quidem qui hoc eodem die Dominum salvatorem nostrum baptizatum putent 2): quod si ita est, non parvam dies ipse observationis nostrae celebritatem meretur; si Dominus et salvator noster nos quos prius iusserat nasci, in hoc die docuit et renasci. Et quia primum nobis ortum

1) Benedictus XIV. in tomo suo de festis lib. I. cap. II, quod est de Epiphania, de SS. Magis loquens, memorat etiam traditionem de illorum nominibus, quae in ecclesia praesertim Coloniensi sequioribus saeculis didita sunt, citato praesertim Bollando T. I. pp. 8. 323. 664, qua super re Baronius prudenter siluit. Ego in vetere codice vat. qui fuit olim Reginae svecae, in anonymo de Epiphania sermone, curiosum tractum legebam, quo bonus ille, quicumque fuerit, orator non nomina tantummodo, verum etiam illorum vultus et vestimenta describit. En eius verba. *Hodie III. Magi ab oriente venientes cum muneribus Iesum Christum dominum nostrum invenerunt. Haec est autem interpretatio nominum de his III. Magis. Primus eorum senior, Melchior nomine, qui erat canus cum barba prolixa et cum coma; tunicam habens hyacinthinam, et sagum milleum; et indutus erat calciamentis, hyacinthino et albo commixtis opere polymitario varie compositis; aurum quasi regi obtulit. Secundus Caspar nomine, iuvenis imberbis, rubicundus, tunicam millenicam, et sagum rubeum habens, calciamentis et hiacinthinis vestitus, tus secum afferens quasi Deo, digne Deum adorarit. Tertius Patizara nomine, fuscus, niger, integre barbatus, tunicam rubeam, et sagum album habens, et calciamentis millenicis indutus, per myrrham filium hominis moriturum confessus est. Omnia autem vestimeuta eorum serica erant.*

2) Conferantur Ben. XIV. in citato opere et capitulo.

indulserat, ipse quoque instituit etiam nativitatem secundam, in qua ipse nostrae salutis auctor sanctificavit aquas, quibus homines sanctificarentur. Honoremus itaque diem, Fratres dilectissimi, in quo Dominus sive admiratione signorum, sive Magorum occursu honorificatus est. Honoravimus diem natalis sui, honoremus et hunc claritatis suae. Sicut enim nequaquam lex profuerat, nisi secundum altum Dei consilium Christus natus processisset, ita parum hominibus contulisset natus, nisi fuisset et creditus. Quamobrem, Fratres karissimi, creatorem nostrum, creatorem omnium, qui ad nos venire dignatus est, et egit quo possemus credere cum venisset, qui se filium Dei per prophetas denuntiavit, per Magos ostendit, verbis admonuit, signis probavit, iugiter metuamus, amemus, desideremus: hunc salubriter et semper quaerentes, oculis et corde flagremus: et quem Magi invenerunt in pannis, nos quaeramus in caelis: quem si adoraverunt adhuc in obscuris latentem, nos glorificemus in sublimi sede regnantem.

LXI. INCIPIT SERMO AD AEDIFICATIONEM ANIMAE 4).

Cod. vat. 3836. f. 222. a. b.

1. Dum de bonis operibus frequentius admonemus, aliquos ex nostris ad iustitiam vel ad eleemosynam pigros, et ad luxuriam vel avaritiam promtos *a*) esse cognoscimus; paene est ut suspicemur eos, qui tales sunt, futurum iudicium non timere. Et re vera *b*), Fratres, quando neglegentes et tepidos Christianos, nec peccata vitare, nec praemia sibi aeterna videmus bonis operibus providere, quid superest *nisi* ut eos opinemur credere, quod nec bonis praemia, nec malis supplicia iusto sint Dei iudicio repensanda? Et vere, Fratres, ipsum in veritate intellegimus Dei iudicium timere, quem bonis operibus videmus insistere. Illi vero qui nec bona opera conantur implere, et lectioni et orationi vacare dissimulant, quid eis prodeest *c*) quod verbis adserent fidem, cum probentur *d*) factis destruere veritatem? Iacobo apostolo

Iac. ep. II. dicente *: «quid prodeerit, Fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid fides poterit salvare eum? Si autem frater aut soror nudi sunt, et indigent victu *e*) cottidiano; dicat autem aliquis de vobis illis, ite in pace, calefacimini et saturamini; non dederitis eis quae necessaria sunt corporis *f*), quid prodeerit? Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Ait enim talibus Deus, et omnem infidelitatem illorum redarguens dicit: o homines increduli, si non creditis quod

a) Cod. *prumtos*. — *b*) Cod. *re bera*. Item infra *bitare*, *bere*, *bacare*, *biventem*, *bos*, *oblibiscar*, *bitia*, *brebiter*, *bolebas*, *inbitaris*, *corbus*. — *c*) Ita cod. *prodeest*, quod et alibi vidimus. — *d*) Cod. *priventur*. — *e*) Cod. *victo*. — *f*) Ita cod.

4) Inter sermones nominatim in codice S. Augustino inscriptos, interiacent quatuor cum titulo *ad aedificationem animae;* quorum tertius quidem, qui incipit *rogo vos*, occurrit in editione maurina Augustini in appendice num. CCXIX, cum titulo *de extremo iudicio:* quem tamen sermonem etsi ceteri editores Augustino deputaverant, Maurini malunt coniecturaliter Caesario donare. Iam vero hos etiam vaticanos si quis forte Caesario pariter malet inscribere, is per me quidem suo libito utatur. Ceterum augustiniano colore prorsus videntur imbuti. Ad tituli vocabulum *aedificationem* quod adtinet, ea ecclesiastica nec insolita locutio est, derivata ex Paulo ad Rom. XIV. 19, et I. Cor. XIV. 3. et I. Tim. I. 4, ubi οἰκοδομή intelligitur *utilitas*. Ergo heic *ad utilitatem*, seu ad *profectum animae*. Sic loquitur ipse Augustinus epist. CLXXXIX. 1. *Quod te aedificet ad aeternam salutem*. Et epist. CCLXII. 6. *Matrona pia, dives, a monachis non aedificata sed spoliata*. Quin etiam capitulum IV. regulae S. Benedicti dicitur in hoc eodem codice vat. 3836. f. 198. scriptum *ad aedificationem animae*.

promisi, considerate quod feci caelum et terram; dixi, et facta sunt. Tu, cui promitto, non eras, et factus es. Non existentem facio, et vi- f. 203. a. ventem decipio?

2. Adtendite ergo quae dico, et excepturos vos credite quod promisi. Sed infirmata et aegrota, infelix et ignara, dissoluta ac paralytica cogitatio et inferior *a*) incommodaque, mentis obstruit claustra, ut cottidie peccata transire putentur. Transibit hodie, transit et cras, et aliud cras addes ad crastinum, et alterum crastinum. Et converti dissimulas? et non metues ne tibi mors repentina subripiat? Nonne homines sub ictu moriuntur? Quid *b*) tu adtendis ut differas agere paenitentiam, et divinam dissimulas quaerere misericordiam? Dicis quidem: converti bonum est. Si bonum est, cito fiat. Si bonum est cito accipere, malum est nunc accipere? Quare, dic mihi, et bonum confiteris, et accipere non festinas? Forte dicis mihi: securum me Deus facit. Unde te securum facit? Quia scriptum est *: pec- * Ezech. XXXIII. 12. catorem et inicus *c*) in quacumque die conversus fuerit, omnes iniquitates eius obliviscar. Ecce ubi me Deus securum facit. Habui hesterna *d*) die decem peccata, hodie quindecim *e*), crastina forte ·XX· Cum ergo verum sit quod Dominus dicit, quandocumque conversus fuero, omnia peccata praeterita et omnes iniquitates meas obliviscitur; quid *f*) me terres? Deus f. 203. b. mihi promittit indulgentiam, et tu mihi disperationem *g*) facis? Negare hoc non possum, Deum promisisse; quare ergo hodie non converteris? Quia etsi tardius conversus fuero, sic mihi promittit plura dimittere *h*), quomodo hodie pauciora. O securitas vana! Certe faciebas me securum. Video quidem per promissionem Dei, indulgentiam tibi promitti; diem vero crastinum quis tibi promisit? Et ideo convertat se unusquisque ad Deum; sicut dicit *: convertite vos, quaerite Deum; et cum inveneritis eum, de- * Is. LV. 6. relinquat impius viam suam. Convertite vos, male sperantes.

3. Duo sunt enim vitia generis humani, quibus pereunt; alii sperando pereunt, alii disperando 1). Non est *hoc* mirum; magis miraculum est, perire homines sperando. Videamus itaque, et breviter consideremus, qui pereat sperando, et qui disperando; utrisque quam medicinam offerat Deus. Disperando perit qui dicit: ego scio facinora, et ego novi scelera mea; quando fieri potest ut illa quae feci, dimittat mihi Deus? Disperando perit qui dicit: quid prodest *i*) quod dicis? iam faciam quidquid possum; hoc perdo quod non facio. Sic me damnaturus est Deus pro uno peccato, quomodo pro multis peccatis. Et ideo si illam vitam non habiturus sum, vel istam perdere nolo. Quare ergo non faciam voluntates meas? quare f. 204. non expleam libidines meas? Disperando perit. Alius timens praecipitium *k*) disperationis, incipit perire sperando. Quomodo sperando? Quandocumque, inquit *l*), fuero conversus, totum mihi Deus promittit dimittere *m*). Spero

1) Loquitur eodem fere sensu Augustinus enarr. in ps. CXLIV. n. 11.

a) Cod. *interior*. — *b*) Cod. *quia*. — *c*) Ita cod pro *iniquus*. — *d*) Cod. *externa*. — *e*) Cod. *quindeci*, ut nunc etiam Itali pronunciant. — *f*) Cod. *quit*. Contra inferius *derelinquad*. — *g*) Ita cod. *disp.* ut Itali loquuntur. — *h*) Cod. *demittere*. — *i*) Ita heic cod. non *prodeest*. — *k*) Cod. *praecipitio*. — *l*) Cod. *inquid*. — *m*) Cod. *demittere*, et mox *demittit*.

in ipsius misericordia quia totum mihi dimittit. Et differt *a*) de die in diem, et subito intrat illi dies extremus mortis, et perit dilatio, et restat damnatio. Ad ambos itaque scriptura loquitur. Disperando volebas perire? Audi Dominum dicentem *: nolo mortem impii; quantum ut revertatur, et vivat. Mori volebas? redi, et vive. Si te Deus perire velit, peccantem tolleret, quando tanta peccasti. Sed adhuc vivis, ad paenitentiam invitaris; et haec tibi disperanti Deus dicit: nolo mortem impii. Tu vis mortem tuam, ego nolo. Non te fecisti, et disperando peristi. Deus autem et cum non esses fecit te, et postea perditum quaesivit te; et per sanguinem filii sui invenit, et redemit te, et ipse tibi clamat remedia ad praecipitia disperationis; redi, quia nolo mortem impii; quantum ut revertatur et vivat. Coepisti perire, redisti a praecipitio disperationis. Sed velut *b*) in medio sta; nolo te ire in contrarium *c*): nec de peccatis tuis desperatione *d*) diffidas, nec de vita longiore confidas. Convertere ergo.

* Ezech. XXXIII. 11.

f. 204. b. 4. Sed dicis: cras, inquit, me converto *e*). Quare non hodie? Et quid mali si cras? Immo quid mali si hodie? Ego scio quia longa erit vita mea. Hoc scio quia Deus non promisit. Mathematicusne forte longam vitam tibi promisit, qui cum quo pereat quaerit? Sed ad extremum dico: longa erit vita tua, concedo; si longa erit, bona sit; si brevis, et ipsa sit bona. Nam quid te offendit vita tua, quam solam vis habere malam, ut inter omnia bona tua solus sis malus? Sed dic mihi, Frater: numquid nosti quantum temporis victurus sis? Aut ubi mihi legis, indulgentiam te accepturum, si te non correxeris? Legis aliquando longam vitam tibi esse promissam? Aut forte cum morte pactum fecisti? Fero, quia centum annos vivis; adde et decies ·C·; quid prodeerit? Nam et ipse Adam si adhuc hodie viveret, paucos annos vixerat, quia omnes finierat. Esto ergo correctus, esto paratus, et non timebis diem ultionum tamquam furem qui dormienti effodiat parietem. Ergo audi qui disperando volebas perire; audi scripturam quomodo disperando cum * perire velis. Ait autem: nolo mortem impii, quantum ut revertatur et vivat. Si redisti ad reparationem, sic audi ut redeas a perversitate, et constituaris in spe bona. Audi quid tibi dicit Dominus male speranti et cottidie differenti: ne tardes, inquit, converti ad Deum, et ne differas de die in diem *. Verba Dei sunt 1), non mea; non a me haec auditis, sed ego vobiscum audio: ne tardes, inquit, converti ad Dominum. Tu vero respondes *f*) eras. O vox corvina 2)! quomodo

* ita cod.

f. 205. a.

* Eccli. V. 8.

a) Cod. *differet.* — *b*) Cod. *velud.* — *c*) Cod. *contrario.* — *d*) Ita heic cod. *desp.* — *e*) Cod. *me convertor.* — *f*) Cod. *respondis.*

1) Vides ab Augustino librum Ecclesiastici *verbum Dei* appellari; cuius auctoritatem recipit, eumque inter propheticos collocat etiam de doctr. ch. II. 13. At hodierni biblicae sectae homines, librum hunc de sacro corpore abscindere audent.

2) Augustinus serm. ed. LXXXII. 14. *Ipsa res est quae multos occidit, cum dicunt, cras cras, et subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum. Cras cras, corvi vox est.* Item serm. ed. CCXXIV. 4. *Quando corrigis? quando mutaris? Cras, inquis. Ecce quotiens dicis, cras cras; factus es corvus. Ecce dico tibi: facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina.* Denique enarr. in ps. CII. n. 16. *Sunt qui praeparant confessionem et differunt, et fit in illis vox corvina, cras cras. Corvus de arca missus, non est reversus. Non quaerit Deus dilationem in voce corvina, sed confessionem in voce columbina.*

corvus de arca dimissus non est reversus. Iam senuit, et dicit cras cras. Vox corvina est, caput *a*) album, et cor nigrum. Corvus de arca dimissus non redit, columba redit. Pereat ergo strepitus corvinus, et adsit gemitus columbinus. Clamat tibi, et consulit *b*) tibi, ne tardes *c*) converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim venit ira eius, et tempore vindictae disperdit te. Haec enim, Fratres karissimi, si cum grandi timore et sollicitudine cogitatis, ad paenitentiae *d*) remedia et eleemosynarum medicamenta animas vestras Deo auxiliante convertatis, ut ante tribunal Christi non damnandi sed coronandi feliciter veniatis. Amen.

LXII. ITEM ALIUS SERMO AD AEDIFICATIONEM ANIMAE.

1. Docet nos Salvator noster in sancto evangelio *, quod nunc lectum est: intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et artata via *e*) quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam! Duas esse, ut videtis, Dominus vias docuit, unam angustam, alteram latam; unam vitae, alteram mortis. Fugite ergo vos, dilectissimi, viam mortis, ne in aeternum pereatis; eligite viam vitae, ut in aeternitatem vivatis. Lata enim, inquit *f*), et spatiosa via quae ducit ad perditionem. Quae est haec via lata? Quae? nisi saecularium voluntatum *g*) atque vitiorum? Quare lata dicitur? quia per eam a *h*) plurimis ambulatur. Sicut enim terrestris via quaecumque lata est, multas ad ambulandum turbas hominum recipit et invitat, sic vitiorum via ideo lata dicitur, quia multos in vitiis ambulare delectat 1). Ergo, dilectissimi, fugite viam latam, hoc est fugite viam turpem atque vitiosam. Fugite viam ebrietatis; et ipsa enim lata est, quia omnes recipit ebriosos. Fugite viam inpudicitiae; et illa enim lata est, quia omnes recipit inpudicos. Fugite viam cupiditatis, quia omnes qui aliena rapiunt, per viam cupiditatis incedunt. Fugite illam viam quam multi secuntur, quam multi diligunt; multi enim, inquit Dominus *, vocati, pauci autem electi. Non vos societas atque exempla delectent hominum plurimorum, quia plures sunt qui peccata amant, quam qui iustitia delectentur. Sed melius est cum paucis ire ad regnum caeleste atque perpetuum, quam cum multis ad mortem et supplicium sempiternum. Melius est ut vos paucos sequamini bonos, quam multos malos; quia melius est cum paucis ire ad vitam, quam cum multis in gehennam. Quam arta ergo, inquit Dominus, et angusta via quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam! De illa enim superius lata via dicit: multi sunt qui ambulant per illam. De hac autem angusta via, pauci sunt qui inveniunt eam. Unde intellegere debemus, quod haec angusta via non solum laboriose ambulatur, sed etiam

Cod. vat. 3836. * Matth. VII. 13.
f. 205. b.
* Matth. XX 16.
f. [illegible]

a) Cod. *capud*. — *b*) Cod. *consolat*. — *c*) Cod. *tardes*. — *d*) Cod. *paenitentiam*. — *e*) Cod. *bia*, et mox *bitae*, *bos*. — *f*) Cod. *inquid*, et mox *adque*. — *g*) *Voluntas* et *voluptas*, non raro confundi in codd. vidi. — *h*) Deest *a* in cod.

1) Tractat hoc argumentum Augustinus etiam in sermone edito CXI.

difficile inquiritur. Nam cum dicat, pauci sunt qui inveniunt eam, ostendit quod multi sunt qui eam quaerere videntur, sed pauci sunt qui eam invenire mereantur. Quare pauci inveniunt, cum multi quaerant *a*)? Utique quia multi quaerunt *b*), sed non aequaliter quaerunt; alii enim quaerunt diligenter, alii neglegenter: sed non inveniunt, nisi qui diligenter quaerunt.

2. Ecce enim nunc multi sunt in ecclesia, et omnes aut *c*) per ipsum, quod ad ecclesiam veniunt, salutem quaerere videntur. Sed numquid aequaliter quaerunt? Non enim quaerit viam salutis, qui ebriosus est, etsi ecclesiae limen ingreditur: non quaerit viam salutis, qui avaritiam *d*) sequitur, licet in ecclesia esse videatur: non quaerit viam salutis, qui homi-
f. 206. b. cidio, polluitur *e*): non quaerit, qui inpudicitia sordidatur. Omnia enim haec vitia, viae mortis sunt. Et ideo qui in via mortis ambulant, viam vitae penitus non requirunt. Unde est quod Salvator dicit in evangelio, paucos esse qui inveniant angustam viam. Si pauci autem sunt, ergo vix inveniuntur; ergo quasi abscondita est ac latet. Et verum, dilectissimi, latet quidem non in una re, neque in uno loco, sed in rebus multis et in virtutibus multis. Latet enim primum in fide, et in credulitate; quia invenire viam vitae non valet, nisi qui fideliter credit; secundum illud: nisi credideritis, non intelligitis *f*). Sicut ergo intellegere aliquis Deum non potest, nisi ante crediderit, sic pervenire ad vitam non potest, nisi fide ducente *g*) penetraverit. Hac ergo ratione, dilectissimi, latet via vitae in
* I Cor. VI. 10. fide, latet item *h*) in castitate: inpudici enim, inquit apostolus *, regnum Dei non possidebunt. Ergo si inpudici ad vitam non veniunt, nisi quis castus fuerit, vitam perpetuam minime videbit *i*). Latet quoque haec via vi-
* Tob. XII. 9. tae et in eleemosynis *k*) et largitate. Eleemosyna, inquit scriptura *, a morte liberat homines. Ergo avaritia mittit in mortem. Si ergo, dilectissimi, unam vultis quaerere et invenire bonam viam, haec diligite, haec tenete, quae in se continent viam vitae. Qui per viam vitae istius ambulaverit,
f. 207. a. in lumen intrabit aeternum, et vitam possidebit perpetuam. Amen.

LXIII. ITEM ALIUS SERMO AD AEDIFICATIONEM ANIMAE 1).

Cod. vat. 3836. f. 211 a 1. Fratres karissimi, caritatem vestram admoneo, et consilium dare praesumo, et licet ad plures, Domino inspirante, profecerit admonitio nostra, timeo tamen ne sint aliqui qui aut minus faciant quam possunt, aut forte nec faciant. Sed dicit aliquis, pauper sum etc.

a) Cod. *quaerunt.* — *b*) Cod. *quaerent.* — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. *abaritiam.* Nam *b* pro *v* saepe etiam in superioribus itemque in sequentibus. — *e*) Cod. *polluetur.* — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *dicente.* — *h*) Cod. *autem.* — *i*) Cod. *videvit*, et mox *liverat*, et *intravit possidevit*, *v* pro *b*. — *k*) Cod. *elem.* heic et alibi.

1) In appendice S. Augustini ed. maur. n. CCCVI. legitur sub titulo *de eleemosyna* sermo, quem Maurini e sermonum corpore ad calcem quasi improbatum reiecerunt. Atqui in nostro antiquissimo codice idem legitur sub titulo *ad aedificationem animae.* Quid ergo hinc sequitur? Videlicet primum cognoscimus, hunc in aliis codicibus reapse Augustino fuisse inscriptum: deinde inter primam et secundam editi sermonis sectionem, codex noster interiectam habet aliam sectionem, quae in editione desideratur. Superest igitur ut nos partem saltem omissam huic sermoni restituamus.

2. Fratres dilectissimi, si laboramus pro carne nostra, laboremus et pro anima nostra. Si currimus pro carne, *si* ornamus carnem, quam post paucos annos, aut forsitan *a*) dies, vermes devorabunt in sepulchro; quanto magis non debemus despicere animam nostram, quae Deo et angelis in caelo praesentatur? Cogitemus, Fratres, quia quod caro copiosis deliciis satiatur et abundanti vino inficitur, nimis pabulum luxuriae ministratur, esca vermium ministratur ac providetur. Item rogo vos, Fratres, aspicite ad sepulchra divitum, et quotiens iuxta illa transitis, considerate et diligenter respicite, ubi sunt illorum divitiae, ubi ornamenta, ubi anuli vel inaures, ubi diademata pretiosa, ubi honor vanitatis, ubi luxuriae voluptas, ubi expectacula *b*) vel furiosa vel cruenta vel turpia? Certe transierunt haec omnia, tamquam umbra. Et si paenitentia non subvenerit *c*), sola in perpetuo opprobria et crimina remanserunt. Considerate diligenter et videte superborum sepulchra, et agnoscite quia nihil in eis aliud, nisi soli cineres et foetidae vermium reliquiae remanserunt. Haec ergo, o homo, diligenter adtende, et dic tibi, tu ipse loquere tecum: o miser! et iste aliquando pro cupiditate currebat; et iste dum viveret in saeculo, libidini serviebat; et ecce nihil ex illo, nisi foetidi et horribiles pulveres remanserunt. Si velis, o homo, audire, ipsa ossa tibi arida poterunt praedicare. Clamat ad te pulvis alterius de sepulchro. Ut quid infelix, tantum pro saeculi cupiditate discurris? Ut quid superbia vel luxuria infelicia colla sumitis? Ut quid te ad serviendum crudelissimis dominis, id est vitiis et criminibus tradis? Clamat ad te mortuus de sepulchro: adtende me, et agnosce te; considera ossa mea, et vel sic te horreat luxuria vel avaritia tua. Quod tu es, ego fui; et quod ego sum, tu eris. Si in me permansit vanitas, vel te non consumat iniquitas. Si me luxuria inquinavit, vel te castitas ornet. Vide pulverem meum, et relinque desiderium malum. Rebus ergo ipsis ad nos clamat mortuus de sepulchro; et ideo quantum possumus auxiliante Domino laboremus, ut aliorum vulnera nobis conferant sanitatem; et pereuntium mors nobis proficiat ad salutem. Sed hoc tunc optime fieri potest, si plus pro anima quam pro corpore solliciti sumus; ut cum caro nostra vermibus devorari coeperit in sepulchro, anima ornata bonis operibus ab angelis elevetur in caelum. Nam si nos deceperit conscientia nostrae carnis, duplicem ruinam et animae et corporis sustinebimus; ut et *d*) caro nostra putrescat in sepulchro, et anima nostra torquenda tradatur in tartaro. Ecce quales nobis praedicationes *e*) cottidie mortuorum cineres vel ossa proclamant 1).

3. Et ideo, o anima christiana, etc.

Ex cod. vat. f. 212. a f. 212. b. f. 213. a.

a) Cod. *forsitam*, quod et alibi vidi. — *b*) Ita cod. pro *spectacula*, ut alibi *expecto* pro *specto*. — *c*) Cod. *subvenirit*. — *d*) Cod. *et cum*. — *e*) Cod. *qualis nos praedicationis*.

1) Hactenus codicis vaticani additamentum, quod quomodo in hoc vetus exemplar irrepserit, vel ab aliis exciderit, divinare non possumus. Nihilominus sermo suspectus fuit Lovaniensibus, reiectus ut dixi ab aliis, tamquam Augustino suppositus. Nondum tamen hi viderant antiquissimum codicem vat. Ceteroqui ne nos quidem hunc pugnaciter Augustino vindicamus.

LXIV. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE SANCTI CYPRIANI 1).

Cod. vat. 1836. f. 222. b f. 223. a 1. Duplex gemma in sancto Cypriano praefulsit, Fratres dilectissimi, sacerdotii pariter et martyrii: et invicem se decorant, dum in episcopo clara est vita, et mors in martyre pretiosa. Quam beatum gessit sacerdotium, cui conclusionem fecit dulce martyrium, et securitatem dedit victoria triumphorum! Ut qui ante pro populo sacrificium Deo offerebat, modo autem se ipsum offerret *a*) quod habebat. Assolens *b*) angelus veniens, de turibulo *c*) precum eius offerebat incensum ad supernum altare ante sedis thronum. Modo autem ipsum levavit in aula caelorum. Praecedunt ceterae potestates pontificem simul et martyrem, ut quem circumdabat populus sacrificium offerentem, modo eum coronant *d*) angeli confitentem. O delicata *e*) passio, et gloriosa confessio! Unus ictus gladii secantis separavit caput a membris, et iunxit capiti Salvatoris. Absolvitur vinculo carnis, et cum triumpho in caelo levatur ab angelis. Interrogatus sub lenitate crudeliter, respondit sub patientia fortiter. Sacrifica, inquit, diis romanis secundum praeceptum imperatorum. Ad haec sanctus Cyprianus respondit: christianus sum et episcopus, et non cognovi alium Deum nisi unum et verum, pro quo paratus
f. 223. b. sum diversis poenis iudicari in saeculo *f*), quo possim in futura resurrectione habere spem in perpetuum. Iudex dixit: vis ergo exsul Curubi 2) proficisci, an romanas colere caerimonias? Sanctus Cyprianus respondit: proficisci Corubi impellis, sed nego quod suades: exsilium meum comitabitur Christus, qui est princeps martyrum et pontifex sacerdotum. Proficiscitur exsul, sed virtus in martyre iam destinata *g*) non defecit in solitudine, quia Christum habuit comitem. Contemsit terrena, ut inveniret caelestia; reliquit temporalia, ut possideret aeterna. Stetit *in* proelio miles *h*) Christi, fidei armis indutus, et contra atroces hostes fortiter dimicavit: fidei lorica vestitus pugnavit; et vicit non feriendo, sed patiendo; vitamque moriendo, quam optabat, accepit a Deo aeterno. In precibus suis cotidie *i*) dicebat cum pro-
* Ps. XXVI. 13. pheta David *: credo videre bona Domini in terra viventium. Et iterum di-
* Ps. XLI. 3. cebat *: quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Ut acciperet illud quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.

2. Revocatur ab exsilio, ut auditus fuisset in secundo. Erat in custodia
f. 224. a. carceris, et satagebat de custodia castitatis. Iubet sacras virgines custo-

a) Cod. *offeret.* — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *turabulo.* — *d*) Cod. *coronent.* — *e*) Cod. *dedicata.* Sed in vita Cypriani legitur *delicata custodia*, quasi *libera*, aut *iucunda.* — *f*) Cod. *saeculum.* — *g*) Cod. *distinata.* — *h*) Cod. *milex*, ut alibi interdum. — *i*) Alibi *cottidie.*

1) In cod. f. 216. sermo S. Augustini de S. Cypriano: *Frater kar. diei tam grati* etc. qui est maurinus editus CCCXII. Deinde f. 219. item de S. Cypriano: *sanctissimus et sollemnissimus* etc., qui est maur. ed. CCCXIII. Postea de eodem: *gloriosissimi martyris,* id est maur. ed. CCCX. Quarto loco hic ineditus *duplex gemma* etc. Ex quo sermone multa sumpsit auctor passionis S. Cypriani (vel viceversa).

2) Pontius in vita S. Cypriani. *Ut non exulem tantummodo Curubi, sed et martyrem possideret.* Item in actis passionis eiusdem S. Cypriani. *Paternus proconsul dixit: poteris ergo exul ad urbem Curubitanam proficisci? Cyprianus episcopus dixit: proficiscor.* Conferatur etiam sermo edit. CCCIX. Porro de hac urbe, quae fuit in provincia proconsulari, legatur Morcellius Afr. ch. T. I. p. 149.

diri, ne esset in illis observatio caritatis, naufragium castitatis 1). Ante ianuam carceris iacebat populus christianus excubias facientes pro pastore, somnum *a*) contemnentes pro patre, cupientes decollari cum martyre sacerdote. Iteratur episcopi audientia, ut possit consummare coronam: aegre 2) iudex loquitur, et martyr fortissime confitetur. Scribitur in tabula sententia capitalis 3) calamo crudelitatis, et corona ei reservatur in caelis. Agit Deo gratias decollandus, eo quod de saeculo fuerat transiturus. Clamabat turba fidelium dicens: et nos cum eo decollemur, ut in die redemptionis cum illo inveniamur. Optabant filii in affectu caritatis perferre cum patre martyrium; sed nonnisi ipse praecessisset ad Deum, cupiunt filii sequi patrem. Cupiunt dulces ramusculi sequi radicem; et ad locum sententiae cum lacrimis deducentes, extremum patris spiritum amore excipere cupientes. Expoliatur birrum 4), et vestitur martyrium: fixit passurus genua in terra, qui liber stabit ante tribunal Christi, ut recipiat mercedem plenissimam pro sanguine, et repetat caput *b*) a capite. Explicit 5).

LXV. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE SANCTORUM COSMAE ET DAMIANI.

1. Beatorum germanorum Cosmae et Damiani celebremus hunc diem Cod. vat. [illegible] f. 231. b
non profanis ritibus paganorum 6), sed tranquilla devotione fidelium; in quo alieni cives, nostri facti sunt patroni; quia qui misit primum apostolos in carne, ipse nunc hos misit in spiritu viventes; quia illas terras in corpore inlustrarunt, istas mortui visitarunt. Sed mortui non visitarent, nisi et mortui viverent. Ideo cinis latet, beneficia patent. Et quia nos in grandi valitudine eramus, ideo tales medici missi sunt, qui nos et ab incursionibus diabolicis, et a morbi infirmitatibus liberarent. Nam divina potestas cum discipulos post resurrectionem mitteret, hoc primum conmendavit, ut in eius nomine infirmos curarent, mortuos suscitarent, daemonia eicerent, caecos inluminarent, semper de nostra infirmitate, utpote misericors, itineris sui curas gerens: et tales post suam ascensionem elegit, qui per artem terrenam conferrent *c*) beneficia divina. Hoc utpote summa peregit potestas, qui sua ineffabili voce pro 7). . . .

a) Cod. *somnium*. — *b*) Cod. *capud*. — *c*) Cod. *conferent*.

1) Passio cit. *Illuc* ad carcerem *universus populus fratrum convenit. Et cum hoc sanctus Cyprianus comperisset, custodiri puellas praecepit.*

2) In altero passionis exemplari: *proconsul sententiam vix et aegre dixit.*

3) Sententiae verba fuerunt: *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet.*

4) *Birrum*, seu *byrrum*, genere neutro usurpat S. Augustinus etiam in sermone ed. CCCLVI. 13. *Offerat mihi byrrum pretiosum; forte decet episcopum, quamvis non deceat Augustinum, id est hominem pauperem, de pauperibus natum.* Hinc etiam apparet, nonnisi glossam esse in passione Cypriani: *ibi se lacerna birro expoliavit;* nam birrum seu birrus lacernae genus fuit.

5) Posthinc sequitur in codice sermo alius de nat. S. Cypriani, incipiens: *istum nobis festum diem*, qui est editus maur. CCCXI, in cuius calce ita codex noster f. 231. EXPLICIUNT SERMONES SANCTI AUGUSTINI DE NATALE SANCTI CYPRIANI NUMERO QUINQUE; quot admussim legebat Possidius. Porro legendus est etiam pulcher S. Fulgentii de S. Cypriano sermo, in eius editione n. VI.

6) Augustinus epist. XXIX. 9. *Turbae gentilium dies festos cum idolis suis solebant in abundantia epularum et ebrietate consumere.*

7) Deest abhinc in codice integer quaternio. Dolemus autem huius defectum sermonis, ex cuius

LXVI. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE SANCTAE VICTORIAE 1).

Cod. vat. 3836. f. 241. a. 1. Refulget et praeminet inter comites et martyres et meritum et nomen sanctae Victoriae Domini famulae: nam ibi est corona gloriosior, ubi sexus infirmior; quia profecto virilis animus in femina maius aliquid fecit, quando sub tanto pondere passionis fragilitas feminea non defecit. Bene inhaeserat uni viro, cui virgo casta unica exhibetur ecclesia; bene, inquam, inhaeserat illi viro, a quo virtutem traxerat qua resisteret diabolo; ut femina prosterneret inimicum, qui per feminam prostraverat virum. Ille in ea apparuit invictus, qui pro ea factus est infirmus. Ille f. 241. b. enim eam, ut meteret, fortitudine implevit, qui eam ut seminaret, semet ipsum exinanivit. Ille eam ad hos honores laudesque perduxit, qui pro ea opprobria et crimina audivit. Ille fecit feminam fideliter et viriliter mori, qui pro ea dignatus est de femina misericorditer nasci. Delectat autem pia mente tale spectaculum contueri, beatam Victoriam in virum perfectum adversus diabolum in illo certamine currere in mensuram aetatis plenitudinis Christi. Merito et ille vetus ac veterator inimicus, ne ullas praeteriret insidias, qui per feminam vicerat virum, quia viriliter secum agentem feminam sensit, per virum eam superare temtavit, per iudicem scilicet saevum; cui beata Victoria nec ad tempus cessit: opitulabatur enim ei quem virgo pepererat; et ideo illa interioris hominis cautissimo et firmissimo robore omnes eius optudit insidias, impetusque confregit in militia regis Christi.

2. Quid gloriosius huic feminae, quam viri mirantur? Sed hoc illius potissimum laudis est, in quem credens secundum interiorem hominem, nec masculus nec femina invenitur, ut etiam in his quae sunt feminae corpore, virtus mentis sexum carnis abscondat; et in membris pigeat co- f. 242. a. gitare, quod in factis non potuit apparere. Calcatus est draco pede casto, et caput serpentis antiqui, quod fuit praecipitium feminae cadenti, gradus factus est ascendenti. Quid hoc spectaculo suavius? quid hoc certamine fortius? quid hac victoria gloriosius? Tunc certe cum bestiis sanctum corpus obiceretur, toto amphitheatro fremebant gentes, et populi medi-

fragmento cognoscimus, cultum horum martyrum in Africa quoque extitisse. Nec mirum; sunt enim hi martyres toto orbe celeberrimi, ut ipsorum historiae docent; nosque ipsi iuvenilem orationem de iisdem olim declamavimus.

1) Victoriam sub Decio Romae martyrem celebrat tum carmine tum prosa Athelmus de laud. virg. in Bib PP. Lugd. T. XIII. pp. 19. et 47, sed gladio interfectam, non oblatam feris in amphitheatro, dicit. Inter memoratos a Possidio Augustini sermones postremo prope loco ponitur *in natale sancti Victoris.* Num ergo suspicari licet scribendum esse ibi *Victoris* pro *Victoriae*? Sed certe de hac S. M. Victoria loquitur Augustinus in serm. ed. CCCXXV. 1. *Impar es puellis? impar es sanctae Valerianae? Si adhuc sequi piget, non vis adhaerere Victoriae? Sic enim nobis sanctorum viginti martyrum series recitata est. Coepit ab episcopo Fidentio, clausit ad fidelem feminam sanctam Victoriam. Initium a fide, finis ad victoriam.* Ibi vero in paginae calce scribunt Maurini: « in theodoricensi: et remigiensi. » ms. post superiorem sermonem (id est CCCXXV.) » subsequitur cento quidam diversis constans Au- » gustini excerptis, cui titulus: *item sermo beati Au- » gustini episcopi in natali sanctae Victoriae marty- » ris.*» Reapse in sermone edito CCLXXX, qui est de SS. Perpetua et Felicitate, sunt insignes aliquot huius nostri sermonis partes: neque tamen dubitamus quin Augustinus de sancta quoque Victoria concionatus sit, ut citata eius verba satis innuunt.

tabantur inania. Sed qui habitat in caelis inridebat eos, et Dominus subsannabat eos *. Nunc autem posteri illorum, quorum voces in carnem martyrum impiae saeviebant, merita martyrum piis vocibus laudant. Tunc tanto concursu hominum ad eos occidendos cavea crudelitatis impleta est, quanto nunc ad eos honorandos ecclesia pietatis impletur. Omni anno spectat cum religione caritas, quod uno die cum sacrilegio commisit impietas. Spectaverunt et illi, sed longe dissimili voluntate: illi clamando faciebant, quod mordendo bestiae non implebant; nos autem et quod fecerunt impii miseramur, et quod pii passi sunt veneramur. Illi mortua laetati sunt corpora martyrum, nos mentes mortuas dolemus illorum. Illi sine lumine fidei martyres putarunt extinctos, nos fidelissimo intuitu cernimus coronatos. Denique illorum insultatio, facta est nostra exsultatio. Martyres Christi pro nomine ac iustitia Christi, nec mori nec dolere timuerunt: vicit in eis, qui vivit in eis; ut qui non sibi, sed illi vixerunt, nec mortui morerentur. Ipse eis exhibebat spiritales delicias, ne sentirent molestias corporales, quantum non defectioni sed exercitationi sufficeret. Quibus cum resolutae his vinculis animae martyrum quievissent, post labores periculosi certaminis triumphis angelicis refectae, non eis dicetur, implete quod iussi, sed accipite quod promisi. Qua nunc iucunditate spiritaliter epulantur, quam securi in Domino, et quam sublimi honore gloriantur, quis terreno docere possit exemplo?

* Ps. II. 2

f. 242. b.

3. Et haec quidem vita, quam nunc beati martyres habent, quamvis iam nullis possit saeculi huius felicitatibus comparari, parva particula promissionis est, immo solacium dilationis. Veniet autem retributionis dies, ubi in corpore totus homo recipiat quod meretur: ubi illius membra divitis, quae quondam temporali purpura decorabantur, aeterno igne torreantur; et caro pauperis ulcerosi mutata inter angelos fulgeat. Quamvis etiam nunc et ille guttam ex digito apud inferos sitiat, et ille in sinu iusti deliciose requiescat; tamen sicut plurimum distat inter laetitias miseriasve somniantium et vigilantium, ita multum interest inter tormenta vel gaudia mortuorum et resurgentium; non quod spiritus defunctorum sicut dormientium necesse sit falli, sed quod alia est animarum sine ullis corporibus requies, alia cum corporibus caelestibus claritas et felicitas angelorum, quibus aequabitur fidelium resurgentium multitudo; in qua gloriosissimi martyres praecipua honoris sui luce fulgebunt; ipsaque corpora in quibus indigne tormenta perpessi sunt, eis digna in ornamenta vertentur 1).

f. 243. a.

4. Unde sollemnitates eorum, sicut facimus, devotissime celebremus, sobria hilaritate, casta congregatione, fideli cogitatione. Non parva pars imitationis est, meliorum gaudere virtutibus: illi magni, nos parvi. Sed benedixit Dominus * pusillos cum magnis. Praecesserunt, praeminuerunt:

* Ps. CXIII 13

1) En ut Augustinus explicat dilatam usque ad corporum resurrectionem gloriam sanctorum. Omnino insignis hic locus Augustini est contra Graecos illos et Orientales, qui animas veluti dormituras in abditis sedibus existimant, usque ad carnis resurrectionem.

Si eos sequi non valemus actu, sequamur affectu: si non gloria, certe laetitia; si non meritis, votis; si non passione, conpassione; si non excellentia, conexione. Non nobis parum videatur, quod eius corporis membra sumus, cuius sunt et illi; quia si unum membrum patitur, compatiuntur *a*) omnia membra; ita cum glorificatur unum membrum, congaudent
f. 24v. b. omnia membra. Gloria capiti, unde consulitur et superioribus manibus et infimis pedibus. Sicut ille unus animam suam pro nobis posuit, imitati sunt et martyres, et animas suas pro fratribus posuerunt. Atque ut ista populorum tamquam germinum copiosissima fertilitas surgeret, terram suo sanguine rigaverunt. Fructus ergo laboris illorum etiam nos sumus. Miramur eos, miserantur nos: gratulamur eis, precantur pro nobis. Illi corpora sua tamquam vestimenta substraverunt, cum pullus Dominum portans in Hierusalem duceretur. Nos saltim *b*) velut ramos de arboribus caedentes *c*), ita de scripturis sanctis hymnos laudesque decerpimus, quas in communi gaudio proferamus. Omnes tamen eidem Domino paremus, eundem magistrum sequimur, eundem principem comitamur, eidem capiti subiungimur, ad eandem Hierusalem tendimus, eandem sectamur caritatem, eandem amplectimur unitatem. In hoc ergo tanto agone, et sancta Victoria, non sexu invalido retardata, non feminea cogitatione enervata, non mundo blandiente mollita, non minante perterrita duritie *d*), infirma fortiter certavit; spiritu carnem, spe timorem, diabolum fide, mundum caritate vincens. His armis exercitus nostri regis invictus est. His armis accincti milites Christi, non conservatis sed trucidatis corporis membris, nec occidendo sed moriendo, triumpharunt, et victoriam de diabolo meruerunt. Explicit sanctae Victoriae.

LXVII. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE SANCTI GENESI 1).

Cod. vat. 3836. f. 24v. a. 1. Cum frequenter natalibus martyrum festivis intersumus, scire nos convenit, omne quod in ecclesia Dei agitur, ad profectum ecclesiae pertinere. Neque enim hoc solum in sanctorum sollemnitatibus agitur, ut laetemur, sed ut proficiamus; quia ipsa laetitia ita vere magna atque perfecta est, si gratulationem laetantium consequatur. Primum ergo intellegere debemus, nomen ipsum natalium causam esse profectuum. Quid enim sunt natales hominum, dilectissimi? dies illi utique quibus nascuntur ad vitam. Videte ergo, quod martyres qui eodem die natales habent, quo pro Christi amore patiuntur, non moriuntur in martyrio sed nascuntur in regno. Magna itaque ex hoc ipso sanctorum natalium nomine spes ecclesiae, magna securitas demonstratur. Non debemus talem timere mor-

a) Cod. *compatiunt.* — b) ita cod. quod et alibi in codd. vidi — c) Cod. *cadentes.* — d) Cod. *duriter.*

1) De hoc S. Genesio arelatensi M. extat sermo Eusebii emeseni (ut inscribitur) in B. Lugd. PP. T. VI. p. 670, sed ab hoc Augustini plane diversus. Legatur autem S. Genesii notitia, quam tradit Baronius in martyrologio ad diem 25. augusti. Sed copiosior multo notitia et acta extant nunc apud bene merentes Bollandianos in tomo quinto augusti die supradicto.

tem, in qua renascimur ad salutem. Et ideo Salvator in evangelio * quod legi audistis hoc die, nolite inquit eos timere qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehenna. * Matth. X. 28. f. 214. b.

2. Ita ergo et sanctus Genesius evangelici praecepti memor, non timuit mortem corporis, dum timet animae: non timuit tyrannum temporarium, dum timet iudicem sempiternum. Mira eius fides! mira devotio! Ita passio in eo fuit, quod timor non fuit. Ante persecutorem assistebat, sed animo ante dominum Iesum Christum erat. Cervicem subdebat gladio, sed mentem habebat in caelo; sciens utique veram esse illam quam audistis hodie Domini praedicationem, qui ait *: qui amat animam suam, perdet illam, et reliqua. Intellegens absque dubio non esse perditionem hoc, sed adquisitionem. Ita voluit suscipere speciem praedicationis *a*), ut acciperet fructum adquisitionis. Negotiatus est ergo beatissimus martyr, negotiatus, dilectissimi: minus dedit, ut plus acciperet. Emit commercio sanguinis regnum salutis; dedit pretium pro se, ipsum se. Itaque ditatus est negotiatione hac, quam diximus, dilectissimi. Facta est brevis passio, perpetua beatitudo. Inlusus est crudelissimus tyrannus: dum putat se beatum martyrem mittere ad mortem, misit ad vitam. Vere secundum illud apostoli qui ait *: diligentibus Deum omnia quooperantur *b*) in bonum. Versa *c*) est sancto martyri in aeternum praemium brevis poena. Dum punire eum putat percussor impius, consecravit. * Ioh. XII. 25. f. 215. a. * Rom. VIII. 28.

3. Hinc ergo est, quod natalem illius colimus; natalem utique, dilectissimi, non quo est natus in terra, sed quo est renatus in caelo; non quo est pannis vilibus involutus, sed quo divinis floribus coronatus; non quo plorans venit in mundum, sed quo cum gloria triumphavit e *d*) mundo. Beati ergo, dilectissimi, qui sic nascuntur, quorum natales et laetitiam mundo et coronam tribuunt et exemplum! Multi dum mirantur martyres, meruere martyrium. Unde et vos, dilectissimi, pro fide vestra virtutes sanctorum arbitror admirari *e*). Sanctorum opera si vultis imitari; si vultis etiam martyrum facta imitari; praeclara imitatione poteritis. Illi enim superaverunt tormenta, vos superatis vitia; illi vicerunt cruciationes suas, vos singuli temtationes vestras. Desunt quidem persecutores cum quibus dimicetis, sed non desunt inlecebrae quas subiugetis 1). Explicit.

LXVIII. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE SANCTI GENESI *f*).

1. Quamvis sanctus Genesius, dilectissimi, peculiaris Arelatensium martyr sit, ubi eum certum est triumphasse martyrio, tamen etiam nos eum nostrum existimare debemus, quem passum esse pro Christo cogno- Cod. vat. ... f. 215. a. b.

a) Cod. *praedicationem*. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *vera*. — *d*) Ita cod. *e*, non *de*. — *e*) Cod. *ammirari*. — *f*) Ita cod. pro *Genesii*, etiam in praec. serm. Sic *i* pro *ii* passim in vetustis codd.

1) Sic praeclare, immo et explicatius, loquitur Augustinus etiam in sermone edit. IV. 37, nec non in alio item serm. CCCXVIII. 3, quos locos videre praestabit.

scimus. Cum enim una fides et unus populus christianus sit, in quacumque ecclesia passus quis pro Christo fuerit, omnium ecclesiarum martyr esse credendus est. Ergo licet sanctus Genesius uno loco passus sit, omnem tamen Dei populum decoravit: licet uno in loco sanguinem fuderit, omnem tamen ecclesiam sanctificatione perfudit. Non enim eadem est sanctificatio mensuraque corporis; quia corpus in uno loco ponitur, sanctificatio autem amplius dilatatur. Tantum est, dilectissimi, ut studeamus digni effici eius benedictione, quam ferventi fide et conversatione perfecta quaerere debemus. Quod si ita fecerimus, dilectissimi, sanctum Genesium apud nos habemus, quia etiamsi alibi in corpore est a nobis, tamen spiritu non recedit. Quid ergo de martyre illo plus addo, dilectissimi? Si dignos vos Christo redditis, Christum ipsum vobiscum habetis. Auditis enim Dominum in evangelio praedicantem: « ubi, inquit, fuerint
* Matth. XVIII. 20. duo vel tres congregati in nomine meo, et ego sum cum illis *. » Sed et per
* II. Cor. VI. 16. beatum apostolum ita locutus est *: « vos enim estis templum Dei, quoniam
f. 246. a. » inhabitabo in illis, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, et separamini, et inmundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos. » Quos recepturum se, dilectissimi, Dominus dicit, amiserat. Omnis enim qui per peccatum a Deo alienatur, amittitur *a*). Ergo etiam post lapsum vitae, qui se facere voluerit bonum servum, statim vertetur in filium. Vultis scire quantum sit quod Deus praestat divina benignitate? Terrenis consideremus exemplis. Quis quaeso, dilectissimi, ad carnalem dominum fugitivus servus revertitur, qui non magnum se accipere indulgentiae fructum putet, si fugae veniam consequatur? Quis ergo eloqui aut intellegere divinae bonitatis magnitudinem possit? Fugitivum revertentem Deus non solum non batuit *b*), sed etiam muneratur; non solum poenis non afficit, sed etiam bonis omnibus donat. Non immerito
* Loc. cit. ergo apostolus post haec dicit *: has igitur promissiones habentes, karissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis. Mundemus itaque, dilectissimi, sed mundemus cito; ut digne valeamus sollemnitates martyrum in Dei laude et gloria celebrare. Explicit sermo sancti Genesi.

LXIX. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE SANCTORUM FELICIS ET ADAUTI *c*) 1), VIA OSTIENSI *d*).

Cod. vat. 3836. f. 246. a. b.

1. Beatum martyrem inter suspendia fortem, et inter tormenta felicem, hoc merito quod vocabulo, hoc nomine *e*) quod honore, pio cuncti veneremur obsequio; et continuis votis, studiis frequentioribus honoremus *f*). Non hic auro vel argento censuque caduco felix, aut fastigio potestatis

a) Cod. *amittit.* — *b*) Cod. *patuit.* — *c*) Ita cod. quia sic vulgo pronunciabatur, pro *Adauctus.* Est et alia corruptio apud Boldettum p. 543. *Adiutus.* — *d*) Cod. *hostense.* — *e*) Cod. *nomen.* — *f*) Cod. *honoremur.*

1) De his Baronius die 30. augusti. Coemeterium horum martyrum in via ostiensi accurate describit doctus Boldettus de coemeteriis christ. lib. II. cap. 18. p. 541. et seqq.

incretae 1) sublimis; non eum blattea fluxa conspicuum, aut familiae distinctae greges pompaque superba beatum, sed cruor pretiosus *a*) purpureum fecerat, et caelestis reddebat gratia candidatum. Vario igitur sancta anima pingebatur ornatu; fulgebat Christus in capite; roseus fluor non horrebat, sed micabat in corpore; pulchra reddebat membra martyris non ungula carnificis, sed decor rubicundus; quia saevitia persequentis, gloriam non potuit maculare Felicis. Cedant *b*) nunc insignes procerum trabeae *c*), cedant lapidum pretia, cedat turba gemmarum: plus penset cruor mundus *d*), quam totus mundus. Amplius valet ille fusus sanguis *e*) pro nomine Salvatoris, quam tota saeculi magnitudo cum regnis et apparitoribus suis. Appende nunc in statera iustitiae fragiles opes, et martyrum vires; evolantes fumos potentiae saecularis, et perennem gloriam confessoris. Ipsam dealbatae prosperitatis faciem, nostrae causae producimus testem, quae nihil aliud appetit simulando veritatem, quam se ab omnibus praedicari fe- f. 247. a. licem. Intuemur oculis inter theatra plaudentia dira certamina, quae subrecti *f*) martyres *g*) turbis lascivientibus exhibebant. Non ibi ferarum classes, sed pii christianorum greges *h*) producebantur ad pugnam. Laniabatur sine crimine corpus, et populus adclamabat insanus. Tendebantur eculeis *i*) membra pendentia, et cruenti carnificis manus fundebant *k*) prostratos: ungulis latera torquebat hominis *l*) poena, et non erat culpa. Quem ita reddiderit natura ferocem, ut cruciari cupiat innocentem? Explicit.

LXX. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI EIUSDEM SANCTI FELICIS ET ADAUTI *m*).

1. Felix dies inclyta *n*) et honorabilis, dies saeculi celebranda, dies quae Cod. vat. 3836. cum nomine sacro cucurrit, et Felicem coronando perfecit. Quid isto Felice felicius, quem cum materna viscera in istam funderent lucem, tunc Christus adnotabat in caelo felicem? Adumbratum est praesagium in vocabulo, claruit veritas in triumpho. Et sic certum, quia nostrum nihil deperit Deo; atque omne datum optimum, et omne donum perfectum pendet ex illo. Ipse voluit appellari Felicem, quem praeelegerat martyrem. Ipse linguam parentum voluit prophetare, qui Felicem iam decreverat f. 247. b. coronare. Sic Hieremias Deo natus, ante quam nativitatis sumpsisset initium: laborat inter perfidos *o*), periclitatur inter incredulos, adfligitur inter impios, hos patitur cives ingratos quos furibundos sustinet fratres. Et cum sic Iudaea fremeret, et adversus Dei prophetam insaniret, odio immani *p*) aestuaret; non potuit delere iudaeus quod scripserat Deus; nec valuit subripere humana machinatio, quod divina fundarat electio. « Prius

a) Cod. *pretiosum.* — *b*) Cod. *sciebant.* — *c*) Cod. *trabe.* — *d*) Cod. *mundum.* — *e*) Cod. *fusis sanguinis.* — *f*) Ita cod. Intelligo autem *stantes* et *expositos spectaculo.* — *g*) Cod. *martyris.* — *h*) Cod. *piis-gregibus.* — *i*) Cod. *heculeis* — *k*) Num pro *tundebant?* — *l*) Cod. *hominem.* — *m*) Cod. *Adauti*, ut supra. — *n*) Cod. *inclinata.* — *o*) Cod. *fidos* — *p*) Cod. *o dies immanis. aestuare.*

1) *Incretum*, pro *impuro* aut *sordido*, dixit alius quoque afer auctor, id est Apuleius, iam a Forcellino laudatus. Ibi ergo in lexico addatur hoc Augustini exemplum.

» quam te, inquit, formarem in utero, novi te: et ante quam exires de
* Hier. I. 5. » vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te *». O divinae voluntatis immutabilis ordo, et invicta potentia! Facit esse quod vult; eligit ante quam formet; sanctificat ante quam creet; placet instituere quod diligat; iubet nasci quod regat. Quid contra haec caeca mens hominum nititur? Quid contra caelum malitia debilis et infirma conatur? Patiebatur sanctus Hieremias inter propinquos cognatosque pericula, et divina non potuit immutari sententia.

2. Veniamus nunc ad fortem militem et felicem, in quo est divini forma iudicii. Incertum igitur penes homines *a*) erat, quid de illo tegerent aeterni secreta consilii; saeviebant frustra et persecutor et carnifex; qui au-
f. 248. a. tem habitat in caelis inridebat eos, et Dominus subsannabat eos *: crucia-
* Ps. II. 4. bant se furore suo insana mente, internis doloribus laniabant, quia confessorem Dei superare non poterant. Hinc pudor *b*) ungulas, inde flammas cordi *c*) feras admovebant *d*); torquebantur illi, qui se torquere putabant; et nodis insolubilibus alligati, rabiosis stridoribus infremebant; quia et faciebant martyrem, et non poterant superare felicem. Augebant gloriam, cuius excogitaverant poenam; videbant fortem, quem putaverant debilem; agnoscebant illum non posse vinci, et se intrinsecus sauciari *e*). O magni regales tituli! O quam fortis caelestis inscriptio! Aestimabant tunc perfidi, quod inter illa tormenta irasceretur Deus servo suo, cum ille maximam gloriam praepararet servo suo: et ille putabatur a Christo desertus, quia finis latebat occultus. Sed quoniam iam oportebat ut panderetur quod Dominus sancxerat, etiam nunc quidem profanus suam sentit et patitur poenam: Felix autem raptus est ad coronam. Dicat nunc igitur beato Felici omnis
* Ps. CXXIII. 6. chorus martyrum sociorum *: benedictus Dominus qui non dedit nos in venationem *f*) dentibus eorum: muscipula contrita est, et nos liberati sumus; adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt. Explicit sermo in natale sancti Felicis.

LXXI. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE ADAM ET EVA.

Cod. vat. 3836. f. 260. b. 1. Fratres karissimi, felix esset hominum genus, si aut verba Dei
* Lev. XXVI. 3. bene perciperet, aut percepta servaret. Dicit enim hominibus Deus *: « si audieritis praecepta mea, et feceritis ea, bona terrae edetis: si autem non feceritis, gladius vos consumet. » Sed quia diabolus fidei depravator secun-
f. 261. a. dum naturam vivere homines persuadet, pecoribus eos similes exhibet, quos Deus sui similes fecit; et nihilominus eos rebus deterioribus optinet *g*), cum divinae fidei obicit naturae rationem 1). Dum Deus hominibus dicat: nolite facere mala, et non vos adprehendunt; e contrario diabolus dicere

a) Cod. *paene hominis*. — *b*) Ita cod. Num pro *furor*? — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. *amm*. — *e*) Cod. *sociari*. — *f*) Cod. *venatione*. — *g*) Ita cod.

1) Hoc Augustini salubre dictum, quod et postea inculcat, de humanae naturae vitiositate, animadvertant hodierni naturalis rationis adversus divinam fidem defensores.

homines stimulat: Deum, quia vivitis, non curate; nam nec mali homines viverent, nec boni malorum factionibus laborarent. Et hoc magis homines verum esse consentiunt, cum sciant et viderint quod mali homines supplicio *aut* gladio perierunt. Cum Deus hominibus dixerit, filium per virginem natum; diabolus contra per homines adstruit, nec rationem permittere nec naturam, esse virginem matrem. Cum Deus hominibus dicat, resurgere mortuos in praeteritam carnem; diabolus e contra hominibus intimat, naturam non posse nisi nova tantum corpora gignere, non et morte perdita renovare. Quid vobis, homines, faciam, quos ratione diabolus fallit?

2. Adam et Evam * quomodo deceperit, quaerite et videte quam veri similem finxerit contra Dei praecepta rationem. Scriptum est enim *: « vocavit » Dominus Adam, et dixit ei: ex omni ligno quod est in paradiso manducabitis, de fructu autem ligni, quod est in medio paradisi, non manducabitis ex eo, nec tangetis illud ne moriamini. » Lex est, non debuit praeteriri. Usque adeo enim Deus beatos fecerat homines, ut mala paenitus ignorarent: usque adeo etiam simplices, ut eis innocens nuditas nec verecundiam faceret nec pudorem. «Erant, inquit *, nudi Adam et uxor eius, » et non pudebat eos. Serpens autem erat sapientissimus omnium bestiarum, quas fecit dominus Deus. Et dixit serpens mulieri: quare dixit Deus » ut ab omni ligno, quod est in paradiso, non manducetis? Et dixit mulier » serpenti: ex omni ligno quod est in paradiso manducamus, de fructu » autem ligni, quod est in medio paradisi, dixit Deus: non edetis ex eo, nec » tangetis illud, ne moriamini. [Dixit serpens: nequaquam morte moriemini:] » sciebat enim Deus quia qua die manducaveritis ex eo, aperientur oculi » vestri, et eritis tamquam dii, scientes bonum et malum. » Videte nunc diabolum, quomodo aput simplices homines Dei verba destruxit. Persuasit malus interpres, quia Deus inmortalitatem hominibus potuit invidere. Primo elegit feminam, rem utique fragilem, cui facile suaderet; deinde se transtulit in serpentem. Usque adeo autem secura innocentia fuit, ut serpentem horrendum, quem expavescere debuit, non timeret. « Et sumsit mulier de » fructu illo, et manducavit, et dedit viro suo secum, et manducaverunt, » et aperti sunt oculi amborum, et cognoverunt quia nudi erant. » O dudum innocens nuditas, ut erubesceres profecisti! « Et fecit Dominus Adae » et uxori eius tunicas pellicias, et vestivit eos *. Et dixit Dominus: ecce » Adam factus est sicut unus nostrum, ut sciat bonum et malum. » Non celat Dominus perditos, sed deridet. Qui se deos fieri posse consilio diaboli crediderunt, facti sunt denique dii, sed diaboli similes, cum a Deo abiecti sunt, pellibus et delicto vestiti 1). Dixit ergo Dominus sed deridens: ecce Adam factus est sicut unus nostrum, ut sciat bonum et malum.

* Cod. *Eva.*
* Gen. II. 16.
f. 261. b.
* Gen. II. 25 III. 1.
f. 262. a.
* Gen. III. 21

3. O natura magistra libidinis atque omnium delictorum! Ubi est nunc legatus ille tuus serpens antiquus? Ubi tot linguae? Ubi est illa inmortali-

1) Heic conferetur utiliter fragmentum alterius sermonis augustiniani *de Adam* apud Milleloquium T. II. col. 408.

B

tas, quam invidentia Dei deceptis hominibus promisisti? Si eam non potes miseris reddere, vel illam revoca quam tulisti. Videte nunc, homines, quo duce natura perventum sit. Videte paradisi exules, velut naufragos maris, foliis ac pellibus vix munitos. Da si potes, natura, miseris vestes, quibus pro vestibus Deus sanctam fecerat nuditatem. Oves lanis cognatis *a*) ut vestibus et compositae sunt et honustae. Capris capillus inpexus et tegmen efficit et decorem. Equis, leonibus, tauris, ceterisque feris ac bestiis mollis lanugo subtectis *b*) et cutem splendicat 1) et colorem. Aves diversis coloribus
f. 262. b. plumis et pulchrae sunt et munitae. Serpens ipse, qui vobiscum damnatus est, quotannis *c*) tunicas exuit; dum veteres abicit, induit novitatem. Vos solos homines nudos natura suscepit, et propagat ut noverca, non mater 2). Vos rebus omnibus indigentes, misericordia publica pecudum pascit ac vestit; vobis lanas oves inpertiunt; vobis caprae, boves, et cetera pecora ad victum aut lac *d*) tribuunt aut laborem: non serviunt vobis ista, sed praestant. Aut si inputatis hoc illis quod eas pascitis, custoditis, quod ab hisdem abigitis bestias, quod his pabula vel stabula providetis; nec sic quidem domini estis, qui vestro duro servitio earum meremini servitutem. Et hoc emendaverat Deus, ut vos delicatos efficeret; sed beneficii secundi indulgentiam ingrati homines perdidistis. Pluerat vobis Deus manna de caelo, ut quod desiderii fuerat, hoc saperet. Dederat aquam de saxis sponte salientem, ubicumque sitistis, ne umorem *e*) terrae quaerentes, fontes foderetis aut puteos. Dederat terram lacte ac melle fluentem, ut nec favos apum, nec ubera pecudum premeretis. Dederat botruos ultro nascentes, quorum unum homines duo vix conto traverso *f*) humeris sustinerent. In-
f. 263. a. vidistis nobis posteris vestris; nam et nos possemus haec bona percipere, nisi sanctam Dei potentiam sacrilegio laederetis. Quoniam igitur degradari nostrae origini contigit, si vobis tandem sapiens pudor est, ut his qui decepti sunt, fuit sapiens paenitudo; vel nunc Dei filio credite; quod vobis ad vitam proficiat et salutem! Explicit.

LXXII. ITEM ALIUS SERMO SANCTI AUGUSTINI DE ADAM ET EVA 3).

Cod. vat. 3836. f. 263. a. 1. Litterarum certamina mundi *g*) constitutionem humano generi testari videntur, dicentes *h*): in principio fecit Deus caelum et terram. O artifex, qui primo tectum quam fundamentum extendens, caeli cortinam latumque orbem velari praecepit! Cum Deus opifex rerum mundi fabricam totam

a) Nempe *connatis*. Sic infra *cicatrices cognatae*. — *b*) Cod. *subiectis*. — *c*) Cod. *quodannis*. — *d*) Cod. *laeti*. — *e*) Ita cod. ut et alibi. — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *mundique*. — *h*) Ita cod. Et est soloecum, quia refertur ad *certamina*, quod item vocabulum evidentissimum est in codice. Num corrigendum est in codice *litterae certatim*? Vel *certamina litterarum* dicitur pro *litterae* simpliciter, ut apud Horatium Epist. I. 5. 8. *certamina divitiarum*? Sed tamen adhuc soloecum esset illud *dicentes*.

1) Addatur hoc Augustini exemplum verbi *splendico* in lexico lat., ubi hactenus nonnisi Apuleius aeque afer citabatur.

2) Ex Cicerone de rep. in prohoemio libri tertii, cuius operis quanta pars apud Augustinum superfuerit, alibi docui.

3) Iucundum erit sermonem hunc cum primo apud nos in hoc volumine conferre; et cernere quomodo scripta sua Augustinus, dum variis temporibus concionaretur, variare soleret. En autem ut duo antiquissimi codices, bobiensis et romanus, praeclarum hoc Augustini scriptum insigni cum varietate servarunt. Conferantur item apud nos sermones 186. et 187.

uno artifice refunderet verbo, atque onus *a*) viscerum gravido sermone parturiens indigestis sensibus eructaret; et intra palatium divini cordis adolescerent cuncta, vel in hospitio sacrarum faucium errabat totus orbis intra ianuam vocis, et in cubiculo sacri pectoris elementa *b*) dormiebant. Loquitur Deus, et cuncta sunt: fabulatur, et procedunt. Nam cum universam fabricam imperando perficeret, caelum pependit, terra iacuit, mare f. 263. b
confluxit *c*): deinde factus est homo similis Deo, cui amicabiliter 1) suam imaginem propinavit. Roboratus *d*) corpore, pingitur specie, impletur spiritu, vestitur aspectu, constituitur dominus orbis, et mundi possessor introducitur, mox regnat. Sed quia nulla est felicitas, quae non habeat inimicum, sic oblectantis diaboli seductus est blandimentis, ut ante disceret perdere quam habere. O misera simplicitas innocentis! Dum respicit diabolum fabulantem, sic oblitus est conditorem? Quas sedes aut neglexit, aut noluit, aut amisit! Perdidit miser paradisum, cui iam debebatur et caelum. Paradisum dico, Fratres, ubi fluminum pigra velocitas amoenato quodam lapsu discurrens, delicatis nemorum funditur spatiis, luxuriatur unda per sulcos erraticis cursibus fugitiva, permolles inebrians herbas, propinat floribus ubertatem: non tumentis vertice labsus *e*) inflati, nec transfluvii 2) fragoribus unda crispatur. Et cum illic iudicium superet oculorum velocitas, tamen non movetur in labsu. Illic ver temporibus amoenatur, dies aspirat, et amicis flatibus temperies maritales pingues auras gravidat et inpraegnat 3). Luxuriatur in frondibus luxu flexibili *f*) fecunditas pronuba, f. 264. a
ac virginei cortices gemmis rumpentibus vulnerantur. Non subornat et adulterat ramos fugitiva conceptio, nec proni foetus adulterant uterum novercalem; sed cum aditus genitales inrumpunt, cognatae sulcantur cicatrices. Illic maritalis aura violat flores, et amoenitas gravida rore tepido meditatur *g*). Illic semper copia est, ubi quod cupias non est: cum nihil desit, omnia cupiuntur: nata praesunt 4), innata 5) praegnantur: et quidquid nascitur, plus est; et vetus est nihil. Paradisi copia non habet terminum: illic etiam mercatur et caelum.

2. Sed cum haec novum dominum rudis possessio salutaret, serpentinus livor momordit invidiâ; et cum apertius nocere non posset, celavit facinus in amore. Eritis, inquit, sicut dii, scientes bonum et malum. O ingeniosa deceptio, atque artifex homicidium! Nam cum *per* amoenata palatia domusque purpureas ludentem cerneret ac deambulantem, ubi per frondeas porticus viridesque parietes nativa constructio suboleverat, et inter spatia virentium columnarum pendens umbrosa inflata *h*) amoenitas, ubi ar- f. 264. b

a) Ita cod. At supra *honustae* cum adsp. — *b*) Cod. *helementa.* — *c*) Cod. *confulsit.* — *d*) Fortasse pro *roboratur.* — *e*) Ita cod. *labs.* at supra *laps.* — *f*) Cod. *le.* — *g*) Ita cod. — *h*) Ita cod. Confer p. 2.

1) Observa vocabulum novum *amicabiliter.*

2) Animadverte rursus est novum vocabulum *transfluvium*, quasi *fluvius exundans.* Furlanettus in lexico, verbum *transfluviare* refert ex Commodiano, sed alio sensu.

3) In cit. serm. p. 2: *et alumnis flatibus patrona temperies amicas auras impraegnat.*

4) Nempe *praeexistunt*, ut puto.

5) Cod. evidenter *ignata;* quod emendavi. Nam voc. *innatus* pro *non natus* haud caret exemplis.

tifices rami frondesque flexibiles naturales cameras explicaverant; vidit, inquam, seduxit, decepit, occidit. O muneratio deceptrix, et praemium funerale 1)! Et quod Deus dederat, perdidit; neque quod promittebat diabolus, accepit. Introducit hostem saeculi in divina palatia debilis inquilinus, et in domiciliis caelestibus barbarum mundi suscepit. Praedatur pomoerium, possessor invaditur. Novum corruptelae genus, nova proditionis infamia: dum seponitur pignus, remansit creditor nudus. Quibus ille artificiis decepit insontes! qua simplices *a*) subtilitate prostravit! Nunc caput accidere *b*), nunc iactare cervices, nunc inflatu pectus erigere, nunc obvolutis orbibus conplicare, atque rotatis cursibus sua colla inflectens *c*) veneno frangebat. Errabat in corde latronis simplicitas aliena, et ex ore venifico *d*) destillabat dulcedo mortifera. Paciscitur 2) de interitu viri cum femina, subar-
f. 265. a. rat *e*) inferos, seponit mortem. Tale praemium dederat coniugi, unde et maritus posset occidi. O summum malum atque acutissimum diaboli telum mulier! Quae sit femina, Fratres, agnoscite; vel qualis sit, audite; muscipulum est animae, latrocinium vitae, suavis mors, et dulcis interitus, malum libens, et sapida iugulatio. Femina munerat inferos, et spoliat caelos. Quanta calamitas rerum! Quando non deciperet mundum, qui peccare fecit et caelum? Viscarium 3) serpentis est femina; inde diabolus aucupatur. Execranda est mulier ista dum decipit. O iterum recolenda dum salvat! Plus enim dedit gratiae quam doloris *f*). Quod enim ipsa vulneraverat, ipsa iterum sanat. Licet Eva genuit mortem, sed tamen Maria peperit Salvatorem. Explicit.

LXXIII. ITEM SERMO ALIUS SANCTI AUGUSTINI DE DECIMIS INFERENDIS.

Cod. vat. 3836. f. 265. a. 1. Scriptum est, Fratres dilectissimi: Domini est terra et plenitudo
* Ps. XXIII. 1. eius. * Servi Domini sumus pariter et coloni: et nescio quomodo non omnes agnoscimus. « [Agnovit bos] possessorem suum et asinus praesepem *g*) do-
* Is. V. 2. » mini sui, Israhel autem me non agnovit, et populus me non intellexit *. » O homines stulti! Quid mali imperat Deus, ut non mereatur audiri? Dicit
* Exod. XXII. 29. enim: * « primitias areae tuae, et torcularis tui, non tardabis offerre mihi. »
f. 265. b. Si tardius dare, delictum est, quanto peius est non dedisse? Et iterum
* Prov. III. 9. dicit *: « honora dominum Deum tuum de tuis iustis laboribus, et deliba ei » de fructibus iustitiae tuae, ut repleantur horrea tua frumento, vino » quoque torcularia tua redundent. » Non praestas hoc gratis: quod enim cito recipies cum magno foenore, non donasti. Quaeris forte, cui proficiat quod Deus accipit redditurus? Si credis, tibi proficiet; si dubitas, perdi-
* Deut. XXVI. 11. disti. Audi tamen, incredule, Domino ipso reddente rationem *. «Offeres *h*),

a) Cod. *simplicis.* — *b*) Pag. 2. *addicere.* — *c*) Cod *inlectens.* — *d*) Cod. *benifico.* Vulgo *venefico.* — *e*) Cod. *subarrant.* — *f*) Cod. *dolori.* — *g*) Ita cod. — *h*) Cod. *offers.*

1) Observa vocabulum. At p. 2. *funestale.*

2) Vides nunc confirmari coniecturam nostram p. 2. adn. 2. de lectione *paciscitur.*

3) En praeclarum lexicisque inferendum vocabulum novum *viscarium.*

» inquit, decimas omnium fructuum tuorum: et veniet levita, qui non » est illi portio neque sors tecum, et proselytus et orphanus et vidua man- » ducabunt et saturabuntur; et benedicet te dominus Deus tuus omni- » bus diebus vitae tuae. » Audi etiam sacramentum: sacrificiis libamen inponitur; decimae vero tributa sunt egentium animarum. Redde ergo tributa pauperibus, offer libamina sacerdoti.

2. Quod si decimas non habes fructuum *a*) omnium terrenorum, quia non es agricola; quodcumque te pascit ingenium, Dei est; inde decimas expetit, unde vivis. Aliud enim pro terra dependimus, aliud pro usu vitae pensamus. Redde igitur, homo, quia possides; redde, quia nasci meruisti. f. 266. a. Quae ut vera esse cognoscas, procuratorem suum Dominus sic praemonet sacerdotem *. « Accipies oblationes filiorum Israhel: quod dabunt in vi- * Exod. XXX. 12. seq. » sitatione sua; dabunt et pro redemtione animarum suarum; et non erunt » in eis morbi neque casus. Haec autem erit oblatio: omnis veniens a vi- » cennali anno et supra, dabit oblationem Deo. » Ecce legitima est offerendi. Si tecum senex avare *b*) consideres, numquam Deo vixisti. Idem idem *c*) Dominus dicit: placate pro animabus vestris. Et iterum sacerdoti: accipe pecuniam filiorum Israhel oblationis; quod dabunt in placatione sua. Et dabis ea in opus tabernaculi testimonii; ut sit filiis Israhel in memoriam et in placationem pro animabus suis. Audi ergo, indevota mortalitas 1). Nosti quia Dei sunt cuncta quae perspicis, et de suo *d*) non commodas rerum omnium creatori. Non eget dominus Deus; non praemium postulat, sed honorem; non oblationibus pascitur, sed viae nostrae vectigal est quod offerimus pro salute. Non de tuo aliquid petit, sed de suo accipit quod refundis. Primitias rerum omnium et decimas petit; et negas, avare? Quid faceres, si novem partibus sumptis, solam tibi decimam reliquisset *e*)? quod certe iam f. 266 b factum est, cum messis tua ieiuna defecerit, et vinum digesserit crapula siccatae vindemiae *f*). Quid est ergo, avide supputator? Novem partes tibi retractae sunt, quia decimam dare noluisti. Constat quidem quod ipse non dederis, sed Deus tamen exegit. Haec est enim Domini consuetudo, ut si decimas ei non dederis, tu ad decimas revoceris. Scriptum est namque. Haec dicit Dominus: quia decimae agri et primitiae terrae vobiscum sunt: video vos, et fallere me extimatis. Annus iam consumptus est, et decimas meas intulistis in thesauris vestris. Quisquis ergo avare, divina praecepta contemnis, dabis impio militi, quod dare neglegis sacerdoti.

3. Convertimini itaque, haec dicit Dominus omnipotens *, et aperiam * Malach. III. 10 cataractas caeli, et effundam vobis benedictionem meam desuper, donec abundent vobis omnia bona, et separabo vobis ad cibum, et non conrumpam fructum terrae vestrae, neque languescet *g*) vitis in agro vestro. Et beatos vos dicent *h*) omnes gentes. Bene facere Deus semper paratus est, sed

a) Cod. *fructum*. — *b*) Cod. *senes abare*. — *c*) Ita repetitur in cod. — *d*) Ita cod., non *tuo*. — *e*) Cod. *reling*. — *f*) Cod. *vindimiae*. — *g*) Cod *languescit*. — *h*) Cod. *dicunt*.

1) Haec partim leguntur etiam in sermone ed. Augustini append. CCLXXVII. Et quidem propemodum omissurus eram hunc sermonem, nisi permulta varietas in antiquissimo nostro codice apparuisset.

hominum nequitia prohibetur, qui a domino Deo sibi dari volunt omnia, f. 267. a. et nolunt illi quod poscit offerre. Quid si diceret Dominus: nempe meus est homo quem feci, mea terra quam subigis, mea sementa 1) quae spargis, mea pecora quae fatigas; mei sunt imbres et pluviae, et ventorum flamina *a*) mea sunt; mei sunt solis ardores; et cum omnia mea sint *b*) elementa vivendi, tu qui manus solas adcommodas, solam decimam merebaris. Sed quia pie nos pascit omnipotens Deus, amplissimam tribuit laboranti mercedem: sibi tantum decimam vindicans, nobis omnia condonavit. Ingrate fraudator ac perfide, divina te voce convenio: ecce annus consummatur, et incipit alius. Redde Domino pluenti pensionem. Cur redditis Caesari, et pluere non potest Caesar? Non habes, debitor, per Caesarem quod excuses. Sic et ipsi pars facta est, ut decima Domino non negetur. Dicit enim
* Matth. XXII. 21. dominus Christus *: « reddite Caesari quae Caesaris sunt, et Deo quae Dei sunt. » Caesar non particeps Dei est, quia debitum percipit, vel prior est nominatus. Sed homines perfidos Christus inridens, praetulit religioni terrorem. Redime te, homo, dum vivis; redime te ipsum, dum potes. Dum pretium habes in manibus, redime te. Nam si te mors avara praevenerit,
f. 267. b. vitam simul et pretium perdidisti. Frustra hoc avaris legas heredibus: frustra nupturae forsitan coniugi: frustra marito mandas haec, mulier, qui aliam ducere cupit uxorem: frustra parentibus aut propinquis iniungis *c*). Nemo te fideliter redimit, quia tu te redimere noluisti. Explicit.

LXXIV. ITEM ALIUS SERMO SANCTI AUGUSTINI DE ELEEMOSYNIS 2).

Cod. vat. 3836. f. 267. b. 1. Perire multi extimant quod pauperibus datur. Perit profecto, sed illud *d*) quod aut non datur miseris, aut quod eis impenditur cum tristitia largitorum: non est enim misericors, qui miseretur invitus, Solomone di-
* II. Cor. IX. 7. cente *: hilarem datorem diligit Deus. Quaerimus forte cui bono proficiat
* Prov. XI. 17. quod pauperibus damus? Ipse rursus hoc dicit *: « animae suae bene facit
* Ps. XL. 2. homo misericors». Quomodo, inquies? David planius manifestat *: «beatus, inquit, qui intellegit super egenum et pauperem; in die malo liberabit *e*) il-
* Eccl. XXIX. 15. lum Dominus.» Iterum Solomon *: «include eleemosynam in corde pauperis, et ipsa pro te exorabit *f*) ab omni malo. Hoc est solum quod a miseris emimus; hoc pro nobis inopes vendunt. Non magno felicitas emitur, sed
* Luc. XVIII. 24. eam emere pauci sunt qui noverunt, dicente domino Christo *: « o qui di-
f. 268. a. vitias habent, difficile intrant in regnum caelorum! » Duae hic oriuntur sibi contrariae quaestiones; una, cum dicunt: cur damus cui dare noluit

a) Cod. *flumina*. — *b*) Cod. *sunt*. — *c*) Cod. *iungis*. — *d*) Cod. *illut*. — *e*) Cod. *liberavit*. — *f*) Cod. *exorabunt*.

1) Adnotemus (si philologis aut grammaticis placet) vocabulum *sementum*, *i*. Quamquam locus similis in serm. edit. CCLXXVII. 2. habet *semina*, non *sementa*.

2) De eleemosynis faciendis disserit Augustinus in sermonibus ed. LX. LXI. CCCLXXXVIII. ad CCCXC, et in append. serm. CCLXXIII. CCCVI-ad CCCXII. Est enim hic sollemnis sacrorum concionantium mos. In codicibus etiam laureshamensibus, apud nos Spicil. rom. T. V. p. 171, fuerunt Augustini sermones his titulis. 1. *Admonitio de divitibus, ut cupiditatem devitent, et facile tribuant pauperibus bona sua*. 2. *Ubi dicit in evangelio de eleemosynis faciendis*.

Deus? Alteri dicunt: quid nobis mereri possunt, qui sibi nihil penitus meruerunt? Aut quid in illis respicit Deus, quos ex felicibus miseros panni simul et sordes pariter obruerunt? Primum dico: ideo miseri facti sunt, quia miseris dare noluerunt. Deinde probo, quia ideo illis Deus omnino non dedit, aut quod dederat abstulit, ut causarum latentium velut testes aut rei 1), a nobis cottidie in exemplum nostrae formidinis pascerentur. Non est igitur nostrum scire cur eos pascimus, quorum exemplo constringimur, ut dicamus: Deus inde viderit, quid de singulis iudicet. Nostrae tamen fidei nihil est, nisi pascere quos praecepit. Mendicitas enim non est suae innocentiae meritum, sed nostrorum probatio meritorum. Non est honor aut dignitas aput Deum. Mendicitas enim vorago est omnium criminum, vel digestio vitiorum. Nam vita hominum ita est velut navis plena bonis omnibus; natans sane, si sentinae sordibus careat; nam mergitur, si gravetur. Sic est vita hominum, ut campus hostium cadaveribus plenus, nisi aves et beluae ex eo cuncta consumserint. Vivos morbo interimunt funera f. 268. b. mortuorum. Aut ut ager horridus spinis edaci flamma purgatur, sic nos purgat mendicitas dum vitia nostra consumit; alitur enim pretio criminum, et levi commercio venia venditur. Si deesset mendicitas, defuisset inpunitas delictorum.

2. Nolite ingrati esse pauperibus, divites. Quis enim vobis veniam venderet, si omnes divites fuissetis? Solomone 2) dicente *: « eleemosyna ex fide peccata purgantur. » Et dominus Christus in evangelio sic ait *: « Deus qui fecit quod est intus in homine, et quod foris est ipse fecit. Verum date pauperibus, et intus et foris mundi eritis. » Probat nos cottidie * omnipotens Deus, et tamquam vicarios suos examinat, utrum hominum miserorum possumus misereri. Dicit namque Deus vobis divitibus et avaris: a vobis pauperes mei panem, et, ut satis, vestem miseri petunt: vos a me aurum petitis, et argentum, gemmas, vestes auro textas, fundos in alio dominio constitutos, et omnia genera divitiarum, vitam petitis et salutem, bonas valetudines, coniugium, spes florentissimas filiorum pariter et nepotum, servulorum maximos greges, rei familiaris augmenta: me contra hostes, me contra morbos, me contra omnes incursus cottidie petitis et habetis. Ego f. 269. a. tamen vix de vobis inpetro quod praecepi. Vestrum vobis animum reddo. Ita demum vestri non misereor, nisi misericordiam feceritis, Solomone dicente *: « qui obturat aurem suam, ne audiat inbecillem et pauperem, et ipse invocabit Dominum, et non exaudiet eum. » Pascite, inquit, vestris opibus miseros, sicut ego vos totius naturae viribus pasco; pascite illos quos habere nolui quod habetis; pascite quos in carcere lucis huius interim teneo, aliquos dandos supplicio, aliquos statui reformandos. Videte singulos vitiorum vinculis innodatos, illis oculos, illis aures, illis manus, illis pedes poenitus abstuli. Illi ut debilis fieret partem corporis addidi, illi subduxi.

* Eccli III. 33.
* Luc. XI. 40.
* Cod. quodtidie.
* Prov. XXI. 13.

1) Confer in append. serm. ed. CCCVIII. 1.

2) Liber Ecclesiastici inscribitur heic Solomoni.

Ut illum ex paupere divitem facerem, illum ex divite pauperem feci. Si amicus vobis quispiam fuit, sustentate amici miseriam; sin vero inimicus extiterat, satis vobis iam fecit infelicitas inimici: non est quod ei amplius improperare possitis; qui meruit miser esse, iam vicit. Dicit enim omnipotens Deus: pascitis meo iussu pratis armenta, pascitis herbis ac frondibus
f. 269. b. greges, bestias quoque si dicerem cadaveribus pascite, pasceretis. At nunc nihil aliud inpetro: pascite hominem imaginem nostram et subsimilem, vestrae naturae consortem, participem sanguinis, sociumque substantiae corporalis; animal docile, capax rationis pariter et consilii, sagax 1), perspicax, sapientia pervestigans penetralia secretorum. Quid multa? Imagines vestras in miseriis fames decolor inmutavit; nam tales et ipsi sunt, quales estis.

3. Ad vos e contra divites sermonem habet omnipotens Deus: auro pascendas bestias emitis, ut maiori dispendio quas pascitis occidatis: gladiatores sui *a*) sanguinis pastos usque ad mortem dapibus alebatis, eósque miseros cogitis arte voluptatis occidi. Vos animas alienas vestrarum *b*) periculo perdetis, cum ego vobis praecipiam, ut servando animas pauperum vestras animas redimatis? Negatis nudis poscentibus vestem, ut equis et canibus, quibus pilos pro vestibus dedi, non necessaria sagula praebeatis. Negatis poscentibus cibum, et beluas atque feras, quibus certas escas et pabula pro suae naturae varietate concessi, usque ad mensas vestras venire cibos-
f. 270. a. que vestros vobiscum contra rerum naturam sumere docetis. O inhumanum perversae humanitatis officium! fame homines mori non plangitis, et cum feris et bestiis vos manducare gaudetis? Pascite miseros, pascite naufragos, pascite peregrinos, pascite pauperes quos divites noveratis. Pascite inopes cives, ne versa vice substantiae, vos ab ipsis imperem pasci, David pro-
* Ps. XXXIII. 10. pheta dicente *: timete Dominum sancti eius, quoniam non est inopia eis qui eum metuunt. Divites eguerunt et esurierunt; qui autem misericordiam faciunt, replebuntur omnibus bonis. Responde nunc Deo, qui pauperibus dare noluisti. Anni fructus ubi sunt, quos fecisti? Utrum nihil inde perdideris, hoc dic sane Deo, quia iudici dicis et testi. Dicit autem dominus Christus homini cuidam diviti, cui cum multos fructus dedisset ager, co-
* Luc. XII. 18. gitavit intra se dicens *: destruo horrea mea, ut reaedificem *c*) ampliora; et dicam animae meae: habes bona omnia, iucundare. Dixitque illi continuo Deus: stulte, hac nocte expostulatur anima tua; quae praeparasti, cuius erunt? Ad haec enim quid respondes? Heredibus servas? Qui sunt? Fili *d*) sunt, aut propinqui? Si fili, delega pauperibus aliquid, fac tutorem liberis
f. 270. b. Deum. Si propinqui, Deus te namque proximiori gradu contingit, iure patris et domini vel patroni sursum versum vadat hereditas tua, et ut pater aut dominus, in ea quae *e*) praestat, filio vel servo succedat. Tunc enim Deo proximus eris, cum Deum tibi proximum facis. Alioquin bona omnia tua ab aliis poterunt conpeti, quia caduca 2) omnia reliquisti. Explicit.

a) Ita cod. — *b*) Cod. *vestrorum*. — *c*) Cod. *r dificem*. — *d*) Ita cod. pro *filii*. — *e*) Cod. *eaque*.

1) Ex Cicerone de legibus lib. I. 7. 2) Loquitur more iurisconsultorum.

LXXV. ITEM SERMO SANCTI AUGUSTINI DE VIRTUTIBUS D. N. IESU CHRISTI [1].

1. Inter cunctas domini Christi virtutes, primam hanc dico esse virtutem, quod in terris videri se voluit, prius quam de virgine nasceretur. Nec mirum est autem quod potuit videri post mortem; nam si ante quod non erat, visum est; multo magis postea potuit agnosci, quod fuit. Ecce visus est in fornace, cum pro tribus acceptis, quattuor subito pueros venerabilis *a*), flamma monstraret. Cum pueris Christus puer apparuit, quem Herodes postea fuerat in infantibus elisurus. Interrogo vos, saecula universa, vos dicite, ab initio Christi usque dum natus est, qualem illi nostis aetatem? Visus est ergo in fornace iam iuvenis *b*), multa post saecula nasciturus. Quid te rumpis humana fragilitas, caeca semper in lumine veritatis? Sicut *in* fornacis flamma ad pueros Christus incorporalis ingressus est, ita quoque post mortem ad discipulos suos corporeus ianuis clausis intravit. Quid male curiosi de divino mysterio, quod secretum est, disputatis? Qui quaerit ubi caro crucifixa remanserit, dicat primum necesse est, ubi corpus sit positum quod iuvenis habuit. Qui postea parvulus dignatus est nasci, visus est inquam regi ipso *c*) exclamanti, qui vidit immo *d*) per eum diabolo cognoscenti, qui iam noverat quem timeret, sicut scriptum est *: « surrexit rex in festinatione, et dixit principibus suis: nonne tres viros misimus in fornacem vinctos? Et dixerunt ei: vere, rex. Et dixit rex: ecce video viros quattuor solutos et ambulantes in medio ignis, et corruptio nulla est in illis, et aspectus quarti similitudo filii Dei? » Videte potentiam perpetuae maiestatis; videri se primitus voluit, ut natus per virginem postea posset agnosci. Videte miracula; rex ipse sacrilegus credidit, cum in eius frigido incendio, quarto filio Dei trium numerus augeretur. Flamma vero fornacis tamdiu ieiunavit, donec laudes Dei tres pueri cum elementis omnibus decantarent.

Cod. vat. 2836. f. 270. b. — f. 271. a. — * Dan. III. 91.

2. Quae cum ita sint, Fratres, qui nondum nati corpus intellegit, intellegat resurgentis. Corpus autem quod Dei est, non potest extimari. Scriptum est enim *: « post pridie sabbati venit Iesus ad discipulos suos clausis ianuis, stetitque in medio eorum, et dixit illis, pax vobiscum. » Quid est hoc, pax vobiscum? Sit in vobis una credendi concordia: aspicite vulnera, et cognoscite resurgentem: corpus enim quod ab eo non mutuatum est, sed profecit, hoc et apostolus adseverat *e*) *: « nostra, inquit, conversatio in caelis est; unde etiam salvatorem expectamus dominum Iesum Christum qui transformabit *f*) corpus humilitatis nostrae, conformatum corpori claritatis suae, ut posset subicere sibi omnia. » Diximus, Fratres, visum filium Dei, prius quam de virgine nasceretur. Diximus etiam, visum fuisse post mortem corporis corporalem; dicimus quoque similiter, ut viros et

f. 271. b. — * Luc. XXIV. 36. — * Philip. III. 20.

a) Ita cod. pro *venerabiles*. — *b*) Cod. *iubenis*. — *c*) Ita cod. ab *ipsus* pro *ipse*. — *d*) Cod. *inmo*. — *e*) Cod. *adseverit*. — *f*) Ita cod., non *transformavit*.

1) Sermo hic Augustini *de virtutibus Domini*, ut vides in catalogo apud nos Spicil. rom. T. V. bis occurrebat etiam in codicibus laureshamensibus, pp. 164. et 180.

mortuos iudicet, in eodem corpore esse venturum. Tunc erit incredulis sacra credendi necessitas, cum in Christo cognoverint vulnera quae *a*) fixerunt. Dicemus quin etiam quas virtutes effecerit in hominis corpore constitutus. Fructum enim maximum dedit paternae virtuti, ut esset verbo hominum medicus, qui verbo est generatus. Evangelium enim quadrifidum, divinarum
f. 272. a. rerum thesaurus, domini Christi virtutes velut gemmas fulgidas continens, quae dum invicem sese mutua luce perfundunt, alia lucet in altera; quae aemulo *b*) fulgore concordes, splendore proprio radiant, et lumine consorti ignescunt. Harum unam de caeco inluminato nunc dicimus, quae honori-
* Luc. XVIII. 35. bus emicat oculorum. Sicut namque in evangelio scriptum est *: « cum ve-
» nisset Iesus Hiericho, caecus quidam mendicus sedebat circa viam. Cum
» audisset turbas praetereuntes, interrogavit quidnam esset illut *c*). Dixe-
» runt autem ei, quod Iesus nazaraeus *d*) transiret. Et exclamavit voce mag-
» na dicens: Iesu fili David, miserere mei. Qui vero praecedebant, ob-
» iurgabant eum ut taceret. At *e*) ille multo magis clamabat: fili David,
» miserere mei. Stans Iesus iussit eum adduci ad se; et cum adpropin-
» quasset, interrogavit eum dicens: quid tibi vis ut faciam? Qui respon-
» dens ait: ut videam, Domine. Dixit ei Iesus, vide; fides enim tua te
» salvum fecit. Et continuo videre coepit, et sequebatur eum magnificans
» Dominum. Et omnis populus videns dedit laudem Deo. »

3. Profecto, karissimi Fratres, quisquis non fide nec corde, sed tantum oculis credet, quos habet in facie, non habet lumen. Quisquis ergo caecus
f. 272. b. obtutibus, fide pectoris ducitur, habet lumen in tenebris, et quibusdam oculis ducitur sed secretis. Iuvenis caecus corde vel auribus credidit, et fides maxima aperit oculos caecitati. Pura namque et sola fides est, Deum non vidisse et credere; maiorque colendi reverentia pavet videre quod colit 1). Quippe cum ipse Dominus omnipotens timeri se voluit, non videri. Thomas ille namque discipulus parum oculis credens, et nostra vice curiosus, cum fidem suam posuisset in digito, nihilque vellet cordi transmittere, nisi quod curioso tactu tantummodo didicisset, cum sacra vulnera haberet ante oculos, et humani generis pretium domini Christi in lateribus ac manibus conspexisset; quamquam hoc non tam incredule quam sollicite faciebat; neque ipse dubius fuit, sed metuebat in posterum ab aliquo dubitari; tamen admonitus potius quam repraehensus est, quod nec corde nec oculis, sed manus iudicio credere voluisset. Simulque Christus edocuit, quia fidem non fecerunt oculi, sed fides oculos facit 2). Denique sic ei respondit: quia vidisti, credidisti; felices qui non viderunt, et crediderunt! »

4. Igitur revertamur ad caecum, qui non vidit ut crederet, sed credidit ut videret; qui cum semper in via positus minimam stipem a mortali-
f. 273. a. bus posceret, domino Christo transeunte, non cibos sed oculos postulavit.

a) Cod. *qua*. — *b*) Cod. *aemulos*. — *c*) Ita cod., et saepe in aliis priscis codd. — *d*) Cod. *nazareus*. — *e*) Cod. *ad*.

1) Considerent increduli homines hanc apud Augustinum sacrae fidei laudem.

2) De fidei divinae genere recole quae nos adnotavimus p. 90. 91. ex eodem Augustino.

Scivit unde quid peteret, vel unde lumen sumere potuisset. Nec enim obstat aliquid caecitas, ubi fides est occulta. Fuit namque iuveni geminum malum, fames et caecitas, id est cadaveris facies, et turpis inedia paupertatis, animusque eius, velut carceris imo *a*) conclusus, penuria pariter et tenebris angebatur. Vivum funus fecerat hominem vita misera sine luce. Libet prefecto, karissimi Fratres, vultus caeci paululum sermone depingere 1). Vultus, inquam, caeci semper adtonitus, et ad omnem *b*) strepitum rumoremque suspensus; qui caeli faciem lucemque communem audiendo didicerat; et omnem fabricam mundi solisque fulgores, quos oculi trepidant, non oculis sed auribus extimabat. Habuit igitur caecus resupinatum vultum, rictumque *c*) risui similem, et maesta cura sollicitum, semper secum quasi omnia meditantem: habuit orbes concavos oculorum, atque *d*) ut verius dixerim stationes luminum vacuas, venturis oculis praeparatas. Habuit inter genas et frontem ruinam quandam geminis fossis abruptam, et raptis in intimum cutibus: egenae roribus 2) margines, foveas ambierant
caecitatis. Habuit trepidos gressus et semper incertos, nunc tardos, nunc f. 273. b.
timide celeres, vago quodam saltu festinos, in ipso initio impetus subsistentes. Habuit manus metantes itinera, quae quasi alae vel remi, totam molem corporis gubernabant. Ubi vos, oculi, ubi tunc fueratis? ubi vos fides habuit? unde produxit? aut unde subito prosiluistis? cum repente in facie tenebrosa tamquam fuscae noctis in tempore sidera nata fulsistis. Christum quidem tamquam fuscae noctis in tempore sidera nata fulsistis. Christum quidem videbitis, sed prior eum caecitas vidit.

5. Ecce domino Christo transeunte, circum circa strepentibus populis, caeco proximam turbam strepitus ipse nuntiabat. Cumque interrogans sciret illum medicum venientem, qui membra truncis corporibus adderet, et morbos excluderet, qui nihil ab hominibus posceret, sed fidem sumeret pro salute, subito in voce repenti exarsit, deprecans Christum ut oculos ei iuberet dari vel fidem, quibus noctem rumperet caecitatis. O mira credendi curandique celeritas! Meruit caecus habere quod credidit, et lumen sibi fides exegit. Nec mora fit fidei; sed ut arborum gemmae cutem qua tectae *e*) sunt rumpunt; aut ut sol matutinus ignescens luce sua ubique dif-
fusa orbem quo clauditur sublevat, et statim dum nascitur, totus est; sic f. 274. a.
oculi nascebantur, sic ex intimo pectore consurgentes, orbes suos in facie fulgidi confluxerunt; et laeta nigredinis gratia circumsepti, cautis palpebris velut armigeris muniuntur. Muneribus suis Christus adtenditur; et faciem propriam tiruneulus oculorum in ipso Salvatoris intuitu velut in speculo meditatur. Felicem te hoc loco, caecitas, dixerim, quod oculos novos in Christi faciem dedicasti! Explicit 3).

a) Cod. *ima*. — *b*) Cod. *omne*. — *c*) Cod. *ritumque*. — *d*) Cod. *adque*. — *e*) Cod. *caete*.

1) Admirentur rhetores hanc graphicam caeci hominis imaginem.

2) Cod. evidentissime *rosibus*. Scripsi *roribus*, intelligens oculi humiditatem, qua caret caecitas arida. Numquis mavult *orbibus*? Iudicent critici.

3) Hactenus ex antiquissimo codice vat. 3836, litteris magnis scripto, excerpsimus. Nunc ad insignem item alium transimus vat. 4951. saeculi sal-

LXXVI. SERMO BEATI AUGUSTINI 1) DE NATALE DOMINI.

Cod. Vat. 4951. f. 12. b. Vat. 479. f. 77. Palat. 434. f. 196. Ottob. 975. f. 86. b.

1. Clementissimus pater omnipotens Deus cum doleret saeculum coenulentis erroribus involutum, hominemque mortiferis criminibus catenatum, habuit cum sua pietate consilium, totum redimere mundum. Tunc promentibus *a*) caelis delapsus est in viscera virginis Deus Dei filius, magister et amicus, qui in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. De isto autem mundo quid dicit scriptura? In principio fecit Deus caelum et terram. Quaeris per quod? In principio erat Verbum. Tale ergo Verbum quis explicet verbis? Omnia per ipsum facta sunt; et fit ipse; fit, inquam ipse, sed homo; non solum a patre, sed etiam a semet ipso. Sic enim scriptum legimus *: sapientia aedificavit sibi domum. Noli separare a tanto opere etiam Spiritum sanctum. Ministri Christi, magnum Dei opus, sunt angeli; et tamen carnem Christi sedentis ad dexteram patris adorant angeli. Ergo quod dicebamus, advertat sanctitas vestra, Fratres. Tantus Deus, Deus apud Deum, Verbum Dei per quod facta sunt omnia, quomodo in utero concluditur? Primo, ut ibi esset, deseruit caelum? Et unde angeli viverent? etenim Verbum Dei sicuti est apud patrem, angelos pascit. Sed ut panem angelorum manducaret homo, Deus angelorum factus est homo 2). Adhuc humana cogitatio eat, per nebulas suas volitet et quaerat, deficiat et dicat: quomodo Verbum Dei quod angelos non deseruit, in illo utero includi potuit? Advertat caritas vestra, Fratres: humana fragilitas esse potuit; includi non potuit. Sed quomodo, inquis, esse potuit in loco tantillo? Et quomodo cepit uterus virginalis, quem non capere potuit templum Solomonis? Ergo hunc cepit uterus, quem non capit mundus? Uterus cepit, mundus eum non cepit? Nec minoratum eum putes, ut esset in utero. In utero erat, et tantus erat. Quantus erat? In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Non comprehendo, inquis. Et ego scio; et qui tecum loquor, nec ego comprehendo. Sed cogitatio humilis et fidelis facit nos cottidie extendi, et dilatari, et capaces fieri. Sed nec capaces facti, totum comprehendere poterimus, cum ex parte se dicat scire sanctus apostolus *.

* Prov. IX. 1.

* I. Cor. XIII. 12.

2. De verbo humano vobiscum ago, quod dicturus sum; de verbo meo, hoc est de humano verbo 3). Hoc comprehendite. Si autem hoc nec com-

a) Ita cod.

tem XII, qui novos item multos egregiosque sermones nobis suppeditat. Scripturae formam nos exhibebimus cusam sermonis integri *in ordinatione episcopi*. Hunc autem codicem ex Anglia olim ad nos advectum, satis docet inscriptio in prima pagina: *Liber de claustro Roffensi* (nunc *Rochester*.) Venisse porro in potestatem Cardinalis Sirleti, patet pariter ex alia inscriptione.

1) Codex tantum *unde supra*. Sed qui praecedunt quinque sermones sunt Augustini, et quidem editi.

2) Sententiam hanc ipsis verbis habet Augustinus etiam in sermonibus ed. CXXVI. 6. et CXXX. 21.

3) Confer sermonem ed. CLXXXVII. 3. Sed et alii de natali Domini sermones Augustini, sive in editione maurina, sive in posterioribus supplementis, utiliter cum hoc vaticano conferentur.

prehendere potestis, videte inde quam longe sitis. Aiunt quidam: hoc certe nos movet, quomodo Christus carnem accepit, de virgine natus est, et a patre non recessit. Advertite, Fratres. Ecce ego loquor vobis; ante quam ad vos proferam verbum, apud me habeo verbum; non enim dicerem vobis, nisi ante cogitarem. Intende ergo, homo, cui loqui volo. Iam apud me erat verbum, et quaerebam quomodo perveniret ad te quod erat in me. Adtendi te, cuius linguae esses; inveni te latinum; latine tibi proferendum est verbum. Si autem graecus esses, graece tibi loqui deberem. Ad illum, verbum latinum; ad illum, graecum. Et quaero illi sonum tanquam vehiculum, unde perveniat ad te quod erat in me. Ecce audistis, Fratres; et quod erat in corde meo, iam est et in vestro; et in meo est, et in vestro; et vos habere coepistis, et ego non amisi. Sicut ergo verbum meum assumpsit sonum, per quem audiretur; sic Verbum Dei assumpsit carnem, per quam videretur. Quantum potui dixi. Et quid dixi? Quantum dixi? Homo loqui volui de Deo; ille autem tantus et talis est, ut nec loqui eum possimus, nec eum tacere debeamus 1). f 13. a.

3. Sed quia non desunt haeretici, qui dicunt non potuisse fieri ut Christus de Maria nasceretur, asserentes cum sint immundi, quod illa pars corporis fuerit turpis; quod si etiam aliquid ibi fuisset immundiciae; sua praesentia Dominus purificaret; attendat caritas vestra, Fratres, solem ubique esse, radios suos mittentem in sordibus, in cloacis, in locis etiam squalidissimis. Ecce coram oculis nostris sol iste visibilis mittit radium suum in cloacis; cloaca siccatur, radius autem solis non coinquinatur 2). Audi etiam aliam similitudinem, immunde haeretice. Anima tua impia infidelis et tenebrosa, quae ista sibi confingit, credens spiritibus erroris; ubi est anima tua? responde mihi, ubi est anima tua? Nunquid tantum in capite, in manibus, in oculis, et non etiam in intestinis tuis, ubi sunt stercora tua? Stulte, stulte, anima tua non coinquinatur ab stercore tuo; et Deus inquinari potuit ab opere suo?

4. Sunt etiam qui dicunt, quod sancta Maria habuerit filios ex Ioseph post partum Domini 3); quod nefas est credere. His breviter respondemus. Genitalia, ex quibus in mundum progredimur, portae dicuntur; nec tantum dicuntur, sed etiam scribuntur. Sanctus enim Iob sic dicit de die nativitatis suae: qui non clausit portas ventris matris meae, ne me pareret *. Iam videte, Fratres, quomodo porta, per quam ingressus est Dominus, semper fuerit clausa. Sic dicit Ezechiel propheta *: « converti me, inquit, ad viam portae sanctuarii exterioris, quae respiciebat ad orientem, et haec erat clausa. Et dixit Dominus ad me: porta haec, quam vides, clausa erit, et non aperietur; vir non transibit per eam, quoniam dominus Deus Israhel ingressus est per eam, et semper erit clausa 4). » Ecce * Iob III. 10. * Ezech. XLIV. 1.

1) Eodem prorsus modo sed diversis verbis loquitur Augustinus etiam in Ioh. tract. XIV. 7.

2) Sic loquitur Augustinus etiam in sermone VII. 15, ex illis qui his annis sunt editi Parisiis

3) Scilicet Antidicomaritae, Iovinianistae, et Helvidiani, apud ipsum Augustinum de haer. 56. 82. 84.

4) Comparetur cum dicto sermone VII. 25.

ubi evidenter ostendit nobis, quia sancta Maria semper virgo fuerit, virgo permanserit, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Concepit, et virgo est. Maria sancta, o haeretice, mater esse potuit, mulier esse non potuit 1). Intumescunt ubera virginis, et intacta manent genitalia matris. Utique corrumpi non potuit, quae integritatem genuit. Magnum meritum! magnum donum! magna gratia! Ancilla peperit Dominum, creatura peperit creatorem, filia peperit patrem: filia est divinitatis, mater humanitatis: quia Verbum caro factum est et habitavit in nobis.

LXXVII. UNDE SUPRA DE NATALE DOMINI 2).

Cod. vat. 4951. f. 16. a. b. Cod. R. part. I. f. 244. b. * Ps. LXXX. 3. * Phil. IV. 4. * Luc. II. 10.

1. Omnes scripturae, quas nunc audivimus, karissimi, laeticiam nobis publicam et commune gaudium nunciarunt. Psalmista enim dixit in psalmo*, qui lectus est: exultate Deo adiutori nostro. Apostolus vero*: gaudete in Domino semper. Evangelista autem ait*: evangelizo vobis gaudium magnum. O beatam diem hanc, in qua iuxta auctoritatem scripturarum gaudentes et exultantes natalem domini nostri Iesu Christi et cum psalmista agimus, et cum evangelista colimus, et cum apostolis prophetisque celebramus! Magna est utique hodie christiani populi exultatio, quae scripturarum sacrarum exemplo agitur. Et ideo beatum est hodie gaudium nostrum, quia hoc facit gaudens populus quod iubetur. Quam sancta erit plebs ecclesiae istius, si semper hoc faciat quod imperatur a Christo! Unde obsecro vos, Fratres, ut semper iussionem Domini facientes, possitis in omnibus eius aeternitate gaudere. Sicut enim hodie in hac festivitate natalis domini laeti sumus, sic qui voluntatem domini Christi fecerit in hoc saeculo, venturam aeternamque cum angelis festivitatem celebrabit in caelo 3).

2. Fratres dilectissimi, hodie dies illuxit, in quo Christus ex virgine carnem suscepit, humilitatis voluit induere formam, ut a peccatis liberaret animas nostras. Trangressio illius primi hominis totum deceperat mundum, ut nullum esset salutis remedium, nisi Christus adveniret de caelo. Gaudebat et teterrimus draco, quia venenum praeparaverat homini novo. Sed ad hoc descendit Christus in uterum virginis, ut exinde humana susciperet membra quae traderet cruci, et mortem induceret antiquo draconi. Usus enim fuerat diabolus consilio malo, ut per serpentem mulieri loqueretur, et diabolus non agnosceretur. Sed hinc ad nihilum redegit illum, qui de caelo descendit, ut Deus Dei filius humanum susciperet corpus, tendens ei laqueum mortis, per visionem videlicet carnis: quasi ad hominem solum tentator accederet, et dominum penitus ignoraret. Vi-

1) Confer in appendice S. Maximi sermonem XII. Hoc autem non dicit sensu appellativo. Nam ipse Iesus *mulierem* non semel dixit Mariam. Hinc Augustinus serm. ed. LI. 18. *Maria mulier dicta est, non corrupta virginitate, sed appellatione propria gentis suae.*

2) Praecedit sermo Augustini, qui est CXXI. ed. in appendice.

3) Hactenus tantum scribitur in codice vat. At in codice R. pergit sine ulla interruptione sermo. *Fratres dilectissimi, hodie etc.*

debat carnem, sed ignorabat Domini maiestatem: cernebat infirmitatem, et non videbat divinitatem: remansit confusus diabolus, dum in homine apparuit Dominus. Sic a Deo patre descendit, unde nunquam discessit. * Ioh. III. 13.
In terris erat, et caelos non deserebat; sicut ipse Dominus ait *: nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, filius hominis qui est in caelo. In terris ut homo loquebatur hominibus, in caelo se esse fatebatur ut Deus. Et divinitas non minoratur, cum infirmitas assumitur; et illud, quod non erat, accepit, et Deus mansit quod ab initio fuit. Quod enim homo fuit, nobis profuit, sibi nihil minuit: exinanivit plenitudinem divinitatis, formam suscepit humilitatis et patri manens aequalis.

3. Talis igitur virgo devoto * scilicet mundo, quae tantum haberet meritum, ut Dei filium in semet ipsa susciperet, et post partum omnimodo virgo permaneret. Ave, inquit angelus, Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres: quia ecce concipies, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Virginitatis iura servabis; filium habebis, et nomen virginis non amittes. Tanta est enim illa divina potentia, ut et matrem reddat fecundam, et virginem servet illaesam. Ideo benedicta tu inter mulieres, quia ex Spiritu sancto concipies, ubi non est carnalis maritus, sed divina dignoscitur virtus: lactabis infantem proprium creatorem: sucum porrigis lactis, et cibis caelestibus satiaris: pannis involvis puerum, qui tibi immortale condonavit indumentum: in praesepe ponis infantilia membra, qui caelestem tibi praeparavit mensam: omnia quae causa nutricis debentur circa puerum celebras, ut quod ipse promisit sanctis suis, et tu ipsa libentius consequaris. Quid multa? Exulta, virgo, de tanto promisso. Nuncius discessit angelicus, et ventris hospitium ingreditur Deus, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

f. 215. b. * ita cod.

LXXVIII. UNDE SUPRA [1]. DE QUADRAGESIMA.

Loquens Dominus ad beatissimum Abraham, sic ait in lectione quae lecta est: « exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, » et veni in terram quam monstravero tibi *. » Hoc quod tunc ad beatissimum Abraham locutus est Dominus, cotidie ad omnes loquitur christianos. Quae est terra haec, quam sancto Abrahae promisit Deus, vel nunc promittit omnibus christianis? Quae? nisi paradisus? Haec est possessio vitae perpetuae, et regnum beatitudinis sempiternae; de qua etiam psalmista dicit *: placebo Domino in terra viventium, ubi nulla erit participatio mortuorum. Et ideo Dominus dicit: exi de terra tua, et veni in terram quam monstravero tibi. Hoc est dicere: exi de terra tua, et veni in terram meam. Omnibus hoc nobis Deus cotidie dicit: relinquite corporis di-

Cod. vat. 4951. f. 65. b. Ottob. 976. f. 189. a.
* Gen. XII. 1.
f. 66. a.
* Ps. CXIV. 9

(1) Praecedunt Augustini sermones, etsi proximus ille est, qui legitur in editione veron. S. Leonis T. I. p. 411, quem tamen Ballerinii negant esse Leonis, et augustinianis similem non diffitentur.

lectionem, et accipite animae possessionem: relinquite voluptatem hanc temporalem, et accipite beatitudinem sempiternam. Quod quidem in omni tempore christianis faciendum sit, nunc praecipue his quadragesimae diebus, quae nobis hinc gratior esse debet, quod et tempus illius non est longum, et est praemium longum: quod labor illius celerrimum finem habet, fructus autem illius finem non habet. Quadragesima, Fratres karissimi, quasi decima pars anni est. Si ergo alii offerunt decimas possessionum, offeramus nos saltem decimam ieiuniorum: offeramus cum ieiuniis sobrietatem, misericordiam, castitatem. Quia si illae Deo gratae sunt decimae, quae *de* terrenis fructibus dantur; quanto magis gratae sunt decimae, quae de ipsis hominum corporibus ac mentibus offeruntur? Has ergo decimas abstinentiae, misericordiae, sobrietatis, atque iustitiae, ita plenas et copiosas bonis omnibus abundantes Deo offerre debemus, ut quicquid peccatorum totius anni diuturnitate contrahitur, vel ex aliqua horum dierum placatione purgetur; praestante domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

LXXIX. SERMO IN PASSIONE DOMINI 1).

Cod. vat. 4951. f. 86. b. Ottob. 976. f. 314. b.

1. Passio nobis recitata est Salvatoris ad peccatorum nostrorum remissionem admissa, non quae vitam mortificaret, sed quae mortis imperia subiugaret. Nam qui infirmantes 2) Iudaeos salvaverat, leprosos mundaverat, paralyticos curaverat, caecos illuminaverat, mortuos suscitaverat, daemonia quoque fugaverat, hanc ab illis mercedem suae virtutis accepit, ut crucis patibulo traderetur, et impleretur carmen David patriarchae can-
* Ps. XXXIV. 12. tantis *: retribuebant mihi mala pro bonis, et sterilitatem animae meae. Invenitur interea ex pedissequis unus, qui avaritiae colla prosternens, iniustae caedis insaniam argenti pretio inflammaret. O cunctarum rerum malarum genitrix avaritia 3)! Ditas Domini proditorem, et vendis saeculi redemptorem. Venalis Dominus a servo nequam proponitur; ita ab iis qui iura dictabant, contra legum suarum iustitiam pretio comparatur iniusto. Ostende inquiunt nobis, Iuda, quem emimus; ostende illum, pro quo definitum pretium accepisti. At ille inquit: in vigiliis solet et in orationibus pernoctare, ad quem simul oraturus soleo advenire; cui osculum pariter et amplexus obtulero, ne alium pro alio teneatis, hunc indico quem
f. 87. a. emistis. Quid agis importuna cupiditas? Qui sunt isti novi complexus? quae ista sunt oscula, quibus caedes bellica geritur, et armata manus extenditur, gladiis simul et fustibus pugnatura? Nullus in conventu vestro

1) Sequitur hic in codice sermo post alios Augusti sermones de passione Domini: ideoque ad eundem auctorem referendus est.

2) Vocabuli *infirmans* pro *infirmus* iam nos exempla protulimus Alcuini et Anastasii bibliothecarii in nostro glossario.

3) Similiter loquitur Augustinus de lib. arbitr libro III. 48.

sit, Fratres karissimi, quem huius serpentis venena commaculent. Sinceram cordis pacem exhibeat, qui non vult pacem habere cum Iuda.

2. Interea fraudulentis osculis traditur Christus, tenetur et ducitur. Quid non servis suis exhibeat Dominus, qui pro nobis voluit esse captivus? Nulla, discutiente praeside, culpa conspicitur, nullum facinus Pharisaeis quaerentibus invenitur, et nihilominus reus mortis dicitur, qui et reatus et mortis damnator invenitur. Lavantur iudicis manus ab effusione sanguinis innocentis, et manus Iudae eiusdem pretio sanguinis onerantur; ut inter venundantem, clamantem, et iudicantem, alienus a culpa, alienus a crimine nosceretur. O seditiosae plebis non ferenda vesania! Barabban homicidam dimitti postulant, qui vivos mortificavit, et crucifigi Dominum qui mortuos suscitavit. Sed facto pavescunt omnia, tremor terram invadit, saxa scinduntur et montes, scinduntur ipsa templi fastigia, devicta morte monumenta solvuntur, fugit dies, ordo temporum vertitur, luna nigratur in sanguinem, stellae metuunt, elementa formidant, flammiger caeli fuscatur intuitus; et cum sol obscuritatis semper declinaret aspectum, in cruce Christo suspenso, cum tenebris maluit habere consortium. Sed postquam mysterii virtus, humana passione et divina maiestate completur, mors a Christo constringitur, et amissis suae nexibus potestatis didicit esse captiva per Christum.

3. Ad obsequium igitur resurgentis Domini universa caelorum virtus occurrit, nubiferae regiones albescunt, aurora rutilo cum sole dominum suum adoratura progreditur; luna simul laetantur et sidera; virginea matris Mariae fugatur tristitia; currunt apostoli, festinant pedissequi, universa credentium turba iam gaudet; solus iudaeus tristis est, quia Dominus iam resurrexit. Servat iudaeus corpus, et iam deambulat Christus. O inperspicax 1) calliditas, et inconsiderata versutia! Accipite, aiunt militibus, pecuniam; et dicite quia dormientibus vobis furati sunt discipuli corpus eius. O semper sibi contrarium humanae falsitatis ingenium! Tuo nodo te, dum absolvere existimas, ligasti. Si dormisti, furantes discipulos minime videre potuisti. Magis quod vidisti et tremuisti commemora; angelum Dei descendentem de caelo, ab ostio monumenti lapidem revolventem; hoc est quod vidisti 2). Quid conaris affirmare quod non est? cum veritas a morte teneri non potuerit, quae veritas Christus dominus noster est: quae vestrum cotidie suppleat pectus, ut prolixa sanitate et sanctitate ad eius mereamini annua festa pertingere; et omnium petitionum vestrarum cupientes effectum, matrem vestram catholicae serenitatis antistite 3) gloriosam ecclesiam iustis vestris muneribus adornetis, per ipsum Christum dominum nostrum. Amen.

1) Animadverte vocabulum *inperspicax*.

2) Sic loquitur, etsi diversis verbis, Augustinus etiam in sermone ed. XLIV. 7. Item in enarratione psalmi LXIII. 15.

3) Dicit hoc de episcopo eius civitatis, in qua concionabatur Augustinus, sive adhuc presbyter, sive etiam episcopus, vel Hippone regio, Valerii adiutor; vel in alia qualibet civitate, ad quam invitatus pergebat haud raro vir sanctus concionaturus, ut tradit Possidius.

LXXX. SERMO DE a) PASSIONE DOMINI 1).

Cod. Vat. 4951. f. 81 a. Ottob. 97. f. 220 b. 1. Hodie incipiamus, karissimi, de crucis trophaeo praedicare, et honoremus hunc diem, magis autem coronemur celebrantes hunc diem. Nec enim ex verbis nostris honorificatur crux, sed ex fideli nostra conversatione coronas meremur crucis. Hodie crux exaltata est, et saeculum sanctificatum est. Hodie crux fixa est, et mors subversa est. Hodie crux fixa est, et daemones dispersi sunt. Hodie crux vicit, et mors devicta est. Hodie diabolus victus b) est, et homo absolutus est, et Deus glorificatus est. Hodie apud Iudaeos terra tremuit, et apud nos orbis terrae firmatus est. Hodie apud Iudaeos, quia mente audaci contra Dominum vadunt, petrae scissae sunt. Hodie amabilis Deo pietas universum conspersit orbem. Decebat enim ea quae pietatis erant coniungi, ea autem quae in-
* Ps. XXXIV 16. fidelitatis erant disiungi. Et David dicebat *: « dirupti sunt, et non sunt compuncti. » Hodie apud Iudaeos ab hora sexta usque ad horam nonam sol obscuratus est; non enim ferre poterat creatura iniurias creatoris: retraxit radios suos, celavit igneum iubar ne videret impiorum facinora; non quod deitatem iniuria tangeret, sed quia quae audaci superbia fiebant, in contumeliam eius reputabantur. Hodie apud Iudaeos tenebrae sunt, apud nos autem nox in diem conversa est. Etenim pietatis proprium est, ut in tenebris fulgeat; impietas autem, etsi in lumine fuerit, tenebrescit. Et fidelibus quidem nox in diem mutatur, infidelibus autem etiam
* Ps. CXXXVIII. 12. ipsa lux tenebrescit. De fidelibus vero scriptura dicit *: quia tenebrae non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur. Infidelibus autem et dies in noctem mutatur, dicente scriptura: palpabunt sicut caeci parietem, et ambulabunt in meridie tamquam in medio noctis. Hodie Adam eiectus est de paradiso, hodie et latro paradisum ingreditur 2). Exivit fur, et introivit latro: exiit contemptor verbi, et ingressus est confitens Verbum: exiit contemnens salutem, et introivit de cruce mercans salutem.

2. Scio et antea de latrone me dixisse 3), sed diversas habet intelligentias, ideo dicit sermo iste *: latro de ligno mercatus est salutem, latro furatur caeleste imperium; vim facit maiestati, non virtute propria sed fide
* Matth. XI. 12. vincens. Ipsius Domini vox est *: regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. In cruce duo latrones, imago est iudaeorum et gentilium; latro qui paenituit, imaginem obtinuit populi ex gentibus congregati, qui prius in errore ambulaverat, et post hoc veritatem agnovit. Imaginem

a) Ita heic cod. de. At idem codex sermone praec. in. — b) Malim *vinctus*.

1) Sequitur hic sermo in codice sermonem Augustini, qui est in append. ed. CLVI.

2) Sic adamussim loquuntur etiam G. Nyssenus atque Athanasius, ille in orat. I. pasch. p. 393, hic in fidei expositione ed. venet. Maur. p. 79. Et sic in Armeniorum quoque hymnario legitur. Haud sane quod latro in paradisum illum terrestrem et adamiticum sit receptus; sed quia *paradisi* vocabulum tam de terrestri quam de caelesti intelligitur. Et quidem Adamus culpa illa sua utrumque paradisum amisit.

3) In codicibus laureshamensibus (apud nos Spicil. rom. p. 167. et 172) fuerunt Augustini sermones his titulis. *De latrone cum Christo crucifixo.* (Videsis fulgentianum septimum.) *De latrone De duobus latronibus. De cruce et latrone.*

vero latro ille obtinuit Iudaeorum, qui usque ad finem perseverant in
errore, et usque ad tempus quidem crucis; viam malignitatis gerunt 1). Crux
autem divisit utrumque; viam namque malignitatis et perditionis, qui non f. 80. b.
credidit ingressus est; viam autem salutis, qui credidit adeptus est. In cruce
didicit latro differentiam viarum, quoniam novit Dominus viam iustorum,
via autem impiorum peribit *. Vide Dei iustum iudicium, ut dicas et tu * Ps. I. 6.
cum propheta *: « iustus es Domine, et rectum iudicium tuum. » Propter * Ps. CXVIII 137
unum peccatum damnatus est Adam, et propter unam fidei vocem latro salvatus est 2). Unum peccatum deiecit illum, et una iustitia introduxit istum. Adam eiectus est de paradiso, et latro habitator factus est paradisi. O admiranda rerum materia! Nec Abrahae per vocem data est repromissio paradisi. Hereditavit quidem per fidem, repromissionem autem paradisi nemo ante latronem accepit. Hic attendite diligentius perscrutantes vetus testamentum et novum: nullum ante latronem invenietis repromissionem paradisi meruisse, non Abraham, non Isaac, non Iacob, non Moysen; non prophetas, nec apostolos, sed ante omnes reperietis latronem. Au-
dite igitur dominicam vocem dicentem *: amen dico tibi, hodie mecum eris * Luc. XXIII. 43.
in paradiso. Vocavit quippe Deus Abraham dicens; exi de terra tua et de cognatione tua. Et non dixit illi: hereditatem capies paradisi, sed veni in terram quam monstravero tibi. Et Isaac quidem typum Christi portavit, et Iacob colluctatus in figura cum Deo est; et Moyses legem accepit, et repromissionem audivit, bona terrae *a*) se esse manducaturum, si legem domini Dei sui custodisset: et nusquam repromissionem paradisi ante latronem inveneritis.

3. Necessarium ergo est quaerere, cur huic ante alios, et ante tales viros fide dignissimos potissimum repromisit. Credidit Abraham Deo, sed credidit non sub tali conditione positus, sed credidit illi de caelis loquenti, et de propria auctoritate legem danti. Credidit et Isaias Domino, sed in
gloria consistenti: vidi enim, inquit *, Dominum sedentem super thronum * Is. VI. 1.
excelsum et elevatum. Credidit Ezechiel, sed et ipse Dominum super che-
rubin contemplatus est *. Crediderunt et reliqui prophetae, sed diversis * Ezech. X. 1.
modis Dominum intuentes gloriae, sicut videre possibile humanae fuit naturae. Credidit siquidem Moyses, sed de medio ignis loquenti, et in tubae clangore, et in tonitruo, quae et infidelem poterant provocare. Haec autem dico non ut sanctis derogem, quod absit, sed propter eum qui solus per verbum meruit paradisum. Iste ergo vidit Salvatorem non super thronum regalem, non adorare *b*) in templo, non loquentem de caelis, non per angelos disponentem, sed in poena sociatum latronibus; vidit in tormentis, et tamquam in gloria adorat; vidit in cruce, et rogat quasi in

a) Cod. *bonam terram*. — *b*) Malim *adorantem*.

1) Confer sermonem ed. CCXVIII. 4.

2) Conferantur sancti Maximi de latrone sermones duo, id est LI. et LII. Item alius Eusebii gallicani in B. PP. lugd. T. VI. p. 644. De hac mirabili latronis conversione liber extat egregius Marangonii nostri.

caelis sedentem; vidit condemnatum, et regem vocat dicens: Domine memento mei cum veneris in regnum tuum. Crucifixum vides, et regem praedicas? In ligno pendere cernis, et caelorum regnum meditaris?

4. O admirandam latronis confessionem! Numquidnam scripturas legisti, ab iniquitate non cessans? Numquidnam prophetas audisti, homicidia exercens? Numquidnam divinum audisti sermonem, quando ad caedem gladium acuebas? Unde eruditus es talia philosophari de Christo? Iudaei crucifixerunt, qui noverunt legem et prophetas legerunt; et tu horum ignarus Deum vides crucifixum, et adoras condemnatum 1)? Quis te erudivit, o
f. 94 a latro, talia de eo dicere? Non me, inquit, lex docuit, sed sol occultans lumen suum. Vidi quidem crucifixum, sed et terrae motum sensi, et propter parricidas Iudaeos elementa indignantia intellexi. Et petrae quidem scindebantur, et corda hominum non metuebant. Scissae sunt petrae, diruptum est velum templi, et Iudaeorum secreta patuerunt. Et hoc quidem velum erat, sed pretiosum, quod in diebus celeberrimis suspendebatur, pretiosum valde de purpura et bysso et cocco auro et hiacyntho contextum. In illo enim tempore crucis, terra mota est, sol fugit, et petrae scissae sunt, velum diruptum est, monumenta patuerunt. Et sicut gloria domus est ubi velum pendet, habitante intrinsecus domino domus, sic ignominia templi est unde recesserit Spiritus sanctus. Postquam impietas infidelium Deo intulit manus, iniuria Domino facta est qui habitavit in templo. Et ideo re-
* Matth. XXIII. 38. cedente Domino, deserta remansit domus, sicut ipse dixit*: ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Egresso rege gloriae, dirupta sunt singula regna, aperta sunt monumenta, et surrexerunt mortui, et intraverunt in sanctam civitatem, ut inexcusabilem relinquerent causam, et Domini resurrectio firmaretur.

5. Iudaei inquiunt: si filius Dei es, descende de cruce, et credimus tibi. Considera nunc vocem filiorum diaboli, quomodo imitantur vocem paternam. Diabolus dicebat: si filius Dei es, mitte te deorsum. Et Iudaei dicunt: si filius Dei es, descende de cruce, et credimus tibi. Pariter crucifigunt latrones, non tamquam inimici latronum, participes enim erant sceleris eorum, sed ut infamarent dominum suum, qui non sine causa crucifixus sit, sed quasi facinorosus inventus sit. Non tacuit Isaias propheta
* Is. LIII. 12. huius narrationem, dicens*: ob iniquitatem populi ductus est ad mortem, et cum iniquis deputatus est, hoc est cum latronibus; quibus ideo sociaverunt Christum, ut macularent Domini passionem. Ut autem scias quia non oderunt latrones, audi Pilatum dicentem: quem vultis ut dimittam vobis, Iesum an Barabban? qui propter homicidium in vinculis tenebatur. Et illi dixerunt: dimitte nobis Barabban. Latrones petierunt latronem; Dominum autem crucifixerunt, non virtute sua vincentes, sed dispensationis et prophetiae implebatur voluntas. Dicit illis Pilatus: regem vestrum crucifigam? At illi dicebant: nos non habemus regem nisi Caesarem. Abnuerunt Dei reg-

1) Confer Augustini iamdiu editos sermones XXII. 3. CCXXXII. 6. CCLXXXV. 2.

num, et traditi sunt regno Romanorum; quia quod habebant non intellexerunt, et ideo quod petierunt acceperunt. Coronaverunt spinis, crucifixerunt, obtulerunt ei fel et acetum. Et haec ipsa futura olim praedixerat Moyses dicens *: generatio prava et exasperans, haec Domino tribuis? Et qui dederat tibi manna in deserto, huic tu fel obtulisti? Et qui tibi delicias de terra produxit, tu illi spineam imponis coronam? Ideo clamat Isaias propheta dicens *: sustinui ut faceret uvas, fecit autem spinas. Dicunt Iudaei: sanguis eius super nos et super filios nostros; illis ad condemnationem, nobis autem ad iustificationem: sanguis Christi illis ad mortem, nobis vero ad vitam. Non est enim sanguis Christi deterior babylonio igni. Ille scivit sanctorum in camino honorare corpora, et Chaldaeos comburere, quanto magis sanguis ille scivit perdere incredulos et salvare fideles? Decuit *a*) enim splendori crucis obcaecare infideles, et illuminare credentes. Sola enim Christi crux est, quae vere solvit tenebras, et regnum daemonum dissipavit, et omnem terrorem malignantium abstulit. Crux sanctitatem providit, crux sol iustitiae facta est, ut illuminati misericordia eius glorificemus Patrem et Filium et Spiritum sanctum, qui vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

* Deut. XXXII. 5.

* Is. V. 4.

f. 90. b.

LXXXI. UNDE SUPRA 1). ITEM DE PASSIONE DOMINI.

Cod. vat. 4951. f. 103. a. Item vat. 479. f. 213. vat. 1270. f. 2. ottob. 976. f. 439. a.

1. Sapientissimus Salomon 2), fons sapientiae, censor iustitiae, et magister disciplinae, in canticis canticorum sic fatus est dicens *: ubi pascis, ubi manes 2)? In meridiano. Quis interrogabat? Vox est Spiritus interrogantis dominum Christum, ubi pascis? ubi manes? Et ille: in meridiano. Et miramur, Fratres dilectissimi, quod interrogat Spiritus sanctus, cui totus notus est mundus, qui et ante tempus fuit, nec initium habuit, sed nec aliquando finem habebit. Neque enim aeternitas habet aetatem, aut aliquando finem, quia nescit originem. Sed hoc Spiritus sanctus cogit de passione sua Christum dicere, ut populus qui ignorabat posset audire, ubi pascis? id est, ubi pateris? Et Dominus respondet: in meridiano. Cum sexta hora per medium caeli spatium sol igneus in sua libra penderet, et axe flammigero divisa mensura caeli, subiectas umbras clypeo breviante colligeret; cum mundi penderet umbra, et inferi simul in nocte silerent; sic omnis Iudaea vestita est caecitate; quando impetu furibundo clamabant crucifige, crucifige. Sic omnis creatura sexta hora non vidit solem. Sic quicquid sub caelo iacebat, didicit maiestatem. Sic lumen Christi, qui in sole

* Cant. I. 6.

a) Cod. *docuit enim splendor.*

1) Sic evidenter interpungitur in codice; et sic revera legisse Augustinum, constat ex sequentibus. Africam heic intellexit Augustinus in sermone ed. XLVI. et CXXXVIII. At splendorem veritatis et fervorem caritatis in serm. ed. CCXCV. 5.

1) Par est initium fulgentiani LXXVII, sed sermo plane diversus.

3) Praecedit in codice sermo Augustini, qui est XXI. inter editos nuper Parisiis ex codicibus casinensibus. Nimirum tam hi casinenses, quam Denisii vindobonenses, passim occurrunt etiam in codicibus vaticanis: quae res veritatem illorum luculenter confirmat.

posuit tabernaculum, universas gentes collegit, et conscientias nostras nocte corporis repulsa intravit. Pependit in cruce sexta hora dominus Iesus Christus, et pependit ut famulus. Cum latus Christi lancea perforatur, ab hora sexta usque in horam nonam, solis claritas iugulatur. Luxit et caelum auctorem, perdidit oculum dies, et orbata fibula caeli velut nox facta est dies, et subito adveniens nox excaecavit claritatem. Propterea in passione domini Christi velut nox factus est dies, quia in eius resurrectione
* Ps. CXXXVIII. 12. nox claruit ut dies, sicut scriptum est *, quia tenebrae non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur. Peccaret enim creatura si non lugeret creatorem, vel si dies suam non conscinderet vestem; cum Iudaea iure admiserat sacrilegium, si non in crimine suo sexta hora palleret, et si solis caecitas testimonium non perhiberet. Antecedit Dominum ad inferos dies, nox aeterna quod ignorabat didicit, dies noctem quam ignorabat
* Ps. XVIII. 6. expavit, dicente David *: in sole posuit tabernaculum suum.

2. Bene ostendit tabernaculum Christus crucem hospitium corporis sui, in qua unius materiae destinata *a*), iugulati sunt inferi. Adhuc pendet in materia Christi corpus, et iam debellatur infernus: timent tartara maiestatem peregrinam: mors ab inferis, dum decipit *b*), fugit. A sedibus suis mors exclusa, cucurrit ad caelum. Videt quam noverat noctem, pallent astra, tremit terra, turbantur elementa, procedunt ex suis tumulis funera. Neque enim sepulchra aliquam partem corporis tenere potuerant, gehenna simul crepuerat tota. Ad hoc enim reversus est dies ad proprium statum, quia ad verum diem reversus est auctor qui fecit hunc diem, sicut scri-
* Ps. CXVII. 24. ptum est *: hic est dies, quem fecit Dominus. Propterea elementa recipiunt speciem suam, quia si omnia cum ruina mundi perirent, hodie non erat qui timeret. Et ideo in fide Christi totus mundus unus est locus. Ad hoc nomen per terras volavit, navigavit per undas; quia spiritus non habet iter, nec fides aliquando quaerit vectorem 1). Quid dictura est Iudaea adversus dominum Christum, quem natum stella flammigera demonstravit, et passum solis caecitas declaravit? Iam perdidit aestimationem suam humana perfidia, quia natum Dominum audivit, passum vidit. Expavit populus post resurrectionem videndo novum, post inferos sanum, et post clavos et mortem iterum ad Patrem vehiculo lucis usque ad caelos elevatum. Populus supinis vultibus adorabat. Et ne totus abiret, per sacramentum corporis 2) in nostris corporibus sese divisit, dum eum intra conscientiam nostram per fidem portamus. Martyria per sanguinem, virginitas per pudorem, totiusque populi virtus adorabat, non flentes sed gaudentes: quia ostendit nobis iter ad caelos dominus Iesus Christus, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

a) Ita cod. et refertur ad crucem. — *b*) Ita cod.

1) Vides denotari gratiam Dei gratuitam.
2) Corporalis Christi in eucharistia praesentia adseritur. Libenter autem hos Augustini et aliorum patrum de tanto mysterio locos demonstro.

LXXXII. ITEM UNDE SUPRA 1). DE PASSIONE DOMINI.

1. Cum inter hominem et Deum diabolus prima fidei pacta vexaret, et hominem ad perfidiam, Deum provocasset ad iram, abduxit derelictum ab auctore mancipium, ut sibi hominis manciparet obsequium. A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est. Sed cum poenali iugo cervices mundi captivator obtineret, et internis doloribus excruciatum saeculum immugiret, clementem Deum aerumna operis sui commovit, et ipsum opificem misit. Mox igitur Christus per portam fidei, secundum caelum uteri virginalis ingreditur, et homo pro homine confirmatur, novus pro vetusto, iustus pro iniusto, dominus pro captivo. Cum ergo in officinam innubam *a*) figulus caelestis intraret, et per notatus 2) viscerum massa humani generis in novum opus exurgeret, vixit restaurata materies ex origine carnis non crimine peccatoris assumpta; et hominem liberum auctor assumpsit, quem ipse pietatis artificio reformavit. Nec conceptio igitur similis conceptibus ceteris, et partus dissimilis partubus *b*) cunctis fuit, quia nec intrans aperuit, nec exiens pudorem virgineum laceravit: et intro sine conscio, et foras sine vitio, sed ubique cum Deo. Egreditur itaque de virgine Deus et homo, simplex non duplex, unus non geminus, natura quidem diversa, sed Dei et hominis persona coniuncta, ut hominem sibi creator redderet, quem Deus per hominem compararet. Suscipiunt dura praesepia lacteum corpus, quod asper tegebat et pannus. Sic sic *c*) latere dignatus est Deus, ut cum diabolus ad escam carnis hiaret, hamum divinitatis deceptus incurreret. Cod. vat. 1451. f. 122. a. Ottob. 977 f. 187. b.

2. O famis vesana, et malignitas caeca! quae nec tunc videre potuisti muscipulam, quando insuper infantis cunabula, lucida de caelo refulsit stella. Proinde cum consurgit aetas in puero, et augmenta sentiuntur annorum, ac virum perfectum temporis incrementa consignant, emersit confestim mundus in lucem, et post funereum primae captivitatis exitium, auram novae salutis aspexit. Adest igitur praescripta dies, quae vetus resolvat debitum, quae innocentis *d*) animam offerat, et reos a iugo malae servitutis absolvat. Effera itaque rabies conspiratae plebis intumuit, qua diabolus pium sanguinem concupivit. Traditur Christus a noto; flagellatur a Pilato; crucifigitur a iudaeo; lancea percutitur a romano; et triumphus celebratur in caelo; corpus cruciatur, et incorporeus diabolus trucidatur; anima contristatur, et delictum mundi redimitur; sanguis effunditur, et chirographi scriptura deletur; mors oppetitur *e*), et mors ipsa necatur; inferi penetrantur, et ipsa mortis officina prosternitur. Ecce redit opus ad opificem, creatura revertitur ad auctorem. Renovat pacta

a) Codd. *in nube* vel *innube*. — *b*) Codd. *partibus*. — *c*) Ita repetitur in codd. — *d*) Cod. *quaere nocentis*. — *e*) Cod. *ap.* Sed confer p. 165.

1) Praecedunt sermones Augustini. Et quidem proxime antecedens, est quartus inter editos Vindobonae a Denisio.

2) Ita evidenter uterque codex. Iudicent autem grammatici de hoc vocabulo eiusque significatione.

bonae fidei Christus, quae frustraverat mundus. Iam nunc, homo, qui extitisti perfidus in arbore, serva fidem ei qui pro te est suspensus in cruce; ut pro labore certaminis, coronam iustitiae merearis.

LXXXIII. UNDE SUPRA. DE PASSIONE DOMINI.

Cod. vat. [illegible] f. 122. b. Ottob. 977. f. 188.

1. Passio Domini et resurrectio duas nobis ostendit vitas, unam quam toleramus, alteram quam desideramus. Potens est enim illam nobis donare, qui pro nobis istam dignatus est tolerare. Hoc enim ostendit quantum nos diligat; et voluit ut credamus quod daturus sit nobis bona sua propria, qui mala nostra voluit nobiscum habere communia. Nati sumus, et natus est: quia morituri sumus, et mortuus est. Ista duo nos in ista vita nostra noveramus, initium et finem, nasci et mori: nascendo labores inchoare, moriendo ad incerta migrare. Ista duo noveramus, nasci et mori. Hoc abundabat in regione nostra. Regio nostra, terra; regio angelorum, caelum. Venit ergo Dominus ad istam regionem ex alia regione: ad regionem mortis de regione vitae; ad regionem laboris de regione felicitatis venit, afferens nobis bona sua, et prius patiens mala nostra. Bona sua occulta portabat, mala nostra aperta tolerabat. Apparebat enim homo, latebat Deus: apparebat infirmitas, latebat maiestas: apparebat caro, latebat Verbum: patiebatur caro; ubi erat Verbum, caro quando patiebatur? Verbum non repellebat, quia patientiam nos docebat. Ecce resurrexit dominus Christus tertio die. Ubi est insultatio Iudaeorum? ubi est insania circumfrementium et insanientium et medicum occidentium?

2. Recolite, karissimi, quae audieritis, quando eius passio legebatur: si filius Dei est, descendat de cruce, et credimus ei. Si filius Dei est, salvum faciet eum. Audiebat ista et tacebat, pro ista dicentibus petebat, et se non ostendebat. In alio quippe evangelio scriptum est, quoniam exclamavit pro eis et ait *: pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Videbat in se continuo credituros, ipsis volebat ignosci. Caput nostrum in cruce pendebat, sed membra sua in terra cognoscebat: pascit modo laborantes, quibus manet integra merces. Quid enim melius accepturi sumus, quam ipsum? Si aliquid melius haberet, hoc daret; sed Deo nihil est melius. Et Christus Deus est. Et attende: in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Hoc quis capit? quis colligit? quis intuetur? quis contemplatur? quis digne cogitat? Nemo. Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Ad hoc te advoca; operare laborans; ad Verbum caro factum advoca te. Ipsa 1) erit salus tua: Verbum dominus erit merces tua, sine fine mansura.

* Luc. XXIII. 34.

1) Nimirum Christi caro. Ioh. VI. 52. *Caro mea et pro mundi vita*

LXXXIV. EIUSDEM UNDE SUPRA. DE PASSIONE DOMINI.

1. Inimicitias, Fratres karissimi, quas cum Deo contraxerat mundus, solus potuit dirumpere Christus. Neque pater invitus ignovit, quia ipse ad mundum suum filium destinavit. Imago igitur auctori restiterat, et contra formam similitudo pugnabat; fecit enim Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam. Et apostolus dicit *: si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Interea Deus ipse, qui intelligitur potius quam sentitur a nobis, mens est quaedam soluta ac libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia praesciens et movens ipsa, et movens quae praedita motu sempiterno. Hoc genere sumus nos humiles, qui ad imaginem et similitudinem Dei facti sumus. Genus igitur parenti restiterat, et contra creatorem creatura pugnabat. In paradiso igitur tyrannus se pro caelesti imperatore supposuit, et principatum sibi qui miles fuerat vindicabat. Diabolus enim dixit *: ponam sedem meam in aquilone, ascendam super nubes, ero similis Altissimo. Igitur novella mens, quae adhuc dexterae Dei molimine calebat, invaditur. Deus enim dederat homini in paradiso praeceptum; quod aut servaret, et viveret; aut si contemneret, moreretur. Detestabili igitur merito diabolus conversus in viperam, immemores homines suadet esse decreti. Homo igitur diabolo consentiens signa contra suum principem torsit, et in castris diaboli rebelli semper animo militavit. Vinxit catena prolem, et ex origine crimen cucurrit in sobolem. Sic enim apostolus dicit *: « per » unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, » et ita per omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. » Ex illo igitur chaos quoddam inter divinam humanamque naturam, scelerum securus 1) infuderat, et divortium inter caelum et terram nostra iniquitas solidarat. Propheta enim dixit *: peccata vestra separant inter vos et Deum.

Cod. vat. [illegible]. f. 130. b. Ottob. 977. f. 234. b.

* Rom. V 10.

* Is XIV 13.

* Rom. V 12.

f. 131. a.

* Is. LIX 2.

2. Quis igitur reconciliaret infensos? quis exules revocaret? quis rebelles foedere pacis adiungeret, nisi in Christo utraque sibi substantia concordaret? Divinum et humanum quiddam sociari debuit, quia aliter Deus et homo reconciliari non potuit. Divinitati de caelo, humanitas de terra copulata est, et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Ad nos Deus descendit, ad Deum homo in Christo conscendit. Vidistis ergo, Fratres, quia Deus prior dilexit, qui filium suum direxit ad nos, et inter inimicitias saeculi et iracundiam Dei fecit pacem filius. Inde est quod apostolus dicit *: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Hic si Deum intelligimus *a*), patrem in Christo, non erit absurdum. Ipse enim Christus dicit *: ego in patre, et pater in me. Deus ergo pater erat in Christo, quando Christus venit ad mundum. Et divinitas filii ubi erat? An pariter erat? Cur

* II. Cor. V. 19.

* Ioh X. 38.

a) Ita cod., non autem *intellegimus*, ut in antiquissimis codicibus scribi potius solet.

1) Id est *nihili pendens scelera*.

* Ioh. XIV. 9. dubitas? Ipsi Christo ausculta dicenti *: qui me vidit, vidit et patrem. Et
* Ioh. X. 30. * Ioh. VIII. 16. iterum *: ego et pater unum sumus. Et denuo *; non sum solus, sed ego et qui misit me pater. Si ergo et pater erat in Christo, et filius erat in Christo, quomodo appellatur solus filius Christus? Aut quomodo Deus *a*) Christus, cum in Christo et pater et filius habitasse credatur? O homo, agnosce. Non dividitur pater et filius; propterea unus Deus dicitur. Hoc et
* Marc. XII. 29. apostolus confirmat dicens *: nullus Deus nisi unus. Si unus est, et alius non est, et hic solus pater est, ergo et filius Deus non est? Et quomodo dicit
* Rom. IX. 5. apostolus, et eum Deum manifeste conscripsit *: quorum patres, inquit, et
* Ibidem. ex quibus Christus secundum carnem? Et sequitur *: qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Si autem, ut et tu confiteris, et filius Deus est, quomodo unus est, cum et pater Deus est? Ecce et pater Deus, et filius Deus; quomodo unus Deus? Dixit enim apostolus Paulus: nullus Deus nisi unus. O homo iunge filium patri, et non refragaris unitati. Crede in patre et filio unitatem, et non cares veritate.

3. Cum igitur dumeta nostrorum scelerum Christus dominus pervidisset, caput suum spineto supposuit, et omnes vepres nostrorum criminum subportavit. Stat liber reus, et moritur sine crimine Deus; moritur, inquam, in carnis infirmitate, non in potentiae maiestate. Accedit crux, et exaltatur a terra Christus. Instigat diabolus, insanit iudaeus, forat miles lancea latus, funditur pretium Christus, et redimitur mundus qui fuerat paulo ante captivus. O beatum saeculum lateris, ex quo, Domine, pretium fudisti captivis! Manabat sanguis innocuus, et mundum redimebat effusus. Cruor descendit in terram, et eam lavit, et martyria pullulavit 1). Statim poena latronem fecit in patibulo confessorem: et quia iamdudum propter facinus admissum fuerat condemnatus, meruit paradisum in cruce confessus. Domine, inquit, memento mei cum veneris in regnum tuum. Et Dominus, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Reddidit Dominus diabolo vicem, ut quem ille de Iuda apostolo fecerat traditorem, Christus de latrone in cruce faceret confessorem. Statera mundi, crux Christi; ibi appensum est pretium nostrum, et magnitudo pretii sic confudit ipsum venditorem, ut statim perderet et latronem. Deus ergo erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Nam quomodo redimeretur homo, nisi passibilis caro susciperet mortem, et per sancta vulnera Deus hominem mercaretur?
f. 131. b. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Reconciliati ergo per mortem filii eius, salvi erimus ab ira per ipsum. In arbore perivimus, in arbore redempti sumus: in ligno mors, in ligno vita pependit. Pro gustu dulcissimi cibi Christus amaritudinem fellei potavit aceti. Didicerunt et inferi Christum; et qui lumen contulit vivis, lumen donavit et mortuis. Patuit tartarus, clarificatae sunt tenebrae, vidit lumen verum mortuus, liberatus est a redemptore captivus. Per hanc ergo Christi mortem reconci-

a) In cod. ottob. deest *Deus*.

1) Activo sensu. Addatur haec Augustini auctoritas alii exemplo afri item auctoris Apuleii.

liati sumus Deo. Videamus quomodo caute vivamus in mundo. Temperanter, inquit apostolus *, et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes illam beatam spem et manifestationem gloriae magni Dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Tempus est ut et nos invicem nobis reconciliemur, inimicitiae dissolvantur, suspiciones purgentur. Quod tibi praestitit Deus, debet a te mereri tuus aliquando conservus. Det veniam qui accepit iniuriam; et tunc vere liberi erimus, si fecerimus mandata Christi.

* Tit. II. 13.

LXXXV. UNDE SUPRA. IN PASCHA.

Cod. vat. 4951. f. 164. b. Ottob. 976. p. 149.

1. Salve dies aeternis frequentande conventibus; te oriente, vita resurgit; te radiante, lumen radiat; et in natale tuo, inferni exclusa caligine, sol iustitiae reviviscit. Non equidem moritur Deus, nec aeternitas fine taxatur, aut lumen maiestatis extinguitur; sed cum a Deo mors oppetitur, per hominem homini subvenitur. Post triumphos igitur crucis, post vexilla victricia, Christus ovans inferos petit 1) debellaturus et mortem, qui mortis captivarat auctorem. Sed mirabile, Fratres, proelium et facies nova recuperatae victoriae; de ligno Christus vicit, unde diabolus ante vicerat; et suis armis prostratus est, qui prostraverat; ipsaque illi facta est poena, quae fuerat ante victoria. Pugnavit igitur pro mundo Deus, et celata paululum maiestate, ut daret hosti fiduciam, virtutem simulavit infirmam. Agebatur enim causa saeculi per sapientiam Dei; tenebatur ut vinctus, audiebatur ut reus, verberabatur et conspuebatur ut ignobilis et captivus. Ille vero suas vires ad hoc occultando premebat, donec mortuus vinceret, quem parabat *a*); refrenabat potentiam ut totam impleret in conflictu iustitiam, et plenam caperet in resurgendo victoriam. Hinc ad arborem venit, unde iura mortis exierant. Ubi vero ascendit arcem sceleris, ibi subiecit fastigium inimicae virtutis. Illa quondam mater et origo poenarum, nescia suscepit iustum, figit, affligit; non est culpa, et saevit poena. O crudelissima iustitia *b*)! Amisisti causae tuae subsidia. Reclamat contra te crux ipsa, mortis et vulneris officina resultat. Non agnosco, inquit, reum esse quem punio; non sunt ista mei germinis poma. Nihil hic capit *c*) meum: falleris, quia foetum mihi conseris alienum. Nihil iste habet ex meo. Quare pendet in me? Similitudinem speciei video; nam virus in eo vernaculum non agnosco. Tunc ille fortis in proelio, iustus in patibulo, innocens in alieno tormento, cornua peccati manibus mundis obtrivit; et dum se totum in ligno figit, aculeum mortis obtudit; et peccatum, quod arbor generabat, occidit. Sanguis mox fusus a latere diluit quicquid ante crimen infecit, et ex pollutis ramusculis crux candida radiavit. Cucurrit cruor innocuus per poenalis ligni noxias fibras, et me-

a) Ita est in utroque codice. — *b*) Cod. vat. *iusticida*. — *c*) Cod. ottob. *caput*.

1) Scimus importunos aliquot calvinisticae sectae in America ministros nuper hunc articulum de symbolo abradendum insipienter decrevisse. Attamen et Augustinus et alii passim Patres confirmant.

dicatae pariunt deinceps sacramenta salutis, quae praebuerant mortis alimenta victuris.

2. Adhuc tamen diabolus nescius, vicisse se gloriatur et victus. Videt crucifixum, videt mortuum, insuper et percussum; et quasi de opima caede laetus, nihil est ultra sollicitus. En, inquit, ille qui se Dei sobolem prae- [illegible] ferre solebat, qui sibi fidem miraculis conciliaverat, qui socios et participes meos de corporibus meis animisque humanis abiecerat, qui me insuper proelio temptare ausus, mundum quem ab origine teneo certaminis lege et victoriae iure captivum, meis manibus eximere gestiebat. Modo, si fortis est, vincat; modo si praevalet, surgat; modo, si Deus est, reviviscat. O diabole ignare exitus tui! Fallit te ista victoria, gaudia tua non erunt laeta sed tristia. In perniciem tuam Iudaeorum linguas armasti; te illis iaculis peremisti: Ille quidem quod passus est voluit; nobisque consuluit; nam tu cum iustum occidisti, reos quos tenueras amisisti. Sed paululum patere; noli insolentius nec imprudentius insultare. Ecce enim inferi contremiscunt vivum, quem tu gaudebas occisum. Iam ille antiquos carceres fregit, iam praedas tuas diripuit, et cruentos ministros tuae ferocitatis afflixit. Hoccine est vicisse? an vitam ad mortuos transmisisse? Pone hic, sceleratissime, rationem; penses iustitiam, magistro iudicio. Mortificasti a principio mundum, quem ipse feceras reum. Commissam noxam iusta ultio sequebatur. Hunc autem nec sua nec aliena culpa devinxerat. Cur ingessisti mortem, ubi non inveneras crimen? Cur supplicium intulisti, in quo delictum invenire non potuisti? Iniuste ergo iustum pro iniusto punisti; iuste iniustum, pro quo iustum necaveras, amisisti. Mutet iam reus conditionem, quia causa nostra partem tenuit meliorem. Orta est in servitute libertas, et facta est in dominatione captivitas. Sublatum est iugum conditionis antiquae, nunc indulgentia regnat pietatis et gratiae. Christus enim resurgens a mortuis, de sepulchro nobis hodie radiavit. Nec anima
* Ps. XV. 10. tardavit in inferno, nec caro remansit in tumulo. Sicut scriptum est*: quia non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. Ecce nunc Christus mox ut voluit, surrexit. Ubi est mors, quam inimicus ingessit? Magnum est, Fratres, pietatis indicium, quod sic moriendo Christus vivificavit saeculum, ut eum non teneret mors ipsa captivum. Ergo et causam nostram misericordi bonitate peregit, et suae potentiae nihil ademit, quia statim ut ei placuit revixit.

LXXXVI. UNDE SUPRA [1]. IN PASCHA.

Cod. Vat. 4951 f. 120. b. Ottob. 977, f. 172. b.

1. Lectiones evangelicae de domini nostri Iesu Christi resurrectione sollemniter ex ordine recitantur. Hodie audivimus, dominum Christum discipulis suis ostendisse veram carnem, in qua passus fuerat et resurrexit. Audiebant loquentem, videbant praesentem, et tamen etiam tangebant

1) Praecedit in codice sermo Augustini CCLI. inter editos.

dicentem sibi *: tangite, palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere. Illi enim cum vidissent eum, dubitaverunt, et putaverunt se spiritum videre non corpus. Quisquis ergo adhuc existimat, Domini resurrectionem non fuisse corporalem, sed tantum spiritalem, ignoscat eis Deus quia ignovit et apostolis suis; sed si non teneant errorem, et mutent cogitationem, quia et illi audierunt et mutaverunt. Et quanta illius *a*) dignatio fuit, ut cum illis ostenderet se ipsum praesentem in corpore, tamen eis de sanctae scripturae veritate firmaret! Haec sunt, inquit, verba quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum *. Quare? Numquid nunc non cum illis erat, et cum illis loquebatur? Quid est ergo, cum adhuc essem vobiscum? Sine dubio cum adhuc essem mortalis vobiscum sicut vos estis. Haec sunt verba quae locutus sum ad vos, quia oportebat impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas. Ipse est, qui usque hodie scripta vitae aperuit nobis, qui mortuus est pro nobis.

* Luc. XXIV. 39.

* Luc. XXIV. 44.

2. Sed videamus quid dixit eis. « Quia sic, inquit, oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine eius paenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientes ab Hierusalem. » Ecce discipuli et Christum viderunt post resurrectionem, et hoc futurum fuisse scripturas sanctas ore ipsius audierunt. Nos Christum praesentem in carne non vidimus; sed scripturas, quibus et illi firmati sunt, cotidie cum leguntur audimus. Et quid de scripturis dixit? Praedicari in in nomine eius paenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientes ab Hierusalem. Hoc discipuli non videbant; Christum videbant de futura ecclesia dicentem. Dicente itaque Christo quod non videbant, credebant. Caput videbant, corpus nondum videbant. Nos corpus videmus, de capite credimus. Duo sunt, sponsus et sponsa, caput et corpus, Christus et ecclesia. Discipulis se ipsum ostendit, et ecclesiam promisit. Nobis ecclesiam ostendit, de se ipso credere praecepit. Unum videbant apostoli, aliud non videbant. Et nos unum videmus, aliud non videmus. Quomodo illi a praesenti capite credebant de corpore, sic nos de praesenti corpore credamus de capite. An negaturi sumus? sed negare nos clamans veritas ipsa non sinet. Videmus enim ecclesiam Christi a solis ortu usque ad occasum laudare nomen Domini. Incipientes, inquit, ab Hierusalem. Sic est factum; nam dixit illis *: sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto, quia ego mitto vobis a patre promissionem meam.

* Luc. XXIV. 49.

3. Illis itaque in civitate sedentibus, die pentecostes venit Spiritus sanctus, implevit discipulos, locuti sunt linguis omnium gentium. Unus homo loquebatur linguis omnium gentium, quia unitas ecclesiae futura erat in omnibus gentibus. Compuncti corde sunt ad hoc miraculum universi. Nam Iudaei, qui audiebant, stupefacti crediderunt. Viderunt enim a Petro

a) Codd. *illis*.

fieri tantum miraculum, in nomine Christi quem suis manibus occiderant, et compuncti corde paenitentiam sub momento gesserunt. Donata eis sunt usque adeo cuncta peccata, ut etiam ipsum factum donaretur, quo Christus erat occisus. Conversi sunt, inquam, ipsi Iudaei; et qui ante crucem incredulum caput agitabant, ipsum caput Christum credendo habere meruerunt; ut deinceps caput eorum non agitaretur, quia sedet ad dexteram patris, et in aeternum non movebitur. Non rediet 1) ad miserias, non rediet ad crucem, non rediet ad mortem, sed in illa vera beatitudine perseverat. Ergo illi qui occiderunt Christum, audierunt et doluerunt; et sanguinem, quem saevientes fuderunt et mortui sunt, credentes biberunt et vixerunt. Sciunt fideles quod dixi, et isti neophyti quia iam biberunt 2). Qui ergo non biberunt, festinent et bibant, ut aperiatur cor eorum: nunc etenim clausum est. Itaque sicut scriptum est in libro, cuius nomen est actus apostolorum, qui per hos dies legitur *, compuncti sunt corde, et multa milia hominum accesserunt Christo.

(margin: f. 120. b.; * Act. II. 37.)

3. Tunc propter necessitatem ministerii ordinati sunt septem diaconi, inter quos eminebat plenus Spiritu sancto Stephanus. Illis ordinatis, sancti Stephani spiritus a praedicatione veritatis se non continebat, fervebat, scintillabat, accendebat; quousque Iudaei impleti zelo pro duritia cordis sui iniecerunt super eum duram lapidationem, et nobis fecerunt martyrem omnium martyrum metatorem 3). Occiso itaque Stephano, persecutionem passa est ecclesia, quae nata est in Hierosolymis. Secundum promissionem ergo Domini incipiebant ab Hierusalem fundamenta ecclesiae sublevari *a*), et facta est persecutio, et dispersi sunt fratres; quia de una congerie ignis, ligna ardentia dispersa per terram quocumque venerat accendebat. Sic impleta est Iudaea evangelio, impleta est Samaria, et itum est ad gentes, et pervenit ad terminos mundi: non migrando a radice, sed crescendo per mundum impletum evangelium intuemur. Ecce cernimus, ecce tenemus per omnes gentes diffusam fidem, incipientibus *b*) ab Hierusalem. Neget qui audet. Non mea verba feriunt aures ipsius, sed oculos negantium ipsa veritas percutit, os claudit; et impletur quod scriptum est *: quoniam obstruetum est os loquentium iniqua.

(margin: * Ps. LXII. 12.)

LXXXVII. UNDE SUPRA. IN PASCHA.

(margin: Cod. vat. 4951. f. 120. b. Ottob. 977. f. 177. b.)

1. Resurrexisse dominum nostrum Iesum Christum a mortuis tertia die, evangelia sancta testantur; et orbis totius terrae iam hoc in sancto symbolo confitetur. Prophetae, qui talia non viderunt, futura dixerunt; non enim viderunt, sed in spiritu praeviderunt. Et puto iam ceteros

a) Cod. vat. *sullevari*, ut nunc loquimur Itali. Fuit autem labdacismus Afris gratus, ut dixi alibi. — *b*) Ita melius heic codices at retro *incipientes*.

1) Addatur hoc exemplum *rediet* pro *redibit*, ceteris a Forcellino relatis.

2) Animadverte et hoc Augustini pro sanctissima eucharistia catholicum testimonium.

3) Vocabulum militare, dictum de eo qui exercitum metandis castris praecedebat.

quod inde debeant erubescere, qui cum Christi resurrectionem negare non audeant, nostram futuram negant 1). Dicunt enim: resurrexit ille, tanquam ille cui soli resurgere licuit cum ipsa carne, quam dignatus accepit. Nunquid ideo est consequens, ut resurgat etiam nostra caro, quia illius resurrexit? Illius utique potentia et virtus longe distat a nobis. Quibus respondetur: longe est a te divinitas Christi, sed tibi propinquavit infirmitas Christi. Apud se Deus, propter te homo; de suo te fecit, de tuo pro te passus est. Si ergo fecit te de suo, resurrexit in tuo. Carnem quippe Verbum non habebat: in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et homo per ipsum factus est. Sed postea factus est homo, per quem factus est homo; et ne periret homo, mortuus est Christus. Sed resurrexit Christus. Quid in illo resurrexit? Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Verbum accepit quod non erat, sed nunquam perdidit quod erat. Verbum ergo mansit. Quid resurrexit? Verbum 2). Quare cecidit? ut resurgeret. Quare mortuum est Verbum? ut revivisceret. Sed dicimus mortuum in carne quam suscepit, non f. 121. a.
divinitate in qua permansit. Ergo in qua re Christus resurrexit, fecit iniuriam sibi, praebuit exemplum tibi. Ut enim resurgeret ille, humiliatio erat, iniuria erat. Redi ad Verbum, redi ad illud: in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; et vide quid est illi resurgere. Nam qui suscitavit carnem suam, suscitabit et tuam. Propterea enim voluit resurgere suam, ne tu non crederes resurrecturam tuam.

2. Sed dicunt homines qui contra disputant: caro Christi resurrexit, quia triduo fuit in sepulchro, nec vidit corruptionem, nec tabuit, nec putruit, nec in pulverem dissoluta est. Nostra autem quando forte sepulchra patuerint, vix illic ossa inveniuntur; invenitur pulvis; quicquid fuit caro, totum redigitur in putredinem, totum resolvitur in pulverem. Ergo illud resurgere poterit, quod integritatem suam servare non potuit? Considera, o homo, qui ista disputas, considera inquam esse ossa in sepulchro, si nihil aliud sunt vel ossa *a*). In sepulchro est et pulvis corporis, in eo loco in quo sinus terrae suscepit. Redi ad originem tuam, et inquire quando seminatus es quid eras. In utero primordia nostra fudit; recordare; compara hominem sepultum, et hominem seminatum. Nempe omnes novimus, quia mortales sumus. Sicut ergo consideramus viscera terrae, in quibus corpus iacet seminatum ut resurgat, ita consideremus in maternis

a) Cod. ottob. *fuerunt nisi ossa.*

1) De corporum nostrorum futura resurrectione copiosissime disserit Augustinus in permultis qui extant sermonibus tempore paschali ab eo dictis. Tum vero etiam sermones eiusdem CCCLXI. et CCCLXII, instar prope voluminum de eodem argumento agunt. Neque id immerito aut absque gravi necessitate propter ethnicorum adversus id dogma praecipuam repugnantiam. Et quidem ait idem Augustinus initio sermonis CCXLI. *Propria fides est Christianorum, resurrectio mortuorum.* Nunc pii lectores hanc quoque egregiam de eadem re augustinianam mantissam boni consulent.

2) Nempe resurrexit Christus, qui erat Verbum.

visceribus seminatos, unde resurrexerit compositio ista membrorum. Ubi latebant quinque isti corporis sensus? ubi erant in illo humore oculi et lingua et aures et manus? Haec officia distributa membrorum unde processerunt? quis creavit ista? quis ista formavit? Nonne Deus? Ipse ergo Deus qui potuit formatum de utero eicere, ipse vult ut ex factis facienda consideres, et credas quod possit te vivum de sepulchro producere 1). His seminari homines, his inquam formari homines in visceribus matrum, cotidiana miracula sunt. Sed admirationem pro assiduitate nimia perdiderunt, et pro ipsa consuetudine viluerunt. Rem autem semel futuram, id est resurrectionem futuram semel, testimonia cotidiana frequentant. Clamat natura, increpat scriptura, credatur res futura. Credatur, Fratres, corpus hoc nostrum resurgere, bonis ad gloriam, malis ad poenam.

3. Quid enim, obsecro te, qui non vis credere futuram carnis resurrectionem, quid te movet? quid tibi in corpore displicet? Quis unquam
* Eph. V. 29. carnem suam odio habuit, dicit apostolus *? Quid tibi in corpore displicet? Si describatur omnis coaptatio corporis, nonne hebescit qui audit? et nonne sufficit *a*) qui describit? Quid tibi in corpore displicet? Ego dico: corruptio, mortalitas. Sed quae tibi placent, erunt? quae tibi displicent,
* I. Cor. XV. 44. non erunt? Audi apostolum *: seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale: seminatur in contumelia, resurget in gloria: seminatur in in-
v. 53. firmitate, resurget in virtute. Audi plenius *: oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Reviviscit quod tibi placet, perit quod displicet? Noli ergo esse ingratus redemptori tuo non credendo quod promisit; sed fac quod praecipit, ut accipias quod promisit. Redemptor enim tuus totum potest facere, quia Deus est. Si displicet tibi resuscitare corpus, displiceat tibi et modo corpus. Quid
f. 121. b. foves quod displicet? Quid tueris quod displicet? Quid nutris quod displicet? Cur optas incolume? An placet? Age ergo gratias, et crede resurrectionem. Resurgent ergo corpora, quia resurrexit Christus, sed non habebunt aliquam indigentiam, quia et Christus, cum resurrexit, potestate manducavit, non egestate. Fames ibi non erit. Non ibi stabimus cum tremore et dicemus: panem nostrum cotidianum da nobis hodie. Habebimus semper panem aeternum. Sed semper praesto est: non propter illum optabimus pluviam, non contremiscemus siccum caelum, quia panis noster erit qui fecit caelum. Et ibi non erit timor, non labor, non dolor, non corruptio, non egestas, non infirmitas, non fatigatio, non tarditas. Omnia ista non erunt. Sed corpus erit. Omnia enim mala ista quae sentimus in corpore, peccato contigerunt, non per conditionem exorta sunt. A primordio enim per hominem qui peccavit, malam hereditatem accepimus a patre nostro peccatore. Sed venit nobis alia hereditas eius qui suscepit

a) Ita codd., *quasi satis laboris habet*. Vel quid simile.

1) Idem Augustinus enarr. in ps. LXII. 6. *Si Deus fecit nos qui non eramus, magnum illi est reparare qui eramus?* Lege ibi cetera egregia, et huic loco satis conformia. Confer item de fide et opp. num. 23. 24. Et de catech. rud. n. 46. 54. Nec non 3. serm. ad catech. n. 11.

nostram, et promisit suam hereditatem. Nos habebamus mortem per culpam, suscepit ille mortem sine culpa. Occisus est qui non erat debitor, et diluit chirographum debitorum. Sit ergo in vobis animus fide resurrectionis plenus. Non solum quae facta iam praedicantur in Christo, sed etiam de illo quae futura sunt, promittuntur Christianis.

LXXXVIII. EIUSDEM UNDE SUPRA IN PASCHA.

Cod. vat. 4951. f. 122. b. Item vat. 479. f. 208. b. Cod. R. part. 2. p. 73. b.

Hic est dies quem fecit Dominus, exultemus et iocundemur in eo. Sicut domino Deo nostro cantavimus, ita illo iuvante faciamus. Omnis enim dies a Domino factus est; non tamen sine causa de aliquo die praecipue scriptum est, hic est dies quem fecit Dominus *. Legimus cum Deus conderet caelum et terram, quia dixit: fiat lux, et facta est lux; et vocavit Deus diem lucem, et tenebras vocavit noctem. Sed est alius dies certus nobis, et praecipue commendandus, de quo dicit apostolus *: sicut in die honeste ambulemus. Dies iste vulgaris cotidianus, oriente sole et occidente peragitur. Est alius dies, quo fulget Verbum Dei in corde fidelium, et pellit tenebras non oculorum sed morum malorum. Ipsum ergo agnoscamus, in isto gaudeamus. Audivimus apostolum dicentem *: filii enim lucis sumus; non sumus noctis neque tenebrarum. Sicut * in die honeste ambulemus, non in comesationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et inpudicitiis, non in contentione et aemulatione; sed induite dominum Iesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in desideriis. Hoc si facitis, toto corde cantate: hic est dies quem fecit Dominus. Quod enim cantatis, vos estis si bene vivatis. Quam multi per hos dies inebriant 1) se! quam multi per hos dies parum est quia inebriantur, insuper etiam turpiter crudeliterque rixantur! Tales non cantant: hic est dies quem fecit Dominus. Respondet enim eis Dominus: tenebrae estis, non ego feci. Si vultis esse dies quem feci, bene vivite et habete lucem veritatis quae non occasum faciat in cordibus vestris.

* Ps. CXVII. 24. — * Rom. XIII. 13. — f. 123. a. — * I. Thes. V. 5. — * Rom. XIII. 13.

LXXXIX. UNDE SUPRA 2). IN PASCHA.

Cod. vat. 4951. f. 126. b. Vat. 479. f. 241. b. Urbin. 77. f. 281. Ottob. 977. f. 214.

1. Ad omnes quidem pertinet sermo, quo vita praecipitur et commendatur bona, ut vita impetretur et accipiatur aeterna. Veruntamen praecipue vos alloquimur novella germina sanctitatis 3), regenerata ex aqua et Spiritu, plantata et rigata per ministerium nostrum in agro Dei qui dat incrementum. Sic vos existimate tamquam ex Aegypto liberatos a dura servitute, in qua vobis dominabatur iniquitas: transisse etiam per mare

1) Ebrietatis apud Afros suos vitium, et quidem festis diebus, saepe deplorat Augustinus, puta ep. XXII. 3. XCIII. 49., et enarr. in ps. LIX. fin. Profecto etiam in die matutino paschae concionans serm. ed. CCXXV. 4. aiebat ad plebem suam: *nolite discedere sobrii, et redire ebrii: et post meridiem videbimus vos.*

2) Praecedunt in cod. sermones Augustini, et quidem proxime ille, qui tertio loco editus fuit a Denisio.

3) Alloquitur neophytos.

rubrum, per baptismum scilicet sanguinis, Christi cruce signatum. Hostes qui vos a tergo insequebantur, peccata praeterita deputate. Nam si-
f. 127. a. cut transeunte Dei populo Aegyptii perierunt, sic vobis baptizatis illa deleta sunt. Nunc ergo caeleste regnum qui vocati estis tanquam terram promissionis inquirite, et per istam terrenam vitam velut per eremum iter agentes, temptationibus vigilanter obsistite. Manna enim vestrum de sancti altaris participatione percipitis, et de petra effluit quod potatis.
* I. Cor. X I. Hoc totum commemorans, et docenda praedicans apostolus Paulus *: nolo, inquit, vos ignorare, Fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt; bibebant autem de spiritali sequente eos petra; petra autem erat Christus.

2. His certe apostolicis verbis evidenter agnoscitis, non ista nos propria coniectura, sed sancta scriptura doctos insinuasse auribus et mentibus vestris; quod admonui dicens: temptationibus vigilanter obsistite. In-
v. 5. tuemini quod idem apostolus consequenter et terribiliter dicat: sed non in plerisque eorum beneplacitum est Deo, prostrati enim sunt in deserto. Haec autem figurae nostrae facta fuerunt, ut non simus concupiscentes mala, sicut et illi concupierunt; neque idolis servientes sicut quidam illorum,
* Exod. XXXII. 6. sicut scriptum est *: sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam eorum fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria milia. Neque temptemus Christum, sicut quidam eorum temptaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam illorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Omnia autem haec in figura contingebant illis. Omnia autem haec scripta sunt ad correctionem nostram, in quos finis saeculorum obvenit. Vos ergo, carissimi, praecedentia mala exempla vitantes, eos imitamini qui Deo placuerunt, non qui Deum offendendo perierunt. Quid enim profuit per mare rubrum ab Aegyptiis evasisse, et in deserto a serpentibus interisse? Sic sunt qui baptizati, et a peccatis praeteritis liberati, tantam neglegunt gratiam, et venenosis mortiferisque seductionibus intercepti, ad vitam non possunt pervenire promissam. Horum exempla fugientes, ei qui vos redemit, perseveranti oboedientia cohaerete; ut perveniatis ad regnum non quale primo populo datum est in umbra futuri, sed ubi cum Christo non erit finis, aeterna sitis felicitate victuri.

XC. CUIUS SUPRA 1). IN PASCHA.

Cod. vat. 4951. f. 129. b. 1. Confitemini Domino quoniam bonus 2) quoniam in saeculum mise-
* Ps. CXVII. 1. ricordia eius *. Cum alias os nostrum divinis laudibus debeat esse dicatum,

1) Praecedunt alii sermones Augustini.

2) Sermonem sancti Augustini de hoc versiculo psalmi CXVII. bis recenset in indiculo Possidius; ideoque plures fuisse videntur.

tum maxime in hac paschae sollemnitate, in qua ante disputationis ingressum, in hoc devoto conventu atque in vestrae congregationis sanctissimo coetu, congruit nobis Deo per Christum laudes et gratias frequentare. Haec est enim sollemnitas, in qua credentibus indulgentia data est, reparata salus vitae, aeternitas restituta. Haec est, inquam, sollemnitas in qua revixit mundus, prostratus est diabolus, misertus est Deus, victa est mors, soluta sunt tartara, reserata sunt caelestia; in qua hostis prosternitur, inimicus calcatur, christianus absolvitur, interempta redduntur, perdita reparantur, amissa redonantur, inferna respirant, terrena laudant, honorant f. 120. a.
caelestia. In hac itaque sollemnitate Adam morte exuitur, paradiso redditur, regnis caelestibus destinatur, gloriantur angeli, laetantur sancti, iusti exultant, gaudet mundus, triumphat ipse dominus Christus, cui est cum Deo patre honor et gloria in saecula saeculorum.

2. Spiritus sanctus in huius psalmi principio terrorem adimit, dum Dominum bonum ostendit: clementem enim demonstrat, dum mitem intentat; ad confessionem provocat, dum severitatem bonitate commutat. Et tamen in consequentibus dicit: qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum, qui interfecit gentes fortes, et percussit reges admirabiles. Magnam in isto psalmo diversitatem attendo, magnam ambiguitatem considero. Si bonus est Deus, cur interficit? Si interficit, quomodo bonus est? Duo enim ista diversa sibi contrarietate consistunt, bonitas et censura, severitas et clementia, misericordia et vindicta: dum invitat, et terret; dum vindicat, et persuadet; dum severus est, et indulget: qui enim bonus est, absolvit non vindicat; et qui vindicat, severitatem non bonitatem intentat. Sed manifestum est, utrumque Deo competere, et diversitatem istam pro meritorum varietatibus impertire. Consideremus ergo bono Deo severitatem procurare, et severitatem spreta bonitate exurgere. Bonitati enim severitas procurat, et dum obiurgat, dum terret, dum vindicat. Cuius severitatis metu dum territi peccatores non tantum delictis finem imponunt, sed et paenitentiae lucra avida cupiditate corripiunt; sic bonitate Dei per indulgentiam liberantur. Bonitas enim contempta, severitate est vindicanda. Neque enim dignus est pietate, quem nec severitas terruit, nec paterna bonitas invitavit. Utraque enim, ut diximus, Deo iudici competunt. Bonitas est quae absolvit, severitas est quae addicit. Nisi enim censura sese exerceret, effectum bonitas non haberet. Facile enim in bonum confugit, qui terroris formidinem contremiscit. In tempestate portus petitur, pax in bello conquiritur, in aegritudine sanitas, in contrariis prosperitas, in sterilitate ubertas optatur. Tolle aegritudinis malum, et perdit sanitas praemium. Tolle certamen, et virtus non habet nomen. Nisi enim contraria operentur, prospera operari non possunt.

3. Igitur bonus est Deus, dum hominem, quem instituit, diligit; severus est, cum impravatum 1) refrenare pietate non potuit; ut iam meriti

1) Addatur hoc novum lexicis vocabulum *impravatus, a, um.*

qualitas ex homine ipso nascatur, contrahendo ex contemptu delicta, et spernendo confessionis remedia; ut inexcusabilis fiat qui monita contemnendo peccavit, et despiciendo remedia poenam sibi quam non timuit adquisivit; ut quem confitendo habere noluit bonum, constitueret sibi contemnendo iratum; et ipse qui Dominum bonum non sensit, severum sentiret, nisi ad bonum confitendo confugeret: quia et in hoc ipso bonus est, cum severus est. Invenitur enim consilio magis quam severitate terrere, qui bonitatem confitendo desiderat exercere. Dilatio etenim poenae, causa est veniae. Non amat vindicare, qui differendo desiderat ignoscere. Centum annorum spatio futurum diluvium Deus aliquando protraxit. Quadringentos annos Aegyptiorum populum distulit; et per multam annorum seriem Amorrhaeorum scelera toleravit; ut notum faceret omnibus, hominem ad suum festinare interitum; Dominum vero perituris dilationis
* Ezech. XXXIII 11. dare remedium. Qui per prophetam concionatur et dicit *: nolo mortem
f. 130. b. peccatoris, tantum convertatur et vivat.

4. Ama igitur, quisquis contemptor es, bonum; et sollicite time censorem: benignum dilige, severum metue, indulgentem ama, vindicantem observa. Invitet bonitas ad remedium, ne severitas rapiat ad supplicium. Utraque, dum tempus est, meditare. Hic enim aut remittit bonitas; aut severitas in iudicio flectit. Providendum tempus est in futurum, ne in te divinum exerceatur iudicium. Aut serva mandata, et beatus existis; aut confitere peccata, et a reatu solveris. Praeterita gesta propter te commendata sunt; tibi tota antiquitas procurat *a*); tibi quicquid aut misericordia indulsit, aut patientia distulit, aut consilium terruit, procuratum est. Tibi bonorum gloriae, et malorum poenae conscriptae sunt. Tibi providit qui cuncta conscribi praecepit. Providentiam Dei in tuam salutem adscisce *b*): tibi negotium gessit, qui te de praeteritis informavit. Gravius enim peccat, qui post exempla degenerat. Nec enim merebitur veniam, qui iudicis non timuit declinare vindictam. Denique accipe de praeteritis duo exempla, quae aut petas aut timeas, aut optes aut fugias. Terrentur Ninivitae, et evadunt; contemnunt Sodomitae, et pereunt. His terror indulgentiam, illis contemptus interitum procuravit. Paenitentia Ninivitis bonum exhibet Deum, contumacia Sodomitis vindicem effecit Dominum. Unum utrorumque meritum discrevit paenitentia et contemptus, confessio et reatus, afflictatio et despectus. Digne enim sentire debet iudicem, qui bonum contempsit auctorem 1); ut bonitatem sibi utilem perderet, qua paenitentiam *c*) contempsisset.

XCI. EIUSDEM UNDE SUPRA. IN PASCHA.

Cod. Vat. 4951. f. 131. b. Ottob. 977. f. 239. b.

1. Hodie sacratissimam resurrectionem filii Dei, qui ab infidelibus Iudaeorum turbis crucis patibulo affixus occubuit, tripudiantes celebramus:

a) Cod. mendose *procuratur*. — *b*) Cod. *adscissae*. — *c*) Cod. *poenitentia*.

1) Id est *patrem*, ut arbitror; ceu illud apud Virgilium: *generis nec Dardanus auctor*.

qui ideo in mundum humanae carnis formam assumens per virginem nasceretur, ut pro totius mundi ereptione mori quivisset. Quod olim, id est ab exordio mundi, sacrosanctis prophetae oraculis praecinerunt, omnipotentis Dei filium qui erat in principio apud Deum patrem, et per quem facta sunt omnia, per virginem procreandum in mundo, atque miraculorum signis se esse filium manifestaturum, mortuos suscitaturum 1), leprosos mundantem, surdis auditum restituentem, claudis gressum innovantem, caecos illuminantem, ad extremum vero ab infidelibus Iudaeorum populis discipulo proditore interficiendum. Quae omnia in Christo adimpleta esse, luce clarius constat.

2. Nam cum primitus natus esset infans, pannis obvolutus est, et in praesepio reclinatus, quasi homo nutritus atque confotus est. Cum vero ad triginta annorum aetatem pervenisset, baptismum consecutus est; non quia aliquibus peccaminum sordibus maculatus unquam fuisset, sed nobis qui innumeris flagitiorum contagionibus violamur, baptismi lavacrum contulisset: quo lotis *a*) per fidem, omnium facinorum admissis mundari posse praestiterit. Exinde quadraginta dierum ac totidem noctium ieiunium peragens, antiquum sibi zabulum, dira contra se temptationum iacula torquentem, subiugavit; ut quemadmodum Adam primum parentem nostrum manducantem evicit *b*) atque ex paradiso reppulit, eodem modo a Christo ieiunante prostratus, atque homo paradiso restituatur. Cum deinde aperte praedicare coepisset, et innumerabilibus signis ad fidei agnitionem provocare; Iudaei autem zelare verbis eius ac de morte cogitare, conati sunt discipulo eius pecuniam promittere si eum prodidisset. Quod ipse quoque discipulis suis frequenter se passurum praedicaret, et quod a discipulo suo inimicis suis ad occidendum tradendus esset, apertius tamen ante biduum cum discipulis vescens, eorumque pedes ipse Dominus lavans, humilitatis ac mansuetudinis vestigia ostendens; quatinus si Dominus, qui mundi creator extiterat, hominum nimirum pedes quos creaverat lavasset, nullus humilitatem habere refutaret; taliter discipulos suos affatus est: unus ex vobis tradet me hodie. Vae homini illi per quem trador ego! melius illi erat si non fuisset natus. Trepidantibus autem illis, dixit iterum: qui intingit mecum manum in parapside, hic me traditurus est. (112.)

3. Unus autem ex duodecim, qui vocatur Iudas, exiens adduxit infaustam Iudaeorum turbam, qui tenentes eum vinxerunt, et adduxerunt ad Caipham principem sacerdotum. Tunc milites praesidis suscipientes Iesum in praetorio, congregaverunt ad eum universam cohortem, et exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei; et plectentes coronam spineam posuerunt super caput eius, et genu flexo ante eum illudebant dicentes: ave rex Iudaeorum. Et expuentes in faciem eius, dabant ei palmas: et acceperunt arundinem, et percutiebant caput eius. Et postquam

a) Cod. vat. *loti*. Ottob. *loci*. — *b*) Codd. *evincit*.

1) Cod. cum soloecismis: *suscitaturus, mundans, restituens, innovans, illuminans*. Confer dicta a nobis p. 2.

illuserunt ei, exuerunt eum chlamydem, et induerunt vestimenta eius, et duxerunt eum ut crucifigerent; et venerunt in locum qui dicitur Calvariae, hebraice Golgotha. Erat autem et superscriptio inscripta super illum litteris graecis, latinis, et hebraicis: hic est rex Iudaeorum. Tunc crucifixerunt et cum eo duos latrones, unum a dextris, et unum a sinistris. Unus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens: si tu es Christus, salvum fac temet ipsum. Respondens autem alter increpabat eum dicens: neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei cum veneris in regnum tuum 1). Et dixit illi Iesus: amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Praetereuntibus autem illis, blasphemabant eum moventes capita sua et dicentes: vah qui destruit templum Dei, et in triduo illud reaedificat! salva temetipsum; si filius Dei es, descende de cruce. Similiter et principes sacerdotum ludentes eum dicebant: alios salvos fecit, se ipsum salvum facere non potest. Si rex Israhel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei. Hesterna autem die 2), tertia hora 3) diei in cruce suspensus est.

4. A sexta vero hora usque in horam nonam per universum mundum tenebrae factae sunt, et obscuratus est sol. Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt. Et circa horam nonam exclamabat Iesus voce magna et dixit: pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et haec dicens expiravit: et ad inferna descendit, ianuas tormentorum confregit; ac deinde sanctorum animas, qui sibi ab initio mundi placuerunt, eduxit; atque matutina hora dominicae diei non solus, sed et multa sanctorum corpora, qui ante dormierant surrexerunt; et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. Nam sicut in hoc tempore Dominum interfectum ac resurgentem audivimus, ita etiam in hac eadem nocte, in eodem corpore venturum esse ad constituendum mundi finem cognovimus 4), caelis ac terris ante faciem eius ardentibus; portaturque *a*) ante faciem eius eadem crux in qua passus est, ac vulnera in manibus eius aperta. Et tunc omne humanum genus in antiqua corpora *b*) resiliet: et diligenter a singulis quibusque requiretur, quid praeceptorum Dei factis implevit, si tanta Deus pro hominibus pertulit.

5. Qua de re, Fratres karissimi, vitam vestram moresque ad Dei vo-

a) Ita cod., vat. non *portabiturque*; nam in ottob. deest. — *b*) Codd. *in antiquis corporibus*.

1) De latrone crucifixo, praeter memoratos sermones p. 157. adn. 2, adde Augustini ipsius in append. serm. CLIV. CLV. Itemqne S. Leonis ed. veron. sermonem LIII.

2) Ergo hic sermo recitabatur ab Augustino in magno sabbato.

3) Sequitur ergo heic Augustinus vulgatam Marci lectionem cap. XV. 25, *tertia*, non *sexta*; de qua lectione et controversia commentatores prope omnes prisci recentesque disputarunt; in primis Eusebius caesariensis, a nobis editus, in quaestionibus evangelicis ad Marinum.

4) Animadverte traditionem ecclesiasticam, quod Christus nocte inter sabbatum magnum ac dominicam paschalem, venturus sit ad mundi exercendum iudicium.

luntatem componite. Nulla vos vana laetitia Dei praeceptorum immemores reddat. Nullus se obscenis libidinum maculis foedet, nullus alio dolum absente concinnet: furta, falsa testimonia, rapinas, concupiscentias, illecebras, periuria, contradicat *a*). Si quis vero quibuslibet horum peccaminum flagitiis vitiatus fuerit, ad paenitentiam cito conveniat, et delicta sua cum lacrymis et eleemosynis et ieiuniis redimat. Unde necesse est, ut semper pavidi semperque suspecti ponamus ante oculos mentis, hic culpam operis, illic iudicium extremae districtionis. Pensemus quam districtus iudex veniat, qui iudicium minatur; et licet terrores peccatoribus intentet, tamen sustinet. Et quod iccirco venire citius differt, ut minus inveniat quos condemnet. In proximo namque est iudex qui dicit *: vae vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. Horam vero ultimam dominus noster Iesus Christus iccirco nobis voluit esse incognitam, ut semper possit esse suspecta; ut dum illam providere *b*) non possumus, ad illam sine omni turpitudine nulla intermissione praeparemur. Quia ergo et venturae mortis tempus ignoramus, et post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem tempora indulta rapiamus. Quia enim adhuc hodie liceat bene agere, scimus; utrum cras liceat, nescimus. Sic enim mors ipsa cum venerit vincitur, si prius quam veniat semper timeatur. Pius namque Dominus cito paenitentia placatur. Tempora namque huius vitae, in velocitate deficiunt; nullus hic hominum perpetualiter 1) vivere poterit. Nullus umquam tam valide regnum habuit, ut mortem evadere quivisset; sed omnes tam potentes quam subiecti, tam nobiles quam ignobiles, tam reges quam etiam eorum dominio subiugati, mortem subire debent. Haec vobiscum, Fratres mei, sollicite cogitate; in compendiis huius vitae, qualiter in aeternum vivere valeatis praevidete. Cum certum omnibus constet, quod deinceps in remuneratione, qualiter merebitur, accipit. Qua de re praecepta Dei in animam figite, eaque cotidie factis implete; quatinus in novissimo die huius saeculi, cum omne humanum genus pro meritis suis iudicatur, non cum diabolis et peccatoribus in aeterna tormenta corruatis, sed cum Domino, eiusque angelis, et cum omnibus sanctis in aeterna amoenitate remaneatis; et cum gaudente gaudebimus, et regnante regnabimus, et vivente vivemus in saecula saeculorum. Amen.

* Luc. VI. 25.

XCII. CUIUS SUPRA. SERMO DE ALLELUIA.

Cod. vat. 4951. f. 132. b. Ottob. 977. f. 216. a.

Alleluia canticum est novum 2). Homo novus cantat canticum novum. Cantavimus nos, cantastis et vos, infantes, qui nuper ab ipso innovati estis. Et nos vobiscum cantavimus, quia eodem pretio redempti sumus. Quod

a) Ita codd. cum quarto casu. — *b*) Ita codd. *prov.* At infra *praev.*

1 Vocabuli *perpetualiter* protulit exemplum Cangius ex praecepto Caroli magni; nos aliud ex Remigio antissiodorensi in nostro glossario. Nunc denique tertium hoc accedit.

2 Sermo S. Augustini *de cantico novo* extitit in codicibus laureshamensibus, teste catalogo apud nos Spicil. rom. T. V. p. 164.

exigit caritas fraterna admoneam vos; non solum vos, sed etiam eos qui audiunt admoneo tamquam fratres et filios; fratres, quia una nos genuit ecclesia mater; filios, quia per evangelium ego vos genui. Bene vivite, dilectissimi filii, ut bonas causas de tanto sacramento suscepto habere possitis. Corrigantur vitia, componantur mores, suscipiantur virtutes, assit *a*) unicuique vestrum pietas, sanctitas, castitas, humilitas, sobrietas, ut tales fructus offerentes Deo, delectetur in vobis, et vos in illo. Gaudeamus et nos de profectu spei vestrae, videntes in vobis fructus mercedis spei nostrae. Diligite Dominum, quia diligit vos; frequentate hanc matrem quae genuit vos. Videte quid vobis contulerit haec mater, ut creaturam coniungeret creatori; servos, faceret filios Dei; mancipia diaboli, faceret fratres Christi. His tantis eius beneficiis non eritis ingrati, si ei dignum obsequium vestrae prae-
f. 133. a. sentiae exhibueritis. Neque poterit quispiam propitium habere Deum patrem, qui ecclesiam contempserit matrem 1). Haec ergo sancta et spiritalis mater cotidie vobis spiritales escas praeparat, per quas non corpora sed animas vestras reficiat. Panem vobis caelestem largitur, calicem vobis salutarem propinat, non vult quemquam filiorum suorum tali fame laborare. Agite pro viribus *b*), dilectissimi, non deserere tantam matrem, ut saturemini ab ubertate domus eius, et torrente deliciarum suarum potari vos faciat; assignetque Deo patri dignos filios, quos pie nutriendos ad aeternam vitam incolumes liberosque perducat; benedicentes Patrem et Filium et Spiritum sanctum, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

XCIII. UNDE SUPRA. SERMO DE RESURRECTIONE DOMINI.

Cod. vat. 1951. f. 134. a. vat. 1277. f. 2.

1. Resurrectionis dominicae veneranda sollemnitas cunctis hodie per orbem gloriosa resplenduit; cuius quanta sit divinitas quantaque maiestas, non est opus nostri sermonis patrocinio praedicari. Neque enim haec ut ceterae festivitates in aliqua tantum mundi parte celebris habetur; nec aliquibus quasi peculiaris laetitia indicitur recolenda; sed totum quicquid usquam est una complectitur, totum tenet ac possidet; et generali quodam gaudio caelum terras tartarumque perlustrat. Non ergo, ut diximus, mortalis linguae eget commendatione, quae per se caelesti est praedita virtute. Succumbit eius celsitudini omne humanae vocis praeconium, quae laudibus ineffabiliter extollitur angelorum. Ne tamen huius sanctae multitudinis devotionem et fidelissimam pietatem, debita verbi divini consolatione fraudemus, conemur aliquid dicere, si possumus. Resurrexit hodie Christus, exultet omnis mundus. Par enim est, ut sicut omnis creatura luctivaga 2) doluit ploratu in morte creatoris sui, sic gaudeat in resurrectione domini sui; et quae funereae noctis obscuro prosecuta est exequias in cruce

a) Ita cod. pro *adsit*. — *b*) Codex uterque *vobis*, quod corrigendum iudicavi.

1) Etiam in sermone tertio ad catechumenos n. 13. (Tom. VI. p. 431) celebrem hanc sententiam dicit Augustinus: *nec habebit Deum patrem, qui ecclesiam noluerit habere matrem.*

2) Animadverte vocabulum *luctivagus* ab utroque codice adsertum.

morientis, nunc triumphalem ab inferis reditum laeta suscipiat resurgentis. Christi enim hodie resurrectio maledictum solvit antiquum, quod per Adam ad omnes eius posteros tristi mortis sententia decurrit: terra es et in terram ibis *. Ecce resurrexit ab antro sepulchri rediviva caro phoeni- * Gen. III, 19.
cis 1), quam cinnama decoxerant pietatis. Granum frumenti, quod solum in f. 134. b.
terra mortificatum est in passione, multum fructum attulit in resurrectione. Solus enim mortuus est, sed solus minime surrexit. Quorum enim sepulchra in eius passione sunt patefacta, horum corpora Christo resurgente sunt de pulvere suscitata. Decebat enim ut ille primus resurgeret, deinde illi; sicut apostolus dicit *: Christus resurrexit a mortuis primitiae dormien- * I. Cor. XV 19.
tium. Et sicut cum Domino surrexerunt, ita cum eo ascendente etiam ipsi ascendisse creduntur.

2. Ferunt autem physici natum leonis catulum tribus dormire diebus, tandemque die tertia magno parentis rugitu excitatum exurgere 2). Solet ergo divina scriptura Christum catulum appellare leonis. Denique Iacob patriarcha sub typo Iudae de Christo ita vaticinatus est *: catulus leonis Iu- * Gen. XLIX. 9.
da; ad praedam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti ut leo et quasi leaena. Quis suscitabit eum! Christus ergo in passione quasi leo accubuit, et in morte requievit, quia alacriter et magnae constantiae fiducia passionis agonem peregit; utpote qui ipsam mortem in potestate habebat; non necessitate, ut ceteri homines, sed voluntate mortem suscipiebat. Collocatus ergo in sepulchro, ibique triduo quasi leo robustus atque imperterritus iacuit, securus de mox futura resurrectione. Sed quis suscitabit eum? Quis? nisi pater validissimo rugitu a somno illum excitans mortis? Qualis vero fuerit iste rugitus, psalmista docet ex persona patris loquens ad filium: exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara *; id est omnium chorus vir- * Ps. LVI. 9.
tutum. Moxque ille respondet: exurgam diluculo. Mane enim prima sabbati Dominus resurrexit, et nobis membris suis spem resurgendi quandoque donavit. Omnes siquidem fideles verissime credunt, membra se esse Christi, qui est caput corporis ecclesiae. Si ergo membra Christi sumus, * Rom. VI. 8.
liquet profecto, quia cum eo moriente mortui sumus, cumque eo surgente surreximus, apostolo dicente *: si mortui sumus cum Christo, credimus * Coloss. III. 1.
quia simul vivemus cum ipso. Et iterum: si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite; omnium enim revixit saluti, qui pro omnium peccatis addictus est passioni.

3. Novum quidem est miraculum resurrectio Salvatoris, sed multiplici-

1) Symbolum resurrectionis phoenix apud ipsum Augustinum de anima et eius orig. lib. IV. 33. Hinc phoenix visitur interdum in sacris Romae musivis, nec non in vetere sanctae Felicitatis M. pictura ad Titi thermas, cuius nos exemplum, dum adhuc incolumes colores essent, fideliter expressum domi servamus.

2) Ne quis putet rem hanc de recentioribus physicis sumptam, en locum Origenis, Rufino interprete, in homilia XVII. in gen. cap. XLIX. 9. ad illa verba: *catulus leonis etc. quis suscitabit eum?* Sic diserte nimirum scribit. *Physiologus de catulo leonis haec scribit, quod cum fuerit natus, tribus diebus et tribus noctibus dormiat; tum deinde patris fremitu vel rugitu tanquam tremefactus cubilis locus, suscitet catulum dormientem.* Legatur etiam Epiphanii physiologus cap. 2. cum animadversionibus.

bus figurarum symbolis in sanctorum actibus ab ipso est nascentis mundi
* IV. Reg. XIII. 21 exordio praesignata. Ut enim de multis uno utamur exemplo; Helisaeum prophetam accipimus * iam defunctum, iam tumulo conditum suscitasse mortuum. Cum enim cadaver hominis defuncti ad tumulandum ferretur, territi funeris baiuli repentino latronum superventu, proiecerunt cadaver hominis in sepulchro Helisaei; quod ut tetigit ossa eius, revixit homo, et stetit super pedes suos. Quem in hoc facto Helisaeus, qui interpretatur Deus meus salvator 1), quem alium nisi dominum designat Salvatorem, qui humano generi sua morte resurrectionem largitur, et vitam sepultus operatur? Igitur quia Helisaei prophetae semel fecimus mentionem 2), aliud
* IV. Reg. cap. 4. quoque factum eius non tam mirum quam mysticum breviter nos retexere non pigeat *. Cum enim absente Helisaeo filius Sunamitidis *a*) mulieris fuisset defunctus, et mater ad eum profecta, miserae orbitatis querelis
I. 135. a. sanctum virum obrueret, ille Giezi puerum suum cum virga misit, praecipiens ut super cadaver exanime virgam poneret *b*). Sed cum mortuus non assurgeret, idque Giezi viro Domini renunciasset, venit ille, et sublata virga incurvavit se septies *c*) super puerum, et reversa est anima pueri in viscera eius et revixit. Quem in hoc facto mirabili Helisaeus nisi Dominum salvatorem praemonstrat *d*)? Quem puer Giezi *e*) nisi Moysem designat, qui in omni domo eius fidelissimus fuit? Quid vero virga, nisi legem designat? Misit Helisaeus Giezi cum virga; misit Dominus Moysem cum lege, quae peccantes severissima ultione feriret. Posuit Giezi virgam super mortuum, et Moyses legem peccatis opposuit. Sed mortuus non surrexit, quia lex Moysi peccata ostendere potuit, non sanare. Venit postea *f*) Helisaeus, virgam sustulit, super mortuum se inclinavit, quia illa maiestas, illa ineffabilis gloria, filius videlicet Dei, aequalis patri, ad terras descendit, severitatem legis abstulit, gratiam misericordiae paenitentibus praerogavit; accepit formam servi, contemperavit se per omnia nostrae fragilitati, ipsam quoque mortem, quae peccatum superduxerat, absque peccato suscepit; sed morte sua mortis imperium destruxit; et die tertia resurgendo carnem immortalem iam atque incorruptibilem de sepulchro levavit.

4. Exultemus ergo, Fratres, in Domino, et mortis triumphatori intimo mentis omniumque sensuum iubilo gratias agamus, qui nos de tenebris
* I Petr. II. 9. vocavit in admirabile lumen suum *, et de potestate diaboli erutos trans-
* Coloss. I. 13. tulit in regnum filii caritatis suae *. Sed haec nostra laetitia non debet similis esse mundanae, nec more vulgaris turbae plausibus insanis et luxu-
* I. Cor. V. 7. riosis exagitari conviviis. Etenim ait apostolus *: pascha nostrum immolatus est Christus. Cum ergo Christus sit nostrum pascha sanctum et divinum, sanctis et divinis est gaudiis celebrandum. Ait alibi idem aposto-

a) Codd. *Sunamitis*. — *b*) Alter cod. *posuisset*. — *c*) In altero codice deest *septies*. Certe vulgatus lat. habet potius quod *puer oscitavit sexies*. — *d*) Alt. cod. *designat*. — *e*) In alt. cod. *Giezi eius* — *f*) Alt. cod. *ergo* pro *postea*.

1) Scilicet ex duobus hebraicis vocabulis cum suffixo, [illegible] et [illegible].

2) Sumpsit hanc fortasse imaginem Augustinus ex parente suo spiritali Ambrosio, qui in epistola LXXXI. 7. similiter quodammodo de hoc Helisaei miraculo scribit.

lus*: si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Ergo et nos spiritalibus *a*) spiritalia comparantes, expurgemus vetus fermentum; id est exuentes veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis. Contempnamus igitur mundum, cuncta terrena et in imo iacentia despiciamus, et enitamur ad ea quae sursum sunt, omnemque nostram intentionem ad aeterna et caelestia dirigamus, et cursu praepeti de huius peregrinationis exilio ad paradisum, illam nostram felicissimam patriam festinemus; ubi concives 1) angelos, ubi sanctos socios et consortes inveniemus. Nam pascha hebraea lingua, transitus dicitur latina. Ergo, Fratres, transeamus de vitiis ad virtutes, de temporalibus ad aeterna, de caducis ad perpetua. Tali enim modo hebraei dici et esse merebimur, quia hebraeus transitor 2) interpretatur. Et tunc digne pascha celebrare poterimus, si hunc transitum in nobis ipsis perficere studuerimus.

* Coloss. III. 1

5. Modus sane quo pascha sollempnizandum 3) sit, in lege Moysi Iudaeis praescribitur observandus. Sed et nobis, si spiritaliter verba ipsa discutiamus, quid agendum, et qualiter verum pascha celebrandum sit, nihilo minus est intimatum. Ait enim inter cetera*: sic autem comedetis illud; haud dubium pascha; renes vestros accingetis, calciamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinantes. Qui ergo pascha digne vult agere, renes accingat, hoc est fluxa carnalium voluptatum, castitatis zona coherceat. Calciamenta in pedibus habeat, hoc est sanctorum patrum exemplis gressus suorum operum muniat, quo impedimenta obviantium temptationum, tamquam asperitates itinerum, illaesus pertranseat; venenata animalia calcaneo nostro insidiantia securo pede proculcans, innocuus evadat. Baculum in manu teneat, hoc est pastorali moderamine sibi et his quibus praeest invigilare satagat. Considerandum vero attentius quod sequitur. Comedetis festinantes. Praecepta enim dominica non desidiose aut negligenter et quasi transeundo sunt audienda, sed studiose memoriae commendanda, et tota boni operis festinatione implenda sunt. Scriptum est enim*: maledictus qui facit opus Dei negligenter. Hinc per prophetam de conversis gentibus, et panem verbi Dei summa aviditate gustare quaerentibus dicitur: aperient ora sua, sicut pauper edens in occulto. Taliter ergo nobis pascha celebrantibus, ipse quoque dominus ac redemptor noster nostris gaudiis delectabitur interesse; ipse sacrosanctum corpus suum suo corpori, nobis videlicet, dignabitur salubriter ministrare 4).

* Exod. XII. 11

* Hier. XLVIII. 10

6. Curemus ergo qui huic summae festivitati dominicae resurrectionis intersumus, ne ab illo caelestis laetitiae gaudio separemur. Quid enim proderit interesse festis hominum, si, quod Deus avertat, deesse contigerit

a) Cod. unus prope constanter *spiritual*. Alter variat, et melius, *spirital*.

1) Adde hoc apud Forcellinum Tertulliani exemplo vocabuli *concivis*.

2) Forcellinus unicam Ammiani Marcellini auctoritatem pro hoc vocabulo *transitor* citabat.

3) Verbi *sollemnizo* exempla non admodum antiqua proferebat Cangius.

4) Recole simile dictum Augustini apud nos retro in sermone LXXXI. 2. p. 160.

festis angelorum? Omnia quae temporaliter celebramus, imago quaedam sunt illius supernae sollempnitatis et gaudii, quod ab angelis in caelis colitur, non anniversario temporum recursu, sed continuo semper manentis laetitiae statu. Nam et ideo resurrectionem Domini, vel reliquas sollempnitates celebramus, ut his admonitus *a*) animus, illam supernae patriae beatissimam festivitatem cogitare incipiat, ubi est plena et perfecta laetitia, gaudium indeficiens, quod nullus timor deterret, nulla sollicitudo confundit; ubi requies secura, securitas certa et omni delectatione plenissima. Ibi dabitur nobis cernere regem Christum nostrum ad paternae maiestatis dexteram consedentem; tuncque ad thronum gloriae eius cum fiducia poterimus accedere, in quo carnem nostram immortalem iam atque deificam subiectis virtutibus et potestatibus videbimus imperare. Ipse est enim Deus Dei filius, ipse et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram; cui est cum Deo patre laus et benedictio in unitate Spiritus sancti per omnia saecula saeculorum. Amen.

XCIV. EIUSDEM 1) UNDE SUPRA. IN OCTAVIS PASCHAE.

Cod. vat. 4951. f. 112. b Ottob. 977. f. 300. b.

1. Nec novum nec inauditum, sed fidei vestrae manifestum esse non dubito, sicut ex parentibus homines carnaliter nati sumus, ita nos ex Deo patre et matre ecclesia spiritaliter nasci. Idem tamen dominus Deus et ex illis parentibus noster creator est, et ex se atque ecclesia recreator 2). In illa generatione peccati vinculum trahitur, in ista solvitur. Ibi gignimur ut morituris parentibus succedamus, hic ut sic manentibus haereamus. Itaque si filii hominum, qui nascendo praecedunt nascentibus in domo, fratribus suis germana caritate congaudent, magis ex eodem sanguine gratulantes consortibus lucis, quam invidentes divisoribus hereditatis, quanto amplius atque sincerius collaetari nos oportet, cum idem filii hominum per gratiam sancti baptismi regenerati fiunt filii creatoris sui, cum ad illam hereditatem nascamur, quae possessoribus suis et omnibus integra est, et singulis tota. Dominus, inquit, pars hereditatis meae *. Si ergo, ut dicit propheta David, hereditas nostra ipse Deus est; et ut dicit apostolus Iohannes *, Deus caritas est; et ut dicit apostolus Paulus *, caritas non aemulatur; quanto plures consortes et socios ad talem hereditatem obtinendam annasci nobis videmus, tanto uberiore caritate laetamur, quibus ipsa caritas possidenda proponitur. Ubi enim hereditas ipsa dilectio est, indicat se non esse heredem, qui non diligit coheredem. Itaque illa quae adiuvante Domino sumus ad eos locuturi, quorum octavus baptismi dies hodiernus peragitur, eo libentius amplectimini, quo exultatis, eos vobis

* Ps. XV. 5.
* I. Ioh. IV. 8.
* I. Cor. XIII. 4.

a) Codd. *anim.*

1) Medius est in codicibus nostris hic sermo inter Augustini vigesimum tertium a Denisio Vindobonae editum, et maurinum ed. CCLIX. Ibi ergo praeclarus hic sermo interponendus in futuris Augustini editionibus erit.

2) Sensu proprio: *qui rursus creat.*

novella germanitate coniungi; simul ut etiam catechumeni, quos iam nonnullo sacramento 1) mater concepit ecclesia, desiderio novae lucis urgeant eius viscera, et perfici nascique festinent.

2. Eo potissimum ipsarum sollemnitas octavarum 2), quae toto terrarum orbe quaquaversum gentes Christi nomini salubriter subiugavit, ab omnibus per baptismum eius regeneratis devotissime celebratur. Quid ergo sibi velit, et quae sit ratio tanti mysterii, adiuvante Domino, paucis commemorare conemur; quod nostrae fidei regulis convenire, christiana mecum eruditio vestra consideret. Quis enim nesciat, ab iniquitatibus quondam diluvio terra esse purgatam? mysteriumque sancti baptismi, quo per aquam cuncta hominis peccata delentur, iam tunc fuisse praedicatum? ubi arca lignis imputribilibus fabricata, qua figurabatur ecclesia, octo tantum ho- I. Pet. 3. 20.
mines continebat. Quod ergo in aquis diluvii, quibus peccata restincta sunt, testatur octonarius numerus hominum, hoc in aquis baptismi, quibus peccata delentur, contestatur octonarius numerus dierum. Facta enim aliquid significantia, sonis oris nostri comparantur. Sicut ergo una eademque res multiplicibus verbis et linguis varie dici potest, ita una eademque res non tantum vocibus sed et figuratis factis multis et variis sine ulla supermutatione 3) significari solet. Quam ob rem non quia ibi octo sunt homines, hic autem octo dies, aliud atque aliud, sed id ipsum aliter atque aliter, dissimilitudine signorum, quasi litterarum diversitate, nunciatur.

3. Octonario itaque numero praefigurantur quae ad futurum saeculum pertinent, ubi nullo volumine temporum seu deficit seu proficit aliquid, sed stabili beatitudine iugiter perseverat. Et quoniam istius saeculi tempora septenario numero dierum per circuitum repetito dilabuntur, recte ille tamquam octavus dicitur dies, quo post labores temporales, cum pervenerint sancti, nulla vicissitudine lucis et noctis actionem requiemve distingunt *a*); sed eis erit perpetuo vigilans quies, et actio non segniter sed infatigabiliter 4) otiosa. Sicut autem sanctis septenario tempore transito, octava est et aeterna felicitas, ita impiis eadem septenaria volubilitate transacta, octavum est poenale iudicium. A quo se liberari cupiens ille in sexto psalmo, cui pro octavo *b*) inscribitur titulus, infirmitatem suam gemebundus allegat *c*) dicit: Domine ne in indignatione tua argueris me, neque in ira tua emendaveris me. Rursus in undecimo psalmo, ubi pro octavo identidem 5) inscriptio est, demonstratur pro ipso praemio vitae aeternae, omnes adversitates huius saeculi esse tolerandas; ne cum abundare coeperit iniquitas, refrigescat caritas: et qui non perseveraverit usque in finem, salvus

a) Sic prisca orthographia pro *distinguunt*. — *b*) Ita codd., non *octava*. — *c*) Cod. *alligat*.

1) Catechumenorum sacramentum memorat Augustinus de bapt. contra Don. lib. IV. 28. Catechumeni inungebantur, Aug. tract. XLIV. 2. in Ioh. Sed de illorum initiatione diserte loquitur Augustinus de catech. rud. n. 50.

2) De die octavarum sermo legebatur in codicibus laureshamensibus, ut apud nos in Spic. T. V. p. 167.

3) Habemus heic novum lexicis inserendum vocabulum *supermutatio*.

4) Adde hoc Augustini alterum adverbii *infatigabiliter* exemplum lexico Forcellini.

5) Nota *identidem*, pro *pariter*.

non possit esse. Cum enim quisque requiescere voluerit in aliis hominibus, atque in multis in quibus minime putabat, invenerit fallacias et dolos, et vanam superbamque iactantiam, bonum illi est ut respiciat in octavum sempiternumque diem, ubi eius secura laetitia nullius iniqui societate sauciabitur. Et dicat hic ingemiscens et orans cum lacrymis: salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutae sunt veri-
* Ps. XI tates a filiis hominum; sic enim psalmus * ipse incipit; sed in spe certa oret secundum eiusdem psalmi ultima eloquia. Sic enim terminatur: tu Domine servabis nos, inquit, et custodies nos a generatione hac in aeternum; tamquam incipiens a septimo perducensque in octavum, de gloria in gloriam 1) tamquam a Domini spiritu.

* Is. XXVII. 5. 4. Quid est enim quod et alibi per prophetam * promittit pacem super pacem? nisi quia et sabbatum quod septimo die significatur, quamvis eodem dierum temporali contineatur volumine, habet utique requiem, quae in hac terra sanctis promissa est; ubi eos nulla huius saeculi procella sollicitet, post opera bona requiescentes in Deo suo. Quod ut tanto ante significaret, postea quam fecit omnia bona valde, die septimo etiam ipse
* Iob. V. 19. requievit. An propter aliud in libro sancti Iob scriptum est *: sexies de necessitatibus erui te, et in septimo non te tangit malum? Sed propterea ille dies iam non habet vesperam, quia sine ullo incursu atque obnubila-
f 153. b. tione 2) tristitiae, quae plerumque de hominum malignorum permixta conversatione suffunditur, traicit sanctos in octavum diem, hoc est beatitudinem sempiternam. Aliud est enim inter ipsa adhuc tempora requiescere in Domino, quod die septimo id est sabbato significatur; aliud autem transscendere omnia tempora, et in artificem temporum sine ullo iam fine componi, quod octavo significatur die, qui non volvendo cum ceteris, aeternitatis indicium se habere declarat. Septem quippe istis continuis successionis repetitione volventibus 3), omnium temporum circuitus peraguntur. Amici autem huius mundi non significationibus horum dierum figurantur: non enim desiderant in septimo requiem sabbati spiritalis, unde possit etiam eorum in octavam aeternitatem porrigi intentio; sed ipsis transitoriis celebrationibus dediti, deserto creatore, ad creaturam colendam labuntur, et impii fiunt. Unde consequenter subiecit ille qui cantat pro octavo; et
* Ps. XI. 8. cum dixisset *: tu Domine servabis nos, et custodies nos a generatione hac in aeternum; adiunxit statim: in circuitu impii ambulant; temporalibus scilicet rationibus subditi, aeternum sapere nsscientes.

5. Et in his quidem diebus in quibus quaedam significatio figuratur, idem invenitur octavus, qui primus est. Nam ipse dicitur prima sabbati 4)

1) II. ad Cor. III. 18. *a claritate in claritatem*. Sed enim notissimum est citari ab Augustino solere versionem illam, quam ipsemet italam veterem appellat. Id autem alibi a me repeti, inutile foret.

2) Accipe gratanter novum genuinumque vocabulum *obnubilatio*.

3) De septenarii, sive sacri sive civilis, celebri apud veteres virtute et usu, dixi olim breviter ad Philonis opusculum *de honorandis parentibus*, quod ex florentino codice extuli.

4) Id est *prima hebdomadae die*. Nam sabbatum pro hebdomada interdum usurpatur in ss. bibliis.

dominicus dies; sed ipse primus secundo succedente decedit. In illa revera, quam iste octavus primusque significat, et prima est aeternitas, quam in origine primorum parentum peccando deserentes, in istam mortalitatem devenimus; et ultimam quasi octavam, quam post resurrectionem novissimam inimica morte destructa repetimus, ut corruptibile hoc induat incorruptionem, et mortale hoc induat immortalitatem; et rediens filius recipiat stolam primam, quae illi post longinquae peregrinationis laborem, pastionemque porcorum, et ceteras vitae mortalis aerumnas, et septenarios circulos temporum, eadem novissima et tanquam octava reddatur. Non ergo immerito etiam ipse Dominus noster primo eodemque octavo die dominico, demonstrare dignatus est in carne sua etiam corporalis resurrectionis exemplum; qui non iam moritur, et mors ei ultra non dominabitur. Ad quam eius exaltationem per humilitatem tendere debemus. Nam eam proponens discipulis duobus quaerentibus, et sedere uno ad suam dexteram, et altero ad sinistram desiderantibus, dixit *: potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? ut intelligerent ad celsitudinem, viam a convalle plorationis ordiendam; nec se dignos effici ad capiendum caeli fastigium, nisi prius non dedignarentur crucis opprobrium. * Matth. XX 22.

6. Nam et ipse ultimus versus undecimi psalmi, cuius pro octavo titulus praeminet: Domine, secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum; eidem domino Iesu Christo dictus convenienter accipitur, qui in se filio Dei et filio hominis, filios Dei faciens filios hominum, eos in hac terra paucos prae abundantia peccatorum, et tanquam grana in area prae multitudine paleae, quae velut sola sit undique videtur, ipsos latentes et paene non apparentes, in caelesti Hierusalem multiplicat secundum altitudinem suam, vocans ea quae non sunt tamquam sint. Et de qua altitudine? Quia caecitas ex parte in Israhel facta est, ut plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israhel salvus fieret. Exclamatum est ab apostolo dicente *: o altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Non ergo quaeramus ruinosas altitudines temporalium sublimitatum *a*). Mortui enim sumus, et vita nostra abscondita est cum Christo in Deo *. Cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria. Perseveret itaque intentio in octavum, ubi transacto omni circuitu temporum ambulant impii. Quoniam conversatio nostra in spe praecedit in caelum, vivamus cum Christo in Christo, aequales angelis Dei, et participes illius aeternitatis effecti, qui nostrae mortalitatis non recusavit particeps fieri. Nam sicut in octavis sacramentorum, post septem dies octavus est, ita in sacramento pentecostes post septem septimanas, quas quadragesimo et nono die concludimus, idem octavus additur, ut quinquaginta compleantur; unus in minore numero, et idem unus in maiore. Aeternitas enim, cuius habet signum iste octavus dies, nec augeri nec minui potest; et semper ibi hodie est, quoniam non aliquid alicui decedenti succedit. Et hodiernus

* Rom. XI 33 · C. III. a. · * Coloss. III. 3.

a) Uterque codex *sullimitatum*, ut alibi vidimus p. 135. *sullevari*; quia videlicet labdacismus Afris placebat.

ille dies, nec a fine inchoatur hesterni, nec ad principium crastini terminatur, sed semper hodiernus est; quoniam omnia praeterita, illo non occidente, transierunt; et omnia futura, illo non nascente, ventura sunt.

7. Praeterita itaque obliviscentes, et in ea quae ante sunt vos extendentes, secundum intentionem sequentes ad palmam supernae vocationis, Fratres et Filii karissimi, etiam cum sacramentorum signacula posueritis, huius diei sempiterni spem semper in corde gestate; vestesque nitidas 1) per quas in novitate vitae vestrae lucidum germen in memoria vobis tanquam verbo visibili scribitur, ita mutate, ut illud quod indicant non mutetis, fidei luce et veritatis effulgens; nullisque morum perversorum sordibus maculetur: ut in illo die non nudi inveniamini; et a gloria fidei in gloriam speciei sine ulla difficultate transeatis. Cum autem quod hodierno die sollemniter geritur, ex istis cancellis 2), quibus vos a ceteris distinguebat spiritalis infantia, populo permixti fueritis, bonis inhaerete; et mementote, quia pervertunt mores bonos colloquia prava. Sobrii estote, iusti, et nolite peccare. Desponsavi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo; et timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et vestri sensus corrumpantur a castitate Dei, quae est in Christo. Amicitia quae est huius mundi adulterat animas, et fornicare 3) facit ab uno et vero et legitimo coniuge, a quo anulum sancti Spiritus accepistis. Cavete viam latam, quae ducit ad interitum, et multi sunt qui ambulant per eam. Nolite deficere in angusta via, cuius finis est aeterna latitudo. Et si quando, quod de humana vita huius saeculi fluctibus necesse est contingat, in temptationes varias incideritis, multorumque hominum iniquitatibus circumlatrati fueritis, cum perseverantia fidei, et gaudio spei, et ardore caritatis,
* Ps. XI 2 cantate pro octavo et dicite *: salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum; vana locutus est unusquisque ad proximum suum.

8. Vos autem filii hominis, iam facti filii Dei, quo usque graves corde? Nolite diligere vanitatem, et quaerere mendacium, et nullum locum dabitis diabolo. Nec unusquisque vestrum, cum inter tumultus temptationum et scandalorum incussus a) haeserit Christo, et verbum Dei amplexus immobilis steterit, se solum granum esse arbitretur, quia undique palea circumvallatus non videt consortes horrei sui. Respiciat, illis etiam temporibus, ante quam fusus esset in terra sanguis Christi, pretium orbis terra-
* III Reg. XIX 14 rum, Helia sancto dicente *: ego relictus sum solus; fuisse responsum:
I. 18 b. reliqui mihi septem milia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal. Quae septem milia cum illo, quando adhuc in huius saeculi area triturabantur, nondum se in massa tangebant; et ideo sibi singuli soli esse videbantur. Uberior massa est in omnibus gentibus, quae servabitur Domino,

a) Ita uterque codex; quae lectio non est improbabilis; nisi quis mavult *inconcussus*.

1) Scilicet hinc dicitur *dominica in albis*.

2) Cancellos dicit qui olim in ecclesiis catechumenos separabant a baptizatis.

3) *Fornico* terminatione activa, pro *fornicor*.

et custodietur a generatione hac et in aeternum; quia occulto consilio secundum altitudinem suam multiplicabit filios hominum.

XCV. EIUSDEM UNDE SUPRA IN OCTAVIS PASCHAE.

1. Hodierna lectio sancti evangelii iterum manifestavit dominum famulis, Christum apostolis, et discipulum convincit incredulum. Unus enim ex duodecim discipulis apostolus Thomas, non solum mulieribus, sed nec viris nuntiantibus resurrectionem domini Christi accommodavit assensum. Et certe apostolus erat mittendus cum praedicatione evangelii. Quando ergo coepit postea praedicare Christum, quomodo volebat sibi credi quod ipse non crediderat? Puto quia sibi erubescebat, quando infideles increpabat 1). Dicunt ei condiscipuli eius, coapostoli utique, vidimus Dominum. Et respondit ipse: nisi misero manus meas in latus eius, et tetigero loca clavorum, non credam. Fidem sibi fieri volebat tangendo. Si enim Dominus venerat ut tangeretur, quomodo ergo in ea lectione, quae superius legitur, dicit ad Mariam: noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem? Feminae credenti dicit, noli me tangere, viro non credenti dicit, tange. Iam enim Maria occurrerat ad sepulchrum, et primo Dominum stantem putaverat hortulanum, et dixerat: Domine, si tu eum abstulisti, dic ubi posuisti eum, et ego illum tollam. Respondebat autem illi Dominus nomen suum, Maria. Continuo illa Dominum agnovit in voce nominis sui. Ille vocavit, et illa cognovit. Felicem fecit vocatione, dando cognitionem. Continuo ergo ubi audivit nomen suum ab illa auctoritate et lingua qua solet, et ipsa respondet quod solet, raboni. Iam ergo crediderat Maria; et dicit Dominus ei, noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem.

Cod. vat. 4951. f. 145. a
Ottob. 977. f. 315. a.
* Ioh. XX. 25.

2. Modo autem in ea lectione quae recentissima sonuit in auribus vestris, quid audistis dicentem Thomam? Non credo, nisi tetigero. Et Dominus ad ipsum Thomam: veni, tange, mitte manus tuas in latus meum, et noli esse incredulus sed fidelis. Ego me, inquit, si parum putas quod praebeo oculis tuis, praebeo me et manibus tuis. Forte enim ex illis es qui cantant in psalmo*: in die tribulationis meae Dominum exquisivi, manibus meis nocte coram eo. Quare manibus quaerebat 2)? Quia nocte quaerebat. Quid nocte quaerebat! Tenebras infidelitatis in corde gestabat. Factum est autem hoc non solum propter se, sed et propter illos qui veram carnem Domini fuerant negaturi. Poterat enim Christus vulnera carnis suae ita sanare, ut nec vestigia cicatricum paruissent. Poterat ergo non ferre clavorum vestigia in membris suis, non ferre vestigium vulneris in latere suo. Sed illae in carne cicatrices esse permissae sunt, ut in cordibus hominum vul-

* Ps. LXXVI. 3
f. 145. b.

1) Augustinus in serm. ed. CCLVIII. 3. *Evangelistae tibi (Thoma) adnuntiant, et non credis? ipsis credidit mundus, et non credit discipulus? Credit totus mundus, annuntiant omnes uni, et non credit.*

2) Augustinus sibi belle consonans in huius psalmi explanatione n. 4. *Manibus quaerere, operibus quaerere. Quando hoc? nocte. Quid est nocte? in hoc saeculo.* Ibidem Thomae verba, et Christi responsum refert.

nus perfidiae tolleretur; et vulnerum signa, vera vulnera procurarent 1). Ille enim qui signa clavorum et lanceae in suo corpore esse permisit, sciebat futuros aliquando tam impios et perversos haereticos, qui dicerent dominum nostrum Iesum Christum et carnem *a*) fuisse mentitum, et discipulis suis et evangelistis nostris verba dixisse mendacia quando dixit: tange et vide. Ecce Thomas dubitat. Quomodo dubitat? Nisi tetigero, non credo. Vel *b*) fidem servat ad tactum; nisi tetigero, inquit, non credam. Putamus, Manichaeus 2) quid dicit? Et vidit Thomas, et tetigit Thomas, et loca clavorum palpavit Thomas, et falsa caro fuit. Ergo tunc si ibi fuisset, nec tangendo credidisset.

3. Intendat ergo caritas vestra horrendam perniciem, detestandam fallaciam, incredibilem impietatem. Videte quantum sit inter sanctam Mariam Magdalenen, quae cum audisset, Maria; ad unam vocem Christi credidit eum resurrexisse. Inter huius ergo fidem et illorum, qui mox ut viderunt in fractione panis Christum, continuo crediderunt, quid putamus distare? Quid? Illa quasi in subobscuro vidit, illi apertissime viderunt; tamen et (illi et) illa videndo crediderunt. Postea apparuit omnibus; putaverunt se spiritum videre. Tulit illis vanam opinionem, et inseruit certissimam veritatem. Putaverunt se spiritum videre. Hoc et Manichaei putant, spiritum fuisse Christum, carnem non fuisse. Remane et tu in tali fide, si voluit ibi Christus discipulos suos remanere. Qui putas spiritum fuisse Christum, et apparuisse in phantasma *c*), id est quasi carnem non fuisse veram in Christo, hoc et discipuli putaverunt: vulneratus es cum discipulis, sanare cum ipsis. Quando hoc discipuli putaverunt Christum spiritum fuisse, et quod videbant magis apparere quam esse, quid egit Dominus? Quid, inquit, cogitationes ascendunt in corde vestro? Nullus vobis hostis forinsecus venit, et interna cogitatio iugulat animas vestras. Vos de me cogitatis. Quid cogitationes ascendunt in corde vestro? Quales cogitationes? Quia putabant se spiritum videre. Tales cogitationes timet Dominus, ne occiderent fidem discipulorum. Ergo timete habere tales cogitationes. Quod timet medicus, non est inde securus aegrotus. Quid cogitationes ascendunt in corde vestro? Videte manus meas et pedes meos; palpate et videte, quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me videtis habere. Viderunt, et tetigerunt, et crediderunt. Annunciaverunt, et Manichaei adhuc contradicunt de Thoma non credo nisi tetigero? Ergo noli esse incredulus. Falsae erant cicatrices Domini, et vera sunt verba Manichaei? Absit a nobis. Immo vera Domini verba sunt, vera ossa ostendit Dominus: cicatrices verae: vera membra in caelum levavit; sed corruptionem in caelum non levavit. Caro inquit: mors mortua est.

4. Redeamus ad illam de sancta Maria quaestionem 3). Ecce tangitur a

a) Codd. *carne*. — *b*) Cod. vat. *vel*. Ottob. *ultra*. — *c*) Ita cod., non *in phantasmate*.

1) Confer serm. ed. LXXXVIII. 2. CXII. 4.

2) Vel hinc cognosce Augustinum auctorem, quoniam de Manichaeis loquitur nunc et in seqq

3) Possidius in indiculo cap. VIII. titulum sermonis S. Augustini scribit: *ex evangelio, ubi Dominus tangi se noluit a Maria.* Ibi autem Maurini

discipulis; palpate et videte quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me videtis habere. Tangitur a Thoma dubitante; exclamat, Dominus meus et Deus meus! Et ad illum Dominus, quia vidisti credidisti, beati qui non vident et credent 1). Quibus me annuncias, vincunt fidem tuam. Annuncias quod vidisti, annuncias quod tetigisti, annuncias quod videndo et tangendo f. 146. a vix credidisti; et tamen tibi crediturus est qui nec vidit nec tetigit. Vides me, et non credis mihi; tangis me, et vix credis mihi; alter audit te, et credit in me. Sed quaeris quid est quod Thomas permittitur tangere, et dicitur Mariae noli me tangere? Hoc loco ipse dixit causam; nondum enim, inquit, ascendi ad patrem. Quale est hoc? Hic es in terra, et prohibes te tangi. Cum ascenderis, quis te tangit 1)? In terra constitutus repellis proximam manum? Hoc loco possumus elegantissime suspicari et dicere: bene fecit Dominus infidelibus servare tactum suum; istam prohibet tangere, quia iam crediderat. Quid enim opus erat tangere et quaerere, quem audiendo cognovit? Sed tamen non tacuit. Postea dixit causam, noli me tangere. Quare? Nondum enim ascendi ad patrem meum. Ascendentem ad patrem tange. Quid est ascendentem ad patrem tangere? Aequalem patri tange. Quid est aequalem patri tange? Deum tange, id est in Deum crede. Facile est quod vides; forma servi est propter te assumpta; indumentum est Dei; non est magnum carnem videre. Viderunt et Iudaei qui occiderunt; non viderunt gentes et crediderunt. Ergo, inquit, quomodo vides me? in carne membra. Effigiem, quam nosti, quomodo vides? Noli me tangere, id est noli remanere ibi, noli usque illuc intendere; non hic sit finis fidei tuae. Volo quidem ut credas me hominem, sed noli remanere; extende fidei manum; noli ibi remanere 2).

5. Nec sic tangas quomodo tetigit Photinus haereticus 3), hominem dixit Christum esse, nihil amplius. Non ergo cepit, non intellexit, non tetigit: Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Illa ergo ne hominem tantum Christum putaret, noli me sic tangere; ante te vestimentum meum est; serva factum in caelo, mitte manum cordis, et tunc me tangis cum ascendo ad patrem. Sic tetigerunt qui confessi sunt. Ascendit in caelum, sedet ad dexteram patris. Ecce sic tangit ecclesia, cuius figuram portabat Maria. Tangamus Christum tangamus. Credere, tangere est. Noli usque ad hominem extendere manum. Dic quod dixit Petrus: tu es Christus filius Dei vivi. Non ergo tibi videatur solus homo Christus; quia si sic tetigeris ut

in margine ablegant nos ad serm. ed. CCXLIII. etc. Sed tamen multis locis hac de re disputasse Augustinum, nos docebimus in hac pag. adn. 2.

1) Confer eundem Augustinum tract. I. 3. in epistolam Iohannis.

2) Textus huius evangelici *noli me tangere, quia nondum ascendi ad patrem meum*, non ita brevem Sadoleti Cardinalis ad Clementem PP. VII. explanationem edidimus nos in Spicil. rom. T. II. p. 223-228. Sed tamen facta cum hoc nobilissimo Augustini sermone comparatione, videtur mihi Sadoletus homo, quamvis doctus et eloquentissimus, Augustinus autem tamquam Deus. Et quidem similiter explicat hunc locum Augustinus serm. edit. V. 7. CXLIII. 4. CCXLIII. 1. CCXLIV. 2. CCXLV. 2. CCXLVI. 4. Denique tract. CXXI. 3. In Ioh.

3) Augustinus serm. ed. CCXLVI. 4. *Quam multi antichristi extiterunt, qui dicerent ut Photinus, homo fuit Christus, plus nihil habuit, nam Deus non fuit. O Photine, in terra tetigisti, festinasti trangere, praecipitasti te; et ideo ad patriam non pervenisti, quia in via errasti.*

dixit haereticus, eris sicut Photinus. Sed iterum non vites hominem Christum, non ibi remaneas, dico ut non declines. Quid dico? Noli ibi remanere. Non pervenit ad mansionem, qui in via vult remanere. Surge, ambula: homo Christus, via tua est: Deus Christus, patria tua est. Patria nostra, veritas et vita: via nostra, Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Pigri eramus ad ambulandum, via ad nos venit. Quia via ad nos venit, ambulemus. Homo Christus, via nostra est. Viam non deseramus, ut attingamus ad filium Dei unigenitum, aequalem patri, trascendentem universam creaturam, coaeternum patri, sine die diem, opificem fidei. Propter hoc ambulemus, ut hoc tangamus.

6. Sic denique tetigit, quae fluxum sanguinis patiebatur 1). Qualis in ea fides fuit! ut diceret ei Dominus: iam prode te, et manifesta te in turba: consequere laudem, unde consecuta es salutem. Vade, filia, fides tua te salvam fecit; vade in pace. Quae fides? Si interrogas, audi. Dixit in corde
* Matth. XIV. 36. suo: si tetigero fimbriam vestimenti eius, salva ero *. Tetigit, ut quod crediderat consequeretur; non tetigit, ut quod non crediderat probaretur. Tunc Dominus interrogat dicens: quis me tetigit? Ergo ignoras, Domine, quis te tetigit? Cogitationem vides, et de actu interrogas? Quid est, quis me tetigit? Ego ostendam vobis quis me tetigit; fides me tetigit; ipsa fecit
f. 146. b. tactu suo virtutem ex me exire. Ubi non fui, ubi non ambulavi, ubi non sum natus, ibi in me creditum est: populus quem non cognovi servivit
* Ps. XVII. 45. mihi *. O tangere! o credere! o exigere! Et hoc mulier sanguineis passionibus fatigata, ut ecclesia in martyribus effusione sanguinis afflicta et saucia, sed fidei virtutibus plena; quae antea expendit substantiam suam medicis, id est diis gentium, qui eam nunquam curare potuerunt. Cui ecclesiae Dominus praesentiam suam non exhibuit corporalem sed spiritalem. Iam ergo et tangens mulier, et tactus Dominus noverunt se. Sed ut hi quibus opus erat scire salutem, tangere docerentur, ait: quis me tetigit? Et discipuli responderunt: turbae te comprimunt, et dicis quis me tetigit? quasi in aliquo excelso loco sis, ubi nemo te tangat, sic quaeris quis tetigit, quem infinitae turbae comprimunt? Ait Dominus: tetigit me aliquis: magis sensi unam tangentem, quam turbam prementem. Turba facile novit premere; utinam discat tangere!

7. Sermonis nostri conclusio sit 2), Fratres, ut dominum nostrum Iesum Christum ante Abraham, ante Adam, ante caelum et terram, ante angelos et archangelos et sedes et dominationes et principatus et potestates, ante omnia condita et facta, vel quae videntur vel quae non videntur, sine ullo temporis spatio, sine ullo annorum numero, coaeternum patri,

1) Sunt ipsa haec verba, *de muliere quae fluxum sanguinis patiebatur*, in titulo sermonis augustiniani, a Possidio in catalogo cap. VIII. memorati. Nam quod ibi in maurino textu additur: *et de Hieremia ubi dicit* etc., hic quidem posterior, sermo alius fuit, non idem ac de haemorrhoissa, teste codice Possidii vaticano, in quo probe distinguuntur. Conferatur autem de haemorrhoissa locus sermonis ed. LXXVII. 6.

2) Animadvertant theologi sequentem de Christi divinitate totaque oeconomia pulcherrimum Augustini tractum.

aequalem patri, verum unigenitum patris, virtutem et sapientiam patris esse credamus; pariter sempiternum, pariter immortalem, et veraciter immortalem, quia omnino incommutabilem; pariter invisibilem, quia incorporeum; pariter potentem, et ipsum omnipotentem. Talem credamus unigenitum filium Dei. Sed mementote cum dixerimus, et Iesum Christum filium eius unicum dominum nostrum, mementote quod sequitur: qui natus est de Spiritu sancto et Maria virgine. Natus est de matre sine patre deorsum in terris, qui iam sursum de patre ante tempora sine matre, tempora facturus, est natus. In carne vera nunc iuxta finem temporum de carne vera est genitus; sed caro eius similitudinem habebat carnis peccati, non erat caro peccati. Et unde similitudinem habebat? quia mortalis erat. Et unde peccati caro non erat? quia per fidem virginis venerat. Ipsa autem caro Christi, ipsa crevit, ipsa ad aetatem iuvenilem pervenit. In illa Christus esuriit, sitivit, manducavit, bibit, lassatus est, quievit, dormivit. In illa omnia haec; peccatum nusquam. In illa passus est, in illa manifestatus est homo latens Deus, quaerens in homine hominem, quaerens perditum per susceptum. In illa ergo pro ipso homine passus est indigna ab hominibus. Caro vera erat quae retenta est a Iudaeis; caro vera erat quae pascha cum discipulis manducavit; carnem veram colaphizaverunt Iudaei; carni verae spinas inposuerunt Iudaei; carnem veram in ligno suspenderunt increduli; carnem veram iam anima recedente lancea percusserunt infideles et miseri; carnem veram discipuli de ligno deposuerunt, et in sepulchro posuerunt; carnem veram resuscitavit veritas; carnem veram post resurrectionem discipulis ostendit veritas; carnis verae cicatrices manibus contrectantium demonstravit veritas. Erubescat ergo falsitas, quia vicit veritas. Amen.

XCVI. UNDE SUPRA 1). DE PAENITENTIA NINIVITARUM.

1. Eo tempore, Fratres karissimi, quo beatus Ionas 2) Ninivitarum civitatis praedicavit excidium, et illi cum perfecta compunctione ad paenitentiae medicamenta confugientes, tam fideliter de Dei misericordia praesumpserunt; putas qualis in sancto Iona tunc sensus remanserit ista cernenti? Nimirum quantum de Assyriis laetatus est, tantum de sua gente confusus est. Ninivitas quotiescumque laudasset, Abrahae filios mox lugebat: progenies Chanaan proficiebat, et Iacob semen errabat: hoc praeputium gentium inveniebat, quod illic circumcisio stulta perdiderat: inter Iudaeos sabbata nuda servantur, et inter gentes integra praecepta complentur. Quis enim Ninivitis Dei mysterium revelavit, quod ab eis possit ieiuniis statuta

Cod. vat. [illegible] Ottob. [illegible]

[illegible]

1) Praecedit in codicibus nostris sermo S. Augustini, qui est LXV. inter editos nuper Parisiis ex codicibus casinensibus, incipiens: *evangelica lectio;* qui est item *de paenitentia et Ninivitis.*

2) Sermones duo S. Augustini de Iona extiterunt in codicibus laureshamensibus, teste catalogo apud nos in Spicil. rom. T. V. p. 168. Immo et tertius p. 169, nisi hic forte alteruter ex superioribus erat.

poena dissolvi? Habuerunt consilium de Deo et homine: et dum nec Ionam mendacem, nec Deum cogitant esse crudelem; et prophetae crediderunt, et de Dei misericordia praesumpserunt. Quid non illa extorqueret afflictio, qua sitientia puerorum labra a mamillis suspensa sunt matris? qua steterunt greges vacuo praesepi ieiuni? Prout passa natura est, oratio erat vel mugitus animalium, vel vagitus infantium. Abundabat ibi ieiunii * siccitas, deformitas cineris, udus semper oculus et lingua proclamans: ubique caritas, ubique castitas et dilectio. Inter viros pax, inter mulieres silentium, inter ancillas et liberas differentia vel nulla vel grata. Unus diviti victus et pauperi, et aemulatione proiecta sub uno iugo constituti. Habitus erat unus in cunctis, unus in omnibus labor, quia danda erat omnibus una redemptio. Stabat circa postes inferni pallida multitudo; et si illuxisset dies, visuram se vesperam non credebant: si pervenirent ad vesperam, non sperabant lucis adventum.

* Codd. *ieiunus*.

2. Exivit, inquit, Ionas foras, expectans quid acciderit civitati. Foris ille computabat dies, illi intus enumerabant iniquitates. Sex hebdomadas in vigiliis, in ieiuniis, in fletibus militarunt. Timebat Ionas ne illorum merita reum se facerent falsitatis: ille aestum solis, isti solitudines non ferebant: ille parvum tugurium ex hederae 1) requirebat umbraculo, illi refrigerio lacrymarum extinguebant incendia criminum. Et ecce Ionae super caput tegmen viriditatis exaruit, et super crudeles Ninivitas misericordia floruit, et pietas pullulavit. Vidit enim Deus Assyrios paenitentes, et super Hierusalem Ninivae conversio complacuit. Stabat Ionas longe, timens culpam subire mendacii; paulatimque securitate timor, et indignatione clementia mutabatur. Resurrexit ergo civitas mortua, et evasit illum quem sibi Ionas indixit interitum. Putasne cives illius tunc exisse foras ad prophetam, et huiuscemodi cum eo miscuisse sermones? Congratulare, o beate propheta, quia per te miseri novam invenimus vitam, per te paenitentiae accepimus clavem. Exulta, medice, quia sanatus est quem curabas: nihil nobis es, credimus, omnino mentitus; nam ad vitam nos de mortis periculo liberasti. Quis te arbitretur esse fallacem? Cui si creditum non fuisset, paenitentiam utique nullus egisset. Ora ecce pro parvulis, qui tua praedicatione salvati sunt: consoletur te, hospes Dei, spiritus tuus. Sit pariter nobis festus hic dies, quo Deum tuum coepimus confiteri. Modo per te angeli laetantur in caelis, quia per te homines salvantur in terris.

3. Imitemur et nos, Fratres karissimi, paenitentiam Ninivitarum; et sic peccatis nostris Deo auxiliante renunciemus, ut numquam ad luxuriosas concupiscentias redeamus. Non sint in nobis simulata nec ficta suspiria, sed cum ingenti rugitu et gemitu sic curam peccatis studeamus adhibere praeteritis, ut semper simus solliciti de futuris. Si enim ad paeniten-

1) Animadverte lectionem *hedera* vulgati latini, pro *cucurbita* italae veteris; quam ceteroqui translationem sequi solebat Augustinus, qui de praedicta diversitate scribit ad Hieronymum in ep. LXXI. 5; et est locus satis famigeratus in Iona IV. 6, et sculptis quoque monumentis illustratus.

tiae portum fideliter humiliato et contrito corde confugimus, ad aeterna gaudia feliciter veniemus, praestante domino nostro Iesu Christo, cui est cum Patre et Spiritu sancto honor et imperium per omnia saecula saeculorum. Amen.

Monitum de sequente sermone.

Sermonem longissimum, et generis prope dramatici, de Iona ac Ninivitis, hoc loco post perbrevem superiorem, ponendum putavi, haud tamen ex eodem codice sumptum, sed ex longe antiquiore palatino vat. 210, *saeculi ferme octavi, ut eius excusum a me specimen docet. Codex autem hic pal. vat. nihil aliud continet, quam genuina alia Augustini opuscula XX, praeter Nicetae episcopi sermones duos de vigiliis sanctorum et de psalmodia. Et quidem hic noster* de paenitentia Ninivitarum *sermo adamussim in codice residet inter Augustini eiusdem sermonem ed. CCLI.* de paenitentiae medicina, *et alium Augustini item editum CCLII.* de utilitate agendae paenitentiae. *Ergo merito et vere Augustinus, tum argumenti tum loci proprietate, inter dictos duos iacere videtur. Et in primis quidem mihi mirum visum est, quod praecedens brevis sermo nihil aliud fere sit, nisi huius prolixi compendium, cum ipsis plerumque verbis excerptum. Atqui codicum duorum patriae longe diversae fuerunt, nempe vaticani olim Anglia (fuit enim roffensis); palatini Germania; utriusque demum postea communis populorum et doctrinarum patria Roma. Rursus mirabile mihi apparuit, quod hunc prolixiorem sermonem comperi esse in plurimis persimilem sermoni S. Ephraemii, qui syriace cum interpretatione prostat in editione assemaniana T. II. p.* 319; *latine autem tantummodo, et quidem paulo minus diffusus, in tomo III. lat. p.* 561, *quo in tomo Assemanus prolegom. p. LV. col.* 1, *ait se graece non reperisse hunc sermonem de Ninivitis, quo tamen in idiomate habuit Vossius, qui variantes graecas lectiones in suae Ephraemii editionis marginibus retulit. Atque hunc Ephraemii sermonem latine exhibuit etiam Combefisius in bibl. conc. T. II. p.* 265. *Sed enim, omisso iam Ephraemii sermone, ad nostrum redeundum est, quem esse Augustini valde suadet citatus codicis locus; et nihilominus non tam elocutio quae satis nitida decurrit, quam dramatica velut actio, et liberior conceptuum inventio, legentibus vix satis facient. Ceteroquin et Ephraemius syrus, qui simili plane more scribit, homo certe et gravis ac serius, et ab omni inepto ludo, haud minus quam Augustinus, alienus fuit. Attamen ille certe perpetuus ἀντιθέσεων usus, ab Augustini ingenio ac more prorsus non abhorret. Praetereaque lectio* cucurbita *p.* 200. *rei nostrae favet. Etenim Augustinus, ut nuper dixi, vetere itala utebatur. Quid autem vetat, quominus Augustini iuvenili adhuc eloquentia exultantis foetus fuerit, sicut ille pari ferme iure Susannae, quem retro impressimus? Nolo tamen acrius contendere, nolo coniecturis nimium indulgere; veritatem unice quaero, praeiudiciis ut spero carco, editionis meae amore non teneor. Ceterum* de Iona *sermones duo Augustini, immo et tertius, erant etiam (ut diximus p.* 191. *adn.* 2.*) in codicibus laureshamensibus. Fuitque oppido sollemne hoc et topicum concionandi argumentum ss. patribus. Ecce enim* de Iona ac paenitentia Ninivitarum *extant Maximi taurinensis sermones duo XC. et XC; Petri Chrysologi unus, id est XXXVII; Zenonis veronensis unus, id est XVII; Eusebii emeseni duo in calce homiliarii Alcuini; Fulgentii unus, nempe XVI; Basilii seleuciensis unus apud Combefisium B. C. T. II. p.* 284. *Denique magnus Chrysostomus in hoc ipso argumento amplifice versatus est, veluti in homiliis variis de paenitentia T. II, et homilia quinta ad pop. antioch., ne plures locos eiusdem vel aliorum enumerem. Habeant igitur lectores nostri hanc quoque de praedicto argumento facundam lucubrationem, sive Augustini si placet, sive certe antiqui concionatoris.*

XCVII. INCIPIT DE PAENITENTIA NINIVITARUM *a*).

Cod. palat. 210 f. 216. a.

1. Ninivitis Ionas a Deo missus advenit; et quia Deo cura est de omnibus, quos creavit, iudaeus homo fit propheta gentilibus; atque illa urbs populis magna vel spatiis, hebraeo praedicante mox parva fit; et male gloriosa civitatis ambitio, feliciter coartatur: nam nisi fuisset territa, laetificata non esset. Facta est ergo de pavore secura, de foeditate formonsa *b*), de tempestate tranquilla. Nec mirum si naufragium est passa terroris, quam propheta naufragus arguebat: sub quo fluctuaverat pelagus, fluctuavit et civitas: tremuit carina cum fugeret, timuit civitas cum doceret: huius terra expavit ascensum, cuius non tulit unda descensum. Mare oratione conpescuit, terram praedicatione correxit: passa est etenim Ninive pluvias lacrimarum, et cetus Ionae oratorium fuit: at vero sua civitas Ninivitis bestia profecto et ipsa erat, quoad usque corrigeretur. Nec aliunde doctor pariter atque discipuli, nisi oratione salvantur: ille ad regionem de regione transivit, isti ad aequitatem de iniquitate venerunt. Clamabat quasi ad utrosque superna iustitia: teneo vos, teneo: mei estis ambo: quo fugitis? Proiecerunt subito paenitentiae pallium; et ut ipsi evaderent, pro se lacrimas dimiserunt. Utrisque igitur clementer indultum est. Sed prius Ionas in fluctibus didicit veniam paenitentibus debere concedi: et ante quam in arva *c*) descenderet, in se accepit quomodo cum peccatoribus ageretur exemplum; ut sicut ipse de tempestate tutus exisset, sic eriperet civitatem de fluctibus peccatorum. Ergo in pelago ventum passus ipse mundanum, aperuit super civitatem cataractas oris sui, et inmisit super eam sancti Spiritus flatum, et statim in mentibus singulorum tempestatem salutis effecit.

f. 219. b (margin, beside "gus, fluctuavit et civitas")

f. 220. a.

2. Unus homo totius urbis fundamenta concussit, dum ingressus eam, interitum mox illi pro salutatione portavit. In gigantum civitate pusillus adstitit praedicator *d*), et cor principum vox privata perterruit: desperationis calicem emendationis affectione miscebat. Reges sub huius eloquio superbiam humilitate, luxuriam afflictione mutabant: circa omnem prorsus aetatem togis successerant *e*) panni, et cilicia vestimentis: senes cinere capita male cana texerunt: thesaurum suum dives aperuit, non ut iterum clauderet, sed ut pauperem faceret introire. Ionam faenerator audivit, et misericordiam de cautione largitus est. Audivit debitor praedicantem, et quod negare consueverat *f*), debitorem se esse confessus est: atque ita clamore sopito, lite cessante, erat ibi sola contentio sanctitatis, dum reddere debitor festinaret, et recipere creditor nollet. Quis, rogo, ibi fur, quis raptor alieni, ubi contemptor est sui? quas ibi delicias habebat caena *g*) regalis, ubi a lacte ieiunabat infantia? quis a vino *h*) ebrius, ubi aqua pecoribus est

a) Mira inconstantia in codice *Nineve*, *Ninivetae*, *Ninevitae*, *Ninive*, *Ninivitae*. Postremas lectiones, utpote vulgo usitatiores, retinemus. — *b*) Ita cod. et quidem ita comperi etiam in aliis priscis codd. v. gr. veronensi scholiorum ad Virgilium quae edidi. — *c*) Cod. 1. m. *arba*, 2. *arva*, quasi in litus e mari. — *d*) 1. m. *praedicatur*, 2. *praedicator*. Sed etiam codicis interpunctio post hoc vocabulum, veriorem lectionem confirmat. — *e*) Cod. *succenserant*. — *f*) Cod. *conseverat*. — *g*) Cod. *cena*. — *h*) Cod. *bino*.

S. Augustini Tab. IX.

negata? Conpungebantur meretrices, coniugia casta cernentes: scurriles abiecerant *a*) risum, et petulans flere discebat: nullus res proximi cupiebat; iacet aurum, et nullus invadit; patent thesauri, et nemo qui rapiat: magnum unicuique lucrum est suam animam custodire. Fures prophetam f. 250 b. audisse crediderim, et statim dominis quae celaverant furta monstrasse: occupatos ad salutem suam singulos, quae perdiderant, penitus non quaesisse: et qui furibus minabatur, se patiebatur quisque tortorem: miserebantur proximos, et se potius arguebant; et in tribulatione communi, sibi magis iudex erat quicumque, non alteri. Tunc totum homicida confessus est quidquid suppresserat, mortalis iudicis timore contempto. Tunc descendisti de tribunalibus quisque iura dictabas; et iudiciaria dignitate postposita, te magis sub iudicio esse sensisti, aut humanam protulisti qualem optabas ipse sententiam: misericordia seminabatur, ut redemptio meteretur.

3. Praedicatio Ionae peccata omnium ore suorum detexit auctorum, et confestim civitas nudata remansit a crimine. Dominos tunc sub illius voce non ambigam donasse celerem famulis libertatem: servos ingenuam dilexisse iustitiam, et honore dominos suspexisse maiore. Cilicio induta sedit matrona post sericum; nec ullam fraudem passa paenitentia est, quando delicata caro plagam de asperitate non sprevit. Ad niniviticam plane paenitentiam, umbram video esse quod flemus: in somnis videmur plangere, si illorum lacrimis comparemur. Nam humilitatis illud fuit veritas, hoc imago. Quis in hoc, quaeso, ieiunio quod sibi debebatur omisit? Nini- f. 251 a. vitae obtulerunt misericordiam, nos non inferamus violentiam: illi servis beneficia praestiterunt, nos parcamus aliquando vel liberis. Videre mihi videor quomodo civitatem illam propheta missus intravit, et quomodo peccatorum murum telis salubribus armatus inrupit. Posuerat Deus in huius voce terrorem, dederat ferramenta quibus putria quaeque secturus, gaudium in dolore portaret, et cum amaritudine dulcedinem ferret. Itaque artifex medicus urbem doloris ingressus, intellexit se eam caelitus suscepisse personam, non qui desperatam perderet civitatem, sed qui correctam potius custodiret. Et quod non hortatur leniter ad paenitentiam sed minatur, ostendit infirmum sanitatem quaerere sponte debere; et ultro remedium si mori formidat inquirere. Clausit populo illi salutis ostium, ut quantum pulsaret adverteret. At illi sententiam Ionae, conversione vicerunt; et iudicium emendatione solventes, ostenderunt paenitentiam nimiam habere virtutem, et quantum paenitens afflictionis indigeat ut misericordiam consequatur de peccato quod voluntate commisit.

4. Per totam denique civitatem Ionae sermo tamquam gladius circuibat, quem propheta non exercuit sed ostendit; et statim Ninive de huius gladii visione curata est. Vidit Ionae civitas ferrum, et ad portum paeni- f. 251. b. tentiae convolavit. Furendo, ut ita dicam, Ionas sanavit populum quam *b*)

a) Cod. *abicerant.* — *b*) *Quam*, non praecedente *potius*, habemus apud Marcum Aurelium Caes. epist. ad Front. lib. IV. 1., et apud ipsum Frontonem ad L. Verum imp. epist. I. ed sec. rom. p. 130.

*

fovendo. Medicus curam per blandimenta conquiret, iste salutem increpatione providit. Si quis iacuit per illud tempus aegrotus, impiger cubile dimisit, et formidine superante languorem, animae suae fieri medicus festinabat. Nemo tunc stultus in feminas oculos procaciter iactitavit; omnis se visio libidinosa conpescuit. Pulchritudinem suam etiam per studium mulier tunc casta foedavit, ne offensionem videntibus etiam invita praestaret; certa quod crimen esset non solum male respicere, sed et supplantare cernentem. Ergo per ornatum lubricum feminae noluerunt impedire paenitentiam civitatis. Et quia sciebant pro se esse quod alii lugebant, ideo illos per quos sanabantur vulnerare nolebant. Non parabat alter alteri factionem, sed unusquisque ad orationem etiam suum vocabat inimimicum: atque ita tota civitas quasi unum corpus effecta est; ut proximo forte vicinus, coaetaneo coaevus, cognato fieret *a*) magis iratus adfinis *b*); et quasi sua membra iustificarentur, ita in alio proficiente gaudebat. Quod dicimus, ratio consequens adprobat: in úno quippe loco boni malique conmixti in alterna, tamquam sua *c*), benivola vota currebant. Iusti pro peccato-
f. 232. a. ribus postulabant ut veniam mererentur, et denuo peccatores ut iusti exaudirentur orabant. Parentes provocabat ad luctum parvulus plangens, et erat totae *d*) civitati quasi seminarium lacrimarum fletus infantium. Caput suum senex lugubri cinere perfudit. Vidit iuvenis factam canis iniuriam, et exegit de se maiora sponte supplicia. Rursum tremulus senex attendebat iuvenem iam iamque moriturum, et flebat miserae baculum senectutis. Videbant venisse tempus, ubi nullus superstes perituris cunctis aetatibus linqueretur. Quotiens dum ad orationem mater adstaret, caris est latera cincta pignoribus! cucurrit parvulus ad nutricem, et prae timore foedis ieiunus inhaesit uberibus! confugit ad gremium, non portari *e*) cupiens sed latère.

5. Constitutos per prophetam dies publica numerabat anxietas, quantum praeterisset, quantumque maneret ex tempore, subputatione sollicita subnotabat; quanta momenta temporis recedebant, et timentibus videbatur quasi cum die anima ipsa transire. Quam amaras tunc, o parentes, super natos lacrimas effudistis, cum vos interrogarent balbuttientes aetate pariter ac timore, dicite nobis quot dies restant, ut veniat quod hebraeus ille praedixit? Quae est hora illa, qua vobiscum viventes sanique moriemur? qua civitas haec tam speciosa deperiet *f*)? Quomodo tunc et audientis haec pariter et dicentis viscera vertebantur? Quid ad haec responderent
f. 232. b. filiis, non habebant, quibus intra fauces loquendi viam clauserat fletus infantum: verum mala ipsa indicare nolebant, ne cruciarentur *g*) parvuli expectatione tormenti; et ante doloris praesentiam, angustiam pareret vis timoris. Locuti sunt plane liberis suis, ut nec veritatem fallerent, nec laederent pietatem; et cum nolunt metuenda prodere, futura dixerunt. Sic Abraham cum consolatur filium suum, prophetiam cum nescit incurrit.

a) Cod. *fierit*. — *b*) Cod. *adfines*. Et quidem pro *magis iratus*, videbatur fortasse *magistratus*. — *c*) Cod. *suam*. — *d*) Ita cod. — *e*) Cod. *portare*. — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *cruci darentur*.

Interrogavit denique eum ovis illa quam ducebat, ubi est ovis ad holocaustum? At ille non dixit: tu es, o fili; ne macularetur oblatio, si ad aram contristatus venisset: conpedivit unicum blandimentis, donec gladium illo non sperante proferret. Ita dum solacium loquitur, mysterium revelavit; et dum immolandum filium sciret in corde, aliam victimam prophetavit in lingua: cumque semper lingua discat ex corde, erat in ore scientia quam mens intrinsecus non habebat. Denique in verbis illis, quibus pueris est locutus: ascendimus ego et puer usque illuc, et revertemur ad vos; dum mentiri vult, prophetavit. Sed non fuit mendax, quia et hoc ipsum pro veritate faciebat: et ideo quod dixerat, sic venit; quoniam devotione sanctissima nullius ultro quaerebat interitum.

6. Credo et Ninivitas tale genus circa liberos suos consolationis habuisse. Terror caelestis est, o filii: emendare vult Deus hominem, non delere. Nam si pictor diligenter formam quam coloraverit servat, quanto magis creator imaginem a se factam, viventem loquentemque custodiet? Paenitentia quaeritur civium, non civitatis eversio. Quotiens vos cecidimus delinquentes? f. 253 a.
sed hoc ut nostis, non faciebamus ex odio; amor erat qui non parcebat errantibus; et mater gaudii nostri erat, vestra tristitia. Sic ergo omnium ille desuper pater minatur ut corrigat, indignatur ut salvet, terret ut visitet: et certe ille humanum genus magis quam nos pignora nostra diligimus. Quando praecedet terror, cessare vult poenam. Laetetur obiurgator in emendatione correpti. His procul dubio et talibus Ninivitae cum praesentia consolantur, quae erant ventura dixerunt. Sed cum tam votiva loquerentur, et cunctis optata proferrent, nemo tamen cessavit a fletibus, paenitentiam nemo neglexit; promittebat lingua gaudium, servabat sollicitudo ieiunium; sperare libuit, orare non piguit. Quae tunc erat civitatis lugentis ambitio! humilitas quanta populorum! quando rex, byssum oblitus et purpuram, cilicii asperitate sordebat, infusa lacrimis ora circumferens: humilitatis exemplum rex de civitate sumebat, civitas tota de rege. Quis ita deprecatus est Dominum? quis de nostris ita suis renuntiavit occultis? quis ita a se mala desideria tamquam sua membra proiecit? ut quomodo illa abscisa non redeunt, sic ad paenitentem non revertantur errores. Quis ita de sola monentis voce correctus est? quis ita pinxit Deum ante oculos suos in paenitentiam, ut et amaret placidum, et timeret iratum? Una omnibus plaga sufficit. Iuvenis qui sibi dierum longitudinem promittebat, brevitatem angusti temporis flevit: senex qui sibi de sepulturae dignitate blanditus est, cum suo se moriturum sepultore 1) cognovit. Mortem cogitabat sponsa pro nuptiis, sepulchrum habitura pro thalamo.

7. Haec tibi tunc, rex, ad exercitum paenitentem verba esse potuerunt. Scio vos victores priscis extitisse temporibus: non est nobis nunc tale proelium, contra quod gladiis sicut solebamus armemur. Saepe gigantes sola Assyriorum fama deiecit; milia sub nos multa ceciderunt; et ecce sub unius

1) Vocabuli *sepultor* proferebat hactenus exemplum Forcellinus Augustini tantummodo ac Tertulliani.

hebraei voce non surgimus. Scio nos in exteris urbibus triumphasse, et ecce in nostra urbe nunc vincimur. Ita ne deficit inter haec pericula subsidium? Alio genere adversum haec bella luctemur: exempla maiorum, quasi quaedam nobis arma, monstrat antiquitas. Iustitiam aput Deum ac misericordiam esse, nullus omnino qui nesciat; illa punit noxium, haec dat veniam corrigenti: et ideo peccator ad iustitiam Dei quasi nauta debet adtendere, et remis suae paenitentiae gubernare, ut ad portum misericordiae valeat pervenire: nova pugna est, nova nobis arma quaerenda sunt. Audivi saepe
f. 254. a. vobiscum numquam monitores defuisse mortalibus, qui proponerent speculum disciplinae in quo se peccator attenderet; qui sal ubique dispergerent de quo stultitia condiretur: qui paenitentiam depingerent mundo, ut emendandi formulam puniendus audiret. Ante diluvium denique, quod ipsa elementa noverunt, doctrina praecessit: nam et tunc ab scientia nemo fraudatus est. Et si defuisset qui *a*) mala futura praediceret, cum arca interim fabricatur, paenitentiam malleus loquebatur, sonabat ascia, serra clamabat, et ipsa miseris praedicabant ferramenta diluvium. Sed nullus hoc credidit, et inridebantur a peccatoribus signa poenarum. At ubi arca perfecta est, manifestata veritas, adducta tempestas; et ille qui ictum asciae, et stridorem riserat serrae, coepit sub tonitribus palpitare, nec iam sub coruscatione ridere. Ad arcam ilico peccatrix turba convenit, sed quae pecoribus patuerat, noluit admittere peccatorem.

8. Nullus ergo hebraeum istum temerarium arbitretur aut stultum: signum viri fortis et gravis est, quod imperterritus terruit civitatem. Nihil ut adsolet in sermone mutilavit, non armatos inermis expavit; nec si sibi blandirentur, audivit, nec si protulimus munus, accepit; tamquam speculum civitati sermo eius adlatus est: in ipso vidimus maculas nostras, in ipso ira-
f. 254. b. tum nobis vidimus Deum, in ipso iudicium peccatricis urbis agnovimus. Ingenii magis fuisset aut artis, si cum pacis adnuntiatione venisset: lucri enim cupidus, semper laeta conponit: per ariolum denique avaritia pollicetur, quidquid optatur: et chaldaeus dum ad nummos *b*) consultus adtendit, illum felicius dicit natum esse qui plus dat: et cum divitias pollicetur, interim quod inter manus habebatur, eripuit. Medicorum tamen a talibus sequestrata *c*), condicio est; ferrum minantur ut curent; et quaevis illa persona sit, ut remedium sortiatur, pro beneficio saepe vincitur. Medicos iterum iste praecedit, qui ad nos sine intuitu mercedis advenit; panem nostrae civitatis ignorat. Dico plane quod sentio: de numero illorum credo istum esse sanctorum, quos per quadraginta dies sic *d*) ieiunasse frequenter audivimus. Quod si tantae adflictioni vacat innocens homo, cur non pro peccatis nostris nos nobis sponte iudices sumus? Fortasse id totum ieiunio et oratione *e*) contendit, ne inveniatur in sua praedicatione mentitus. Et quia huius veritas nostrae urbis eversio est, et nos si placet contra eum per ieiunii arma certemus; non tamen ut illum, sed ut nostra peccata vinca-

a) Cod. *quis*. — *b*) Cod. *nunmos*. — *c*) Cod. *sequenstrata*. — *d*) Cod. *si*. — *e*) Cod. *orationi*.

mus. Est est omnino, nec dubito, latentis nescio cuius potestatis adversitas, quae non congressione sed oratione superatur. Iob ille, ut scitis, toto orbe famosus sumsit de carnali hoste victoriam. Si Deo, ut recordor, virum iustum accusabat inimicus, quando ille parcit iniustis? Licet circa bonos malosque sit nequam, iustum enim persequitur, ut faciat peccatorem: perimere nititur peccatorem, ne paenitendo salvetur. Nonne ipse est qui supra sancti illius filios dum convivarentur tecta deiecit, et vinum miscuit cum cruore, pocula cum ossibus fregit? Ipsius nunc furorem ad nostra suspicor castra venisse. Exite viri fortes, et ut fortiores sitis, arma proicite: paenitentiam portate pro gladiis, cilicium sit lorica, sit murus oratio, sit sagitta ieiunium. Me ducem civitas ista, me principem, ac *a*) omnium primum *in* bella mittebat. Ego esse primus in hac congressione nunc debeo: omnis de lacertis vestris, sicut me videtis, deliciarum pompa discedat.

9. Circuibat rex loca omnia civitatis, vestigiis humilitatis incedens, et pacem talibus eloquiis seminabat: praedicatores statuit pro tribunis, et pro comitibus fecit ambulare doctores. Per omnes subito vicos tuba talis increpuit: ad hoc, inquit, bellum voracitas non ducatur. Vis ut cadat hostis tuus? reconcilietur tibi proximus tuus: circa nullum sit ira tua, et circa te omnium ira cessabit: fraudem verba non habeant, non iuramenta f. 255 b.
mendacium. Cum ergo telis talibus expeditio exisset armata: ille desiderium suum coepit occidere, ille interficere voluptatem; ille avaritiam, iste superbiam deiecit; et erat victoria Ninivitarum, interitus peccatorum. Quis tibi tunc Ionas 1) sensus erat ista cernenti? Nimirum quantum de Assyriis es laetatus, tantum de tua gente confusus es. Ninivitas quotienscumque laudasses, Abrahae filios mox lugebas: progenies Canaan proficiebat, et Iacob semen errabat; ac praeputium inveniebat, quod illa circumcisio stulta perdebat. Inter Iudaeos sabbata nuda servantur, inter gentiles integra praecepta complentur. Ecce sine sabbato facta remissio est, et sine circumcisione victoria. O fides populi! o prudentia civitatis! Exigebantur a Iona debita *b*) peccatorum, nullus a debitore quaesivit usuram. Quis, rogo, Ninivitis Dei mysterium revelavit, eo quod possit ieiuniis poena statuta dissolvi? Habuerunt consilium de Deo et homine, ut nec Ionam mendacem, nec Deum cogitarent crudelem: et prophetae crediderunt, et de Domini misericordia praesumserunt. Quid non illa extorqueret adflictio, qua sitientia puerorum a mamillis labra suspensa sunt, qua steterunt greges vacuo praesepe *c*) ieiuni? Nam prout passa natura est, oratio erat vel mugitus animalium, vel vagitus infantum: abundabat ibi ieiunii sicci- f. 256 a.
tas, deformitas cineris, udus semper oculus, et lingua proclamans. Ubique casta dilectio: inter viros pax, inter mulieres silentium, inter ancillas et liberas differentia nulla vel grata: unus diviti victus et pauperi, et ae-

a) Cod. *ad*. — *b*) Cod. *devita*. — *c*) In priore sermone *praesepi*. Sed etiam alibi variat horum sermonum in codd. palaeographia; quod semel monuisse sufficiat.

1) Hinc incipiunt excerpta quae superiorem sermonem conficiunt.

mulatione proiecta sub uno constitutis iugo, habitus unus erat in cunctis, unus omnibus labor, quia danda erat omnibus una redemptio. Stabat circa portas inferni pallida multitudo; et si inluxisset dies, visuram se vesperam non credebant: rursum si pervenissent ad vesperam, non sperabant lucis adventum.

10. Exiit, inquit, Ionas foras expectans quid accideret *a*) civitati. Foris ille computabat dies, illi intus enumerabant Deo iniquitates suas: sex hebdomadas in vigiliis et ieiuniis et fletibus militarunt: timebat Ionas ne illorum merita reum se facerent falsitatis: ille aestum solis, isti sollicitudinis non ferebant: ille herbarum tugurium et cucurbitae 1) quaerebat umbraculum, illi refrigerio lacrimarum calorem a se iniquitatis arcebant. Cum super huius caput viriditatis tegmen aresceret, super horum cervices misericordia florebat et pietas pullulabat. Vidit enim Deus Assyrios paenitentes, et super Hierusalem Ninive conversa conplacuit: haec etiam in vulgaribus adquirere veritatem, illa etiam in prophetis amittere: haec simulacra frangere, illa componere: hac rex ninivita Dominum adgravat, et ibi Hieroboam aras vitulis instruebat. Assyrii liberos suos ante Dei oculos proiecerunt, et
f. 256. b. Hebraei filios suos et filias suas daemoniis immolabant: gentiles lacrimas suas Deo, et Iudaei idolis vina fundebant: illi de sola corporum salute curabant, isti animas mortuas in corporibus viventibus flebant. Tu quod ad tales homines Ionas ire nolebas, sciebas praedicationem tuam illorum conversatione cassari; ceterum nulla es gentilium contemplatione deterritus, qui et Mosen ab Aegyptiis fugientem a madianita noveras sacerdote susceptum, et Heliam recreatum esse per viduam, et David Saulis insidias formidantem, honorifice in medio gentilium floruisse. Super suos pater affectus ingemuit, cum suo herede moriturus flevit: illic sponsa cum sponso, et quasi prius viduitatem plorabant quam nuptias inchoarent. Tenebat omnes una necessitas, et in tanta societate discriminis, non consolatorem metus habuit, non sepultorem moriturus invenit. At ubi supervenit constituti temporis ultimus dies, ille ad funus suum vestibus praeparatis osculum premere; ille monumentum suum vivus intrare; imaginabatur sibi per momenta formido civitatis excidium, et ruinae illius sonum iam se singuli arbitrabantur audire. Stabat longe Ionas timens culpas subire mendacii, et hac immunis subinde hora currebat; paulatimque securitas timore, et indignatione clementia mutabatur. Stetit terrae motus
f. 257. a. qui urbis fundamenta quatiebat, et tempestas omnis quae tonitru terrebat

a) In priore serm. *acciderit*.

1) In superiore sermone p. 192. *hedera* legitur pro *cucurbita*. Nimirum quia longi sermonis breviator, lectionem italae adeoque et africanae editionis in novam hieronymianam immutavit. Iam vero notissimus ex citata superius Augustini epistola 71. casus ille est africani cuiusdam episcopi, qui ob admissam lectionem *hedera* pro *cucurbita*, tumultu populi in ecclesia recitationem audientis coorto, periculum amittendae cathedrae incurrit, nisi antiquam lectionem revocasset. Est ergo insignis ad sacram criticen hic antiquissimi nostri codicis locus, praesertim cum superiore breviatoris lectione comparatus. Porro veterem lectionem *cucurbita* memini me videre confirmatam a vetere brixiensi monumento, apud cl. amicum meum Iosephum Brunatum, ubi Ionas sub arbusto iacet, impendentibus ei cucurbitis.

et fulgure, ut indultum *a*) sibi civitas sciret, abscessit. Resurrexit ergo civitas mortua, et evasit illum quem sibi sponte indixit interitum. Nec de necessitate mortua est, quae de voluntate punita est. Venit hora supplicii, et quem iam occideret non invenit. Sic iam escae voluptatibus et concupiscentiis nemo vivebat. Ninivitae laetas ad caelum erexerunt manus, et Ionas in terram tristitia deiecit.

11. Putas ne cives non *b*) exisse foras ad prophetam, et hos cum illo miscuisse sermones? Congratulare nobis, o fili Amathiae, quia per te novam miseri invenimus vitam; per te paenitentiae accepimus clavem; exulta, medice; sanatus est quem curabas. Nihil nobis es, crede, mentitus; ad vitam nos de morte traxisti. Quid hic lucri sensisses, si civitas ut dicebas fuisset eversa? Quis te arbitretur esse fallacem, cui si creditum non fuisset, paenitentiam utique nullus egisset? Ora ecce pro parvulis, quia tua praedicatione salvati sunt. Cur tamdiu cibum in nostra regione nescisti? Consoletur te, homo Dei, spiritus tuus. Sit nobis pariter festus hic dies, quo Deum tuum coepimus confiteri. Modo per te angeli laetantur in caelis, modo homines salvantur in terris. Audiebant autem Ninivitae subinde eum de civitate eorum cum Deo verba facientem, et Dei pariter ac prophetae sonabant illis duae in uno ore personae. Nam per linguam Ionae f. 157. b
contra Ionam loquebatur divina correptio; cum homo pro holeris ariditate lugeret, Deus de civitatis salute gauderet; cum sibi hac iste mortem peteret, vitam hac ille concederet. Tu, inquit, o Ionas, sic propter herbam benignus es, et me circa hominem vis esse crudelem? Si rem cibi tam utilem credis *c*), quid tibi tam vilis est ille propter quem ipse cibus est procreatus? Tibi cucurbitae *d*) folia umbram exhibuerunt, mihi Ninivitarum animae fructum paenitentiae praestiterunt. Aderant nimirum et animadvertebant quorum causa agebatur a Domino: nam ipsum contra quem susceperant, fecit sibi divinitas advocatum. Numquidnam ita fiebat, ut Ionas contristaretur de paenitentia peccatorum? Sed apta quadrabat occasio, qua Deum civitas et prius nosset iratum, et postmodum iam misertum. Contristatus est Ionas, ut manifestaret Dei indignationem. Aruit cucurbita, ut ostenderet Domini pietatem. Quid tunc putas ad Ionam munerum fluxit? quod non corrumpebatur inde iustitia, si quid acceperit propheta post veniam. Illum forsitan rex in currum suum, de quo descenderat ut lugeret, quasi ut sancti viri pedibus dedicaretur, accepit. Currus nimirum gestavit in terris, quem portavit cetus in fluctibus; et qui latuerat sub terra, exaltatus est super terram: pinnae illi beluinae per iter f. 158. a
lubricum obsecutae sunt, et per siccam ei viam rotae regiae servierunt: ceto fecerunt pisces officium, et currum equitum turma praecessit: ceto viam Deus fecit quomodo perveniret ad terras, et rex prophetae quomodo reverteretur ad patriam. Egressa est ei, ut arbitror, obviam civitas omnis

a) Cod. *inductum*. — *b*) In breviore sermone *tunc* pro *non*. — *c*) Cod. *credes*. — *d*) Bis in hac etiam pagina vocabulum *cucurbita*.

quocumque transivit, et Dei hominem cum honore suscepit, ne quasi Ninive pateretur exemplum.

12. Ubi vero Ionas regionis iudaicae contigit limen, quantum mihi datur intelligi, omnis *a*) qui se ab illa civitate deduxerant, a finibus terrae suae repente demisit. Erubescebat enim gentilium oculis *b*) plebis suae peccata nudari; et ne hi qui proxime egerant paenitentiam, de Iudaeorum contagione sordescerent, magister cautissimus formidabat. At illi homines de gentilitate correcti, dicere sine dubio ista potuerunt: duc nos, o propheta, ad sanctam si meremur patriam tuam, ut de ea quod nostris referamus disciplinae tollamus exemplum: discamus miseri in tua regione iustitiam, ut ad plenum in media generatione populi tui nostra vita mutetur. Videamus Iudaeam domum fidei, et castitatis hospitium: docete nos quid sint sabbata vestra, quae dicitis hostiam sine dubio delictorum. Hicine locus *c*) est ubi circumciduntur corda cum carne? Quam sanctus hic
f. 258 b. populus, de quo exeunt qui corrigant peccatores! Quae hic turba sanctorum, unde unus homo totius urbis nostrae vitia castigavit! Hoc nobis hebraeus homo pro tanti itineris labore restitue, ut aliquid de terra tua quod imitetur civitas nostra portemus. Per vos facta est paenitens, per vos iusta reddatur. Videamus principes vestros, ut regi nostro aliquid, unde possit melior esse, narremus; et vel parum quid de iudicum vestrorum aequitate discamus, quod ad Ninivitarum tribunalia deferamus. Quomodo tunc Ionam inter haec stetisse verba credamus? Pudore, nisi fallor, coram paenitentibus pressus, non poterat vel excusare pravos, vel accusare cognatos.

13. Quali, rogo propheta, consilio ardorem hominum illorum et desiderium delusisti? Dixisti forsitan illis, celebritatem quandam in provincia vestra tunc temporis esse regalem, et introire illuc alienigenas non licere: sacrificii ritus, paenitentium societate foedari. Sed redire tantisper *d*) ad patriam, et eos postmodum posse cum vellent occurrere, promisisti. Nec tantum puto propter te de tali mendacio, quam propter Ninivitas de malo verebaris exemplo. Verum ubi Iona ingrediente Iudaeam, plebs prae desiderio maesta dimissa est; ecce, inquiunt, montium petamus excelsa, ut habentes de cacumine specula *e*), regionis quam tangere non meremur sal-
f. 259 a tem non fraudemur aspectu. Nolo quicumque fastidias, si praeter scribturas, scribturae vicina proferamus. Ecce Ninivitae oculos ad terram repromissionis adtollunt: vident pro dolor! eminus aras in montibus, et super colles templa mirantur: ante simulacra genua flectebantur, et in Bersabem et in Dan tura fundebant, et ante vitulos sine anima, viventes vituli caedebantur. Ille litibus, iste clamoribus, ille bacchabat 1) iniuriis; et Sodomorum ibi Gomorraeorumque visa res publica est. Inter haec tanta occupavit turbatio Ninivitas, ut proximo suo quisque diceret: somniamus ne,

a) Pro *omnes*. — *b*) Cod. *oculos*, quod ferri potest si referatur ad *erubescebat*. — *c*) Cod. *locutus*. — *d*) Cod. *tamtisper*. — *e*) Num *speculare*, *re* a sequente absorto?

1) *Baccho*, *as*, activa terminatione. Nisi potius corrigendum est *vacabat*.

an vere terras repromissionis attendimus? Daemonia cernimus, an Abrahae semen est quod videmus? Nescimus an homines intueamur an spiritus? Putas huc iniquitas de Ninive fugata pervenit? et ad istos transierunt simulacra quae fregimus? Huc arae ille volaverunt: hic avaritia sedem et luxuria omnis invenit. Dei populus ante simulacra curvatur *a*), et superbit miser de sola nominis dignitate, et Abrahae sese filios appellatione nuda quam 1) vera actione praesumunt. Plebs stulta honoris carnalis circumcisione extollitur: non mores patrum, sed vocabula sectantur. A Deo illis ipso praeceptum, a Deo sabbatum plus est. Repraehendunt suis actibus Deum; et cum ipsi a lege discedant, Deum faciunt esse sub lege. Igitur circa Hebraeos, sicut arbitror, paenitentes 2) quantum desiderii de cupiditate, tantum odii de satietate ceperunt. Venite, aiunt, et cito nos de hac cogna- f. 259. b. tione tollamus: memoria sancti huius in nostris partibus celebretur, per quem nobis occasio tributa vivendi est. Ostendit nobis quid de talibus sentiat, et quo modo talibus pareat, qui reliquit *b*) suos peccatores, et elegit extraneos paenitentes. Dixerunt haec forsitan *c*) Ninivitae.

14. Nos interim, Fratres, demus gloriam in excelsis Deo, qui populum suum in gentilium aemulatione corripuit, et nobis iam tunc pignus suae promissionis exhibuit, quam posteris per suum erat unigenitum conpleturus. Nam si infructuosa synagogae ficulnea, qua terra evacuabatur, evulsa est, et gentilium in fertilitate fidei arbor inserta est; demus ergo illi novos fructus *d*) novella plantatio; et honoremus eum de sancta nativitate ramorum: adferamus ei post luxuriam castitatem: veniamus pacifici, qui solebamus irasci. Nam et aput Ninivitas Deum etiam meretrix correcta laudavit, et vitium suum avarus oblitus est: voracitas sibi ieiunium didicit, et modum sumsit ebrietas: subito donare qui rapuit, et fornicator contentus esse coniugio. Et totum ibi ad Dei laudem proficiebat, quod gravitatem scurrilis, contumax honestatem, iustitiam negotiator adprehendit. Et idcirco vidua ibi sollicitudinem, pauper inopiam, dives damna nescivit: imperator gloriam, artifex disciplinam, aratrum recepit agricola: f. 260. a patri filius, forum iudici, adulescenti restituta doctrina est: parvulus ubera nutricis invenit, sponsa thalamum, civitas pacem: egerunt gratias iudices, quod non ita iudicati sunt sicut iudicare consueverant: laudavit Deum fenerator, quia non sicut exigebat exactus est: misericordiam Dei qui laeserat, et qui laedebatur, invenit: a iugo dominae respiravit ancilla, nec ultra natorum gemitus mater audivit: et omnia omnino, quia peccata cessaverant, sunt sopita supplicia. Non enim noverat illa paenitentia istis nostris simulare mendaciis: tantum timemus, quantum ira perdurat; et causam furoris obliti, finita statim indignatione peccamus: summota paululum plaga, iram *e*) mutamus ablatam; et Deo simul reconciliato, reverti non credimus, si praevaricemur adversa. Quasi altissimus omnia peccata non

a) Cod. *curbatur*. — *b*) Cod. *reliquid*. — *c*) Cod. *forsitam*. — *d*) Cod. *fructos*. — *e*) Cod. *ira*. Num dicendum *irá mutamur ablatá*?

1) De *quam*, non praecedente *potius*, iam dixi p. 195. 2) Scilicet Ninivitae paenitentes.

oderit, ita ab illo tantum propter quod modo verbi gratia fuerat iratus abscedimus. Placuit, carissimi, paenitentia quae fideliter praestabatur: vapulaverunt modicum, sed semper memoriam verberum cogitabant: oblivisci correptionem, et corripientem saepius provocare, disperatorum *a*) sunt vitia ista servorum. Confessi sunt Ninivitae, et bene in pace vixerunt: civitas quae crebris motibus fluctuabat, Dominum stabilita laudavit: in sua
f. 160 b. possessione laetatus est, cuius animalia ieiunabant: et qui panem humilitatis acceperat, huius et mensa ditata est: qui ante iacebat in cinere, securum recipere cubile promeruit: qui cilicio fuerat ante circumdatus, vestimenti se prioris induit dignitate *b*). Benedictus qui diligit iustos, qui paenitentes multiplicavit Assyrios, et correctis bona vera restituit. Gloria illi ex omnium nostrum ore emittatur, Patri et Filio et Spiritui sancto in saecula saeculorum. Amen. Explicit de paenitentia Ninivitarum *c*).

XCVIII. UNDE SUPRA 1). DE ASCENSIONE DOMINI.

Cod. vat. 4951. f. 158. a. Ottob. 978. f. 61. a.

1. Hodie dominus noster Iesus Christu ascendit in caelum; ascendat
* Coloss. III. 1. cum illo cor nostrum. Audiamus apostolum dicentem *: si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt sapite *d*), ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt quaerite, non quae super terram. Sicut enim ille ascendit, nec recessit a nobis; sic et nos cum illo ibi iam sumus, quamvis nondum in corpore nostro factum sit quod promittitur nobis. Ille iam exaltatus est super caelos; patitur tamen in terris quicquid laborum nos tamquam eius membra sentimus. Cui rei testimonium perhibuit
* Act. IX. 4. desuper clamans: Saule Saule, quid me persequeris*? Et: esurivi, et de-
* Matth. XXV. 35. distis mihi manducare *. Cur non etiam nos ita laboramus in terris, ut per fidem spem caritatem, qua illi connectimur, iam cum illo requiescamus in caelis? Ille cum ibi est, etiam nobiscum est; et nos cum hic sumus, etiam cum illo sumus. Illud ipse et divinitate et potestate et dilectione; hoc autem nos, etsi divinitate non possumus sicut ipse, dilectione tamen possumus, sed in ipsum. Ille de caelo non recessit, cum ad nos inde descendit; nec a nobis recessit, cum in caelum rursus ascendit. Nam quia
* Ioh. III. 13. ibi erat cum hic esset, ita ipse testatur *, nemo, inquit, ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, filius hominis qui est in caelo. Non dixit: filius hominis qui erit in caelo, sed filius hominis qui est in caelo.

2. Quod vero nobiscum est etiam cum ibi est, ante quam ascenderet
* Matth. XXVIII. 20. hoc promisit dicens *: ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Nos autem nominibus ibi sumus, quoniam ipse dixit: gaudete

a) Ita cod. *disp.* ut alibi. — *b*) Cod. *dignitatem.* — *c*) Cod. *Ninevirum.* — *d*) Ita cod.

1) Praecedit in codice vat. sermo S. Augustini ed. CCLXIII, seu tertius de ascensione, in editione maurina. Iamvero in eodem codice, in margine praesentis sermonis, haud ita recente manu adnotatur: *pars est sermonis primi de ascensione, B. Augustini.* Ego vero hanc reapse partem sermonis comperi in sermone XC. de diversis. in editione antiqua parisiensi operum S. Augustini T. X. p. 561. Pleraque tamen in supradicta editione deesse videbam usque ad n. 3.

quia nomina vestra scripta sunt in caelo; quamvis a corporibus et laboribus conteramus terram, et conteramur a terra. Sed cum post resurrectionem corporis esse in eius gloria coeperimus, nec ista mortalia nostrum incolet corpus, nec in ista inclinabitur noster affectus. Totus hinc colligit, qui primitias nostri spiritus tenet. Neque enim propterea nobis desperanda est perfecta et angelica caelestis habitatio, quia dixit: nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, filius hominis qui est in caelo: de solo enim se ipso videtur dixisse, quasi hoc nemo nostrum possit accipere. Sed dictum est propter unitatem, quia caput nostrum est, et nos corpus eius. Hoc ergo nemo nisi ipse, quia et nos ipse secundum id quod ipse filius hominis propter nos, et nos Dei filii propter ipsum. Ita quippe apostolus dicit*: sicut enim corpus unum est, et membra habet multa; f. 158. b. * I. Cor. XII. 12.
omnia autem corporis membra cum sint multa, unum est corpus, ita et Christus. Non ait, ita Christus, sed ait, ita et Christus. Christus ergo membra multa, unum corpus. Descendit itaque de caelo per misericordiam, nec ascendit nisi ipse, cum et nos in ipso per gratiam. Ac per hoc nonnisi Christus descendit, nec nisi Christus ascendit; non quod capitis dignitas confundatur in corpore, sed quod corporis unitas non separetur a capite. Non enim dicit ex seminibus tamquam in multis, sed tamquam in uno, in semine tuo quod est Christus. Proinde Christum dicit semen Abrahae, et tamen idem ipse apostolus*, vos, ergo, inquit, Abrahae se- * Gal. III. 29.
men estis. Si ergo non in seminibus tamquam in multis, sed tamquam in uno, et hoc semen Abrahae quod est Christus, et hoc semen Abrahae quod sumus nos; cum ascendit in caelum, nos ab illo non separamur. Qui descendit de caelo, non nobis invidet caelum, sed quodammodo clamat: mea membra estote, si ascendere vultis in caelum. Et hoc ipso interim roboremur, in hoc votis omnibus aestuemus, hoc meditemur in terris quod computamus in caelis. Tunc exuturi carnem mortalitatis, nunc exuamus animi vetustatem. Facile corpus levabitur in alta caelorum, si non premant spiritum sarcinae peccatorum.

3. Nam 1) et illud nonnullos calumniantibus haereticis movet, quemadmodum Dominus sine corpore descenderit, cum corpore ascenderit; velut contrarium sit illis verbis quibus ait: nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit. Corpus ergo, inquiunt, quod non descendit de caelo, quomodo potuit ascendere in caelum? Quasi ille dixerit: nihil ascendit in caelum, nisi quod de caelo descendit; sed ait: nemo ascendit, nisi qui descendit. Hoc enim ad personam, non ad personae habitum retulit. Descendit sine corporis indumento, ascendit cum corporis indumento. Nemo tamen nisi qui descendit, ascendit. Nam si nos sibimet tamquam sua membra ita coaptavit, ut etiam nobis coniunctis idem ipse sit, quanto magis

1) Heic adnotatur in codice vat. *Hoc* (idest pars reliqua) *deest in exemplaribus excusis*. Non recte tamen id adnotari, demonstrat citata a nobis editio, ubi reliqua haec sermonis pars legitur, et a nobis item ob sermonis complementum debuit retineri.

illud corpus quod de virgine assumpsit, aliam non potest in illo habere personam? Quis enim vel in montem vel in murum vel in aliquem superiorem locum dicat non eum solum qui descendit ascendisse, si cum descendisset exutus, ascendat indutus; aut cum descendisset inermis, ascendat armatus? Quemadmodum ergo de hoc dicitur, nemo ascendit, nisi qui descendit, quamvis cum ea re cum qua non descendit ascenderit; sic nemo in caelum nisi Christus ascendit, quia de caelo nisi Christus nemo descendit, quamvis sine corpore descenderit, cum corpore ascenderit, ascensuris et nobis non virtute nostra, sed nostra et illius unitate. Duo quippe sunt in carne una, sacramentum magnum est in Christo et in ecclesia. Unde et ipse dicit, iam non duo sed una caro.

4. Et ideo ieiunavit cum temptaretur, ante mortem cibo adhuc indigens: manducavit autem et bibit cum glorificaretur, post resurrectionem iam cibo non indigens. Illic enim ostendebat in se nostrum laborem, hic autem in nobis suam consolationem, quadraginta diebus utrumque definiens. Nam quadraginta diebus ieiunavit cum temptaretur in eremo, sicut in evangelio scriptum est, ante mortem carnis suae. Et rursum quadraginta diebus cum discipulis suis, sicut Petrus in actibus apostolorum loquitur, intrans et exiens, manducans et bibens post resurrectionem carnis suae. Quo numero quadragesimo huius saeculi significari videtur excursus in his qui vocantur ad gratiam, per eum qui non venit legem solvere sed adimplere. Decem [illegible] namque sunt praecepta legis. Iam gratia Christi diffusa per mundum, et quadripertitus est mundus, et decem quadruplicata quadraginta faciunt; quoniam qui redempti sunt a Domino, de regionibus congregavit eos ab oriente et occidente et aquilone et mari. Ieiunans itaque quadraginta diebus ante mortem carnis velut clamabat: abstinete vos a desideriis huius saeculi. Manducans autem et bibens quadraginta diebus post resurrectionem carnis, velut clamabat: ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Ieiunium quippe est in tribulatione certaminis; quoniam qui in agone contendit, ab omnibus abstinens est; cibus autem in spe pacis, quae perfecta non erit, nisi cum corpus nostrum, cuius expectamus redemptionem, induerit immortalitatem; quod nondum adipiscendo gloriamur, sed sperando iam pascimur. Utrumque apostolus simul nos agere ostendit dicens: spe gaudentes, in tribulatione patientes, tanquam illud esset in cibo, hoc in ieiunio. Simul enim cum viam Domini carpimus, et a vanitate praesentis saeculi ieiunemus, ut futuri promissione reficiamur *a*); hic non apponentes cor, illuc pascentes sursum cor.

XCIX. UNDE SUPRA. DE PENTECOSTE.

Cod. Vat. [illegible] 1. Diem pentecosten sabbati sabbatorum, id est paschae, mysticum complementum ecclesiastico coetu in gaudio, Fratres dilectissimi, hodie

a) Codd. itemque editio *reficiamus*.

celebramus; hoc est sacratissimi paschae lumen, quo Dominus noster caelos ingressus nobis tenebras non reliquit, et ad patrem redit lumen. Haec est lux lucis, hic est fons luminis, hic est potus aquae vivae, quem bibentes non sitient, quo infusi aeterna satietate gaudebunt. In hac itaque sollemnitate mysterii Spiritus sancti promissionem Dominus a Deo patre sumptam effudit in filios hominum, suum nobis donum largitus, non mutuatus alienum; quia omnia filii sunt quaecumque sunt patris, et quod habet filius, habet et pater. Unde congregati laetantur in unum discipuli, colentes hunc diem, quo repente facto de caelo sonitu, adveniens Spiritus sanctus, valido quidem impetu, sed imbre pacifico, totam domum in qua nascentis ecclesiae coetus sedebat implevit; qui per singulorum linguas dividuus, in mente tamen est unicus; et per omnium ora communis, ut omnium voce virtutes Domini fides una concineret; et ore diverso mens una salutaria eius magnalia loqueretur; atque ecclesiae turris in caelum aedificata consurgeret, quae per temeritatem primordialis mundi male coepta, in dissono ore manibusque corruerat impiorum.

2. Festivitas praesens, Fratres dilectissimi, nomen ex numero sumpsit, quo nihil sacratius Deo, nihil ecclesiae sanctius adventu suo Spiritus sanctus demonstraret. Cum complerentur, ait, dies pentecostes. Septem enim hebdomadae typum septiformis Spiritus gerunt 1); et illa lucerna septem luminum praeteriti tabernaculi, illuminationem sanctae ecclesiae repraesentat. Septem dies mundum Deo operante perficiunt, omneque per septimanas et decadas septimanarius 2) numerus nostrae salutis continet sacramentum. Sic interroganti Petro Dominus sua responsione declarat, non septies tantum remittendum esse peccatum, sed septuagies septies; quod Lucas evangelista fecisse Dominum, septuaginta septem generationum numerando seriem demonstravit. Nam a primordio peccans homo in Deum, quotiens veniam meruit, et suppecando 3) nascens et vivens permissus est permanere. Qui utique, si cessasset venialis paenitentia, non reservari debuit sed puniri. Ad veram autem indulgentiam tunc pervenit, quando Christus per suprascripti numeri sacramentum hominem a peccatorum labe liberandum assumpsit. Perficit autem omnia illustrissimus numerus, qui adimpletur unius additamento diei 4). Quia omnis perfectio in unitate concluditur. Ex uno et per unum sunt omnia, et unus est origo cunctorum. I. 16. 6.
Quadragesimus numerus humilitatem nostram levavit ad caelum; quinquagesimus, sicut hodie cernimus, divinitatem terris infudit.

3. O felix commercium sanctae ecclesiae numeris currentibus datum! Quadragesimus numerus, sicut fides docet scripturae, per ascensionem Domini captivitatem humani generis abstulit. Quinquagesimus per adventum Spiritus desideratam cunctis restituit libertatem. Audi apostolum dicentem *: * II. Cor. III. 17.

1) Quomodo septenarius numerus Spiritui sancto deputetur, docte disserit Augustinus serm. ed. VIII. 13.

2) Animadverte vocabulum *septimanarius, a, um.*

3) Ita cod. (non *superpeccando.*) Et observa vocabulum. Nisi quis mavult corrigere *sub peccato.*

4) Recole apud nos sermonem XCIV. 6. p. 185.

ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Implevit hodie omnem domum Spiritus sanctus, in qua habitabant ex omni gente quae sub caelo est. Haec domus illa est, Fratres, ubi ex omni gente et tribu nos sancti Spiritus gratia congregavit; et vacuato omni conditionis, gentis, sexusque discrimine, unus in omnia et in omnibus Christus apparuit. In hac vere domo scripturae divinae fides impletur, in qua diversitas gentium atque populorum, in qua principes, potestates, et omnis sublimitas *a*) et sine despectione paupertas congregatur in unum. Astant ecce piissimi principes 1), uni servientes, ut omnibus dominentur; inclinantes Deo capita, ut eis universitas gentium colla submittat; offerentes soli Deo munera, ut omnium nationum consequantur tributa. Astant fide fortes, innocentia tuti, simplicitate prudentes, misericordia divites, amore copiosi, bonitate terribiles; et quod super omnia, immutabili communione regnantes: nobilitant divites, sed non despiciunt pauperes; scientes in paupere censum defecisse, non hominem; nec Dei imaginis substantiam deperisse, sed saeculi; et se posse conferre reliqua, si homo qui est opus Dei reservetur ad vitam.

C. CUIUS SUPRA 2). SERMO DE MEDIO PENTECOSTES 3).

Cod. Vat. [illegible] f. [illegible] b.

Merito viam fecimus ut ad sollemnitatis magnae medium veniremus, quia Iesus Deus et dominus noster omnium festivitatum consecrator, mediante die festo ut Hierosolymam conscenderet, ambulavit. Nam sicut viator avidus ad desiderata tendens tota laetitia transacti itineris sui reminiscitur quantitatem; atque hinc ad id quod residet peragendum redditur fortior, et totis viribus incitatur; ita nunc hunc diem qui expectationis nostrae temperat et moderatur ardorem, sollemni gaudio et devotione percolimus, ut reparatis mentibus ad ipsam sancti Spiritus gratiam laetitiamque veniamus. Satis hodie plus nobis sapit; eo quod licet nolentes, attraxit tamen ad sanctam pentecosten laetissimos. Ita est, Fratres, ita est nostrae ianua civitatis, quae tantos ac tales sanctos habere meruit ianitores, qui eam obserarent, hostibus malis clauderent, aperirent bonis, civibus facerent perpatere 4). Iocundum ergo hunc diem in veneratione sanctorum inhiantibus animis et effusis mentibus celebremus. Laetetur caelum et exultet terra, montes exiliant ut arietes, et colles sicut agni ovium: flumina plaudant *b*) manibus, simul mare et omnia quae in eis sunt. Omnium elementorum concors in Dei laudibus concrepet *c*) melodia: sancti Spiritus in nos tota deitatis gloria acceleret et invitet ad plausum.

a) Cod. *sullimitas*, ut *sullevari* p. 168 et *sullimitatum* p. 185. — *b*) Cod. *plaudent*. — *c*) Cod. *concrepat*.

1) Non tamquam de praesentibus coram se principibus loquitur Augustinus, sed publicam absentium imperatorum laudat pietatem.

2) Praecedit in codice sermo Augustini editus CCLXVII, id est primus de pentecoste.

3) Ordinem codicis sequor, quamquam reapse medium pentecostes, Graecis μεσοπεντηκοστῆς, praecedit pentecosten. Incipiebat feriâ quartâ hebdomadae quartae post pascha. Graecorum quoque patrum habentur sermones nonnulli in mesopentecoste dicti.

4) Adnotemus verbum *perpateo*, *es*

CI. SERMO DE NATIVITATE SANCTI IOHANNIS BAPTISTAE 1.

1. Per ecclesiam Christi longe lateque diffusam natalis hodie Iohannis Baptistae, amici sponsi, et praecursoris Domini celebratur. Debeo huic sollempnitati sermonem, debetis et vos intentionem, debemus omnes devotionem. In natis enim mulierum nemo exurrexit maior Iohanne Baptista: solus ei praelatus est, per quem creatus est. Mira quippe res facta est, ut eum nascendo praecederet, sine cuius ope omnino nasci non posset. Merito iste vox, ille verbum. Nam iste dixit: ego vox clamantis in eremo. De illo autem dictum est: in principio erat verbum. Simile quiddam in longe diversis nostris sermonibus agitur: verbum in mente praenascitur, quo vox loquentis fiat; vox ore promitur, qua verbum audientibus innotescat. Ita Christus mansit in patre, per quem Iohannes sicut omnia crearetur: Iohannes processit ex matre, per quem Christus ab omnibus nosceretur. Ille in principio verbum ante mundum, iste in ultimo vox ante verbum. Verbum promitur post intellectum, vox post silentium. Ita Maria Christum pariendo credit, Zacharias Iohannem generaturus obmutuit*. Denique ille natus est de iuvencula florente, iste de senecta deficiente. Verbum in corde cogitantis multiplicatur, vox in audientis aure consumitur. Etiam ad hoc fortasse pertinet: illum oportet crescere, me autem minui. Nam omnis legalis et prophetica praenunciatio emissa* ante Christum, tamquam vox ante verbum, usque ad Iohannem fuit; in quo ultimae figurae cessaverunt. Deinde evangelica gratia et manifesta praedicatio regni caelorum, cuius non erit finis, fructificat et crescit in universo mundo.

Cod. Vat. [illegible] f. 18. a.

* cod. [illegible]

2. Hoc Iohannis et Christi generationes, hoc passiones indicaverunt. Natus quippe est Iohannes, cum dies incipit minui; Christus cum dies crescere incipit. Illius diminutio significavit capitis amputationem; huius incrementum, crucis exaltationem. Item est alius aliquanto abstrusior intellectus, quem pulsando aperit Dominus, quid accipi oporteat in eo, quod a Iohanne de Christo est dictum: illum oportet crescere, me autem minui. Quicquid est humanae iustitiae, quousque possit homo perficere, consummatum fuerat in Iohanne. Quippe de quo veritas ait: in natis mulierum nemo exurrexit maior Iohanne Baptista. Isto ergo amplior nemo posset esse homo. Sed iste tantummodo homo; Christus autem, Deus homo. Verum quia in gratia christiana id praecipue commendatur, id discitur, ut nemo glorietur in homine, sed qui gloriatur, in Domino glorietur, homo de Deo, servus de domino; illum, inquit oportet crescere, me autem minui. Deus quidem in se ipso nec minuitur nec augetur; sed in hominibus quanto magis magisque vera pietate proficimus, crescit divina gratia, minuitur humana potentia; donec ad illam perfectionem perduca-

1) Iacet in codice inter duos editos S. Augustini sermones. Iam saltem quotannis de S. Ioh. Baptista concionatum fuisse Augustinum, quis non credat? Conferantur autem, praeter olim editos, illi novi de S. Baptista apud nos sermones XVIII. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX.

tur templum Dei, quod est in membris omnibus Christi; ut evacuato omni principatu et potestate et virtute, sit Dominus omnia in omnibus.
f. 182. b. Dicit ille Iohannes evangelista: erat lumen verum, quod illuminat omnem
* Io. I. 9. et 16. hominem venientem in hunc mundum *. Dicit iste Iohannes Baptista: nos omnes de plenitudine eius accepimus. Cum ergo lumen, quod in se semper est integrum, in illo tamen qui illuminatur augetur, profecto ille in semet ipso minuitur, cum hoc quod sine Deo fuerat aboletur. Nam homo sine Deo nihil potest nisi peccare. Hic minuitur humana potentia, cum peremptrix 1) peccatorum divina praevalet gratia. Creaturae infirmitas cedit creatoris virtuti, et privati amoris superbia deficit in publicam caritatem, clamante Iohanne, in nostra miseria de Christi misericordia: illum oportet crescere, me autem minui 2).

CII. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE *a*) DOMINI 3)

Cod. vat. 1267. f. 71. a. R. I. f. 229. b.

1. Aeterni numinis 4) virgineum partum, et repleta viscera, ipso iubente qui natus est, audax lingua loqui desiderat, sed animum concutit, et sine metu non potest dici; numquam enim possunt sine terrore mentis referri quae magna sunt. Nec inaniter vereor, quia praesens est ipse de quo loquor. Nemo itaque credat, dilectissimi nobis, dominum et Salvatorem nostrum primordia vitae carnali nativitate sumpsisse, cum praesens sit semper in patre, sicut evangelista testatur: in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt. Attende diligenter, et vide quod erat, et ubi erat, et qualis erat, et quando erat, et quid agebat. In principio, inquit, erat Verbum. Habes quod erat. Audi ubi erat: et Verbum erat apud Deum. Audi et qualis erat: et Deus erat Verbum. Et ubi erat? Hoc erat in principio apud Deum. Et quid agebat? Omnia per ipsum facta sunt. Ubi venit? In sua propria venit. Quare venit? Iohannes Baptista testatur: hic est agnus Dei, hic est qui tollit peccata mundi. In principio ergo erat Verbum, et cetera. Itaque nativitas aeternae divinitatis *b*) angeli sermone nuntiatur. Invenitur Maria ante partum virgo, virgo post partum; et advenienti materna viscera praeparantur hospitio.

2. Videte qualem partum Gabrihelis angeli sermo nuntiaverit, quem sola iussio corporavit. Sicut scriptum est, introivit ad eam angelus; salutavit eam dicens, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres, et bene-

a) Ita in codd. modo *nativitas*, modo *natale*. — *b*) Al. cod. *nativitatis aeternae divinitas*.

1) Vocabuli *peremptrix* unicum adfert auctorem Forcellinus afrum Tertullianum.

2) Praeter dictos sermones, confer de hoc effato Augustinum etiam (tract. XIV. in Ioh.)

3) Plurimos de natali Domini dixisse sermones Augustinum necesse est. Itaque praeter multos iam editos, accesserunt duodecim typis parisiacis ex codicibus casinensibus eruti. Nos quoque complures ineditos ex pluteis vaticanis desumpsimus.

4) Codd. *nominis*. Sed. *numinis* rectius legebat in suis codicibus auctor Milleloquii Barth. episcopus col. 1127. qui addit: *iste sermo alicubi attribuitur alteri, sed proprie est Augustini*. Porro hominis tantopere in Aug. exercitati, non leve est testimonium.

dictus fructus ventris tui. O veneranda virginitas! o praedicanda humilitas! Maria ab angelo mater Domini appellatur, illa se ancillam esse confitetur. O laudabilis praescientia Dei! ut futurum partum Maria ante nesciret, ne conceptionem ipsam simplex virginitas recusaret. Ingreditur Gabrihel, qui primo *a*) divina clementia et angelum portabat et Deum. Intimatur virgini quod possit esse terroris; nuntiatur Deus in hominem transiturus. Stetit Maria stupore mentis aliena; et angelica voce suadente, mens confusa conticuit. Virgineus pudor interiora pectoris ligat, et discurrente metu per viscerum partes, tremit omne quod timet. Et recte pavida *b*) corporis pars illa turbatur, in qua Deo parabatur hospitium. Inreprehensibilis est sensus virginalis, quae et partum timebat *c*) et Deum. Et quia sciebat sanctus angelus femineam mentem vel ingressu suo, vel tali nuntio terreri, cum puellari animo a benedictione incipit loqui, ut delectaret quod melius est *d*). O gemina in benedictione complexio! Mater de Domino et benedicitur et docetur.

3. Post nuntiatum per angelum partum, coepit Verbo formari conceptio: colligitur in homine Deus; et eum sustinet venter, cui parvus fuerat mundus; et intra breve virginei corporis spatium pro nobis est incarnata maiestas. Foecunda viscera Verbo auctore tenduntur, completisque mensibus venter caelestem hominem fudit. Natum Dominum angelicus publicat sermo. Pastores autem erant in illa regione vigilantes et custodientes gregem suum. Nascitur Christus, pastores vigilare coeperunt. Nox saeculum, lux Christus, pastores sunt sacerdotes. Dixit autem angelus ad pastores: ne timueritis, ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie salvator qui est Christus dominus. Recte, Fratres, natus Dominus pastoribus nuntiatur, ut per pastores incredulis intimetur. Beata foecunditas matris, per quam nobis nascitur geminata maiestas! Beata virginitas matris, quae caelestem filium adorare prius didicit quam nutrire. Ipsum ergo et nos dominum et salvatorem nostrum Iesum Christum adoremus. f. 71. 1.

4. Audite 1) Fratres karissimi, si fas est legis mysterium. Primus homo de terra et caelo, secundus de caelo et terra. Hic ex Deo et Maria, qui de caelo et terra; ille de terra et spiritu, qui de terra et caelo; uterque tamen ex virgine, et sine coitus permixtione; hic ex incorrupta, ille ex intacta; nullo enim adhuc semine nec vomere fuerat sauciata nec imbre. Per primum vita amissa, per secundum reddita; primus acceptam perdidit gratiam, secundus cum vita tribuit gratiam. Primus suasu virginis cecidit, secundus partu virginis quod iacebat erexit. Primus peccando mortis poenam protulit, secundus patiendo indulgentiam contulit. Primus pro culpa est de paradiso eiectus, secundus pro gloria cruci mundi *e*) affixus. Ergo per

a) Al. cod. *pro.* Nos vero et alias meliores lectiones modo ex uno, modo ex altero codice delegimus. — *b*) Al. cod. *parva.* — *c*) Al. cod. *tenebat.* — *d*) Codd. addunt *patre.* Num pro *parere?* — *e*) Al. cod. 1. m. *crucis mundo.* At 2. *cruci mundi.*

1) Hinc usque ad n. 6. incipit congruere hic sermo cum primo nostro vaticano, et cum sancti Ambrosii fragmento seu sermone XLV, cui tamen Maurini editores elgantiae quidem laudem ultro tribuunt, sed Ambrosii colores negant. De Adamo et Eva loquuntur item sermones vaticani LXXI. et LXXII.

feminam malum, immo per feminam bonum; quia si per Evam cecidimus, per Mariam stamus; per Evam prostrati, erecti per Mariam; per Evam servituti addicti, per Mariam liberi effecti. Eva nobis sustulit diuturnitatem, perpetuitatem nobis reddidit Maria. Eva damnari nos fecit per pomum arboris, absolvit Maria per arboris donum, quia et Christus in ligno pependit ut fructus. Igitur sicut per arborem mortui, ita vivificati per arborem. Arbor nobis nuditatem ostendit, vestivit *a*) arbor indulgentiae foliis. Arbor peccatorum incussit *b*) ardorem, refrigerium delictorum vestibus praeparavit scientiae arbor. Arbor spinas et tribulos genuit, spem et salutem arbor sapientiae peperit. Arbor sudorem attulit et laborem, quietem et pacem contulit arbor. Arbor lumen corporis patefecit, disclusit cordis oculos arbor. Arbor mundi insinuavit astutiam, divinam arbor demonstravit prudentiam. Malum arbor, bonum arbor ostendit. Et ut ad originem delicti redeam, et Deo annuente quod sentire conceditur dicam, Adam nisi corporaliter cecidisset, Christus nos in ista vita spiritaliter suscitare desisset.

5. O sacramentorum, ut dixi, inmane *c*) mysterium! O conclusa perfidis, et manifesta fidelibus disciplina! Immortalis mortalem aedificat, parit immortalem mortalis; incorporalis terra concluditur, corporalis invehitur *d*) caelo. Deus homo efficitur; redhibetur Deus; et hoc totum per Adam committitur, et lavatur per Mariam. Ergo felix Eva, per quam data est est occasio! Immo felix Maria, per quam tributa est curatio! Felix Eva, per quam natus est populus! Felicior Maria, per quam natus est Christus! Igitur altera alterâ melior; immo et gloriosae utraeque, quia non beatificasset Mariam Christus, nisi Eva prior *e*), de qua nata est ipsa Maria, defînxisset; nec venisset ad populum, nisi prius illa deliquisset in saeculo. Haec mater humani generis dicitur, illa salutis. Eva nos educavit *f*), roboravit Maria: f. 72. a. per Evam crescimus, per Mariam regnamus: per Evam seducti ad terram, ad caelum elevati per Mariam. Et ut totum breviter legis patefaciam sacramentum, et duas in unam fuisse, sicuti omnes sciunt, esse ostendam, in Eva iam tunc et Maria inerat, et per Mariam postea revelata est Eva 1).

6. Gratias Domino, Fratres karissimi, quod quae sit diei huius festivitas, doceri vos non necesse est, qui praevenitis devotione doctrinam. Accesserunt huc hodie propheticae atque evangelicae lectiones, eandem rem docentes, quam fides vestra vos docuit. Donet ergo Dominus noster, ut concordantibus sicut hodie, ita omni tempore cum lectione divina actibus vestris, quicquid habuerit sacra auctoritas in praeceptis, hoc vos habeatis in moribus 2). Salvator ergo noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus. Neque locum oportet esse tristitiae, ubi natalis est gaudiorum. Ad omnes

a) Al. cod. *vestiit.* — *b*) Al. cod. *induxit*, cum litura. — *c*) Sic etiam in serm. I. Al. cod. *in Maria*, cum litura — *d*) Ita in serm. I. At heic codd. *inhibetur.* — *e*) Ita codd. At ed. *Evam priorem.* In primo sermone *Evam prior.* — *f*) Al. cod. *edocuit.*

1) Hactenus cod. R. Fortasse itaque alius incipit sermo. In altero tamen codice, nec non in maurino fragmento, continuatur usque ad *in moribus.*

2) Heic desinit maurinum pseudo-Ambrosii fragmentum, quod tamen illi editores non sine mendis impresserunt.

itaque gaudium istud pertinet, quia Christus omnibus venit. Nullus ergo se laetitiae diei huius arbitretur alienum. Si sanctus quis est, gaudeat quia accipiet remunerationem. Si peccator est, gaudeat quia invitatur ad veniam. Si gentilis est 1) gaudeat, quia admittitur ud salutem. Carnem humani generis Deus pro nobis filium suum de virgine nascendo indui voluit. Si ipsi nos alienos a Christo non faciamus, iam in Christo sumus. Agnoscamus ergo redemptorem omnium nostrum, agnoscamus salutem nostram. Ipse se alienum a consortio Christi efficiet, qui se esse in corpore Christi denegaverit. Sed illud est, dilectissimi, ut quia secundum scripturas, quae lectae sunt, hodie natum esse Dominum agnoscimus, videamus quomodo in fine saeculi natus sit, qui creator est saeculorum. Ipse enim dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt. Christus ergo salvator noster, Fratres dilectissimi, homo et Deus creditur, Deus ex patre, homo ex matre, incorporeus ex deitate, corporeus ex carne. Et ideo Deus ante saecula, homo post saecula; Deus ante initia, homo inter extrema. Qui in principio creavit per maiestatem, hodie venit salvare per carnem. Creatio hominum prima, potentia fuit; salvatio secunda, pietas. Motus benignitate, motus affectu Deus, voluit ut nobis redderet misericordia quicquid abstulerat offensa. Descendit ergo ille, ut nos ascenderemus; caelestia summisit, ut terrestria sublevaret; fecit se hominis participem, ut hominem faceret Dei esse consortem. Factus, sicut per apostolum audistis, ex muliere, factus sub lege *. Sed nemo cum mulierem audit matrem Domini, de nominis offensione moveatur. Virgo concepit ex Spiritu sancto, sed mulier nominatur ex sexu. Et ideo evangelista qui lectus est, virginem; apostolus autem, mulierem nuncupavit; ut omnes in partu virginis omnipotentiam agnoscerent divinitatis; appellatione autem mulieris, nomen conditionis audirent. * Gal. IV. 4. et I. Petr. II. 22.

7. Natus est ergo Dominus noster ex carne quidem, sed non ex corruptione carnali; natus ut homo, sed non genitus ut homo; ita suscepit carnem, ut servaret maiestatis honorem. Et sic segregando puritatem nativitatis suae a concretione colluvionis humanae, peregit quidem in ortu suo plenam hominis dispensationem, sed divinam tamen non deseruit dignitatem. Ideoque in mundo isto talis vitâ, qualis nativitate; puritatem ortus sui etiam in vitae sinceritate servavit. Solus enim ille est in cuius ore, ut scriptum est *, dolus non fuit 2). Utique ut qui colluvionem humanam in creatione nescierat, etiam in conversatione nesciret: et sinceritate immaculata in mundo viveret, quem sinceritas immaculata genuisset. Cum enim, inquit apostolus, in forma Dei esset, formam servi accepit *. Omnes homines, dilectissimi, servi peccati fuerunt. Et ideo bene ait apostolus formam tantummodo servi assumpsisse, quia homo quidem verus, sed humanis vitiis non inquinatus, formam tantum habuit servi non con- * Is. LIII. 6. et I. Petr. II. 22. f. 72. b. * Phil. II. 6.

1) Ergo dum haec homilia dicebatur, ethnici adhuc supererant.

2) Atqui hoc dixit etiam de Nathanahele Christus dominus Ioh. I. 48.

scientiam: quia licet habuerit speciem hominis, non tamen habuit conscientiam peccatoris. Quia sicut apostolus dicit, qui cum in forma Dei esset, formam servi accepit, et habitu est inventus ut homo. Habitu utique homo *a*), sed potentia Deus; quasi servus in forma servi, sed Deus in natura; foris ostendens matris infirmitatem, intus possidens patris maiestatem; foris humilis corpore, intus pollens divinitate. Denique et ipsa eius inter homines conversatio simul utrumque monstravit, in passionibus hominem, in virtutibus Deum. Esuriit enim, sed esurientes multiplicatis per benedictionem panibus pavit. Quod esurivit, carnis fuit; quod pavit, Deus. Flevit, et flentibus opem tribuit; ex homine fuit quod lacrimavit, ex divinitate quod praestitit. Oravit, et exauditus est, ipse testatus est: hominem se indicavit quod precem fudit, maiestatem quod in precibus ipse sibi respondit 1). Omnibus ergo rebus duplicis in se signa naturae monstravit: et ideo substantiae utriusque mediator est, quia dum summisit caelestia et exaltavit humana, fecit summam e diversitate concordiam. Ut in eo unum utrumque fieret, qui in se utrumque retinet, dominus noster Iesus Christus, qui vivit et permanet cum Patre et Spiritu sancto in aeternum Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

In editione parisiensi anni 1836. *novorum S. Augustini sermonum sub numero LII. legitur sermo de natali S. Pauli, verum adeo prodigiose corruptus, ut a me necessario reficiendus sit ope antiquissimi et optimi vaticani codicis. Textui porro vaticano parisiensem subiungam, ut recudendi scripti necessitas evidenter patescat. Porro argutulus quidem hic sermo est, sed tamen genuinus, et cum longiore* 279. *apud Maurinos edito conferendus.*

CIII. SERMO SANCTI AUGUSTINI IN NATALI BEATI PAULI APOSTOLI.

Cod. vat. 3835. f. 278. b.

1. Procedat nobis, Fratres karissimi, et beatus Paulus, ut paululum aliquid de Paulo dicamus. Etenim propterea Paulum se voluit nominari; nam prius Saulus vocabatur. Prius Saulus, postea Paulus, quia prius superbus, postea humilis. Recolite primum nomen, et in eo persecutoris agnoscitis crimen. Saulus a Saule cognominatus est. Saul inde appellatus est, quia persecutus est sanctum David; in quo sancto David figura erat Christi venturi ex semine David per virginem Mariam secundum carnem. Implevit partes Saulis Saulus, quando persecutus est Christianos. Acerrimus fuerat persecutor: quando beatus Stephanus lapidatus est, ipse lapidantium vestimenta servavit, ut omnium * manibus lapidaret. Post passionem vero beatissimi Stephani dispersi sunt fratres qui fuerant Hierosolymis; et quia lumina erant, spiritu Dei ardebant. Tunc videns Saulus evangelium Christi crescere, impletus est zelo amarissimo. Accepit litteras a principibus sacerdotum, et perrexit adducturus ligatos puniendos quoscumque invenisset confiteri nomen Christi. Et ibat anhelans caedem, sitiens sanguinem.

* cod. *omnibus.*

a) Cod. *habitu utique Deus, habitu homo*

1) Nempe ut de Christo loquitur divus Basilius in liturgia: σὺ εἶ ὁ προσφέρων καὶ προσφερόμενος καὶ προσδεχόμενος: *tu es offerens, et oblatus, et receptor;* quo super dogmatico dicto, confer synodum constantinopolitanam adversus Soterichum celebratam, apud nos Spicil. rom. T. X.

2. Sic cum iret, cum sanguinem sitiret, cum quos adduceret et occidi quaereret, sic prorsus quomodo erat persecutor, audivit vocem de caelo. Fratres mei, quid meruerat boni? Quid non meruerat mali? Et tamen de caelo una voce percussus persecutor, erectus est praedicator. Ecce tibi Paulus post Saulum: ecce iam nobis quid fuisset, et quis esset, indicat. Ego, inquit, sum minimus apostolorum*. Si minimus, merito Paulus. Recolite latinum verbum: paulum, modicum dicitur; sic certe loquitur post paulum. Videte ergo: Paulus minimum se confitetur, tamquam in veste Domini fimbriam, quam tetigit languida mulier: quippe illa quae fluxum sanguinis patiebatur, ecclesiam gentium significabat, ad quas gentes missus est Paulus et minimus et novissimus. Quoniam fimbria vestimenti et minima pars est et novissima: utrumque de se confessus est Paulus: et minimum se dixit, et novissimum: ego sum novissimus apostolorum. Ipse dixit; iniuriam non faciamus. Ipse dixit; et quid aliut dixit? Ipse dicat, ne nos facere videamur iniuriam; quamquam non est ullo modo Pauli iniuria, ubi commendatur Christi gratia: tamen, Fratres, ipsum audiamus: ego enim sum, inquit, minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus. Ecce quod erat: qui non sum dignus vocari apostolus. Quare? quia persecutus sum ecclesiam Dei. Et unde es apostolus? Sed gratia Dei sum quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit; sed plus omnibus illis laboravi.

* I. Cor. XV. 9.

3. Rogo te, sancte Paule; non intellegentes homines, putant adhuc Saulum loqui. Plus omnibus illis laboravi, quasi superbe dictum videtur. Tamen vere dictum est. Quid autem sequitur? At ubi vidit se dixisse quod in celsitudinem quandam eum posset efferre; plus, inquit, omnibus illis laboravi. Et continuo: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Agnovit se humilitas, tremuit infirmitas, confessa est donum Dei perfecta caritas. Dic ergo iam tamquam plenus gratia, tamquam vas electionis, tamquam factus quod non eras dignus. Dic, scribe ad Timotheum, et denuntia diem istum: ego enim, inquit, iam immolor*. Modo lectum est de epistula Pauli. Hic lectum est, quomodo dico: ego enim, inquit, iam immolor. Imminet mihi immolatio: occisio enim sanctorum Deo fuerat sacrificium. Ego enim iam immolor, et tempus resolutionis meae instat: bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cetero superest mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Reddet meritis, qui fecit merita. Factus est apostolus, qui non erat dignus; et non coronabitur (nisi) dignus. Ibi enim quando accepit gratiam, non debitam sed gratuitam, non sum, inquit, dignus vocari apostolus, sed gratia sum quod sum. Modo autem debitum exigit: bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de cetero reposita est mihi corona iustitiae. Debetur mihi. Et ut scias quia debetur, quam reddet mihi: non dixit dat mihi, aut donat mihi, sed reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Misericors dabit mihi, iustus reddet mihi. Video, beate Paule, quibus corona debetur, merita tua: sed respiciens quod fuisti, agnosco: Dei dona

* II. Tim. IV. 6.

* I. Cor. XV. 57. sunt ipsa merita tua. Dixisti, bonum certamen certavi; sed tu ipse dixisti *: gratias Deo, qui dat nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Bonum certamen certasti, sed Christo donante vicisti. Dixisti: cursum
* Rom. IX. 16. consummavi; sed tu ipse dixisti *: non volentis neque currentis, sed mise-
* I. Cor. VII. 25. rentis est Dei. Dixisti: fidem servavi; sed tu ipse dixisti *: misericordiam consecutus sum ut fidelis essem. Videmus ergo Deï dona esse merita tua, et ideo gaudemus de corona tua. Et si laudibus beatorum apostolorum, quorum sollemnitatem celebramus inpar fui, tamen expectationi caritatis vestrae, quantum coronator eorum dignatus est, non defui. Explicit.


Editio parisiensis.

1. Procedat nobis, Fratres charissimi, et beatus Paulus, ut paululum aliquid de Paulo dicamus. Etenim propterea Paulum si volueris nominare; nam prius Saulus, postea Paulus, quia prius superbus, postea humilis, recte primum nomen, et in eo persecutoris agnoscitur nomen. Saulus a Saüle cognominatus est. Saül inde appellatus est, quia persecutus sanctum David, in quo sanctus David figura erat Christi venturi ex semine David, per virginem Mariam secundum carnem. Implevit partem Saülis Saulus quando persecutus est Christianos; acerrimus fuerat persecutor, quia quando beatus Stephanus lapidatus est, ipse lapidantium vestimenta servavit, ut omnibus manibus lapidaret. Post passionem vero beatisstmi Stephani, dispersi sunt fratres qui erant Ierosolymis; et quia lumina erant, Spiritu Dei ardebant. Tunc videns Paulus evangelium Christi crescere, impletus est zelo amarissimo. Accepit litteras a principibus Sacerdotum, et perrexit ad Doctores, legatus ad puniendos quoscumque invenisset confiteri nomen Christi, et ibat anhelans caedes, sitiens sanguinem.

2. Sic sic cum iret, cum sanguinem sitiret, cum quos adduceret et (faceret) occidi quaereret, sic prae suis quomodo erat persecutor, audivit vocem de coelo. Fratres mei, quid meruerat boni? et tamen de caelo una voce percussus est persecutor, erectus est praedicator: ecce Paulus post Saulum; ecce iam praedicat; ecce iam nobis quid fuisset et quid esset indicat: « Ego, inquit, sum minimus Apostolorum. » Merito Paulus; recolite latinum verbum; paulum, modicum dicitur; sic certe loquitur post Paulus. Videte ergo; Paulus minimus se confitetur tanquam in veste Domini fimbriam, quam tetigit languida mulier. Quippe illa, quae fluxu sanguinis patiebatur, Ecclesiam Gentium significabat; ad quas Gentes emissus est Paulus et minimus et novissimus; quoniam fimbria vestimenti et minima pars est et novissima. Utrumque de se confessus est Paulus, et minimum se dixit et novissimum: « Ego sum novissimus » Apostolorum, et minimus Apostolorum. » Ipse dixit, et si quid aliud dixit, ipse dicat, ne nos facere videamus iniuriam, quandam non est ullo modo Pauli iniuria, ubi commendatur Christi gratia: tamen, Fratres, ipsum audiamus: « Ego sum, inquit, minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apo» stolus; ecce quod erat; « Non sum dignus vocari Apostolus, » quare? « Quia persecutus sum Eccle» siam Dei. » Et unde est Apostolus? « Sed gratia Dei sum id quod sum; et gratia eius in me vacua » non fuit; sed plus omnibus illis laboravi. »

3. Rogo te, sancte Paule; non intelligentes homines putant adhuc Saulum loqui: « Plus omnibus illis » laboravi; » quasi benedictus videtur, tamen vere dictum est. Quid autem sequitur? at ubi vidit se dixisse quod in celsitudinem quamdam eum posset afferre, « Plus illis, inquit, omnibus illis laboravi, » et continuo: « Non ego autem, sed gratia Dei mecum. » Cognovit, sed humilitas; tremuit infirmitas; confessa est donum Dei perfecta charitas; dic ergo, iam tanquam plenus gratia, tanquam plenus gratia, (tanquam plenus gratia) tanquam vas electionis, tanquam factus quod non eras dignus, dic; scribe ad Timotheum et denuntia diem iustum. « Ego, inquit, iam immolor. » Modo lectum est de Epistola Pauli; hic lectum est quomodo dico: « Ego enim, inquit, iam immolor. » Imminet mihi immolatio; occisio enim Sanctorum Deo fecerat sacrificium; « Ego enim iam immolor, et tempus resolutionis meae instat; bonum » certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de caetero reposita est mihi corona iustitiae, » quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. » Reddet meritum qui fecit merita, et factus est Apostolus qui non erat dignus, et non coronabitur nisi dignus. Ibi enim quando accepit gratiam ut non debitam. « Non sum, inquit, dignus vocari Apostolus, sed gratia Dei sum id quod sum; » modo autem debitum exigit: « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de caetero reposita » est mihi corona iustitiae. » Debitum mihi; ut scias quod debitum: « Quam reddet mihi Dominus; » non dixit, Dat mihi, aut donat mihi, sed « Reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. » Misericors donavit mihi, iustus reddet mihi. Video, beate Paule, quibus corona debetur, meritis tuis; sed respiciens quod fuisti, agnosce; Dei dona sunt ipsa merita tua. Dixisti: « Gratias Deo qui dat nobis » victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Bonum certamen certavi; sed miserentis est Dei. » Dixisti; « Fidem servavi, » sed tu ipse dixisti: « Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. » Videmus ergo Dei dona esse merita tua, et ideo gaudemus de corona tua.

S. Augustini Tab. XI



Universum, qui sequitur sermonem fidelissime in aereis tabulis excudendum exhibendumque curavimus. Porro Augustini sermo de consolatione in adsumptione episcopi *legebatur in codice laureshamensi (Spicil. rom. T. V. p.* 168. *) Item apud Possidium in indiculo cap. IX.* de episcopo eligendo et ordinando in locum memorati (Florentii.) *Augustinus perrexit Cirtam ad ordinationem novi illic episcopi, ep. XLIV.* 13. *Idem dedit Fussalensibus Antonium episcopum ep. CCIX. De die anniversaria episcopalis ordinationis suae sermones tres CCCXXXIX. CCCXL. et CCCLXXXIII. dixit Augustinus; quorum reapse secundus sequitur in nostro codice f.* 206. *post hunc ineditum. Acta in designatione Eraclii successoris sui scribit in epistola CCXIII. Ipsius designati Eraclii sermo ad populum superest in calce sermonum Augustini. Odoramni (saec. XI.) sermones, seu potius proclamationum formulas, de electis episcopis senonensi et tricassino, vulgavimus nos in Spicil. rom. T. IX. p.* 86-89. *Dictae in patriarchae constantinopolitani Nicolai consecratione* ἐκφωνήσεως *titulum dedimus item nos in praef. p.* 8. *T. X. Spic. Sic et Eusebius gallicanus in B. Lugd. PP. T. VI. p.* 682. *Mos certe antiquus ecclesiae fuit, ut episcopus ordinans gravi et congrua oratione novum episcopum admoneret, cuius recitat exemplar Catalanus in commentario ad pontificale rom. T. III. p.* 290. *seq. Item ab ordinante proponebatur eiusdem generis edictum, quod item legitur praedicto loco. Eiusmodi edicta seu mandata ac formulae in episcoporum etiam graecorum ordinationibus leguntur apud Leunclavium in iure graec. rom. p.* 426. *In hoc itaque satis pretioso Augustinus sermone praecepta egregia pastoralis artis tradit episcopo nuper a se ordinato.*

CIV. SERMO BEATI AUGUSTINI EPISCOPI IN ORDINATIONE EPISCOPI.

1. Episcopatus, Fratres karissimi, bonum opus est, dicente beato apostolo *: qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Sed ubi opus auditur, labor intelligitur 1). Quicumque ergo episcopatum sic intelligens desiderat, sine ullo ambitionis tumore 2) desiderat. Ut enim hoc ipsum apertius eloquar, ille episcopatum vere desiderat, qui populo Dei non tam praeesse quam prodesse 3) desiderat. Sed iam nunc ad te mihi sermo est, Frater dilectissime, de cuius electione tanti in Christo populi hodie gratulantur. Et vere digni merito gratulantur. Ad omnium enim decus fidelium atque utilitatem redundat, cum talis habetur antistes, cuius plurimi adiuventur auxilio, et incitentur exemplo. Unde quia non ignoras quid de sinceritate animae tuae secundum praecedentem noticiam senserimus, iustissime nos agnoscis exigere, ut quod de te praesumpsimus, hoc probemus. Et ideo, dulcissime Frater, unica te ac singulari caritate commoneo,

Cod. Vat. [illegible] f. 25. a.

* I. Tim. III. 1.

1) Sibi consonans Augustinus de Civ. Dei XIX. 19. ait. *Non amandus est honor in hac vita, sive potentia, quoniam omnia vana sub sole; sed opus ipsum, quod per eundem honorem vel potentiam fit, si recte atque utiliter fit, id est ut valeat ad eam salutem subditorum, quae secundum Deum est. Propter quod ait apostolus: qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Exponere voluit quid sit episcopatus, quia nomen est operis non honoris.* De episcopatu Augustinus epp. XXI. LXIX. CLXXIII. Et serm. ed. XLVI. CXXVII. Et in ps. CXXVI. 3. CXXVIII. 4. Et de C. D. I. 9. Et de gestis cum Emerito n. 7. Et in Ioh. tract. CXXIII. 5.

2) Superbiam definit Augustinus serm. CCCLXXX. generis humani *tumorem.* Iam et illud obiter noto in itala vetere, apud Augustini editum a nobis speculum, pro *fidelis sermo*, scribi *humanus sermo*, quasi dictum in populo frequentatum: quod divus Petrus II. ep. II. 22. dicit *verum proverbium*, quasi *fidelem sermonem.* Sanctus quoque Cyrillus, apud nos in hac B. N. PP. T. II. comment. ad Luc. IV. 23. proverbium dicit κοινὸν λόγον.

3) Sic Augustinus serm. ed. CCCXL: *ut nos vobis non tam praeesse, quam prodesse, delectet.*

ut modestiae tuae non desit auctoritas, constantiam mansuetudo commen-
det, iustitiam lenitas temperet, libertatem patientia contineat; et declinata
superbia, cui proprium est ut cadat, sectare humilitatem cui semper de-
betur ut crescat. Ecclesiasticarum legum non est ignara dilectio tua, ut
in te patrum regulas atque mensuras potestatis tuae iure contineas [1]. Iu-
* I. Tim. I. 9. sto quippe ideo dicitur, lex non est posita *, quia normam praeceptionis
implet iudicio voluntatis. Verus enim amor in semet ipso habet et apo-
stolicas auctoritates, et canonicas sanctiones, quas devote tuus semper se-
ctetur affectus.

2. Vos vero, Fratres vel Filii, quibus divina pietas tam dignum sacer-
dotem providere dignata est, agnoscite et intelligite quam grave pondus
immineat sacerdotum cervicibus. Unusquisque enim in populo de se solo
redditurus est rationem; sacerdotibus autem Domini longe alia manet con-
ditio, a quibus omnium animae requirendae sunt. Quibus terribiliter cla-
* Ezech. III. 19. mat Spiritus sanctus *: si annunciaveris iniquo iniquitatem suam, tu ani-
* Is. LVIII. 1. mam tuam liberasti. Et iterum *: clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem
tuam, et annuncia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata
eorum [2]. Sed iterum atque iterum ad te nunc mihi peculiariter sermo est,
de cuius electione tantos in Christo gaudere cognoscimus. Scito te, Frater
karissime, ignorare non posse, qualiter ante tribunal Christi pro omnium
animabus reddituri sint rationem omnes Domini sacerdotes. Et ideo cum
ingenti tremore, auxiliante Domino, patientiam viriliter tene; taedia et
molestias, pericula etiam et opprobria ineruditi populi, si forte per ali-
quam animositatem fuerint concitati, constanter et fortiter sustine [3]; respi-
ciens ad verum pastorem dominum ac salvatorem nostrum, qui pro suis
ovibus non solum tribulationem, sed etiam mortem sustinere dignatus est.
Multa enim adversa te necesse est sustinere, si doctrinae regulam custo-
dire, si verbum Dei sicut expedit assidue volueris praedicare: quia amara
sunt semper male viventibus praecepta iustitiae [4]. Unde contestor te hodie
coram Deo et angelis eius, et apostolica voce denuncio: attende lectioni,
exhortationi, doctrinae, praedica verbum Dei, insta opportune, impor-
* II Tim. IV. 2. tune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina *.

3. Observa et vide, ne te mundialis negotii implicatio ita teneat oc-
f. 205. b. cupatum, ut verbo Dei vacare non possis. Sed et magis time illud quod
* Matth. XIII. 22? An I. Cor. VII. 35? scriptum est *: impedimenta mundi fecerunt eos miseros. Et illud: nemo
militans Deo, implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se pro-
* II. Tim. II. 4. bavit *. Neque enim te hodie Christus cultorem agrorum, sed pastorem con-
stituit animarum. Et quia ad te directa est hodie vox illa Domini salvato-
* Ioh. XXI. 17. ris tercio clamantis, pasce oves meas *, ita officium praedicationis assume,

1) Mallem ego scribere: *ut intra patrum regulas atque mensuras potestatis tuae iura contineas.*

2) Augustinus de C. D. lib. I. 9. *Ad hoc speculatores (episcopi) hoc est populorum praepositi constituti sunt in ecclesiis, ut non parcant obiurgando peccata.*

3) Confer sermonem ed. CCLXXXIII. 2.

4) Confer serm. ed. CCCXXXIX. 4, et CCCXL. 1.

ne provocatus praesentibus curis non possis Dei verbo vacare, et ovibus tuis spiritalia animarum pabula providere. Mundana enim negocia filiis tuis agenda committe, ut tuus animus in his tantum negotiis occupetur, per quae salus omnibus detur. Sicut enim tibi impietatis crimen erit, si neglector 1) verbi Dei studeas sollicitudines saeculares suscipere, ita et unicuique filiorum tuorum grave peccatum erit, si necessitates ecclesiae noluerint sublevare. Illi ergo quasi veri et optimi christiani ecclesiae filii sunt, qui quae ad saeculum pertinent cum iustitia agere et gubernare contendunt, et tibi solius doctrinae sollicitudinem derelinquunt 2). Si enim tu mundialibus curis fueris occupatus, et te ipsum decipis, et gregem tibi creditum devorandum bestiis derelinquis. Et ideo quidem ad hoc solum vacato, ut opportune et sine intermissione filios tuos doceas, per quod salutem consequantur aeternam. Populus vero tibi commissus cum tanta reverentia audiat, ut te advocatum et praeconem esse cognoscat.

4. Et iterum te, Frater karissime, admoneo ut talenta quae tibi hodie Dominus quasi bono negotiatori duplicanda commisit, cum multiplicato foenore ante tribunal aeterni iudicis restituas. Et quantum potes observa, ne velut inutilis servus acceptum talentum suffodias; id est ne doctrinae lumen terrenis occupationibus implicatus extinguas; sed contremisce magis semper et metue, ne forte si verbo Dei vacare nolueris, audire merearis: serve nequam et piger, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego veniens cum usuris exegissem utique quod meum erat? Avertat a nobis Deus illud quod sequitur *: inutilem, inquit, servum proicite in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium. Ecce quali sententia condemnantur, qui saeculi huius implicati occupationibus noluerint audire apostolum dicentem *: attende lectioni, exhortationi, doctrinae. Et illud: memoriam mei retinete, quoniam non cessavi die ac nocte cum lacrimis monens unumquemque vestrum per triennium *. Si apostolus, ut se apud Deum absolveret, die noctuque commissis sibi populis verbum Dei praedicabat, quid fiet de nobis si in festivitatibus aut dominicis diebus sal doctrinae traditis nobis ovibus ministrare neglegimus? Et ideo quantum possumus cum Dei adiutorio laboremus non solum in ecclesia, sed etiam in consessu, in convivio, et ubicumque fuerimus, spiritualem Domini pecuniam studeamus commissis nobis populis erogare. Nos erogemus pecuniam, quia ille cum venerit exacturus erit usuram. Haec si fideliter agimus, cum ante tribunal aeterni iudicis venerimus, securi cum propheta dicere poterimus: ecce ego et pueri, quos dedisti mihi *. Ubi pro multiplicato foenore talentorum audire mereamur *: euge serve bone et fidelis, intra in gaudium domini tui; quod ipse praestare dignetur, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

* Matth. XXII. 13.
* I. Tim. IV. 13.
* Act. XX. 31.
* Is. VIII 18.
* Matth. XXV. 21.

1) Vocabuli *neglector* unicum citaverat Augustini exemplum Forcellinus; nunc ecce alterum accedit.

2) Sic omnino se gerebat Augustinus, teste in eius vita Possidio cap. 24.

CV. SERMO 1) DE EXPETENDA MAGIS SANITATE ANIMAE QUAM CORPORIS, ET VITANDIS SORTILOGIS *a*).

Cod. vat. 4951. f. 210. a

1. Nostis, Fratres karissimi 2), omnes homines velle sanitatem corporis. Multo melior est sanitas cordis. Unde omnes christiani debent specialiter orare, ut illis Deus dignetur sanitatem animae pro sua pietate concedere. Orandum est pro sanitate corporis, sed dupliciter pro salute animae. Nec nimium nocet si caro infirmatur in mundo, tantummodo ut anima incolumis ascendat in caelum *b*). Nam qui pro solius corporis sanitate sollicitudinem gerit, animalibus bestiis similis est. Quam multi sunt, quod peius est, *qui* si infirmari coeperint in corpore, dolent; si in anima non solum vulnerentur, sed etiam moriantur, nec sentiunt omnino nec dolent! Et utinam quando in corpore infirmantur, ad ecclesiam currerent, et medicinam de Christi misericordia postularent! Sed quod dolendum est, sunt aliqui qui in qualibet infirmitate sortilogos quaerunt, aruspices et divinos interrogant, praecantatores adhibent, phylacteria sibi diabolica et characteres appendunt. Aliquotiens ligaturas 3) ipsas a clericis ac religiosis accipiunt; sed illi non sunt religiosi vel clerici, sed adiutores diaboli. Videte, Fratres, quia contestor vos ut istam malitiam, si a clericis offeratur, non adquiescatis accipere, quia non est in eis remedium Christi, sed venenum diaboli; unde non corpus sanatur, sed in flamma infidelitatis infelix anima gladio diaboli iugulatur. Etiamsi vobis dicatur, quod vere sanctas et lectiones divinas phylacteria ipsa contineant, non de illis sanitatem sibi venturam esse confidant. Quin etiam si per ipsas ligaturas aliqui sanitatem receperint, diaboli calliditas hoc facit; qui ideo aliquotiens de carne infirmitatem tollit, quia iam animam iugulavit. Diabolus enim non tantum corpus, quantum animam cupit occidere. Ideo ad probandum nos, permittitur ut aliqua infirmitas accedat; ut cum illi postea consentimus, praecantatores vel phylacteria ipsa valere et prodesse aliquotiens videantur. Quia diabolus cum per consensum percusserit animam, desinit persequi carnem. Qui enim phylacteria faciunt, et quicumque consentiunt, toti pagani efficiuntur; et nisi dignam egerint paenitentiam, non possunt evadere poenam sempiternam. Vos vero, Fratres, sanitatem de Christo requirite,

a) Ita evidenter in codice, etiam infra *sortilogis* et *sortilogos*, *log* pro *leg*. — b) Cod. *in caelo*.

1) Praecedit in codice sermo ille Augustini qui est CCLXVI. in appendice maurina. Et quidem legendi sunt in vetere editione parisiensi an. 1614. T. X. sermones CCXV. et CCLI, ubi partes huius leguntur.

2) Tria haec verba initium sunt etiam sermonis quarti S. Fulgentii de epiphania.

3) Augustinus serm. ed. CCLXXXVI. 7. *Accedit ad lectum muliercula aut vir, si vir dicendus est, et dicit aegroto: fac illam ligaturam, et sanus eris: adhibeatur illa praecantatio, et sanus eris.* Item serm. CCCXVIII. 3. *Promittitur illi pro salute noxia et sacrilega ligatura, nefanda incantatio, magica consecratio.* Et enarr. II. 18. in ps. 33. *Tales sunt homines, qui volunt et ligaturas adhibere, et ire ad sortilegos.* Denique de doctr. ch. II. 30. *Ad hoc genus pertinent etiam omnes ligaturae atqae remedia, sive in praecantationibus, sive in quibusdam notis, quos characteres vocant, sive in quibusdam rebus suspendendis atque illigandis* etc. Postremo epist. CCXLIV. 2. *Execranda autem superstitio ligaturarum.*

qui est vera lux; ad ecclesiam recurrite; oleo vos benedicto perunguite 1); eucharistiam Christi accipite. Haec si facitis, non solum corporis, sed etiam animae sanitatem percipietis.

2. Ante omnia, Fratres, stateras dolosas et mensuras duplices, per quas aut vicinis aut proximis vestris aliquid fraudulenter venditis, non adquiescatis habere; quia scriptum est: in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis *. Et quotiens causas auditis, iustum iudicium iudicate, et munera super innocentes non accipite; ne, dum lucra temporalia quaeritis, praemia aeterna perdatis. In ecclesia stantes, nolite vos otiosis invicem fabulis occupare. Sunt enim, quod peius est, aliqui viri et praecipue mulieres, quae tantum in ecclesia Dei verbosantur 2), ut verbum maiestatis Domini nec ipsae audiant, nec aliis audire permittant. Qui tales sunt, et pro se et pro illis reddent rationem in die iudicii. Filios, quos in baptismate suscipitis, scitote vos pro ipsis fidei iussores apud Deum extitisse. Et ideo semper eos castigare et corripere debetis 3); ut quod ad iustitiam, castitatem, sobrietatem vel ad misericordiam pertinet, observare contendant. Nec solum eos verbis, sed etiam exemplis ad bona opera revocate; ut cum vos in eo * quod iustum est imitantur, praemia aeterna mereantur. Iterum atque iterum, Fratres dilectissimi, rogo et paterna pietate commoneo, et totis viribus supplico, ut qui in vobis boni sunt, in bonis perseverantiam teneant. Quia scriptum est *: qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Qui vero mala opera se exercere cognoscunt, sine mora se corrigant et emendent; ut cum dies iudicii venerit, et perseverantes in bono et correcti a malo, simul ad praemia aeterna perveniant; auxiliante ipso, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

f. 210. b.

* Matth. VII. 2.

* cod. id

* Matth. X. 22.

CVI. SERMO AD EOS QUI IN FESTIVITATIBUS SANCTORUM PER EBRIETATEM MULTA INHONESTA COMMITTUNT 4).

1. Magnum mihi gaudium est, Fratres dilectissimi, et Deo gratias ago, quod in sanctis festivitatibus pia devotione ad ecclesiam convenitis. Sed licet de vestra devotione Deo propitio gaudeamus, plures tamen sunt quorum perditione nimium contristamur; illos dico qui venientes ad ecclesiam, magis litigare cupiunt quam orare; et quando debent in ecclesia lectiones divinas attentis auribus tota pietate suscipere, tunc forensium causas dicere, et diversis student calumniis impugnare. Aliquotiens etiam, quod peius

Cod. vat. 4951 f. 210. b.

1) Oleum benedictum ad sacramentorum administrationem diserte nominat Augustinus de bapt. contra Donat. II. 27. Morem vero pium semet inungendi oleo simpliciter benedicto in infirmitatibus cernimus in ritualibus priscis. Et quidem hodie adhuc Graeci sic factitant.

2) Verbum *verbosari* est in glossariis, deest tamen apud Forcellinum.

3) Notanda est haec de susceptoribus in baptismo eorumque officiis priscae ecclesiae doctrina.

4) Sermo Augustini hoc titulo: *de non inebriando ad festivitates martyrum* fuit in codice laureshamensi (Spicil. rom. T. V. p. 166.) Simile fere initium: *magnum mihi gaudium facitis,* habet in append. maur. sermo CCXCII, qui tamen statim in alia abit. Ebrietatis vitium in festis luget Augustinus etiam in epistola XXIX, praeter locos iam a nobis citatos p. 171. adn. 1.

est, aliqui nimia iracundia succenduntur, et amarissime rixantur, et turpiter sibi ipsis convitia et crimina iaculantur; nonnunquam etiam pugnis et calcibus invicem colliduntur. Et melius fuerat talibus ad ecclesiam non venire, quam de tantis malis divinam contra se iracundiam concitare. Isti enim, etsi cum minore peccato ad ecclesiam veniunt, cum multis criminibus de ecclesia revertuntur. Unde, licet de vestra devotione laetetur animus meus, tamen rogo vos quicumque boni estis et sobrii, qui iustitiam tenetis, castitatem diligitis, et misericordiam custoditis, ut detis mihi veniam, et patienter accipiatis, quia mihi necesse est istos neglegentes et tepidos castigare, qui ideo ad festivitatem veniunt, ut se otiosis fabulis occupent, non ut divinas lectiones in ecclesia fideli corde suscipiant.

2. Sunt aliqui, qui pro hoc desiderant ad natalicia martyrum convenire, ut inebriando, ballando 1), verba turpia decantando, choros ducendo, et diabolico more saltando, se subvertant, et alios perdant; et qui deberent f. 211. a. opus Christi exercere, ministerium diaboli conantur implere. Istos tales non amor Dei, sed amor luxuriae ad festivitatem consuevit adducere; quia se non ad exemplum bonorum operum, non ad fidei medicamentum, sed ad venenum vel ad laqueum diaboli praeparare contendunt. Isti tales, qui aut expectare *a*) volunt aut imitari, animas suas in aeterna poena condemnant. Sunt et alii, qui natali sanctorum, aut in qualibet aliqua festivitate, causas aut dicere aut audire volunt; et quod peius est, non pro vera caritate, sed pro avaritia vel pro cupiditate. Debent quidem causas dicere, et cum iustitia deliberare; et orationibus magis insistere, quam se diversis litibus impugnare. Sunt nonnulli, qui munuscula et xenia accipiunt, et causas iustas depravare contendunt, sicut propheta dicit: ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem: dicentes amarum esse, quod dulce est; et dulce, quod amarum. Audiunt ergo causas, et iniuste iudicant; accipiunt terrena munera, et perdunt praemia sempiterna; lucrantur pecuniam, et perdunt vitam aeternam. O miser, quicumque hoc fecisti, aut facis, aut facere conaris! Attendis quid adquiris, et non attendis quid perdis. Adquiris aurum vel argentum, et offendis Deum: impletur arca tua, et frangitur conscientia tua. Post paucos autem dies aut annos exit anima tua de corpore tuo; aurum remanet in arca, et infelix anima descendit in gehennam *b*). Quod si iuste iudicasset, si avaritiae vel luxuriae servire infeliciter noluisset, anima sua plena Deo levaretur ad regnum, et arca sine auro remaneret in mundo. Et ideo, Fratres, rogo vos, et per illum cuius pretioso sanguine redempti estis adiuro, ut totis viribus in omni causa iustitiam teneatis, et de animae vestrae salute attentius cogitetis.

3. Quando ad ecclesiam convenitis, nolite vos talibus rebus occupare, unde magis peccata possitis adquirere. Nolite vos occupare ad litigandum,

a) *Expectare*, ut alibi, pro *spectare*. — *b*) Cod. *in gehenna*.

1) Verbum *ballare*, idem fere quod *saltare*, citatur ex alio Augustini loco a Furlanetto in lexico. Apud Cangium autem complura sunt veterum huius verbi exempla. Nunc aliud ex hoc sermone accedit.

sed potius ad orandum; ut non rixando Deum offendere; sed supplicando gratiam illius possitis adquirere. Nolite vos inebriare vino, nolite bibendo nomina vestra delere de caelo. Sunt multi, quod peius est, qui non solum se ipsos inebriant, sed etiam alios adiurant, ut amplius quam expedit bibant. Et quod gravius est, etiam aliqui clerici hoc faciunt. O infelix! Non tibi sufficit quod tu peris; adhuc insuper et alios perdis? Non tibi sufficit quod tu inebriatus corruis, adhuc alios tecum trahis? Non sufficit misero ebrioso in volutabro ebrietatis se ipsum mergere, nisi et alios secum conetur involvere? Nolite, Fratres, nolite malum hoc facere. Audite apostolum dicentem *: neque ebriosi regnum Dei possidebunt. Et iterum *: nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Quotienscumque ad ecclesiam vel ad sollemnitatem martyrum convenitis, quod per gulam et ebrietatem solebatis perdere, per eleemosynam in caelo reponite. Quando ad festivitatem vel ad missam venitis, in ecclesia stantes 1), lectiones divinas cum gaudio feliciter audite; et quod auditis, in memoria retinete, et cum Dei adiutorio implere contendite. Nolite in ecclesia otiosis vos fabulis occupare; nolite invicem verbosari. Sunt enim plurimi, et praecipue aliquae mulieres, qui ita in ecclesia garriunt, ita verbosantur, ut lectiones divinas nec ipsi audiant, nec alios audire permittant 2). Qui tales sunt, et pro se et pro illis malam rationem Domino reddituri sunt.

* I. Cor. VI. 10.
* Ephes. V. 18.

4. Ante omnia causas in festivitatibus nolite dicere aut audire 3). Et quotiens alio tempore causae dicuntur, sicut iam diximus, attendat unusquisque, ne munera accipiendo, alterius iustam causam, malam faciat, ne malam faciat poenam suam. Nam qui iniuste iudicaverit, accipiet pecuniae lucrum, et incurret animae detrimentum. Innocens ad causam audiendam venit, sed reus abscessit. Non se circumveniat, qui talis est. In illo impletur quod scriptum est *: in quo iudicio iudicaveritis, iudicabitur de vobis. Forsitan quando ista praedicamus, aliqui contra nos irascuntur, et dicunt: ipsi qui hoc praedicant, implere dissimulant; ipsi sacerdotes et presbyteri vel diaconi talia plura committunt. Et quidem, Fratres, aliquotiens verum est quod dicitis. Sunt, quod peius est, etiam clerici qui se inebriare solent, et causas istas subvertere, et in festivitatibus causas dicere, et litigare, et negotia exercere non erubescunt. Sed numquid *a*) toti condemnandi sunt, quia mali aliqui inveniuntur? Nos enim non solum saecularibus et laicis, sed etiam clericis et nobis ipsis clamamus, nos ipsos arguimus, ut si usque modo fecimus, vel nunc emendemus, et iam numquam de reliquo faciamus. Et sic agamus paenitentiam de praeteritis, ut semper simus solliciti de futuris. Nam quando mihi dicis, quia quod praedico, ego implere nolo, accusas quidem me, sed non excusas te. Ego enim, etsi non facio, tamen vel admoneo. Nolo in die iudicii duplicis criminis reus esse. Ad

f. 211. b.
* Matth. VII. 2

a) Cod. *nunc quid?*

1) Nota morem veterem standi, non sedendi, in ecc.

2) Citat verba aliquot his similia Cangius ex serm. CCXV. prout est in vetere Lovaniensium pariensi editione; qui tamen sermo a nostro deviat.

3) Animadverte morale praeceptum de abstinentia a litibus die festo.

mensam cordis vestri offero legem divinam, quasi Domini mei pecuniam. Christus cum venerit, ipse exacturus erit usuram. De neglegentibus sacer-
* Matth. XXIII. 3. dotibus, qualis ego sum, ipse Dominus loquens ad populum dixit *: quae dicunt vobis, facite; quae autem faciunt, facere nolite; dicunt enim et non faciunt. Ego enim, etsi quod bonum est, non facio, in aures tamen vestras praecepta domini Salvatoris insinuo. Sed potens est Deus, orantibus vobis, ut vobis tribuat libenter audire quod dicimus, et nobis concedat vobiscum implere posse quod praedicamus; qui vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen 1).

CVII. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE MISSA COTIDIANA 2).

1. Congregatio beatitudinis vestrae, Fratres karissimi, facit nos nimio gaudio esse repletos. Sed quia pavet pectus catenis corporis obligatum, non possum dicere, quantum splendor animi vestri delectat audire. Tamen adgredior, ut arrha a Deo data clariore, et pignore splendidissimi luminis refulgente, palpitat sensus mei dicentis. Peto ut vestris auribus inseratis, Fratres mei, officia sacerdotis, quibus per viscera misericordiae incommo-
* Gal. IV. 19. dum 3) non desinet parturire, dicente apostolo Paulo *: filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Sed illis ait apostolus, qui novellae fidei, et rudis adhuc credulitatis primitiae, detinebantur in corde plantaria. Verum, propitio Deo, quia ita aput *a*) vos fidei praerogativa veterescit, ut et nova sit; ideo novitatem tenet, ut vetus sit: quia
* Eccli IX. 15. sic scriptum est *: vinum bonum veterescit, et cum suavitate bibetur, tamen celare non potui, et diutius suppurgatum *b*). Nolui videre quod lugeam, nolui videre quod doleam. Clamo quia pastor sum, non mercenarius qui viso lupo fugit, et oves ut pereant derelinquit. Clamo quia timeo, clamo quia doleo: clamando enim et me excuso, et vos non perdo. Nam si tacuero, et me non excuso, et vos perdo. Ait enim Deus per
* Is. LVIII. 1. Esaiam prophetam *: exclama, inquit, in fortitudine tua, et noli parcere: sicut tuba exalta vocem tuam, annuntia plebi meae peccata eorum, et domui Iacob facinora eorum. Ita enim devotio vestra refriguit, Fratres mei, ut et illut sentiam, et metuam, quod Dominus ait: eo quod facinus abundet, refrigescit caritas multorum, puto in vestra devotione compleri.

a) Prisca orthographia, ut est infra *illut*, *aliut*. — *b*) Sic videbatur in codice.

1) Hactenus ex nobili codice vat. 4951. sermones S. Augustini excerpsimus.

2) Hunc nos sermonem edidimus in Spicil. rom. T. VIII, traditum a R. P. abbate Alb. Amatore, perdocto sessorianae bibliothecae in urbe bibliothecario: nunc vero eundem recudimus, ceu propria in sede, in hac sancti Patris novorum sermonum collectione. Sumptus fuit ex antiquissimo codice sessoriano LV. saeculi ferme septimi. Deinde tamen proh dolor! narrabat mihi idem cl. bibliothecarius, folium codicis, ubi hic sermo scribebatur, quia dissolutum erat, malo casu excidisse in Sessorianae vastatione anno 1849. per nuperos romanae urbis perduelles oppressores; neque hactenus, quamquam codicibus prope omnibus recuperatis, id folium esse repertum. Quamobrem nobis vehementius gratulamur, quod illa priore editione sermonem Augustini, cui diserte in codice inscribebatur, ab interitu vindicaverimus. Apparet autem, dictum hunc sermonem fuisse dum adhuc ethnici iudaeique inter christianos versarentur, cultusque suos exercerent.

3) Id est molestiam per suum zelum creare

Dum enim vos in domibus vestris *a*) sedere sectamini, desertam facitis domum Dei.

2. Et audi quid per prophetam divina istiusmodi indignatio omnium mentes obiurgat. Audi, christiane, quod timeas; audi, timorate 1), quod caveas *. Pro eo quod domus mea *b*) deserta sit, ideoque caelum abstinebit pluvias, et terra non dabit fructum suum. Et inducam gladium super opera manuum hominum, quia Deus in ecclesiis non auditur. Quis ad hoc, Fratres mei, intentus non visceribus contremescat? Quis non tantis comminationibus percussus arescat? quando sic audiat Dominum indignantem, eo quod domum suam desertam faciatis, (*et quod domus or*)ationis a conventu religioso sit vacua? Plena est populis platea, et silet ecclesia. Utique, prudens homo, non tibi dicitur ut ad domum Dei omni hora convenias. Si in matutinis, vix una hora est; si in diebus festis, vix duae horae sunt 2). Ecce parum est, quod a te exigit auctor tuus. Et non vis esse beatus? Vis tibi caelum, et terram, mare, et omnia elementa omnibus temporibus deservire, et non vis una hora vel duabus horis dominicae devotioni vacare? Castigetur ergo pigritia vestra, ut procreationes suas non perdat terra. In*ducetur gladi*us super opera manuum illorum, quia Deus in ecclesiis non auditur.

* Agg. I. 9.

3. *Condemnat* nos pigritia nostra, Fratres mei. Currit matutinus ad synagogam iudaeus; festinat et vigilat ad templum paganus; et non vigilat aut festinat ad ecclesiam christianus. Magna confusio est christianis, qui provocantur venire ad domum Dei exemplo et contemplatione peiori; ut plus sit iudaeus in sua observatione sacrilegus, quam christianus in sua religione devotus. Vigilat gentilis ad idola profanus, et non vigilat aut festinat christianus ad ecclesiam, pro quo crucifixus est Christus. Propterea castigat Deus terram, ut homo accipiat disciplinam: ut homo corripiatur, terra dar*e fructum suum prohibetur. Audin Dominum* dicere? vos facitis domum meam desertam, et ego desertam faciam terram vestram. Vos in veniendo ad me non datis mihi honorem, et ego vestrum intercidam laborem: quia qui honorificat me, inquit, et ego honorificabo eum.

4. Sed dicturus es mihi forsitan: dives sum, et facultatibus cunctis abundo, nihil indigeo; quid petere possum? Ergo ex te dives es? aut cum divitiis natus es? qui magis quantum dives es, tantum ad eum, cuius sunt divitiae, manicare 3) debes: quia meum est, inquit *, aurum et argentum, et cui voluero dabo illud *c*). Habes quod non accepisti? Si ergo accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Certe si accepisti, nihil habuisti, quia nudus ex utero matris tuae in hoc saeculum devenisti, pannis obsitus, extrema egestate confectus, et iam sicut natus moriturus. Habes testem beatum Iob dicentem *: nudus exivi de ventre matris meae, nudum *d*) me opor-

* Agg. II. 9.

* Iob. I. 21.

a) Cod. *in domos vestras.* — *b*) Cod. *sua.* — *c*) Cod. *eum.* — *d*) Cod. *nudus.*

1) De vocabulo *timoratus* nos alibi in glossario.

2) Animadvertamus morem veterem spatiumque orandi in ecclesiis.

3) Verbi *manico, as*, nonnulla exempla exhibuit Furlanettus in lexici appendice. Nunc aliud accedit ex Augustino.

tet ire in terram. Curris ad domum faeneratoris, adulatoria verba conponis, et non curris ad domum Dei gratuito largitoris? Quae est in vobis tanta pigritia, Fratres mei, ut ad domum Dei minime vigiletis? Tibi dico, quisquis es, rustice piger: pigritaris 1) ad domum Dei venire, et non pigritaris terram tuam excolere? Et nisi desuper tibi dederit pluviam, non poteris rumpere terram: *terra* nihil tibi de suo praestare poterit, nisi de-
* Iac. I. 17. super acceperit. Scriptum est enim *: desursum descendit a patre luminum, aput quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Si-
* Luc XII. 31. cut et in evangelio scriptum est *: verum quaerite regnum Dei primo et iustitiam, et haec omnia adponentur vobis. Ergo, Fratres mei, ad ecclesiam Dei vigilare debetis. Hoc expectat Deus, ut illi tantummodo fatearis, et non sunt morae ut saneris, nisi confessionem tuam solummodo quaesiturus. Explicit.

CVIII. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI (DE TIMORE DEI 2).)

Cod. vat. reg. 498. f. 99. a.

1. Haec sunt sanctae conversionis et religionis initia. Primo ut studeat frater timere Deum et amare; duo enim sunt praecepta, quibus tota iustitia
* Ps. XXXVI. 21. clauditur, quae nobis indicat propheta cum dicit: declina a malo et fac bonum *. Ad quae duo praecepta valent istae duae virtutes, timor et amor; nam timor Domini facit vitare malum, et amor agere bonum. Sic autem timorem Domini poterit habere frater, si mala quaecumque fecit, mente retractet; si ex his a districto iudice Deo se damnari formidet; si versetur ante oculos eius imago futuri iudicii, et cogitet quam sit contremiscenda illa poena; cum percipientibus aliis vitam aeternam, alii in mortem perpetuam praecipitentur. Haec et alia huiusmodi humiliant cor ad paenitentiam, ut in se homo severitatem exerceat, seque ipsum iudicet, ne a
* I. Cor. XI. 31. Domino iudicetur. Sic enim dicit apostolus *: si nosmet ipsos iudicaremus, non utique iudicaremur. Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suae, si timet illud quod oportet exhiberi ante tribunal Christi, ut illic recipiat unusquisque quod per corpus gessit sive bonum sive malum. Constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat quod minatur Deus
* Ps. XLIX. 21. peccatori dicens *: arguam te, et statuam contra faciem tuam. Atque ita constituto in corde iudicio, assit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animae confitentis per lacrimas ef-

1) Adde hoc Augustini exemplum in appendice Furlanetti, ubi tantum citatur vulgatus act. IX. 38.

2) In codice vat. reginae svecae 498. saeculi circiter XII, ubi nos olim tres ineditas Fausti episcopi homilias deprehendimus (Spicil. rom. T. V. p. 85. seqq.) insunt quoque S. Augustini 1. sermo genuinus 46. de pastoribus. 2. sermo 54. ad fratres in eremo. 3. Sermo 61. item ad fratres in eremo, quorum uterque spurius habetur. Inter hos duos, hunc reperiebam, non sine Augustini nomine, *de timore Dei* sermonem, quem nihil definiens heic attexo. Sane *de timore Dei* sermocinatum fuisse Augustinum, testis est Possidius in indiculo cap. I, in quo tamen Maurini intelligunt sermonem ed. 348. (adde et 347.) Item Possidius cap. VIII. memorat alium eiusdem sermonem *de timore casto*. Tum in codicibus laureshamensibus fuerunt (Spicil. tom. cit. p. 166.) S. Augustini sermones *de timore*, et *de timore Dei*. Profecto timoris sancti doctrina apud Augustinum abundat.

fluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum et peccatorem semper iudicet. Peccata enim sive parva sive magna, non possunt esse inpunita, quae aut homine paenitente, aut Deo iudicante plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio praecurrat humana; amat enim Deus confitentibus parcere, et eos qui semet iudicant non iudicare. f. 90. b

2. Valet etiam ad habendum timorem Domini, si cogitet frater omnibus horis et momentis, Dominum de caelo cogitationes suas et actus intueri, et nihil ei abscondi, cuius oculis omnia nuda sunt et aperta. Unde per psalmistam dicitur *: scrutans corda et renes Deus. Et beatus Iob ei dicit *: cognovisti semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. Mortem quoque suam semper debet pensare vicinam; quae meditatio omnium peccatorum est peremptoria, sicut scriptura dicit *: in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis. Ubi timor non est, dissolutio vitae est; ubi dissolutio vitae, ibi vitiorum habundantia; ubi vitiorum habundantia, ibi perditio animae est. Timor semper emendat, tollit securitatem, parit sollicitudinem, torporem fugat, animum excitat, superbiam deicit, humilitatem nutrit. Timens Deum vitat peccata in verbo, in facto, in cogitatione, in visu, in auditu, in tactu, in incessu, in habitu, et in omnibus motibus suis corpus et animam suam studet custodire a malo. Haec sunt, ut diximus, sanctae conversionis initia; quae si frater assidue meditatus fuerit, incipiet se praeparare ad servitutem Dei, et armare se contra insidias diaboli, et pugnare contra concupiscentias carnis suae, et contra propriam voluntatem, et sanctae obedientiae iugo libenter et humiliter se subicere, et caelesti Domino deservire in sanctitate et iustitia cunctis diebus vitae suae. Talia sunt timoris Domini initia, de quo scriptura dicit *: initium sapientiae timor Domini. Caritas autem perfecta foras mittit timorem *. Primo ergo conversionis *a*) exordio, timore Domini tamquam lacte nutritur parvulus, ut postmodum divino tanquam cibo valido pascatur magnus.

* Ps. VII. 10. * Iob. XIII. 27. * Eccli VII. 40. * Ps. CX. 10. * I. Ioh. IV 18.

3. Tres enim sunt conversionis gradus, quibus oportet conscendere, ut ad caritatem Domini perveniri possit, in qua totius religionis et perfectionis forma *b*) consistit. Primus gradus est, de quo dominus et Salvator noster nos admonet dicens *: qui non renunciaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus 1). Quod tunc agimus cum ad sanctum propositum venientes, de terrena substantia nihil nobis relinquimus; sicut scriptum est de primitiva ecclesia, quibus erat anima una et cor unum; et nihil dicebant proprium, sed erant illis omnia communia, et distribuebatur unicuique prout cuique opus erat. Hinc Dominus ait *: si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis

* Luc. XIV. 33. * Matth XIX. 21.

a) Ita cod. heic mendose *conversationis*. — *b*) In cod. superscribitur varia lectio *summa*.

1) Augustinus serm. CCCLXVIII. 3. *Pleni sunt homines amore auri et argenti, possessionum saeculi huius. Ideo prima renuntiatio est huic saeculo, et deinde conversio ad Deum*. Et in ps. IX. enarr. n. 10. *Non convertitur anima ad Deum, nisi dum ab hoc saeculo avertitur*.

thesaurum in caelo, et veni sequere me. Non enim simul possumus et
* II. Tim. II. 4. Christo militare, et mundo implicari. Nemo, inquit apostolus*, militans Deo,
l. loc. a. implicat se negotiis saecularibus, ut placeat ei cui se probavit. Et Iacob
* Iac. IV. 4. ait*: quicumque voluerit esse amicus saeculi huius, inimicus Dei constitue-
* I. Ioh. II. 15. tur. Iohannes quoque nos admonet dicens*: nolite diligere mundum,
neque ea quae in mundo sunt; quoniam qui diligit mundum, non est
* Luc. XVI. 13. caritas patris in eo. Ipsa etiam veritas nos admonet dicens*: non potestis
duobus dominis servire, Deo et mammonae. Eligamus ergo meliorem do-
minum, cui pure et sancte serviamus, salvatorem nostrum Christum, qui
pro contemptu rerum visibilium, quod oculus non vidit, nec auris audi-
* I. Cor. II. 9. vit, nec in cor hominis ascendit, praeparavit diligentibus se*.

4. Secundus gradus conversionis est, de quo Dominus in evangelio
* Matth. XVI. 24. ait*: qui vult post me venire, abneget semet ipsum. Semet ipsum abnegare,
est propriam voluntatem derelinquere 1). Suam enim sequi voluntatem, per-
* Prov. XIV. 12. niciosum est. Unde scriptum est*: est via quae videtur hominibus recta,
novissima autem eius ducunt ad mortem. Et iterum: via stultorum recta
* v. 15. in conspectu eorum*. Qui autem id solum quod vult, rectum esse appro-
bat, et semper iuxta sensum suum vivere vult, et agere, loqui, cogitare,
quaecumque voluntas propria appetierit, via perditionis et mortis est. Et
saepe rebellem et inobedientem fratrem Dominus iratus ita punit, ut cum
voluntati auctoris sui negligit obedire, iusto Dei iudicio propriae voluntati
permittitur deservire, et carnis desideria sequi; quae vita periculosa est. Ut
* Rom. VIII. 13. idem apostolus dicat*: si autem secundum carnem vixeritis, moriemini.
Teneamus ergo Domini sententiam dicentis: qui vult post me venire, abne-
get semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim Domi-
num in bonis operibus imitari desiderat, prius oportet ut semet ipsum ab-
neget, propriam voluntatem deserendo; vitam mutet, mores corrigat,
conversus in melius desinat esse quod erat, et incipiat esse quod non erat.
Oportet etiam ut se concupiscentiis et vitiis mortificando, crucem Domini
* Ps. XLIII. 22. tollat, ut possit dicere cum propheta*: propter te mortificamur tota die.
* Gal. V. 24. Hinc apostolus ait*: qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum
vitiis et concupiscentiis.

5. Tertius gradus conversionis est, oblivio huius saeculi, caelestisque
* Phil. III. 13. patriae contemplatio. Unde apostolus nos admonet*, oblivisci ea quae retro
sunt, scilicet temporalia; et extendere nos ad ea quae ante sunt, videlicet
aeterna. Sic enim nutritur amor Dei in nobis, si contemptis cunctis dele-
ctationibus, et oblitis omnibus quae in hoc mundo sunt, ad sola cae-
lestia flagrat noster animus. Exeuntes ergo de Aegypto huius saeculi,
conversemur ibi mente et desiderio, ubi sumus iugiter permansuri; qua-
* Philip. III. 20. tinus *a*) opere et virtute possimus clamare cum apostolo*: nostra autem
conversatio in caelis est.

a) Ita cod. pro *quatenus*. Sic et alibi in antiquis codicibus.

1) Hinc arduum et sublime obedientiae monasticae votum, quod nemo extra Christi religionem novit.

DE SEQUENTE SERMONE CIX.

MONITUM.

Vetus querela est, complurium documentorum exemplis confirmata, libros multos, praesertimque sermones, parentibus non suis ab inferioris aevi librariis fuisse suppositos, nempe ut illustria iactando nomina, pretium codicibus a se confectis adquirerent. Itaque Iohanni Chrysostomo atque Athanasio apud Graecos, Ambrosio atque Augustino et Fulgentio atque Leoni apud Latinos, temere sermones non pauci inscripti creduntur. Quod vere credi, aedepol non negaverim; sed contendam simul, multos vicissim Chrysostomo praesertim et Augustino genuinos sermones fuisse subductos a variorum auctorum editoribus, qui si non pretium, certe molem editionum suarum augere studebant. Id mihi potissimum comperisse videor in S. Petri Chrysologi editore Mita, et in S. Maximi taurinensis item editore Bruno, qui levibus interdum permoti indiciis, vel quasi narium suarum odora vi ducti, multam homiliarum struem ad se congesserunt. Ut nunc autem in Chrysologo sistam, equidem video ad hunc translatos fuisse sermones complures, qui in antiquissimo codice bobiensi, nunc praestante vaticano 5758, *atque in aliis, Augustino inscribuntur, ideoque ad hunc postliminii iure ex alienis sedibus redire deberent. Itaque, ut de aliis vatt. codicibus sileam, in bobiensi quidem illo* πάνυ, *sex saltem reperiebam Augustini sermones, qui perperam recente aevo ad editiones Chrysologi pertracti fuerunt. Nihilominus hoc comperto, cunctos ego sermones istos praetermisi, quia ineditos tantum (quantum scire potui) divulgare Augustini sermones constitui: proderit tamen heic ipsos nominatim designare, ut recentium editionum plagia iure meritoque revelentur. Itaque I. qui est in bobiensi codice p.* 10. *sermo de natale Domini*, debetur *etc. translatus fuit ad Chrysologum n.* 143. *II. In cod. p.* 21. *sermo de fuga in Aegyptum*, hodierna lectio *etc. transiit ad eundem Chsysologum n.* 151. *III. In cod. p.* 45. *sermo de arbore fici*, sicut peritus, *item ad Chrysologum n.* 106. *IV. In cod. p.* 52. *sermo de ieiunio*, quoniam ieiunii *etc. pariter ad Chrysologum n.* 12. *V. In cod. f.* 88. *sermo de resurr. Domini*, quantum a vobis, *aeque ad Chrysologum n.* 75. *VI. In cod. p.* 92. *sermo de nat. Domini*, quantum secretum, *similiter ad Chrysologum n.* 141. *Sunt alii in praedicto bobiensi vetustissimo, ideoque sincerissimi habendi, qui tamen velut suspecti aut reiecticii, a Maurinis praesertim, in appendicem relegati fuerunt, nempe sub numeris* 124. 135. 199. *Ille quoque dubius Maurinis n.* 369 Salvator *etc. in bobiensi est; et quidem recitaverat olim ut augustinianum Arnobius in disputatione cum Serapione Bib. lugd. PP. T. VIII. p.* 1018, *quo testimonio, quicquid dicant Maurini, nihil gravius et credibilius est.*

Quae cum ita se habeant, utile quidem foret, sermones hos Augustini, prout sunt in bobiensi codice, typis recudere, praesertim quia plurimas prae se ferunt varietates; verumtamen, ut dixi, id a praesenti proposito nostro alienum est. Unum ceteroqui delegi de occisione infantium ab Herode *sermonem, qui ab editoribus factus est Chrysologi* 152*: in Alcuini autem homiliario p.* 39, *nec non apud Combefisium B. C. T. I. p.* 452, *et in nonnullis etiam deterioris aevi vaticanis codicibus, Severiano gabalitano (interdum etiam Severino) inscribitur, quem tamen bobiensis codex p.* 26. *inter Augustini sermones connumerat. Severianum quidem, graecae linguae hominem, nullo modo hic sermo redolet, ne si translatus quidem putetur, sed romanum seu latinum; tanta est vocabulorum phrasiumque proprietas, sententiarum densitas, qualis fere apud Symmachum Augustini aequalem est, et forensium quasi formularum genuinus color! Frequens item antithetorum usus Augustinum videtur satis prodere. Redeat igitur per nos, vel potius per vetustarum membranarum auctoritatem, sermo hic ad parentem suum Augustinum, a quo immerito hactenus exulavit.*

CIX. INCIPIT TRACTATUS DE OCCISIONE INFANTIUM AB HERODE.

Cod. vat. 5758. p. 26. 1. Zelus quo tendat, quo prosiliat livor, invidia quo feratur, herodiana hodie patefecit immanitas, quae dum temporalis regni aemulatur angustias, aeterni regis ortum molitur extinguere. *Tunc Herodes,* inquit *a*), *videns quia inlusus est a magis b*). Dolet impietas se inlusam, dilatam *c*) se crudelitas furit, fremit dolositas se deceptam, et in se fraus reversa conliditur. Herodes stridet, cadens ipse in laqueum quem tetendit. Hinc iniquitatem, quam condiderat, evaginat: de fide perfidiae *d*) sumit arma: terreno quaerit furore, quem natum caelitus non *e*) credit: ad sinus matrum militum cogit castra, inter ubera arcem pietatis obpugnat, in teneris uberibus ferrum durat, lac fundit ante quam sanguinem, dat ante mortem sentire quam vitam, tenebras ingerit intrantibus lucem. Sic agit *f*) magister mali, minister doli, irae artifex, inventor sceleris, impietatis auctor, pietatis praedo, inimicus innocentiae, hostis naturae, malus omnibus *g*), suis peior, pessimus sibi; quem Christus non ut evaderet, sed ne videret, au-
p. 27. fugit *h*). In altum tendens, cadens alte *i*): caelum pulsans, intrat profundum. In se vadit, qui vadit in Deum: se occidit, qui vitam conatur occidere: quia capere *k*) non potest perditionem salus, occisionem vita, aeternitas finem.

2. O ambitio, quam caeca semper! o quam *l*) praesumptio pessima! o quam perdit concessa, qui inconcessa captatur *m*)! Herodes obsidens terrenum regnum, inpugnat caeleste: terrenis inhians, inruit in divinum *n*), ipsamque pietatem tota inpietate insectatur *o*). Audierat natum regem, quaesierat ubi, quando, unde, ad quid: qualiter *p*) non quaesivit, quia aput *q*) illum non peccandi timor *r*), non amor innocentiae iam manebat. Destinatus ad scelus *s*), ad piaculum promptus, paratus ad crimen, causas innocentiae non requirit: ius abrogat, confundit fas nefasque: cui nequitia est sodalis, cui odiosa est aequitas, iniquitas *t*) est amica: qui caedibus vivit, qui se munit sanguine, qui crudelitatibus saevit *u*): cui de timore stat totum, de amore nil constat. Herodes tum *x*) caecus sic Christum gladiis quaerit, in-
p. 28. vestigat cruore, crudelitate rimatur. Successorem timens, incessit in auctorem: perimit *y*) innocentes, volens innocentiam deperire: rector populi, morum custos, disciplinae censor, iustitiae indago *z*), aequitatis defensor, servator innocentiae, ampliator populi, innocentis *aa*) causam facit innocentium crimen: munus nati, natorum vertit in poenam: auctoris ortum, orientium mandat occasum: negotium salvantis, salvandorum iubet esse discrimen. Iudex audientes vocat, interrogat loquentes, negantes arguit, ur-

a) Cod. I. m. *inquid*, ut saepe alibi in codd. — *b*) Ed. Combefisii recitat longiorem sacrum textum. — *c*) Cod. mendose *dilitans*. — *d*) Cod. *perfidiam*. — *e*) In cod. deest *non* — *f*) Perverse editio *ait*. — *g*) Deest in cod. *malus omnibus*. — *h*) Cod. *haufugit* — *i*) Ed. *cadit ab alto*. — *k*) Haec est sequentia passive in editione: *quia capi non potest perditione salus, occisione vita, aeternitas fine*. — *l*) Ed. *o quam semper*. — *m*) Editio *captat*. — *n*) Ed. *divina*. — *o*) Cod. *sectatur*. — *p*) Ed. male inserit *debuerat*. — *q*) Ita codex I. m. Sic et infra, et passim in aliis priscis codicibus. — *r*) Perverse ed. *amor* sine *non*. — *s*) Male cod. *caelos*. — *t*) Ed. *iniquitas semper*. — *u*) Ed. *qui crudelitatem sectatur*. — *x*) Ed. *tunc*. — *y*) Cod. I. m. *peremit*. — *z*) Ed. *indagator*. — *aa*) Cod. *innocentes*. Varietates apud Chrysologum omisimus.

guet reos, percellit socios, conscios carpit *a*). Infantes *b*) quorum lingua tacuit, oculi nil viderunt, nihil audierunt aures, manus nihil fecerunt, et quibus actus nullus est, unde culpam *c*) subierunt *d*) et mortem qui vivere nescierunt? Non tempus adfuit, non excusavit aetas, silentium non defendit: quibus aput Herodem solum quod nati sunt, hoc fuit crimen. Et re vera, Fratres *e*), quomodo non redderent naturae creditum, a quibus causa exigebatur auctoris? Infelix homo, qui sibi ad accusationem
paravit totum *f*), ad excusandum spacium *g*) non reliquit: totum *h*) paravit p. [illegible]
ad poenam, nil *i*) reservavit ad veniam *k*). Quis excusabit *l*), quem pulsat innocentia, infantia impetit, lacteus *m*) sanguis accusat? Hoc contra Herodem *n*).

3. Quid Christus *o*) futurorum praescius, conscius secretorum, cogitationum iudex, mentium perscrutator? Quare deseruit quos sciebat quaerendos esse propter se, quos propter se noverat occidendos? Natus rex, et rex caelestis, quare neglexit milites innocentiae suae? coaetaneum sibi quare contempsit exercitum? quare cunabulis suis deputatas excubias sic reliquit *p*), ut regem solum quaesiturus hostis totum crassaretur in militem? Fratres, Christus non despexit suos milites, sed provexit; quibus dedit ante triumphare *q*) quam vivere; quos fecit capere sine concertatione victoriam; quos donavit coronis ante quam membris; quos voluit virtutibus vitia praeterire: ante caelum possidere, quam terram: nec ante humanis inseri *r*) quam divinis. Praemisit ergo Christus suos milites, non
amisit: recepit suas acies, non reliquit. Beati *s*), quos natos martyrio vi- p. 30.
demus *t*) esse, non saeculo! Beati, qui labores in requiem, in refrigerium dolores, maerores in gaudium *u*) commutarunt! Vivunt, vivunt, quia vere vivunt qui pro Christo merentur occidi. Beati ventres, qui portaverunt tales! beata ubera quae se talibus infuderunt *x*)! beatae lacrimae quae pro *y*) talibus fusae, flentibus gratiam baptismatis contulerunt! Nam diverso modo, dono uno, in lacrimis suis matres, suo filii *z*) sanguine baptizantur: in martyrio filiorum passae sunt matres: nam gladius filiorum pertransiens membra, ad matrum corda pervenit 1): et necesse est ut in praemiis sint consortes, quae fuerunt sociae passionis. Arridebat enim tunc *aa*) parvulus occisori: gladio adiocabatur *bb*) infantulus: nutricis loco adtendebat

a) Ed. *corripit, addicit complices, sententiae dat detectos.* — *b*) Ed. *infantes quid?* — *c*) Ed. *unde culpa?* — *d*) Ed. *susapserunt.* — *e*) Deest in ed. *fratres.* — *f*) Cod. *omnia.* — *g*) Cod. *speciem.* — *h*) Ed *sed totum.* — *i*) Cod. 2. m. *nicil.* — *k*) Quatuor praecedentia verba desunt in ed. — *l*) Cod. *excusavit.* — *m*) Ed. male *lac ut sanguis.* — *n*) Cod. *Herodem* sine *contra*, quod est in editionibus. — *o*) Mendose deest in ed. *quid Christus.* — *p*) Cod. 1. m. *reliquid.* — *q*) Cod. 1. m. *triumfare.* — *r*) Cod. *inserit.* Ed. *inserere.* — *s*) Cod. heic *beatos*, sed idem mox *beati.* — *t*) Ed. male *vidimus.* — *u*) Cod. *in gaudio.* — *x*) Cod. 1. m. *infunderunt*, ut alia huiusmodi in fragmentis biblicis. Sed 2. m. *infuderunt.* — *y*) Cod. *sunt* loco *pro.* — *z*) Ed. *et sui filii suo sanguine.* — *aa*) Ed. sine *enim* et *tunc.* — *bb*) Cod. *avocabatur.*

1) Hinc. Luc. II. 35. Simeon ad Mariam: *et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quae verba prae oculis sine dubio habuit voluitque imitari Augustinus. Et quoniam de matre Dei mentio incidit, hoc quoque monendum censemus, sermonem LXXVI. quem retro ex aliis codicibus nos edidimus, in hoc pariter codice 4222. haberi, cum varietatibus, quarum praecipuae sunt 1. Titulus sermonis est non *de occisione infantium*, sed *de partu sanctae Mariae.* 2. In sectione tertia post voc. *turpis*, additur: *istud tamen autumat insana et blasphema, nesciens quid loquatur.* 3. In quarta sectione pro *nefas est credere*: scribitur: *quod extraneum est ab ecclesia catholica.*

R

lactans percussoris horrorem: nescia lucis aetas moritura gaudebat: infans filius omnem hominem non hostem respicit, sed parentem: matres, matres *a*) tulerunt, quicquid *b*) angoris extitit et laboris *c*): et ideo non carebunt
p. 31 martyrii gloria *d*), martyrii lacrimas quae fuderunt. Hoc loco adtendat auditor, adtendat ut intellegat *e*) martyrium non constare per meritum, sed venire per gratiam. In parvulis quae voluntas, quod arbitrium, ubi captiva fuit et ipsa natura? De martyrio ergo demus totum Deo, nihil *f*) nobis. |Vincere diabolum, corpus tradere, contemnere viscera, tormenta expendere, lassare tortorem, capere de iniuriis gloriam, de morte vitam, non est virtutis humanae, muneris est divini. Ad martyrium qui sua virtute posse se currere credit *g*), per Christum non *h*) pervenit ad coronam 1). Explicit.

CX. SERMO BEATI AUGUSTINI EPISCOPI (DE OCCISIONE INFANTIUM. 2)

Cod. vat. 5222. f. 67. b. 1. Dilectissimi Fratres. Praecantator 3) propheta David Spiritu sancto inundatus sic ait, quod etiam caritas vestra modo nobiscum audivit, simulque cantavit: ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter
* Ps. VIII. 3. inimicos tuos *. Dedicatur vobis ab infantibus sermo sanctis laudibus in Domini gloriam: ora prima voce aperiunt innocentes: fiunt diserti laude, qui fuerant imperiti sermone: offerunt Deo primitias linguae: novos oris immolant fructus: verborum principia tunc primitus libant. Infantia enim, quae per aetatem loqui non poterat, glorias Dei cum gaudio resonabat. Norunt laudare Christum, qui loqui non noverant: ostendunt laudibus, dum suffragiis praedicant Christum, quem parentes 4) ad supplicium ducere nitebantur. O Herodes! miserabili furore insectaris Christum, quem infantes suscipiunt. Tu crudelis existis, et pueri venerantur. Nec ab infantibus discere potuisti, quos tu debueras erudire. Disce, miserrime hostis, disce, inquam, a parvulis quod in lege non discis. Agnosce vel tardius Christum, quem innocens aetas docet hominibus praeferendum. In infantum *i*) laudibus intellege Dominum, quem praeconiis non intellegis prophetarum. Crede suffragio parvulorum, qui non credis documento *k*) virtutum. Persuadeant talium laudes, si persuadere Dei non potuerunt voces, praedicando non quem suasio docuerat, sed quem divinitas innocentibus inspirabat. Cessant enim humana tempora quia humana prodesse non poterunt, nisi divinorum solacio subleventur.

a) Ed. semel *matres*. — *b*) Cod. 2. m. *quidquid*. — *c*) Ed. *doloris*. — *d*) Ed. *gaudio*. — *e*) Ed. *intelligatur*. — *f*) Ed. *nil*. — *g*) Ed. *ad martyrium qui sua virtute currit*. Codex 1. m. habet ut nos scripsimus, at 2. fuit perturbatus *et pervenire*, pro *non pervenit*. — *h*) Voc. *non* sub rasura in cod. — *i*) Ita cod., non *infantium*, heic et infra; et ita scriptum vidi etiam in bobiensi antiquissimo vat. 5758. — *k*) Cod. *documenta*.

1 In editionibus additur haec clausula: *sed ipse nos caeleste perducat ad pabulum, qui nostro dignatus est iacere in stabulo, Iesus Christus nazarenus dominus noster, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.*

2 Confer cum hoc alium de innocentibus Augustini sermonem in Milleloquio T. I. col. 1034.

3 Animadverte *praecantator* eodem heic sensu quo *praecentor*. Alioquin etiam in hoc volumine serm. CV. 1, et in psalm. CXXVII. 11, nec non in Milleloquio T. II. col. 795, et alibi, Augustinus hoc vocabulo denotat illum qui incantationibus dat operam. Videant ergo grammatici, num prior quoque sensus vocabuli lexicis sint inferendus.

4) Parentes infantium Iudaei, quorum personam gerebat Herodes.

2. Erigitur itaque infantum aetas in laudem, quae delictorum non noverat crimen. Noverant et alleluia cantare. Quid est enim alleluia cantare, nisi Deum laudare? Alleluia enim graecus sermo est, latine laudate Dominum, sicuti modo in praesenti psalmo cantavimus *a*). Dignus Deus a dignis infantibus laudatur, et innocens innocentum testimonio praedicatur. Hoc enim Christo debebatur, ut non a reis parentibus, sed ab innocentibus filiis laudaretur. Tacere enim Dei laudes innocens aetas non poterat, quae peccare non noverat. Gaudent et gloriantur infantes, quod laudis Christi facti sunt narratores. Ineffabilia tunc ora, prius quam mundana solverentur in verba, laudabiles Deo inter carnificum manus voces fuderunt. Ut in his, quod scriptum est, dicant esse completum: sapientia aperuit os mutorum *b*), et linguas infantium *c*) fecit disertas *. Protulimus de laude di- * Sap. X. 21.
centes infantium, quod de laude lactentium proferemus, quorum laudem invenire non possumus, nisi eos ipsos, qui laudaverunt *d*) noverimus ex ore infantium. Qui sunt isti? Ubi sunt? Quam laudem intulerunt, quaero, qui loqui non noverant? Neque enim aetas illa poterat nosse, quod per naturam non didicerat. Dicunt namque Domino laudes trucidati ab Herode lactentes 1): loquuntur sanguine quod lingua non possunt: passione canunt, quod sermone non norunt: occisi praedicant, quod vivi non poterant. Transmittit infantes Christus ad caelum, offert nova xenia patri, primitias fructus exhibet genitori: futuram fecundissimam ostendit messem, dum in sementia 2) exhibet ubertatem. Sed lactentibus contulit cito martyrium, dum Herodes infantem quaerit occidere Christum. Ergo, Fratres karissimi, oremus ut digni simus Christum sequi, quatenus cum eo mereamur regnare.

CXI. ITEM CUIUS SUPRA (DE EODEM ARGUMENTO.)

1. Audivit nobiscum caritas vestra evangelistam dicentem: cum natus Cod. vat. 422. f. 67. b.
esset Iesus in Bethleem civitate Iudae in diebus Herodis regis, ecce Magi * Matth. II. 21
venerunt ab oriente Hierosolymam dicentes: ubi est qui natus est rex Iudaeorum? vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus adorare eum. Felix illa civitas, Fratres karissimi, cui civis natus est Deus! quae singulare meritum ante adventum Salvatoris accipiens, primum laudari meruit per prophetam, quam discere quem sumebat. Felix civitas Bethleem, f. 68. a
quae non est minima inter principes Iuda! ex te enim, inquit, prodiet rex qui reget populum meum Israhel! Quid agit Iudaeorum caecitas mentium, qui adventum Salvatoris nec intellegere meruerunt, nec nosse? Impletum est cunctis prophetae responsum; Salvatorem nostrum prodidit caelum. Quando enim latere poterat, quem Deus ante praedixerat? Bethleem civi-

a) Cod. *cantabimus*. — *b*) Cod. *mutum*. — *c*) Ita cod. modo *tium*, modo *tum*. — *d*) Cod. *laverunt*.

1) Titulus sermonis augustiniani *de infantibus ab Herode interfectis* legebatur in vetere codice Iauresh. (Spicil. rom. T. V. p. 180.)

2) Ita cod. pro *sementi*. Et quidem vocabulum *sementia* habet exempla in capitulis Caroli M. apud Cangium.

tas accepit de astriferis *a*) patriae civem et novum incolam. Grande meritum sumpsit, quia non potest finiri quod meruit. Sed postea quam partus ille caelesti signo monstrante repertus est, visusque magicos *b*) veneranda turbavit infantia, nihil ibi omnino contemptibile in illis vagitibus fuit, quia humanus sensus Dei aspexit praesentiam. Sed postquam probant ipsius sideris finem, fallentes Magi regale praeceptum, exteras regiones tenuerunt: Herodis regis vitantes aspectum, noluerunt monstrare penitus quod timebant. Maiorem enim stimulum sentit, cui non ostenditur quod veneratur.

2. Sed cum rex sollicitus transacto tempore veniendi, fallentes Magos cognosceret, atque eius animum incognitus infantis aspectus diversis motibus dissiparet, hoc providit crudelitate consilii, ut ad inveniendam successoris infantiam, occidendo quaereret quod latebat, sicut scriptum est: cum vidisset rex quia delusus esset a Magis, iratus est vehementer, misit ut occiderentur omnes infantes in Bethleem, et in omnes terminos eius a bimatu et infra. Felix erat in illis parvulis moriendi condicio, qui pati quaerebantur pro Christo. Furentis regis vesana saevitia, morientibus profuit. Qui dudum successorem suum diligenti crudelitate perquirit, dignos martyres fecit iratus. Nam Herodem istum tantum rabidus sensus furoris facibus erigebat, quantum amor dulcis potestatis accenderat. Carnifices suos ad inquirendum mittit infantes, quasi qui Deum posset invenire cum vellet. Pergunt in civitatem ministri regis, crudele portantes imperium, et dirum praeceptum ferentes in gladiis, ad matrum lacrimas festinabant. Infantile bellum in domibus gerebatur, et sola secum pugnante saevitia, orbitatis crudelitas imminebat. Mactabantur in cunis infantes, in quibus nondum erat nascendi conscientia; et illud membrorum initium primum funus esse discit, quam corpus. Occidebantur initia membrorum, minutissimi lactentes, et accepti a matribus parvuli in duritia lapidum vibrantur, ut ad exsecrandum malum saxorum aspera moles artus aspergeret, et nex exciperet nolens; et terra collisis *c*) atque interemptis ipsa mortalibus *d*) se praebuit, quae pridem natos feste *e*) suscepit. Sub conspectu matrum premebatur vagitus infantum *f*), et lacrimas suas in maternos oculos reportabant. Salvator noster inter infantium funera quaerebatur; qui ad hoc permisit pro se infantes occidi, ut ceteri pro se ipso discerent mori. Natabant domus sanguine parvulorum, nec fuit qui consolari alterum posset, quia non erat qui lacrimas non haberet. Invicta orbitas cunctos aequaverat, et commune malum ubique luctibus gerebatur: oppressi vagitus, maiores gemitus exigebant: nulla domus, nullus orbitatis restaverat *g*) locus, ubi non diri regis crudelitas fuit: iacebant brevia vulnera membrorum, et velato vultu tristi colorata pallore, cunctorum mentibus lacrimas dabant: minutis mortibus tota civitas replebatur; et omnium posteritate truncata, hoc solum evasit, quod vagitum habere non meruit. In illa matrum filiorum pernicie,

a) Ita cod. — *b*) Cod. *magicus*. — *c*) Cod. *collisos atque interemptos*. — *d*) Mallem scribere *mortuis*. — *e*) Ita cod., non *festa*. Et nota adverbium. — *f*) Ita variat codex modo *infantum*, modo *infantium*, ut in praec. serm. — *g*) Cod. *restaberat*. Videtur dici pro *restiterat*. Secus, scribatur *restabat*.

in tanta grandine liberorum, una femina felix evasit, quae fuit virgo post partum. Quid iuvat replesse tot funeribus terram? Quid profuit tanta ubera fluentia siccasse, cum futurum malum Deus ante praedixit? Constat ergo iudaicam gentem nascenti Domino praeparare perniciem; ideoque tempore Dominus noluit docere *a*), quia non moverat quod feriret iudaeus. f. 64. b. Sed quia Deus passioni prohibitus vel dilatus est, maluit virtutibus disci quam ante tempus occidi. Sed ad propositum redeamus.

3. Optulistis gratiae illucescenti piam congregationem; dedistis nobis gratae vestrae intentionis dulce solamen. Sequimini stellam, caelorum clima *b*) sulcantem, ut ad Christum lactentem materna ubera veniatis. Ista est gloria, quam caeli enarrant; ista est misericordia quam Magi venientes adorant. Benedictus Dominus, hodie est psalmus cantatus. Magnum accepit augmentum, quod iam videtur. Benedictus Dominus! Quod narrabant caeli iam vident Magi: cernunt sine timore pastores, quod cum magno metu cantabant angelicae potestates. Et sapientiae terrenae disquisitio evanuit. Securi ergo munera praeparemus, et ab aliis praeparanda discamus, ne forte quod offeramus, nos ipsis nostris viribus non habeamus. Unde discimus? a Magis qui optulerunt aurum thus et myrrham. Quid sibi ista munera volunt? quod nobis aperiunt sacramentum? aurum, vide caelestia; thus, vide terrestria; myrrha, vide inferna; quia in nomine domini Iesu omne genu flectetur caelestium, terrestrium, et infernorum. Trina ista munera videamus, si et aliam habent rationem: aurum, vide fidem; thus, adora spem; myrrha, intellege caritatem. Et vide, myrrha caritas est: sicut enim myrrha bene condit et tegit corpora mortuorum, sic et peccatorum multitudinem cooperit caritas. Quid facit myrrha? condit sepulturam, et defunctorum corporum compagem non patitur dissolvi. Myrrha ergo caritas nostra corda (condiat) ut offeramus Domino munera placitura; et dicat ad nos: exultet Iacob, et laetetur Israhel, quia Deus natus est Emmanuhel.

CXII. INCIPIT SERMO EIUSDEM DE CIRCUMCISIONE DOMINI.

1. Quid est hoc, Fratres karissimi, quod octava die circumciditur Cod. vat. 1276. f. 86. a et vat. 479. f. 113. b puer 1)? ille puer qui erat Verbum in principio apud patrem, et Deus erat Verbum. Quid est hoc, ut octava die circumcideretur? Cum verus, inquit, esset Deus, et erat semper apud patrem, ita erat verus homo propter nos, et veram carnem suscepit propter salutem nostram, et ita erat Christus dominus in duabus substantiis, id est in substantia Dei, et in substantia hominis absque peccato. Sed in prima substantia Dei, secundum naturam; in alia autem, id est hominis, substantia propter nos erat. Sed nunc una persona est Christus Iesus in Trinitate, quoniam caro eius non vidit corruptionem; et homo eius quem pro nostra suscepit redem-

a) Ita omnino est in codice. — b) Cod. *clysma*.

1) Recitat hactenus ex mss. hoc initium sermonis auctor Milleloquii T. II. col. 1129.

ptione, in Domino assumptus est. Et in ea parte substantiae, qua Deus erat, nullo impedimento, aut detrimento deitas aut potestas poterat impediri; sed fulsit in caelo, et in terra, et quocumque voluit. In ea vero parte, qua verus homo erat, ea quae sunt hominis propter nos suscepit, sed absque peccato. Et ex viri semine non suscepit carnem, sed virtute sancti Spiritus virgo concepit, et peperit filium suum primogenitum. Et ideo primogenitus appellatur, quia ineffabiliter ante saecula, et omnem creaturam, sive in caelo, sive in terra, omnem principatum sive principium obtinet. Sed in ea substantia, qua homo erat, sicut diximus, in ea parte circumcisus est, et infans Iesus et puer vocatus est, et crescens, et gratia Dei erat in illo, et a parentibus ducitur ad templum, et purificatur secundum legem Moysi, et a Simeone qui erat propheta benedicitur, et accipitur in manibus ille qui erat invisibilis et inpalpabilis, et dicitur quod erat redempturus Israhel, id est omnes sanctos qui crederent in illum. Et Anna prophetissa filia Samuhel de illo prophetabat omnia quae ventura sunt ei in Hierusalem.

2. Sed dicet aliquis: cur circumcisus est Christus, et purificatus in templo secundum legem Moysi? Respondebimus: quoniam non venit Iesus solvere legem, sed adimplere; et ut non esset dissimilis patribus, idest Abrahae, et Isaac, et Iacob, ex quorum progenie erat secundum carnem; et ut non se excusarent Iudaei, et dicerent: dissimilis es patribus, ideo nolumus credere in te. Sed quod fecerunt illi in carne, ille fecit in spiritu. Circumcisio Christi quid est, nisi castitas nostra qua delectatur Deus in novissimis temporibus? Quoniam in primo saeculo praeceptum est, crescite, et multiplicamini, et replete terram. Et cum impleta est, nunc praecipitur, ut qui habent uxores sint tamquam non habentes. Et ipse Dominus
* Matth. XIX. 12. ait *: sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum. Qui potest capere capiat. Ac si dixisset, aliis verbis: qui non potest capere, et se ipsum castrare noluerit, regnum caelorum non possidebit. Et nos utif. 114. a. que oportet circumcidi non in carne sed in spiritu, et praeputium nostrum, idest vitium omne, ab nobis abscidi, ut simus sancti, et immaculati in medio nationis pravae et perversae, inter quos luceamus sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes.

3. Christus autem sicut suscepit pro nobis mortem, ita circumcisionem non respuit, ut nos in spiritu circumciderernur, quoniam circumcisione cordis delectatur, sicut propheta 1) dicit: in novissimis diebus circumcidet Dominus cor tuum et animam tuam. Et iterum: circumcidere corda vestra, et non corpora. Haec est enim circumcisio cordis, ut deponamus veterem hominem cum actibus eius, hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris: et deponentes omnem iram, et blasphemiam, et fornicationem, et immunditiam, et avaritiam, et cupiditatem, quae est idolorum servitus, et cetera his similia, induamus novum hominem, id est Christum, qui renova-

1) Nempe Moyses in deuter. XXX. 6,

tur de die in diem id est mandata eius custodiamus. Et sicut ille ambulavit, ita et nos ambulemus, sicut dicit Iohannes apostolus*: qui dicit se in Christo esse, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Lege evangelium, et invenies, quomodo Christus ambulavit, et tu fac similiter: filius autem hominis, Fratres karissimi, ut ipse testatur, non habet, ubi caput suum reclinet*. Et nemo mittens manum suam super aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei*. Et nolite vobis thesaurizare thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur*; thesaurizate vobis thesauros in caelo, ubi neque aerugo neque tinea demolitur, ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum. Nemo potest duobus dominis servire; aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Et non potestis Deo servire, et mamonae. Mamona autem divitiae interpretantur. Ac si dixisset: non potestis Deo servire et pompae huius saeculi. Sicut in alio loco Dominus dicit*: facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum.

* Ioh. II. 6. * Matth. VIII. 20. * Luc. IX. 62. * Matth. VI. 19. f. 87. a. * Matth. XIX. 24.

4. Haec sunt mandata Christi, et haec circumcisio, qua mandavit nos circumcidi, non carne sed corde. Qui non crediderit ea, non habebit vitam, sed ira Dei manet super ipsum; sicut ipse Dominus testatur dicens*: qui non crediderit filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Ipse est qui non credit filio, qui contumaci corde et contrario spiritu transgreditur mandata eius. Qui credit in illum, et eum diligit; sicut ipse Dominus dicit*: qui diligit me, mandata mea custodit, in custodiendis illis retributio multa nimis. Apostolus dicit*: nolite fieri inanis gloriae cupidi, et curam carnis ne feceritis in concupiscentiis vestris. Et iterum*: nihil intulimus in hunc mundum, verum nec auferre quid possumus: habentes autem victum et vestitum, his contenti simus. Non dixit habentes cibum et vestimentum, eo quod cibus ac vestimentum, ad habundantiam ciborum et vestimentorum pertinent; victus autem et vestitus, id est cibus modicus et strictus et vix sufficiens; vestitus autem brevis et tenuis, sive succinctus, quo potest tantum nuditas cooperiri, et vix frigus arceri. Quod ipse apostolus faciebat: in fame et siti, in frigore et nuditate, serviens Domino die ac nocte*. Lege beatum Iob, dicentem*: nudus exivi de utero matris meae; nudum me oportet ire in terram. Haec sunt mysteria circumcisionis Christi, haec sunt mandata eius, quibus praecepit quicquid superfluum cordi nostro vel animo irreperit, abscidi a nobis, et circumcidi. Ob id enim Christus circumcisionem accepit, quoniam omnia quaecumque docuit Dominus, haec et opere implevit. Scriptum quippe est de eo: quae coepit Iesus facere et docere*.

* Ioh. III. 36. * Ioh. XIV. 23. * Rom. XIII. 14. * I. Tim. VI. 7. * II. Cor. XI. 27. * Iob. I. 21. * Act. I. 1.

5. Et ut impleti sunt dies octo, ductus est ut circumcideretur puer Iesus, et adduceretur in templum, et purificaretur, et offerretur pro illo sacrificium, secundum quod scriptum est in lege Domini. Lex Domini erat ritus sacrificiorum et sabbatorum, et decimas sacerdotibus dare, circumcisionem facere, et omnia quaecumque acceperunt Iudaei ex lege Moysi.

Sed omnia imperfecta erant, et consummare servantes *a*) non poterant. Transierunt iam illa, quae nunc omnia in spiritu perfecta sunt, sicut scri-
Gal. IV. 4. ptum est *: misit Deus filium suum, in similitudinem carnis peccati, et de peccato dampnavit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulamus. Qui
f. III. b. autem in carne sunt, hoc est in peccato, sive in veteri testamento, Deo placere non possunt. Qui autem in spiritu, idest sancto sermone, sive sanctis et piis operibus, quae sunt legis Christi *b*), et quae praediximus, hi filii Dei sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, quorum opera sine spiritu perfici non possunt. Haec est lex Dei, quam praecepit Christus, et docuit 1). Legimus in levitico: omne masculinum adaperiens
* Apud Luc. II. 23. vulvam sanctum Domini vocabitur *. Sanctus erat Domino Christus filius Dei, qui aperuit vulvam ecclesiae, quae concepit sanctos suos ab initio saeculi, hoc est in adventu eius omnis mundus credidit. Tunc aperta est
* Ps. LVII. 4. vulva illa, de qua dicitur in psalmo *: alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.

6. Et offertur pro Christo sacrificium eidem Christo, quia ipse est super omnia, qui est benedictus in saecula. « Par turturum, et duos pullos columbarum. » In pare turturum quid est nisi quod totum hominem nostrum
* I. Cor. IX. 27. in servirtute Christi impendere debemus? Et dicamus Paulo *: macero cor-
* II. Cor. XI. 27. pus meum, et servituti subicio. Et iterum *: in fame, et siti et frigore, et
* Ps. CXVIII. 83. nuditate. Et alio loco *: in vigiliis, et in ieiuniis, et in laboribus multis. In duobus autem pullis columbarum, idem intelligimus omnem sensum corporis nostri et animae, ad servitutem Christi deferre debere. Et dicamus
* Ps. L. 19. cum propheta *: factus sum sicut uter in pruina. Et iterum *. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non sper-
* Matth. IX. 13. nit. Et illud: misericordiam volo, et non sacrificium *. Ista sunt dona, ista sacrificia, et munera quibus Christus delectatur, et gaudet. Vetera transierunt, ecce omnia nova facta sunt. Consepulti sumus cum Christo per baptismum, et resurreximus cum illo ad gloriam. Quae sursum sunt quaeramus, ubi Christus est in dextera Dei sedens, non quae super terram. Iam quod vivimus, non nobis vivimus, sed ei qui (pro) nobis mortuus est, et resurrexit. Imitemur illum qui dixit: vivo iam non ego, vivit vero in me Christus. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et passionibus. Et in hoc tempore circumcisio nihil est, et praeputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.

7. Postquam autem consummata sunt, quae de eo scripta erant secundum legem Domini, reversi sunt in Hierusalem, idest post quam consummavit Iesus opera illa, quae de illo prophetae praedixerunt, reversus est ad patrem, et sedet ad dexteram Dei. Quod autem dicit, remansit puer Iesus in templo, et cetera, id est post resurrectionem remansit cum disci-

a) Al. cod. *et consummantes servare.* — *b*) Al. cod. *quae Christus est.*

1) Hactenus in codice 1276. Reliqua ex codice tantum 479.

pulis suis in mundo quadraginta diebus. Quod autem quaesierunt eum parentes triduo, tunc Christus invenitur in fide Trinitatis, idest Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Octavo vero die circumciditur Iesus. Octavus dies perfectus est numerus, et omnem plenitudinem optinet. Quid aliud significat circumcisio Domini, nisi indicium perfectionis, post adventum eius in novo testamento monstrare, sicut iam supra ostendimus? Octavus enim dies, ipse est dies dominicus, et dies resurrectionis Domini ex mortuis postquam inferna penetravit, et captivam duxit captivitatem. Octavus dies figuram optinet novi testamenti, et futuri temporis plenitudinem; sicut in hac die octo animae in arca Noë salvatae sunt, et diluvio inundante, salvae factae. Quid aliud significatur, nisi per sanctam ecclesiam perfectus numerus sanctorum in die iudicii, per ignem inChristo salvandus ac liberandus? Forte de hoc propheta cantaverat *: transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium. Diluvium figuram sanctae ecclesiae ostendebat: sicut enim Noë, necatis gentibus atque peccatoribus, octo animas salvavit in arca, ita nos Christus per gratiam baptismi in ecclesia salvavit, ac liberavit. Consepulti enim sumus cum Christo per baptismum, sicut supra docuimus. Octo enim animae quae erant sicut diximus in arca, quae in hac die salvatae sunt, figuram omnium sanctorum obtinent, qui salvabuntur in futuro saeculo, in quo non est imperfectio, et semiplenum, sed omnia perfecta sunt atque plena. In quo numero inveniri atque deputari optamus et obsecramus, ipso auxiliante, qui vivit, et regnat. Explicit.

* Ps. LXV. 13.

CXIII. SERMO BEATI AUGUSTINI EPISCOPI.

Simile est regnum caelorum homini patris familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

* Matth. XX. 1.

Cod. vat. 4222. f. 133. a.

Comparatio omnis per se absoluta est, sed personis distinguenda temporibusque *a*) est. Patrem familias hunc dominum nostrum Iesum Christum existimari necesse est, qui totius humani generis curam habens, omni tempore ad culturam legis vocaverit. Vineam vero ipsius *b*), legis opus et obedientiam. Denarium autem, obedientiae ipsius praemium significare intellegimus: et de denario iam superius tractavimus; de vinea vero opportunius in consequentibus rationem afferemus. Forum autem pro saeculo accipere, ipsa admonet *c*) ratio, atque aequaliter *d*) turbis hominum, calumniarum iniuriarumque contentionibus, et diversorum negotiorum difficultatibus semper tumultuosis. In prima igitur hora tempus constituti testamenti ad Noë, ex matutini significatione noscendum est. Tertia autem hora, ad Abraham; sexta, ad Moysen; nona, ad David et prophetas. Totidem enim testamenta humano generi constituta per singulos reperiuntur, quot item *e*) ad forum enumerantur egressus. In un-

a) Deest *que* in cod. — *b*) Ita interpungitur in cod. — *c*) Cod. *amm.* — *d*) Ita cod. — *e*) Cod. *idem.*

decima autem hora, corporei adventus tempus ostenditur 1). Nam ex omni numero, qui spatio praesentis saeculi constitutus est, in eam rationem convenit: ortusque eius, ex Maria inquam, undecimae horae tempus ex die *a*) est. Divisione *b*) enim per quingentenum 2) numerum facta, ex milium annorum summa, tempus corporei ortus, undecimae divisionis tota calculo supputatur. Et quidem diversus ad duodecimae horae operarios sermo est. Primis enim, sed et ceteris, dictum est: ite ad vineam; merces tamen denarii cum primo esset constituta, nam et ceteris iustae solutionis promissa spes est. Novissimis vero dictum: quid hic statis? quia quamvis ad Israhelitas lex fuerat, voluntas tamen gentium non excludebatur a lege. Qui responderunt: nemo nos conduxit. Debitum namque erat per orbem terrarum donum evangelii praedicari, et gentes fidei iustificatione salvari. Igitur mittuntur ad vineam; et cum sero esse coepisset, donum constitutum in totius diei labore: mercedem *c*) primae operarii horae vesper consecutus est. Merces quidem ex dono nulla est, quia debetur ex opere: sed gratuitam gratiam Deus omnibus ex fidei iustificatione donavit 3). Verum secundum insolentiam populi iam sub Moyse contumacis, hinc murmur operantium est, hinc gratuitae mercedis invidia est; quod sine laboris difficultate, et sub aestus nomine, longo in eo diabolici instinctus *d*) labore fraglante, id praemium redhibebatur operantibus. Sed ideo quod apud Deum, ut mercedem legis optime et inculpabiliter custoditae, dono gratiae per fidem credentibus primis et novissimis largiatur.

SANCTI AUGUSTINI DE DECEM DENARIIS *e*).

FRAGMENTUM 4).

Cod. pal. Vat. 213. f. 7. Auditur *f*) hoc tempus 5) per mulierem illam sollicitam, quae habuit ·X· denarios; quae cum perdidisset unum ex his, lucernam accendit, scopa do-
* Luc. XV. 8. mum suam mundavit, quaesivit diligenter donec inveniret denarium illum *. Mulier haec sanctae ecclesiae ostendit figuram. Decem denarii caritas. Ergo audiamus quid sunt. Elegit Deus Adam primum hominem, ex limo terrae fecit eum similem sibi. Sequentem elegit Deus Noë ex aqua diluvii. Tertium elegit Deus Abraham ex fide credentium, fecit eum patrem multarum

a) Ita cod. — *b*) Cod. *divisio*; et quidem mendosus est vel certe obscurus locus. — *c*) Cod. *merces*. — *d*) Cod. *extinctus*. — *e*) Cod. mendose *de decim talenta*. — *f*) Cod. *auditor*.

1) Divisio aetatum mundi ac temporum familiaris est, cum levi varietate, apud Augustinum, v. gr. serm. ed. LXXXVII. 5. CCLX. 2; contra Adimantum cap. VII; de Trin. IV. 7; de catech. rud. n. 39.

2) Observemus vocabulum *quingentenus*.

3) Videmus Augustini solitam de gratia divina sententiam.

4) Conferendus est hic breviculus sermo, sive sermonis fragmentum, cum eiusdem S. Augustini enarratione in psalmum 138. n. 14. Paris argumenti sermo 169. S. Petri chrysologi.

5) Respiciendum ad homiliam II. inter adscriptas Augustino in apocalypsin, ubi (T. III. append. col. 145.) ait: *dies decem totum tempus posuit, quia denarius numerus perfectus est.* Quidquid vero sit, saltem apparet, hunc sermonem vel esse acephalum, vel ex prolixiore excerptum. Multos apocalypseos priscos interpretes, quos inter etiam Augustinum, recenset Alcuinus a nobis editus (Script. vet. T. IX.) in exordio suae eiusdem divini libri explanationis.

gentium. Quartum elegit Isaac per promissionem. Quintum elegit Iacob, ut benediceret eum. Sextum elegit Loth hominem iustum et hospitem peregrinorum. Septimum elegit Ioseph, quia castitate fidem servavit, et accusatrice domina sua expergens * confugerit. Octavum elegit Moysen. Nonum (elegit Iosue ministrum Moysis. Decimum) elegit David de tot numero pueris, ut ungeret eum in regem. Ergo Noë servavit iustitiam, Abraham fidem, Isaac confessionem, Iacob benedictionem, Loth hospitalitatem, Ioseph castitatem, Moyses sanctum ducatum, Iesu Nave sinceritatem, David regiam unctionem. Ex his omnibus unus denarius (Adam) erravit: pro quo mulier, id est sancta lex, lucernam accendit, scopa domum suam mundavit; scopa enim omnes inmunditias abstrahit de domo. Haec est paenitentia, quae animae et corpori *inspersas* a daemoniis inmunditias abstergit. Quae cum multo tempore errasset, per paenitentiam sic legitimam meruit indulgentiam. Ergo lex sancta vicinas invitat ad gaudium septem ecclesias, quarum nomina sunt haec: Ephesus, Zmyrna, Pergamus, Thyatira, Sardes, Philadelphia, Laodicia, dicens: gaudete mecum, quia inveni denarium illum qui perierat; et vicinas invitat ad laetitiam. Adest fides, spes, caritas: quia spes fecit ut inveniretur Adam: fides fecit ut salvaretur: caritas ut hodie Adam cum Christo et cum omnibus sanctis in paradiso laetetur. Cui est honor etc. *Fragmentum hoc, nominatim S. Augustino in antiquissimo codice adscriptum, indubitanter admisimus. Alibi tamen solo Augustini nomine contenti non fuimus. Etenim v. gr. cod. vat.* 479. *f.* 279. *sermonem quendam reiecimus, quamvis bonum testimonium de Petri primatu contineret his verbis: « ipse Petrus inter apostolos primus extitit ordinatus, curam gerens omnium ecclesiarum. »*

* ita cod.

CXIV. INCIPIT HOMILIA IN NATALI SANCTI STEPHANI MARTYRIS 1).

Hesterno die natalem habuimus domini Salvatoris, hodie summae devotionis: hesterno, quo redimimur ad praemium; hodierno, quo provocamur ad exemplum. Bene ergo hesternae sollempnitatis festivitas, hodiernae coniuncta est; ut illa credentes eveheret ad vitam, haec confitentes duceret ad coronam. Omni ergo ecclesiae beatus Stephanus datus est ad profectum. Adhuc laicus diaconii meruit electionem, et levita martyrii obtinuit principatum. In plebe adhuc positus erat, sed iam virtutibus eminebat: humilis erat loco, sed celsus fide: discipulus erat ordine, sed factus est magister exemplo: quos sequebatur devotione fidei, praecessit velocitate martyrii. Scriptum est enim de eo in actibus apostolorum, quod ad ministerium viduarum sit ab apostolis 2) deputatus. In hoc etiam quod praepositus est feminis, testimonium meruit sincerissimae castitatis. Beatus ergo erit, karissimi Fratres, qui hunc secutus, qui hunc imitatus fuerit; et pudicitiae enim palmam, et martyrii consequitur coronam; praestante Domino; cui est gloria in saecula.

Cod. vat. pal 216. f. 35.

1) Hic sermo, paulo prolixior et cum diversitatibus, habebitur apud nos infra sub n. CXLVII, quia nimirum diverso anno recitatus ut puto et variatus ab Augustino fuit. — 2) Cod. *sit apostolus*.

In codice vaticano 4951. *f.* 201. *b; nec non in alio codice vat. ottoboniano* 978. *f.* 363. *b. legitur sermo, qui paene totus congruit cum sermone Augustini XLIX. editionis maurinae, sed tamen eius exordium in codicibus nostris aliter omnino se habet, quod idcirco heic recitavimus. Porro ad eius argumentum quod attinet* de diligendis inimicis, *id non in hoc tantum sermone agitur, verum etiam in editis CCLXXII. et CCLXXIII. Et quidem eiusdem tituli sermo Augustini fuit in codice laureshamensi (apud nos Spicil. rom. T. V. p.* 168.*) Cf. et cod. pal.* 213. *f.* 8.

SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI DE DILIGENDIS INIMICIS

FRAGMENTUM.

Rogo vos 1), Fratres karissimi, ut non moleste accipiatis, nec nos superflnos iudicetis, eo quod vos pro amore inimicorum frequentius admonemus. Hoc ideo facimus, quia ad sananda vulnera omnium peccatorum nullum medicamentum fortius esse cognoscimus 2). Nec hoc vobis ineptum videatur, quod aliquotiens etiam in sollempnitatibus martyrum 3), ad amorem vos provocamus inimicorum. Propterea hoc fieri volumus, quia omnes martyres per istam perfectissimam caritatem ad coronam martyrii pervenisse cognoscimus; quod etiam in beato Stephano impletum esse cum ingenti admiratione gaudemus. Diligenter, quaeso, attendite et intelligite, quia in omnibus malis hominibus vitia potius odio habere debemus, non homines. Dilige hominem, oderis vitium *etc. nam reliqua congruunt, ut diximus, cum editione vix levi aliqua cum varietate.*

CXV. ITEM SERMO EIUSDEM DE RESURRECTIONE DOMINI.

Cod. vat. 479. f. 215. b.

1. Sacratissimum hodie, dilectissimi Fratres, diem resurrectionis Domini cum omni gaudio celebramus, qui est excelsior cunctis, sanctior omnibus, dulcior universis; in quo Dominus spoliato inferno, triumphato diabolo, non solus ipse surrexit, sed et multa sanctorum cum eo corpora resurgebant, et in sanctam civitatem remeabant, multisque apparebant, sicut sacra testatur lectio evangelica. Quod non solum tunc agebatur, sed et semper praesenti *b*) sacra festivitate agitur: dum novus Deo populus per baptismum acquiritur: ubi moritur peccato, reviviscit *c*) autem Deo, et resurgit in Christo. In qua singulorum mentes fidelium tanto gaudio et exultatione perfundit, quantum nullius hominis edisserere lingua praevalet; quia nemo est, si non humana iocundatur laetitia, qui non gaudeat in conscientia. Quae enim maior esse hominum laetitia potest, quam quod ab aeterna sumus morte redempti, et ad aeternam sumus laetitiam et gloriam Christo resurgente perducti? Ad hoc ergo Dominus hodie resurrexit, ut imaginem nobis nostrae resurrectionis ostenderet. Nos ergo ideo gratias agamus do-

1) Hoc initium *rogo vos*, non fuisse insuetum Augustino concionanti, satis cognoscimus.

2) Respicit Augustinus ad orationem dominicam: *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

3) Ergo apparet dictum fuisse hunc sermonem in festo aliquo martyriali.

mino Deo nostro, quia dum sancte paschae sollempnitatem colimus, futurae resurrectionis speciem iam videmus. Resurrecturum est enim humanum genus in saeculi consummatione post mortem, quod nunc cotidie resurgit per sacratissimum fontem. Suscitandus est tunc Dei populus a mortis sopore, qui nunc cotidie resuscitatur ab infidelitate. Renasciturus est et tunc ad aeternitatem, qui nunc cotidie renascitur ad salutem. Omnes enim qui in Christo iam olim baptizati, humana cogente fragilitate, candidam vestem baptismi observare non poterant sine sorde peccati, nunc iterum per veram paenitentiam et confessionem peccati se abluere cum eleemosynarum largitate studeant; conversationem saltim *a*) candidam inantea *b*) non relinquant. Pascha enim quod hodie celebramus, transitus sive transcensus 1) interpretatur. Nos quoque si veraciter pascha transitum Domini, quo ille de morte ad vitam transcendit celebrare cupimus, debemus eundem cotidie tr nsitum imitari, quem colimus; ita ut a vitiis ad virtutes, a superbia ad humilitatem, a fornicatione ad castitatem, ab avaritia ad eleemosynarum largitatem, a gula vel ebrietate ad continentiam dignam, ab ira et disceptatione ad concordiam veram, a torpore et neglegentia ad summum certamen operis Dei, ab odio et inimicitia ad puram Dei et proximi caritatem, ab omni malitia, cogitatione simul et opere, ad cautelam atque mundiciam cordis et corporis transitum faciamus, ut ad vitam aeternamque laetitiam praestante Domino veniamus; ut simul cum eo et sanctis eius aeternaliter gaudeamus in saecula saeculorum. Amen.

f. 216. a.

CXVI. EIUSDEM DE NATALE DOMINI.

Cod. vat. 47?. f. 73. a. vat. 481. f. 104. b. pal. 431. f. 173. urbin. 79. f. 110. b. R. p I. f. 262. a.

1. Primus homo, quo cadente omnes cecidimus, cuius ruina est mortalitas nostra, non est natus sed factus, patre nullo, nulla matre, sed Deo operante. Haec hominis prima conditio, Adam de terra. Secunda conditio est hominis, qua creatur femina de latere viri. Tertia conditio est hominis, qua natus Christus sine viro de femina. In istis quatuor conditionibus una sola nobis usitata est, ceterae tres vero *non* sunt in oculis carnis, sed in fide cordis. De terra factum hominem sine patre sine matre non novimus; factam feminam de latere viri, nunquam vidimus, lectum credimus. Tertiam illam usitatam omnibus novimus notam; ipsa est de complexu maris et feminae, qua quotidie nascuntur homines. Iam ergo erat una sine viro et femina: iam erat altera de viro, femina: iam erat tertia de viro et femina: quarta restabat sine viro de femina: sed illa quarta liberavit tres: prima et secunda ruerunt: tertiam de ruina genuerunt: in quarta salutem invenerunt.

a) Ita cod. pro *saltem* etiam in aliis codd. — *b*) Nota vocabulum *inantea*, cuius aliud exemplum protulimus in nostro glossario. Et quidem *inante* habetur in lexicis.

1) Vocabuli *transcensus* unicum proferebatur exemplum Ammiani. Recurret infra in serm. CLIV. 2.

R

2. Exultent ergo virgines 1), virgo peperit Christum; nihil de hoc quod Deo voverunt putent; mansit virgo post partum, et illibata post filium. Exultent viduae, infantem Christum vidua Anna cognovit. Exultent coniugatae, nasciturum Christum Elisabeth maritata prophetavit. Nullus gradus praetermissus est, de quo non haberet testimonium salus omnium. Numquid enim solae virgines ad regnum caelorum perveniunt? Perveniunt et viduae. Magni meriti fuit illa vidua sancta Anna; a virginitate enim sua vixerat cum viro suo annis septem, et iam ad senilem aetatem pervenerat senectute sancta: octoginta namque gerens annos expectabat infantiam Salvatoris, ut puerum *a*) videret annosa, puerum agnosceret anicula, intrantem in mundum itura videret. Igitur et in masculino sexu tria ipsa genera commendata sunt. Ipse Christus puer natus est, in templo est praesentatus. Exultent pueri continentiam voventes puero: ipse vestrae integritatem pueritiae consecravit, qui suae matri fecunditatem attulit, virginitatem non abstulit. Simeon ille senex dum vixerat, cuius aetas comparata *b*) est Annae, etiam audierat responsum quod non esset visurus mortem, nisi prius videret Christum Deum. Intelligite, Fratres, quale desiderium habebant antiqui sancti videre Christum; sciebant enim illum esse venturum; et omnes qui pie vivebant dicebant: o sic hic me inveniet illa nativitas! o si quod credo videbo oculis meis! Et ut noveritis quantum desiderium habebant sancti qui noverant de scripturis sanctis virginem parituram, sic audistis cum Esaias propheta legeretur, ecce virgo in utero accipiet, et pariet
* Is. VII. 14. filium, et vocabitur nomen eius Emmanuhel *. Quid sit, evangelista nobis disseruit dicens, quod interpretatur nobiscum Deus. Non tibi ergo, quaecumque anima, non tibi videatur impossibile ut virgo pareret, virgo pariens permaneret. Intellige natum Dominum, et non miraberis virginis partum.

3. Ut ergo noveritis antiquos sanctos et iustos desiderasse videre quod concessum est huic seni Simeoni, ipse dominus noster Iesus Christus ad
* Matth. XIII. 17. discipulos loquens ait illis *: multi iusti et prophetae voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt; et audire quae auditis, et non audierunt. Multum senex ille fuit ad audiendum serus, sed ad videndum maturus: non expectavit ut Christum audiret loquentem, quia vidit infantem; et hoc illi concessum erat iam decrepito, quasi desideranti et supiranti, et dicenti cotidie in orationibus suis: quando veniet? et quando nascetur? quando videbo? Putas me hic inveniet? putas durabo? putas isti oculi videbunt, per quem cordis oculi revelabuntur? Dicebat ista in orationibus suis, et pro desiderio suo accepit responsum, quod non gustaret mortem nisi videret Christum Deum. Gestabat enim Maria mater eius infantem; vidit ille et agnovit. Ubi noverat, quod agnovit? An intus est revelatus, qui foris est natus? Agnovit Simeon infantem, et occiderunt Iudaei crudeles iu-

a) Cod. R. pro *puerum* heic et mox. — *b*) Al. cod. *operata*.

1) Exin sermo est in homiliario Alcuini sub Augustini pariter nomine f. 296. a.

venem miracula facientem. Cum ergo agnovisset, accepit eum in ulnas suas, hoc est in brachia sua, et amplexatus est eum, et portabat a quo porta- f. 73. b. batur. Et ipse enim Christus sapientia Dei attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter, quantus ibi erat! et quam magnus, quam parvus factus erat! Parvus factus parvos quaerebat. Quid est parvos quaerebat? Non superbos non elatos, sed humiles et mites colligebat. In praesepi dignatus est poni, ut esset piorum cibaria iumentorum. Accepit ergo eum Simeon in brachia sua et dixit: nunc dimittis Domine servum tuum in pace, quia video pacem. Quare hoc, dimittis in pace? quia viderunt oculi mei salutare tuum. Salutare Dei dominus Christus; annuntiate diem ex die salutare eius.

4. Habetis ergo, pueri, puerum Christum, sancti senes senem Simeonem. Si autem quaeritis, ut de coniugatis aliquis testimonium Domino praebeat, Zachariam considerate. Nemo ergo quaerat aliud, Fratres mei christiani fideles, aut virgo aut vidua aut coniugata aut puer aut continens aut uxoratus. Quicquid plus esse quisque voluerit, non inveniet quod ad Christum pertineat. Non invenimus testimonium perhibuisse Christo adulteros, fornicatores, inmundos. Sed ut tales testimonium perhiberent, ipse praestitit, ipse donavit. Non enim quisquam sanctus viribus suis. Exultemus ergo, karissimi. Ab hodierna enim die crescunt dies. Crede in Christum, et crescit in te dies. Credidisti? inchoatus est dies. Baptizatus es? natus est Christus in corde tuo. Sed numquid natus Christus sic remansit? Crevit, ad iuventutem pervenit, sed in senectutem non declinavit. Crescat ergo fides tua, robur inveniat, ad senectutem pervenire nesciat. Sic pertinebis ad Christum filium Dei. In principio Verbum apud Deum, Verbum Deus *a*). Sed Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Maiestas ibi latebat, ubi infirmitas apparebat. Simeon in manibus infirmitatem accepit, sed maiestatem intus agnovit. Nemo contempnat Christum natum, si vult esse renatus. Ad illum pertinuit propter nos nasci, ad nos pertinet in illo renasci.

CXVII. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATIVITATE *b*) DOMINI.

1. Consulte et salubriter divina nobis eloquia recitantur, ut animae Cod. vat. 479. f. 78. a. vat. 480. f. 93. b. R. part. I. f. 255. nostrae pascantur, Fratres karissimi. Non enim in pane tantum vivit christianus homo, sed in omni verbo Dei. Sicut autem opus habemus terreno cibo propter hanc vitam temporalem, ita habemus opus spirituali cibo propter aeternam vitam. Si enim haec temporalis vita multis periculis mul- f. 94. a. tisque aerumpnis plena a multis amatur, quanto magis vita aeterna amanda est quae nobis cum angelis praeparatur? Domino dicente *: in resurrectione * Luc. XX. 35. neque nubent neque uxores ducent, sed erunt aequales angelis Dei. Propter hanc igitur aeternam vitam lex divina prolata est, patriarchae electi

a) Codd. *Deum*. — *b*) Ita variant codices, modo *natale*, modo *nativitate*.

sunt, sacerdotes et levitae unctionem chrismatis acceperunt, prophetae venerunt, angeli missi sunt, et ad postremum ipse dominus Dei filius descendit de caelis ad terram, et nos ad imaginem suam reparavit. Ex hoc ergo coniicere *a*) debemus, quanta et qualis sit nobis necessitas ut veniret in carne nostra superna maiestas. Quae autem gravior necessitas, quam mors nostra aeterna? Quae gravior poena, quam peccatorum servitus dura? Quae maior crudelitas, quam aeterna nostra captivitas? Eramus quippe ligati in morte, eramus in servitute, eramus in captivitate. Unde proba-
* Rom. V. 14. mus mortem nostram aeternam? Audi apostolum dicentem *: regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, et in hiis qui non peccaverunt. Unde probamus
* Ioh. VIII. 34. servitutem? Christus dominus dicit *: omnis qui facit peccatum servus est peccati. Unde probamus captivitatem nostram? Vox martyrum clamat. Et
* Ps CXXV. 4. in psalmis *: converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro. Et si ista temporalis captivitas hostium barbarorum 1) tam crudelis et amara est, quae aut per fugam labitur, aut pecunia redimitur, aut postremo finitur morte, qualis erit illa aeterna captivitas, quae nec morte finitur, sed in aeternum apud inferos cruciat 2)?

p. 78. b. 2. Haec igitur, Fratres, multiformis necessitas fecit ut dominus Christus hoc tempore veniret ad terras: veniendo enim in carne nostra abstulit mortem, reddidit vitam; abstulit servitutem, reddidit libertatem; abstulit captivitatem daemoniorum, et reddidit nobis adoptionem filiorum, dicente
* Ps. LXVII. 19. propheta in psalmis *: ascendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus. Recte itaque dominus Christus venit ad nos ut salvaret nos, sicut legimus, non principis legatus *b*), non angelus, sed ipse Dominus adveniens salvavit nos. Miraris, frater? Venit Christus in hunc mundum, qui semper erat in mundo: et est in mundo, ut rursus venturus est in
* I. Tim. I. 15. hunc mundum. Unde probatur venisse in mundum? Apostolus dicit *: humanus sermo, et omni acceptione dignus, quoniam Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. In
* Ioh. I. 10. hoc autem mundo eum fuisse evangelista testatur *: in mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In mundo
* Matth. XXVIII. 19. quoque modo esse nobiscum ipse Dominus apostolis dicit *: ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.
* Act. I. 11. Venturum autem rursus, angelus apostolis dicit *: sicut videtis Christum in excelsis euntem, sic videbitis venientem. Quod olim praedixerat pro-
* Ps XLIX. 3. pheta dicens *: Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit. Quia ergo dominus Christus in mundo erat, et mundus eum non cognovit, hoc est genus hominum, et mirabile mysterium, in visibili *c*) non credebat. Mag-

a) Codd. concorditer *convincere*. — *b*) Codd. *non princeps videlicet legatus*. Aut: *neque princeps vel legatus*. — *c*) Codd. *invisibilem*.

1) Ergo hic sermo in incursione barbarica Vandalorum dictus omnino videtur; de qua luculentus alius sermo in hac collectione est.

2) Frustra admonerem lectores de Augustini circa aeternitatem poenarum sententia, quae passim in eius scriptis legitur.

num mysterium, et mirabile sacramentum! eo quod creator mundi voluit esse creatura mundi, et tulit peccata mundi, sicut evangelista dicit *: ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. * Ioh. I. 29.

3. Cum igitur, Fratres, primum domini Christi adventum iam factum esse credamus, et credendo laudemus, occurrit de diverso natio infidelium, iudaeorum, gentilium, paganorum, atque Manichaeorum ita dicentium: quid est quod asserunt Christiani dicentes Deum maiestatis venisse in hunc mundum ad salvandum genus humanum? Quare hoc dicunt? Non habuit in caelis quem mitteret? Non habuit angelum? non habuit aliam potestatem; sicut fecit quando Moysem et Aaron elegit ad populum Israhel de captivitate liberandum? Certe si ipse venire disposuit, quare per feminam venit? Quare per obscena membra transivit? Hiis respondemus: et Dominus potuit aliter liberare nos, quia omnipotens Deus est; sed non sufficiebat in Deo ut esset sola potestas, sed pariter aequitas potestatis; potestas in virtute, aequitas in ratione. Ratio itaque exigebat, ut per eum salvaretur homo, per quem factus est omnis homo; sicut leginus in divinis scripturis patrem dixisse ad filium suum: faciamus hominem, ad imaginem et similitudinem nostram *. Quod autem Dominus per obscena membra transitum fecit, facile superantur: nulla est obscenitas, ubi intacta virginitas: nec potest dici aliqua macula, ubi est incontaminata natura. Si sol iste corporeus ex luce et calore compositus per caenosa et squalida loca transitum facit, et pollui non potest, quanto magis incorporalis Christi divinitas nascendo per virginem non potuit inquinari? Virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit. Quod enim Eva perdidit, virgo Maria reddidit. Eva virgo nobis fecerat mortem, Maria virgo nobis genuit Salvatorem 1). Et idcirco iusta et aequa ratio persuasit, ut hiisdem vestigiis quibus homo primus perierat, secundus salvaret. * Gen. I. 26.

CXVIII. INCIPIT SERMO S. AUGUSTINI DE EVANGELIO UBI DOMINUS DE AQUA VINUM FECIT 2)*. * I. Ioh. II. I.

1. Nuptiae in quibus Christus et munerator et conviva discubuit; munerator scilicet in origine, conviva factus in genere; ut qui in primordio copulae novellae concesserat nasci ex homine hominem, ipse quoque nasci dignaretur ex virgine . . Aures nostrae *a*) pulsatae nunc e sancto evangelio sonuerunt: die, inquit, tertio nuptiae factae sunt in Chanan galilaea, et erat mater Iesu ibi; invitatus est autem Iesus cum discipulis ad nuptias. Si Manichaeorum latebrosa voluptuosae turpitudinis foeditas de

a) Cod. *auribus nostris.*

1) Recolatur primus sermo vat. circa finem.

2) Sermonem hunc sumpsimus ante paucos annos ex codicis sessoriani antiquissimi LV. folio primo, valde ob vetustatem attrito lectuque difficili; edidimusque in Spic. rom. T. VIII; nunc autem denuo collatum, ceteris sancti patris sermonibus adsociandum curamus. Quin autem sit Augustini, nemo prorsus dubitabit, cuius undequaque exspirant atque redundant ingenii argutiae, praeter illam solitam Manichaeorum mentionem. Extitit hic Augustini sermo cum titulo *de nuptiis in Galilaea* etiam in cod. vetere laureshamensi (Spicil. rom. T. V. p. 168.) Quamobrem geminum saltem eius testem habemus.

nuptiis percontetur, Deus eas, inquit, non fecit. Si ergo Deus nuptias non fecit, quomodo in eis Christus cum discipulis suis invitatus adcubuit? Sed iam opaci huius mysterii nubilum ventilemus. Die, inquit, tertio nuptiae factae sunt in Chanan galilaea. Splendescente igitur super obscurum, delictis offuscantibus, mundum Trinitatis die, Christus venit ad nuptias. Tunc autem anima quae de limi *a*) fuerat iam astricta consortio, per fornicationem oblectantis pomi adulterum demutat *b*) maritum, pollutae socie-
* II. Cor. XI. 3. tatis nuptias celebrat. Audi Paulum * huius malae coniugationis iterum vincla formidantem: timeo, inquit, ne sicut serpens Evam fefellit astutia sua, ita corrumpantur mentes vestrae a simplicitate et castitate, quae est in Christo Iesu domino nostro. Dum itaque in unius discubitionis instramento 1) iactati diabolus et anima lascivirent, invitato Iesu . . dum vina luxuriae defecerunt. Genetrix autem Christi illa, quae facinerosi 2) concubitus pactum exhorruit, quae non solum corpore verum etiam mente virgo permansit, intererat invitata, condicione generis non participatione criminis; universitate nascendi, non societate peccandi, quae . . . Christo, non quae mundo consentiret inmundo.

2. Haec igitur mater Christi longum mundi miserata laborem, quaeque se noverat de palmite fidei magnum duxisse . . . botrum, a proprio germine coepit exposcere vinum. Quando autem angelo credidit, tunc pro mundo suggessit: tunc inchoavit agere saeculi *causam*, quando non trepidavit ad nuntium. Ecce enim ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Mox ex semine 3) sancti Spiritus propagata in saltu virginali primitiva vitis effloruit, quae umbraculis opacata caelestibus subfrondet 4) . . nis occultum botruum *c*) procreavit. Pependit salus in fidei apice, et turguit botrus *de semine David*. Ecce postmodum ex matricis utero racemus divinae prolis animatus . . . natus est. Christus verus botruus continebat equidem intra se vitae vinum . . . crucis accesserat prelum *d*). Dicit mater eius: vinum non habent. O virgo sapientissima! modo meruisti germinatam sobolem *e*) procreare, et iam botrum . . . ris exprimere? Equidem non potest nisi germen germini obviare, et (palmiti suo) resistere. Sed qui de ligno carpsit supplicium, in ligno debet expectare remedium; et qui in arbore inlicitam demessuit frugem, expectare 5) debet ad crucem, ut ubi . . hauserat siccitatem, ibi salutis accipiat potionem. Vinum, inquit, non habent. *Adtende* virgo, paulisper: praeparet iudaeus lignum, descendat clavus in botruum, et tunc exire poterit vinum. Quid ante tempus curris ad lacum, cum necdum inpresserit Iudas protervum super uva calcaneum?

a) Cod. *limo*. — *b*) Cod. *demutata*. — *c*) Ita cod. Et quidem in codice modo *botrus*, modo *botruus*. Quae varietas alibi quoque apud Augustinum est. — *d*) Cod. *praelum*. — *e*) Cod. *subulem*.

1) En novum vocabulum *instramentum* (ut iam in glossario nostro scripsimus) pro *stramentum*, sicuti habemus *instragulum* pro *stragulum*.

2) Sic *facinus*, *facineris*, et *pignus pigneris*, *munus moeneris*.

3) Istud figurato sensu dici quis non videt?

4) Ita est in cod. vocabulum novum *subfrondet*. Sed tamen quia sequitur lacuna, dubitabam num forte continuata codicis prisci scriptura legenda esset *sub fronde t*. . . .

5) *Expectare* pro *spectare*, ut alibi vidimus. Nisi quis mavult scribere *expectare a cruce*.

Ipse est enim ille Iudas destruc*tor a*) sacratae vindemiae, qui .xxx. pactus argenteis botruum divinae prolis iudaeis colonis inpiis venundavit 1).De quo in psalmis * iam fuerat decantatum: nam et homo pacis meae, in quem * Ps. XL. 10.
speravi, qui edebat panem meum, ampliavit super me calcaneum. Aderit, virgo, certa dies qua prematur fructus tuus, et tuam ipsius animam pertranseat gladius, ut constiterit de botruo pendente quem profuderas ex radice.

3. Vinum, inquit, non habent. Et dicit *Iesus:* quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea . . Utique non fati sed voti hora, non necessitatis inpositae sed voluntatis inpensae . . . non quo cogeretur mori, sed quo pro mundo dignaretur . . . Quid mihi et tibi, mulier? An oblitus es matrem? . . An discernis potentiam tuam? . . . neret. Nulla est tibi cum matre communitas? An . . . oculi tui debu . . . maiestas? Creatorem te designas? An cred . . nunc loqui . . ctorem propellere istinc . . periere nefandissim . . opus dum cum . . . asti praestigium. Extulit hic Christus super matrem divinitatem suam. Non negavit matrem suam, neque se natum negavit e carne, sed maiestati suae suam subdidit genetricem. Et ideo ait: quid mihi et tibi, mulier? Nondum venit hora mea. In miraculo enim deitas a 2) matre altior praedicatur; in hora autem mortis, communitas intimatur. Interim Christus insipidos haustus *b*) merificat 3): fatuus latex fundebatur in hydrias, et hauriebantur inebriata flumina. Quae est ista tam repentina conversio? In aqua vinum nascitur, in unda sapor latenter exoritur: germinat suavitas in vinis, et nusquam fructificat vitis: nulla exprimitur uva, et fervescunt sine palmite vina.

4. O magni pulchritudo miraculi! inseruntur *c*) divini praecepti vires, et in aqua nascitur fructus. Hoc fecit Christus in latice, quod certo tempore facit in vite. Quis enim alius radicem ex imbre maritat? Quis alius per occultas venarum fibras stellatos palmites laqueat? Quis turgentes botruos ac velut in apices gemmatos inpinguat, nisi is *d*) qui universa provocat et multiplicat? ut quod adstringitur in semine, diffundatur in germine; et quod latet in grano, silvescat in folio. Interea ecclesia, quae in mensa saeculi cum alieno viro quondam polluta cubitabat, repentinis a Christo haustibus muneratur. Transeunt ad Christum nuptiae. Qui enim vitavit, ipse dotavit 4). Arripuit Christus convivium, et ecclesia mutavit sponsum. Pavit Christus, et exclusus est inimicus. Miscuit sui sanguinis potionem, et duxit uxorem. Aptavi inquit vos apostolus * uni viro virginem castam exhibere * II. Cor. XI. 2.

a) Cod. *dist.* — *b*) Cod. *austus*, et mox *arriebantur*, et rursum *austibus.* — *c*) Cod. *inseritur.* — *d*) Cod. *his.*

1) Ita codex, pro *venumdedit.*

2) Comparativum cum praepositione *a,* sexto casui adhibita, memini me et alibi videre in Augustini sermonibus. Et quidem in praeclara eiusdem de Trinitate contra Arianos epistola ex casinensi codice a cl. P. Aloysio Tostio edita hist. monast. Casin. T. I. p. 274. sic: *quod autem Dei filius non sit minor a Patre.* Nisi malumus in hoc sermone intelligere *a matre praedicatur.*

3) Habemus heic pulchrum vocabulum novum *merifico, as.*

4) Augustinus de bono coniugali cap. III. *Bonum coniugii etiam Dominus in evangelio confirmavit, quia venit invitatus ad nuptias.* Audiant tamen caelibatus hostes eundem Augustinum in libro de sancta virginitate cap. I. *Iure divino continentia connubio, et nuptiis pia virginitas anteponitur.*

Christo. Ecce illa quondam fecunda, nunc formosa; ante adultera, nunc matrona, istat a) a dextris Dei in vestitu deaurato, circumamicta varietate, per aquam mundata, per sanguinem purpurata, per resurrectionem Domini candidata, pretiosis gemmis gratiae varietata 1): et sicut dixit scri-
* Gen. XLIX. 12. ptura *, fulvi sunt oculi eius a vino, et dentes eius candidiores sunt lacte. Potemus ergo et nos vinum eius cum lacte eius, si volumus et in fide pulchrescere, et in virtute candescere, et in ornatu sanctae ecclesiae radiare.

5. Accipite grande aliut a parvo mysterium. Aliquando et Iudaea vinum in convivio suo non habuit, quia munus sacrati sanguinis non accepit; et dum legi nuberet, non invenit omnino quod biberet. Venit Christus, mutavit legem in gratiam, illam inflatricem 2), istam adiutricem. Fudit in legem sanguinis poculum, et fecit moriendo convivium. Gustavit architriclinus, id est mundi dominus, aquam vinum factam, et dicit: omnis homo primum vinum bonum ponit, et cum inebriati fuerint homines, id quod deterius est: tu autem servasti vinum bonum usque adhuc. Et lex
* Rom VII. 12. enim sancta, et mandatum sanctum et iustum et bonum *; sed lex et prophetae usque ad Iohannem prophetaverunt; et ideo adveniente Domino vina mosetica defecerunt, et vina sanguinis profluxerunt. Illa acceperunt terminum, ista sumserunt initium. Denique hoc est initium signorum quae fecit Iesus, quando pavit gentes occisus, et de vino sui sanguinis fecit convivium vulneratus 3).

* Num. XIII. 24. 6. Hunc botrum in terra promissionis * seu in cespite virginitatis exortum, aliquando iudaeus in palanga 4) tamquam in praesagio futurae crucis infixerat, sub quo curvaretur, non ex quo reficeretur. Iam enim de eis psalmus fuerat praelocutus: obscurentur oculi eorum ne videant, et
* Ps. LXVIII. 24. dorsum eorum semper incurva *. Portabant igitur botrum duo, unus anterior, et alter posterior: in medio palmitis germinis propago pendebat. Primus indicabat populum Iudaeorum, secundus designabat populum gentium. Iudaeus quidem anteibat, sed contra botrum dorsa ponebat. Gentilis posterior ambulabat, sed botrum fidei oculis adtendebat, quia in pendente credebat. Posuerunt, inquit Dominus de Iudaeis, ad me dorsa et non
* II. Par. XXIX. 6. facies suas *. Primus aversabatur, secundus pascebatur: ille hanelabat b) sub delicti onere, iste bibebat ex aethere. Iudaeo ergo botrus posterior, gentili erat anterior 5): illis in fine, nobis in principio: illos sequebatur ad suppli-

a) Ita cod. pro *adstat*. — b) Ita cod.

1) Nota rursus vocabulum, nisi forte est pro *variegata*.

2) Animadverte adhuc novum vocabulum *inflatrix*. Et mox adiectivum *moseticus*.

3) Placet omni vel occasione vel tempore de ss. eucharistiae mysterio, prout ei catholica ecclesia credit, aliquid dicere. Loci ergo Augustini nostri de corpore et sanguine Christi, vere in hoc mysterio existentibus, classici in primis sunt in sermonibus ed. CCXXVII. et CCLXXII. Item alii quos obiter legebam serm. ed. CXII. 4. CCCX. 2; de civ. Dei XXI. 20; de orig. anim. lib. I. 10; et tom. IX. post collat. carthag. n. 27.

4) *Palanga* vel *phalanga* dicebant praesertim Afri (afer autem fuit Augustinus) pro fuste, ut, teste Plinio, iam adnotavit Forcellinus. Hinc novum Augustini auctoris indicium.

5) Hanc botri allegoriam similiter plane, sed aliis verbis, exponit Augustinus etiam serm. XXVIII. 3. in appendice; quem sermonem immerito suspectum editoribus fuisse iudico. Ceteroquin Augustinum non semel lepidis apud plebem argutiis indulsisse, quis

cium, nos invitabat ad cibum. Itaque illi desiccati sunt et aruerunt, nos vero comedimus et bibimus et refecti sumus, per ipsum Iesum Christum qui vivit cum Patre et cum Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

CXIX. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE ACCEDENTIBUS AD GRATIAM 1).

1. Domino Deo nostro inpendenda sunt munera, et vestrae sanctae karitati solita reddenda sunt debita. Exigit enim haec sollempnitas congregationis, officium nostri sermonis. Largiatur summus ille dives nostro ministerio verbum, quoniam Dominus donat verbum quod vestrum adimplere posset desiderium. Non vobis David tonantia et poëtica verba proferimus, non aliqua grammaticorum arte composita, nec eloquentia saeculari deserto *a*) fucata, sed praedicamus Christum crucifixum, iudaeis scandalum, gentibus stultitiam; ipsis vero vocatis iudaeis et graecis Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. Hanc stultitiam mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; haec infirma, ut conterat fortes. Haec est schola, ad quam parvuli spiritu deducuntur, ut discant a caelesti magistro non alta sapere, sed humilibus consentire. Haec est schola magistri regis, cuius cathedra caelum est, cuius terra scabellum pedum. Nec tamen iste talis ac tantus aliud suos doceat discipulos, nisi ut ab eo discant, quoniam mitis est et humilis corde; ut per diuturnos labores perversorum morum, et ista humilitate suarum requiem inveniant animarum. Discite parvuli Christi in ista schola tanti magistri iam non sequi superbum diabolum, sed amare humilem Christum, qui nos revocat errantes, suscipit venientes, exhibet prudentes, docet quaerentes, erudit insipientes, facit sapientes. Omnia nobis magister hic exhibet pietatis officia. Si parvuli estis, venite et erudimini: si infirmi estis, convertite *b*) et curamini: si caeci estis, accedite ad eum et illuminamini: si vitam quaeritis, festinate ut ab eo vivificemini. Cod. vat. 450. f. 194. b.

a) Ita cod. Neque placet separare *de serto*. Num *diserte*? — *b*) Sensu neutro ut apud Frontonem: *spes in rem convertit* Et idem alibi.

neget? Sine dubio autem in sermone edito XLVII. 22. ubi prolatis illis verbis psalmi LXVII. 31. *increpa feras calami*, pergit dicere: *quid est feras calami? Bestias adversantes sanctae scripturae*, *quia calamo scriptae sunt*. Item de nuptiis in Chanan videsis in appendice citata sermones XC. XCI. XCII.

1) Habemus heic Augustini pulcherrimum et copiosissimum sermonem, quem eodem sub titulo Mediolani quoque in ambrosiano codice D. 16. part. sup. olim vidisse recordor Dictus fuit, ut apparet, ad catechumenos, seu potius ad nuper baptizatos. Porro etiam confess. lib. VIII. 5. de Victorini romani rhetoris baptismo loquens Augustinus ait: *ut ventum est ad horam profitendae fidei*, *quae reddi solet ab eis qui accessuri sunt ad gratiam*. Item lib. IX. 13. narrat Augustinus rogavisse se S. Ambrosium, a quo ipse brevi baptizandus erat, ut moneret quid potissimum sibi de sanctis libris legendum esset, quo *percipiendae tantae gratiae* paratior aptiorque fieret. Item in eodem libro IX. 14. de Adeodato filio secum baptizato ait: *sociavimus eum nobis in gratia tua*. Iohannes diaconus in epistola de ritibus baptismi apud Mabill. mus. ital. T. I. part. 2. p. 70. ait: *diabolicae potestatis laqueis nisi aliquis inter ipsa primitus fidei rudimenta veraci professione renuntians eruatur*, *ad lavacri gratiam non accedat*. Denique unde sit nomen hoc *gratiae*, tradit Augustinus initio inchoatae expositionis in epist. ad Rom. *Hoc ergo docere intendit omnibus venisse gratiam evangelii D.N.I.Ch*. *Quod propterea etiam gratiam vocari ostendit*, *quia non quasi debitum iustitiae redditum est*, *sed gratuito datum*. Legantur autem paris argumenti sermones luculenti quatuor eiusdem Augustini in tomo operum sexto, nec non ibidem aliud opusculum de fide ac symbolo. Item in tomo quinto egregia adhortatio ad competentes serm. CCXVI

*

Egit enim et agit in vobis artis suae magnam doctrinam, qui sacramentorum eius transactae noctis 1) gustastis aliquam medicinam.

2. Nostis, dilectissimi, qui ad gratiam acceditis, quomodo vobis pater iste caelestis verborum suorum salubre infuderit antidotum contra diaboli serpentis venenum. Discitis qua humilitate colla subdita iugo levi tamquam iumentum edomitum processeritis ad publicum, et in conspectu omnium confutantes superbum diabolum, humilem sessorem suscepistis dominum Christum. Vidistis quemadmodum hic magister ordinaverit hoc auditorium *a*) in lumine sui sermonis etiam confessione suae pietatis et sanctitatis, in humilitate karitatis et castitatis, fecitque vos mane adstare in conspectu suo, audire et discere cui renuntiandum sit, et cui credendum. Omnis enim imo corde et una voce tradenti respondistis, renuntio 2). Demonstrandum est
f. 195. a. karitati vestrae quare cum multi sitis *b*), qui nomina vestra conscribenda dedistis 2), non doceamini dicere renuntiamus, sed renuntio; tamquam ex multis una iam effecta persona, ex qua continetur sancta ecclesia in unitate spiritus et in vinculo pacis conligata consortio karitatis. Pax enim
* Act. IV. 32. et karitas huius magistri, sicut in actibus apostolorum legitur *, omnibus in ipsa prima vocatione ad se venientibus fecerat cor unum et animam unam. Haec unita multitudo sanctam, ut dixi, demonstrat ecclesiam, quae uno corde et uno ore renuntiare se profitetur diabolo, et credit omnipotenti Deo.

3. Si ergo haec omnis sancta congregatio unum cor et unicam animam habeat a Deo et in Deum, simul omnes una voce dicamus, renuntio. Magna professio, et periculosa congressio! multae enim sunt artes huius inimici, multae pompae, multi angeli: contra quae omnia valde infirma est ad resistendum anima humana, nisi subveniat clementia divina. Quis enim enarraret fraudes diaboli? quis est qui evitare posset etiam eius munitissima muscipula delictorum? Delicta enim quis intelligit? omnia enim artium suarum venena, omniaque decipula quinque hiis sensibus nostris opponit; oculis ad videndum, auribus ad audiendum, naribus ad odorandum, linguae ad loquendum, manibus ad contrectandum. Armat oculos ad illicitos visus, et militi Christi iam sibi renuntianti pulchras species variasque demonstrat, in quibus tangens secum certantis aspectum, per scelerum nuncios adulterinas maculas infundat in corda: singulosque temptans utrum captivos teneat oculos nostros, insidiatores nobis excitat alienos. Fornicatio enim mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris il-
* Eccl. XXVI. 12 * Matth. V. 28. lius cognoscitur *. Et qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam moechatus est eam in corde suo *. Gravis pugna, molesta causa! Necdum enim

a) Cod. *auditorum*. — *b*) Cod. *multis istis*.

1) Quia nimirum baptismo praeibant vigiliae nocturnae cum ecclesiasticis officiis. Sic Augustinus exorditur serm. ed. CCXXVIII. ad infantes baptizatos. *Propter laborem noctis praeteritae, diu vos tenere sermone non debeo.*

2) Augustinus confess. lib. IX. 14. de suo proximo baptismo loquens: *ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, Mediolanum remeavimus* etc. Sic notissima illa locutio: *nomen dare militiae*, vel etc.

ipsum flagitium paria *a*) commiserint membra, et solo isto intuitu adultera iam iudicata est anima. Necdum criminis paene instituta est causa, et a cordium inspectore recitata est reo iusta *b*) sententia.

4. Quid agis, qui pugnas? Est *c*) tibi super spes? Vides tam magnum periculum, vides quam grandi certamine lucteris, ut citius vincaris, nisi desuper adiuvèris. Fac bonus miles, quod tuus te docuit campi doctor 1): si scandalizat te oculus tuus *, ait, mitte digitum, et eice illum; melius est enim cum uno oculo introire in regnum Dei, quam cum duobus mitti in gehennam ignis. Quod est hoc praeceptum? Curtos nos vel scaevos *d*) vult introire in regnum suum, qui nobis per apostolum indicit *, nemo umquam carnem suam odio habet, sed nutrit et fovet eam? Et non potest oculus dicere manui, opus te non habeo, quia pro invicem sollicita sunt membra: et si contristatur unum membrum, contristantur omnia membra. Quid est igitur mitte digitum, et eice oculum scandalizantem, nisi sano consilio noli sequi intentione oculi diabolum suggerentem? Abscide a corde tuo ipsam malae suggestionis intentionem, et abstulisti membrum quodammodo scandalizans te, integritate corporis permanente. Claudite contra serpentem suggerentem oculorum ianuas, et sicut scriptum est *, non intret mors per fenestras vestras. Similiter et auribus ille nefandus inimicus per male suavem et turpissimam cantilenam, turpem infundit auditum: per linguas vibratas et odiosas iram immittit in corda. Numquid aures exsecandae sunt, quo possimus sine ipsis introire in regnum Dei? Absit. Abscide et istum sensum suggerentis inimici; et manentibus membris, praeceptum implesti tui regis. Lingua excitat ad inflammandas lites, ad inimicitias exercendas *e*), ad blasphemias, ad turpiloquia. Numquid et haec excidenda est, quo possimus sine ipsa introire in regnum Dei? Absit. Converte hoc organum ad artificem suum, ut labia tua ipse aperiat, et os tuum annuntiet laudes eius: et hoc est renuntiare pompis diaboli, et angelis eius.

* Matth. V. 29

* Ephes. V. 29.

* Hier. IX. 21

5. In illicitis odoraminibus captat olfactum. Manus armat ad fraudem, et avaritiam corde conceptam, radicem omnium malorum, altius inflammat intrinsecus, ut effectus quis avarus velit esse suum proprium quidquid pretiosum tetigerit alienum. Numquid et haec membra abscidenda sunt, quo possimus sine ipsis introire in regnum Dei? Absit. Abscide malam concupiscentiam cordis, et radices amputa avaritiae et rapacitatis, et converte usus membrorum in artes bonorum operum; et elevans manus tuas in sancta, benedicas *f*) Dominum, ac de laboribus tuis facias multa bona opera; quia iam didicisti non debere rapere aliena; et hiis necessariis manentibus membris, abscidendo ab eis malam concupiscentiam, doctoris tui perfecisti doctrinam. Pedes occupat quorumdam, ut deserta ecclesia

a) Ita cod. id est *ambo oculi* — *b*) Cod. *iuxta sententiam.* — *c*) Cod. *es.* — *d*) Cod. *scinos.* Num a *scia*, unde *sciaticus* et *sciancatus* apud Cangium? Num *simos*? Num *caecos*? — *e*) Cod. *excertendas.* — *f*) Cod. *benedicens.*

1) Locutio vetus romana, qua significatur is qui iuvenes aut gladiatores in campo docebat.

frequentent spectacula: nec deest huius astutia desolatoris 1) vel fraudatoris transeuntibus iuxta illas nefandas caveas sonos suaves excutere pessimae voluptatis, ut illum qui sibi renuntiaverat capiat. Pristina illa opponit oblectamenta ludorum, in quibus aestuantis capiat animum. Numquid pedes abscindendi sunt, quo possimus sine ipsis introire in regnum Dei? Absit. Abscide ab eis sensum turpissimae delectationis illius, et dic Deo tuo *: gressus meos dirige secundum verbum tuum, et ne dominetur mihi omnis iniquitas. Quia non concludes me in manus inimici, qui statuisti in loco spatioso pedes meos.

* Ps. CXVIII. 133. XXX. 9.

6. Postremo ut de illis etiam membris verecundis aliquid loquar, de quibus apostolum doctorem gentium dixisse cognoscimus: quae inhonesta sunt nostra, abundantiorem honorem habent *; numquid quando sanctis Dei utriusque sexus virginibus Christi manentibus, adhuc in hiis moribundis membris certamen eis libido indixerit, et aestuantis carnis inobedientem motum castae voluntati senserit resistentem, ut caro concupiscat adversus spiritum, et spiritus adversus carnem 2), videntes aliam legem in membris resistentem legi mentis, et captivantem in lege peccati, quae est in membris; numquidnam et illa membra exsecanda *a*) sunt, quo possimus sine ipsis introire in regnum Dei? Absit. Noverunt enim sanctae virgines Christi, illis *b*) quibus dicit apostolus *: aptavi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo; noverunt quomodo accipiant illud praeceptum veri magistri, quomodo se ipsos castrent propter regnum Dei. Agite sancti Dei sancta ista certamina, peragite istam spiritalem pugnam. Sancti Dei continentes et virgines noverunt ista quae dico; noverunt ista qui pugnant; noverunt ista qui carni et sanguini repugnant; noverunt istum tam grandem agonem; noverunt tam magnum et periculosum conflictum; noverunt quomodo in castris suis quotidie dimicent, qui veraci confessione Deo suo ex voce prophetica dicunt *: laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo. Et tamquam ab isto, qui hoc dixit quaereretur, quare hoc? quoniam anima, inquit, mea impleta est illusionibus, et non est sanitas in carne mea. Dum enim ait, in hoc certamine pugno, ille nefandus adversarius quod non potest subripere vigilanti, agit ut extorqueat dormienti, ut *c*) cum mihi ipsa quiete *d*) inquietus insistat, demonstrans *e*) imaginem falsam, extorqueat concupiscentiam veram; ut qui non potest vigilantem superare certantem, captivum teneat et nolentem; quia cum sopitos deludit per somnia sensus, nonnumquam etiam sanctorum animae in turpes labuntur assensus 3); quae si imputaret Altissimus, quis viveret castus? Noverunt ergo ista qui pugnant, noverunt qui carni et sanguini repugnant, noverunt ad-

* I. Cor. XII. 23.

f. 195. b.

* II. Cor. XI. 2.

* Ps. VI. 7.

a) Cod. *expectanda*. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *et*. — *d*) Cod. *qui et ei*. — *e*) Cod. *demonstrat*.

1) Animadverte novum vocabulum *desolator*.

2) Carnis ac spiritus certamen graphice describit Augustinus tum in confessionibus suis, tum serm. ed. CXXVIII. CLI. CLIII. et seqq. Ipse de se Augustinus quid decreverit post baptismum circa castitatem servandam narrat in Soliloquiorum libro I. 17.

3) Confer de genesi ad litt. lib. XII. 31. Nen non confess. X. 41.

iutricem et gubernatricem divini muneris gratiam, noverunt desuper adiuti hanc pugnam facile superare, noverunt gratia perducente ad victoriam pervenire, noverunt victores palmam caelestem desuper exspectare.

7. Postremo apostolicis vos verbis exhortor: amando membra vestra, mortificate membra vestra, quae sunt super terram. Quid est hoc, sancte apostole, intelligamus, obsecro te. Hoc enim et tu dicis quod tuus dixit magister. Scandalizat te oculus tuus? ait: eice illum. Et si manus scandalizat, abscide eam. Similiter si pes, aut quodcumque membrum. Dicis et tu, mortificate membra vestra. Obsecro dic, ne *a*) quis existimet contrarium te tibi esse, quia tu dixisti *, nemo umquam carnem suam odio habet. Et (* Ephes. V. 29.) pro invicem sollicita sunt membra *. Et mortificate membra vestra quae (* I. Cor. XII 25.) sunt super terram *. Dic quae noverimus, quae vis nos sequi. Ait, audi (* Coloss. III. 5.) quae: iram, invidiam; haec quae ad oculos pertinent: unde scriptum est: turbatus est in ira oculus meus. Susurratores detrahentes: haec ad aures pertinent; propter quod scriptum est sepi *b*) aures tuas spinis *, et noli (* Eccli XXVIII. 28.) audire linguam malam. Cetera iam et plana sunt et propria. Turpiloquium, inquit, de ore vestro non procedat. Qui furabatur, iam non furetur. Nolite inebriari vino, in quo est omnis luxuria. Estote bonus odor, in hiis qui salvi fiunt, et in hiis qui pereunt, operantes propriis manibus vestris. Calcientur pedes vestri in praeparatione evangelii pacis. Optimus doctor optime docuisti; manentibus membris, vitia abscidisti; virtutes invexisti; diabolum superare docuisti; ad Christum pervenire fecisti. Hiis igitur malis suggestionibus amputatis, et quaecumque surrepserint amputandis, hoc bellum spiritale cotidie peragentes, haec castra dominica milites Christi regis magni una mecum voce in tubis ductilibus et voce tubae corneae intonetur: in isto certamine renuntiare se in omnibus, et credere omnipotenti Deo.

8. Omnipotentem Deum dum credit fides catholica, omnium haereticorum, paganorum, iudaeorumque destruit falsa commenta 1). Novit trinam unitatem, et unitam trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, non tres deos sed unum verum Deum, adorare colere et timere 2). Novit et videt fides pietatis ubique illum esse praesentem, quem malis cernit absentem. Non enim est cum illis de quibus dicit *: dimisi eos secundum affe- (* Ps. LXXX. 13.) ctiones cordis eorum, ambulabunt in voluptatibus *c*) suis. Novit ergo en *d*) pia fides adorare et colere et timere in quocumque loco illum, qui concludi nescit *e*), et praesens invenitur omni loco. Novit adorare et colere et timere illum qui aspicit terram et facit eam tremere. Novit adorare, colere, et timere

a) Cod. *nec*. — *b*) Cod. *sepe*. — *c*) Puto scribendum *voluntatibus*. — *d*) Vocabulum dubium. — *e*) Cod. *quem concludit* . .

1) Varias adversus Christi domini oeconomiam haereses oppugnat Augustinus etiam T. V. (ed. Antuerp.) in serm. ed. LXXXIV. CXXXIX. CXL. CLXXXIII. CCCXLI. CCCLXXXI. CCCLXXXIV. Et tract. in Ioh. XXXVI. XXXVII. XL. XLII. Et in epist. Ioh. tract. VI. Tum in ps. CXXX. Item in epist. 236. 238-242. Item T. VI. de cant. nov. p. 410. Ne diutius huiusmodi scriptis citandis immorer.

2) Presse Augustinus de lib. arbitr. II. 60. *In Trinitate est unitas et aequalitas, et singularum in ea personarum quaedam proprietas.-Cui Trinitati pie sobrieque intelligendae omnis excubat vigilantia christiana*. Conferatur etiam epist. CXX. et in Ioh. tract. XXXIX. 4.

illum, qui novit malos longa patientia sustinere, illum qui novit impios gratis iustificare, illum qui novit perseverantes in malo iusto iudicio iudicare. Haec fides catholica discernitur ab omni infidelitate, sive illis qui multos colunt deos, et dimisso uno a quo creati sunt, errant post multos a quibus seducti sunt, comparantes incomparabile nomen lignis et lapidibus, lapideum cor habentes, veritatem non requirentes. Sed potens est dominus Deus noster etiam de lapidibus istis suscitare filios Abrahae. Ipse quippe errantes homines convertit, qui eis salutis viam ostendit. Auferam,
* Ezech. XI. 19. inquit *, ab eis cor lapideum, et dabo eis cor carneum, et faciam ut in praeceptis meis ambulent, et iustificationes meas custodiant. Fac, Domine, quod promisisti, quia iam in multis conversis quod promisisti ipse fecisti. Fac nunc cum plebe mirabilia tua, dona eis gratiam tuam, percipiant et ipsi beneficia tua, discant nobiscum quia suavis est in omnibus misericordia tua, convince stultitiam paganorum, frange duritiam iudaeorum, destrue commenta haereticorum. Ecce enim dum te credit una et vera san-
† 1 Io. 6. a. cta, quam voluisti matrem ecclesiam catholicam, dum te credit unum et omnipotentem Deum, diversi contra eam tamquam canes surgunt, nec Dominum nec divina agnoscentes, humilitati eius insultantes, cervices eri-
* Ps. XXI. 17. gentes, linguas incitantes. Sed clamat * ad te haec, quae tua est: circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Quoniam
* Ps. XLI. 11. inproperarunt mihi qui tribulant me, dum dicunt mihi cotidie: ubi est Deus tuus?

9. Dicit paganus, ubi est Deus tuus? Dicit et iudaeus, ubi est crucifixus tuus? Dicit haereticus, ubi est adiutor tuus 1)? Quid faciam? quid eis respondeam? In fide adhuc vivo, per speculum te video. Habeo etiam nunc quod ostendam. Illi oculos fidei non habent, unde videant. Quid faciam? quid respondeam latrantibus, caput agitantibus? Domine, Domine, quoniam omnia tu es, qui fecisti, responde eis pro me, ut illos tales non patiar. Sentio flagella tua. Sed quoniam tu es qui fecisti me, amove a me flagella tua. Et Dominus: ubi sunt, dicit, qui tribulant te? Et ecce in conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me. Ecce sunt pagani, iudaei, et haeretici. Et adhuc, inquit, tribulat te paganus, qui ab omnibus idolis suis invenitur esse desertus? Loquatur; confusus est; qui, quoniam dimittere noluit, ipse dimissus est. An non cernit impletum
* Is. II. 18. quod a me constat esse praedictum? Venient, et exterminabit Deus omnia idola gentium; quoniam abscondent eos in speluncis et cavernis petrarum 2). Inde eiciam eos, dicit Dominus. Sequetur enim anima amatores suos, et inveniet illos. Tunc clamabant omnes ad me: domine Deus Israhel, vere

1) Innuere videtur Pelagianos qui negabant gratiae divinae adiutorium; vel certe secundum merita dari aiebant.

2) Revera de temporibus suis ita loquitur Augustinus de consensu evang. lib. I. 42. *Nunc certe quaerunt, idololatrae, ubi se abscondant, cum sacrificare volunt; vel ubi deos ipsos suos retrudant, ne a Christianis inveniantur atque frangantur. Unde hoc, nisi a timore legum atque regum, per quos Deus Israhel suam exserit potestatem, iam subditos Christi nomini?* Notissimae sunt christianorum impp. leges adversus idololatriam.

in mendacio patres nostri coluerunt idola, et non est in eis utilitas. Sunt enim idola gentium aurum et argentum, opera manuum hominum, sine sensu, sine voce, sine motu, sine vita. Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis; perit enim memoria eorum cum strepitu, et Dominus in aeternum manet. Tamen istis dicit, qui talia colunt: ubi sunt qui tales adorant? quanti sunt? aestimans omnes istos adhuc esse paganos. Eorum frontes inspice, et invenies perfidos christianos. Non ergo metuas etiam tales: quoniam Deus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis *. Adhuc, inquit, insultat tibi iudaeus, et dicit: ubi est crucifixus (* Ps. XX. 10.) tuus? quem videt ubique regnantem, per ipsam crucem omnes gentes sibi subdentem, eamque in frontibus regum figentem, et per eos ipsorum iudaeorum superbiam conterentem. Isti murmurare possunt, detrahere tibi non possunt. Hoc faciunt quod faciunt mali servi, obsequium *a*) dominis (* ita cod.) exhibentes ad faciem; post eorum facies, detrahentes. Illis magis respondendum est, illi sunt cohercendi, illi a tua iniuria refrenandi, illi a sua pravitate revocandi, qui se volunt dici quod non sunt; ut velint videri sacerdotes, cum non sint colligentes sed spargentes; velint se dici pastores, cum non sint pascentes sed animas devorantes. Ipsis respondendum est, cum ipsis agendum qui fallunt in nomine, aliud agentes opere *b*). (* ita cod)

10. Verumtamen quoniam multi sunt qui occurrunt, duo aut tres commemorentur, ut omnes in istis pariter destruantur. Dicit manichaeus: ego sum christianus, quia ego colo Deum patrem omnipotentem. Respondeatur ei: dic quomodo credis, quod credere fingis. Deus, inquit, pater omnipotens est, inviolabilis, incorruptibilis, invisibilis, qui nulla ex parte commutari potest. Optime. Sed si Deum patrem omnipotentem inviolabilem, invisibilem, incorruptibilem credis, quomodo illi principem gentis tenebrarum adversarium ponis? quomodo eum pugnasse confingis; ac ne labem in hac vastitate regni sui pateretur, timore compressum, portionem suam principi tenebrarum dedisse 1)? Filium eius, verbum eius mentitum fuisse, verum hominem non suscepisse; nescio quid illum phantasticum fuisse, nec nos proprio sanguine redemisse; spiritum etiam sanctum nescio quas vestras immunditias docuisse. Quomodo te, manichaee, asseris tenere veritatem, cum ipsam veritatem dicas esse mendacem? Aut quomodo profiteris christianum, cum fallaciis tuis inimicum excuses iudaeum 2), qui ipsum veraciter crucifixit Christum? Et sabellianus 3) dicit: ego sum chri-

a) Cod. *exsequium*. — *b*) Cod. *oportere*

1) Hi Manichaeorum errores plurimis locis apud Augustinum leguntur, sed praecipue in catalogo haeresum, et T. VIII. in monitorio circa Manichaeos qui convertebantur. Item in hac nostra PP. bibliotheca T. IV. habes nova scripta de Manichaeis.

2) Quomodo excusabant Iudaeos Manichaei? quia Christum ab eis in umbra, seu certe pro Christo Cyrenaeum crucifixum aiebant, ut dicitur apud nos in hac PP. bibliotheca T. IV. p. 363. cum adn. et p. 433. 437. Verumtamen multo antea eam fabulam venditaverant haeretici apud Irenaeum lib. I. 24. A Manichaeis vero eandem didicisse Mohamedem, dicunt Petrus siculus et Nicetas chon. loc. cit.

3) De Sabellianis et Arianis confer, si libet, serm. ed. XL. 7. XLII. 10. 15. LXXI. XCVI. 3. CXVII. Item praecipue T. VIII. de quinque haeresibus, et de symbolo. Denique de Arianis plurima sunt in editis a nobis Arianorum fragmentis script. vet. T. III.

stianus, quia ego colo et credo Deum patrem omnipotentem. Dic et tu,
quomodo credis? Unum, inquit, Deum patrem omnipotentem. Sed quando
vult, pater est; *quando vult, filius est;* quomodo vult, spiritus sanctus est:
tamen unus est solus Deus pater omnipotens. Et unde hoc probas, quod
* Ioh. XIV. 8. dicis? Quoniam, inquit, in evangelio *quaerenti patrem Philippo, respondit:
tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Dicebat enim Phi-
lippus Christo: ostende nobis patrem, et sufficit nobis. Dicebat et *a*) Chri-
stus, tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Vides, inquit,
quia quando vult, pater est; quando vult, filius est. Hic tu erres tam-
quam vanus; tamen alter audiat tibi similis haereticus arrianus. Tu enim
vis esse patrem sine filio, sine spiritu sancto; ille tres inducit dispares
inaequales separatosque ab invicem patrem et filium et spiritum sanctum.
Tu dicis: non sunt tres, sed unus; ille dicit: Trinitas non est unum 1).

11. Gubernet catholica ecclesia inter utrosque fidei suae navigium,
quoniam timendum est in utroque naufragium. Responde, veritas, ut con-
vincas falsa sentientes, eosque demonstres errantes. Audite, haeretici, evan-
gelium, ut unde gloriamini, inde convincamini. Audite quid respondeat
dominus Christus Philippo requirenti patrem. Tanto tempore, inquit, vo-
biscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et patrem
meum. Non dixit, qui vidit me, vidit patrem; sed qui me videt, videt *b*) et
f. 196 b. patrem ipsum: et alium demonstrat esse patrem, alium filium: alium dixi
non aliud; quia ut se ostenderet aequalem esse patri, dixit: qui me videt,
videt et patrem; non quo ipse esset pater, quamvis in ipso esset pater,
et ipse in patre. Ammodo *c*), inquit, cognoscis, quia ego in patre et pa-
ter in me est? ego enim et pater non unus, sed unum sumus. Audisti,
sabelliane? audisti et tu, arriane, quomodo credere debeas Deum patrem
omnipotentem? Non enim quomodocumque credere, hoc est Deum no-
scere, vel diligere. Nemo, inquit, qui non credit, Deum diligit, quia et
daemones tremunt et contremescunt. Nolo ergo iactes *d*) de fide tua, sed
demonstra veram esse assertionem tuam.

12. Prorsus, inquit et arrianus 2): ego sum, inquit, christianus, quia
ego colo Deum patrem omnipotentem maiorem, filium minorem, spiritum
sanctum inferiorem 3). Ergo non colis unum sed tres deos, maiorem, mino-
rem, et inferiorem. Ita est, inquit. Quomodo? Obsecro te, demonstra.
Pater, inquit, mittit; filius missus obtemperat patri; spiritus sanctus tam-

a) Mallem scribere *ei*. — *b*) Cod. heic et mox *vidit*. Sed contra superius. — *c*) Ita cod. — *d*) Ita cod. sine *te*.

1) Praestat heic exscribere, in gratiam etiam theologorum, Augustini verba in collatione cum Maximino ariano n. 14. *Aliud est, unum sunt; aliud, unus est. Quando dicitur, unum sunt; etsi non dicatur quid unum, intelligitur una substantia. Quando dicitur unus est, de duabus diversisque substantiis, necesse est ut quaeratur quid unus. Verbi gratia, diversa substantia est anima et corpus, tamen unus homo. Ubi autem dicitur, unum sunt, una substantia significatur.*

2) Isto modo plane loquitur, aliis verbis, Augustinus serm. ed. CLXXXIII.

3) S. Leo PP. serm. LXXIV. 4. *Detestamur arrianos, qui inter Patrem et Filium aliquam volunt esse distantiam. Macedonianos pariter detestamur, qui licet Patri et Filio tribuant aequalitatem, Spiritum tamen sanctum inferioris putant esse naturae.*

quam inferior obtemperat filio; quia maior est qui mittit, illo qui mittitur; maior enim iubet, minor obtemperat iussioni. Bonum quasi ordinem ipse tibi composuisti, sed miser a veritate plurimum desivisti *a*). Non tecum diutius humanis assertionibus laboro, sed ipsius testimoniis tuam nequitiam refutabo. Dixisti enim: maiorem esse qui mittit, concludi. Audi unde confundaris, audi Isaiam prophetam * ex voce filii clamantem et dicentem: nunc Dominus misit me et spiritus eius. Et alio loco: hoc dicit Dominus et spiritus eius qui misit me bene nunciare pauperibus, praedicare captivis remissionem, et caecis visum. Ecce, haeretice, filius non solum a patre, sed etiam a spiritu sancto se dicit missum. Quomodo tu inferiorem ponis spiritum sanctum, a quo filius se dicit esse missum? Evacuata est illa veluti ordinata assertio, quoniam maior est qui mittit illo qui mittitur. Et vide, arriane, loquentem veritatem, quomodo te doceat trinam esse unitatem. Cum enim dixisset: haec dicit Dominus et spiritus eius, non subsecutus est ut diceret, qui misit me, sed Dominus et spiritus eius qui misit me. Quoniam tanta est potestas patris et spiritus sancti mittentis, quanta est ipsius filii venientis et non deserentis. Sed ipse, inquis *b*), dixit in evangelio *: non enim ex me veni, sed pater misit me. Verum est. Sed * Ioh. VII. 28.
hoc tu non intelligis. Vis nosse breviter quid sit hoc quod dicit, non ex me veni, sed pater misit me? Si non erubescis discere, dignare patienter audire. Quid est non ex me veni, sed pater misit me? quoniam verbum patris confitemur filium; pater loquutus est, et verbum filius processit; unde scriptum est: misit verbum suum, et sanavit eos *. Quae est * Ps. CVI. 20
est missio eius? ipsa est spiritualis nativitas eius, de qua propheta dicit*: * Is. LIII. 8.
nativitatem eius quis enarrabit? quia natus est filius de patre sine aliqua matre; quia natus est, qui semper erat. In corde enim patris semper erat, sed nobis nondum factus, adhuc latebat. Quomodo missus est, dicat pater: eructavit, inquit, cor meum verbum bonum *. Non ergo ex se filius * Ps. XLIV 2.
venit, quia non ex se natus est, qui de patre natus est. Ructando dicendo locutus est pater Deus, et processit verbum filius. De hoc verbo dicit et David: semel locutus est Deus * 1). * Ps. LXI. 12.

13. Intelligite, haeretici, qui insipientes estis in populo. Et hoc quod semel locutus est Deus, numquid semel locutus est? Quotiens locutus est ad ipsum patrem humani generis Adam cum praeceptum ei daret, cum transgressorem interrogaret, et ille excusaret, et rursus excusantem convinceret, convictumque simul cum muliere atque serpente dampnaret? Quotiens locutus est Deus ad Cain fratricidam? Quotiens ad sanctos suos Abraham Isaac et Iacob? Quotiens locutus est ad illum fidelissimum famulum suum Moysen, fortissimum intercessorem, pro populo peccatore intercedentem, qui videbat Deum iuste populum perdere volentem? Et dicenti

a) Malim *descivisti*. — *b*) Cod. *inquit*.

1) Dictum hoc, *semel locutus est Deus*, elegantissime ac varie exponit S. Cyrillus in commentario suo ad psalmos, quem nos edidimus in hac PP. nova bibliotheca T. III. p. gr. 367, lat. p. 231. Incipit: *τί φῂς, ὦ μακάριε Δαβίδ; ἅπαξ λαλῆσαι διϊσχυρίζῃ τὸν τῶν ὅλων Θεόν;* etc. Et August. in ps. XLIV.

Deo: sine me, deleam eos; dicebat et iste: si dimittes illis peccatum, di-
* Exod. XXXII. 32. mitte; sin autem, dele me de libro tuo quem scripsisti *. Hac pactione quodammodo ab indignatione revocans Deum: quia hoc facere, inquit, non potes, ut deleas de libro tuo, quem tu talem fecisti iuste vivere; illud facere dignare, ut, me intercedente, peccatum populo digneris ipse donare. Et Deus ad illum: dimitte me ut deleam illos, et faciam te in ampliorem gentem, quam haec est. Videte quotiens loquitur. Dimitte me, dicit Deus homini. Quibus enim manibus tenebatur, nisi quia eius iustitia pietatis misericordia regebatur? Et ipse, qui semel locutus dicitur, et totiens locutus invenitur, intellectus est ab illo Moyse quomodo ipse loqueretur. In-
* Ps. XXXI. 8. tellectum, inquit, tibi *dabo* *. Quid enim fuit Deo dicere homini, dimitte me, nisi iusta pro eis intercedendo aput me? Tantum enim se pietas inclinavit maiestatis divinae, ut etiam consuetudinem teneret infirmitatis humanae. Hoc enim solent facere homines boni, qui sibi cupiunt intercedi pro reis *a*). Dilectos suos immittit, ut cum iuste senserint irascentem, intercessione sua revocent *b*) a vindicta: atque ut ille, qui corripitur, cognoscat et indignantis animum, et intercessoris beneficium. Quid ab indignante intercedenti dicitur? Dimitte me *c*), ut istum perditum interficiam: et vult se fortius ab intercessore teneri, ut possit ille qui corripitur, amplius teneri. Ita et Dominus noster dicebat Moysi: dimitte me, et noli dimittere me. Noli dimittere deitatem. Dimitte me, et in peccatoribus exerceam aequitatem. Sed noli dimittere, quam agnoscis in me pietatem.

14. Ecce totiens locutus est; quomodo dictum est, semel locutus est? nisi quia, sicut superius dictum est, ipse est quem ignoras, haeretice, spiritalis missio, spiritalis generatio; de qua ipse dicit pater filio: ex utero
* Ps. CIX. 3. ante luciferum genui te *; id est ante omnem creaturam, ut institueretur universa creatura. Processisti ex me; et ad hoc processisti ex me, ut perdita creatura ex se, repararetur per te. Ad hoc enim misi te, sed non dimisi te; quia si transieris per ignem, tecum sum; flumina te non inunda-
* Is. XLIII. 2. bunt *. Videte rem, haeretici, miram, rem magnam, et intelligite inseparabilia esse opera Trinitatis 1). Mittit pater filium, et praeit pater filium, nec deserit filium. Erige si vales, haeretice, aciem mentis, et vide perversum
f. 197. a. esse illum tuum ordinem, in quo dicebas: maior est qui mittit, minor qui
* Is. XLV. 1. mittitur. Audi ex ore patris quid Isaias propheta dicat *: haec dicit, inquit, Dominus Christo domino meo, cuius tenui dexteram, ut exaudiant illum gentes. Hic tu respondes: ecce idcirco maior est pater, quod tenuit eius dexteram, ut exaudiant illum gentes. Nam si non teneret eius dexteram, non illum exaudirent gentes. Audi quod sequitur, haeretice, audi rem miram, audi rem magnam, ut ex ipsius ore patris confundaris, destruaris. Audi patrem mittentem, nec dimittentem, insuper praecedentem. Audi patrem ve-

a) Cod. *eis*. — *b*) Ita 1. m. At 2. *revocetur*. — *c*) Cod. *domine*, pro *me*.

1) S. Maximus taur. serm. II. de Pent. ed. rom. p. 526. de divinis personis sic. *Invicem se loquuntur, invicem se mittunt, invicem sibi obediunt, quia non est in eis aut posse diversum, et unum semper cum Patre agunt pro mortalium aeternitate mysterium.*

luti filio obsequium praebentem. Audi dicentem: ego ante illum ambulabo. Et quid facturus? Et montes exaequabo, nequando offendas ad lapidem pedem tuum; ianuas aereas comminuam, vectes ferreos inquit confringam. Quid hic dicturus es, haeretice? Qua fronte huic paternae voci contradicturus es, in qua glorificat pater filium, quia et filius glorificat patrem? Audi quoniam ex propria voluntate venit qui sic missus est: non enim alia est voluntas patris, et alia filii, cum ipse filius sit voluntas patris. Haec est, ait ipse *, voluntas patris mei, ut omnis qui viderit filium et crediderit in eum, habeat vitam aeternam. * Ioh. VI. 40.

15. Audi tamen quia propria voluntate venit, qui sic missus est. Isaias propheta * exhortamini *a*), inquit, qui estis pusillanimes, confortamini, et iam nolite timere: ecce Deus noster retribuet iudicium, ipse veniet et salvos nos faciet. Sed ne tu perversa mente diceres, missus minor veniet, subiungit propheta David, de ipso filio dicens *b*): qui sedes super cherubim, appare *. Quis est iste? Deus virtutum converte nos. Quantus est? Excita potentiam tuam et veni, ut liberes nos. Ecce ostensum est, quia eadem est voluntas patris mittentis, quae est filii venientis; quia inseparabilia sunt, ut diximus opera Trinitatis; in quibus clarificat pater filium, quia et filius clarificat patrem. Ducit filius ad patrem, quando dicit: nemo venit ad patrem, nisi per me. Pater ducit ad filium, quando dicit: nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, attraxerit eum; quia nemo novit filium nisi pater. Quid est quod dicis, Domine, nemo novit filium nisi pater? Ecce arrianus et nosse dicit, et praedicat filium minorem esse patre; et tu dicis nemo novit filium nisi pater? Fallitur, inquit, insanit, nescit quod dicit, nemo novit filium nisi pater. Vultis nosse, quia nemo novit filium nisi pater? Attendite quid etiam ipsis meis discipulis dixerim, quia iam quasi de mea natione gaudebant, et totum quod in forma servi videbant, hoc tantum esse credebant. Videte quid eis dixerim, quo aciem cordis eorum erexerim: qui diligit me, diligetur a patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum. Quomodo erat eis manifestaturus? quia nemo filium novit nisi pater, neque quisquam patrem novit nisi filius, et cui voluerit filius revelare. Gratias, tibi pater, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis; humilibus, non superbientibus: et gloriam tuam quaerentibus, non suam inanem gloriam ventilantibus. Clarifica me ait, o pater, filius claritate qua fui aput te ante quam mundus fieret; quia non rapinam arbitratus sum esse aequalis tibi; quia ego in te, et tu in me; quia ego et tu unum sumus. Talis apud te fui ante quam fieret mundus, talis eram et ante quam a te processissem: et cum ex te procedens, omnia quae voluisti perficere *c*), tecum tamen mansi, qui a te processi, et te non dimisi. Hoc clarificando demonstra, et demonstrando clarifica, ut noverint quid quaerant, quid me credant de Spiritu sancto ex Maria virgine.

* Is. XXXV. 4.

* Ps. LXXIX. 2

a) Ita cod. — *b*) Cod. *dicit*. — *c*) Ita cod.

B

16. Haec 1) nativitas mira est, quia talem genuit, talis genuit. Ideo virgo mater, quia Verbum caro factum est. Si enim haec quae genuit, talis est; illud quod genuit, quale est? Vis nosse qualis est, qui sic natus est? Audi quis et quantus est: Verbum patris, artifex mundi, lumen caeli, pax terrae, integritas virginis, foecunditas matris, angelorum laus, hominum salus, desertorum via, errantibus venia, vulneratorum medicina, bonorum iocunditas, martyrum victoria, infantium palma. Adhuc amplius audi. Quis est qui sic natus est? extinctor mortis, oppressor diaboli, petra fundamenti, lapis angularis, mons Dei, scala caeli, ianua paradisi, civitas regis magni, agnus et pascha, sponsus et sponsa, resurrectio et aeterna vita 2); quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Haec et quaecumque alia dixerimus de eo *a*), parva sunt. Non enim sufficit humana lingua narrare vel laudare, quem mens pavida et infirma non valet conprehendere. Haec tamen Maria quae talem peperit, virgo mater, gratia foecundata, Spiritu sancto praegnata 3): novum germen novus partus agnoscit: videt oculis, miratur mente, integra perseverat in carne, amplectitur manibus quem portat, mundum regentem *b*): lac infundit *c*) caelesti pani, quoniam misericordia et veritas occurrerunt sibi. Figit dulcissima oscula pia mater Verbo, quia iustitia et pax osculatae sunt *d*). Et quem carnis intuetur filium, mente conspicit Deum. Suscepisse se gaudet perpetuam posteritatem, non amissa integritate: vitam fert in gremio, et veritatem portat in corde: quoniam veritas de terra orta est, et iustitia de caelo prospexit. Maria de homine patre nata, terra; Christus ex Maria sine homine patre, veritas de caelo.

17. Quomodo hoc factum sit mirabiliter, dum quaerimus, et chorus nobis prophetarum occurrit, et suorum suavium dictorum, pie quaerentium
*Ps LXXXIV. 12. vota instruentes dulci attestatione declinant *e*). Dicit unus David *: veritas de terra orta est, quia iustitia de caelo aspexit. Quaeritis, inquit, quomodo virgo peperit, quomodo haec terra talem fructum protulit? Dominus, in-
v. 13. quit, dabit suavitatem, et terra nostra dedit fructum suum *. O magna suavitas a Deo! Domine, a Deo veniens, in utero matris ministerium incarnationis peragens, terram Mariam fertilem reddens, virginitatem non adimens, claustra pudicitiae inviolata custodiens, sic rorasti desuper, sic te nubes
f. 197. b. pluerunt iustum, sic aperta est terra, et protulit Salvatorem. Hoc enim
*Is. XLV. 8. videbat etiam iste Isaias propheta canens et dicens *: rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem. Nolite timere qui creditis natum de Maria virgine, quia dictum est, aperiatur terra. Nolite huic caelesti nativitati vestram fragilem comparare nativitatem. Tollite portas, principes, vestras. Etiam vos reges et principes, qui sic nasci-

a) Cod. *Deo*. — *b*) Milleloq. *amplectitur manibus continentem mundum*. — *c*) Mill. *ministrat*. — *d*) Cod. *occurrerunt*. — *e*) Malim *designant*.

1) Sequens tractus usque ad n. 17. legebatur in mss. ab Urbinate. Milleloq. T. II. col. 202.

2) De diversis appellationibus D. N. I. Christo convenientibus edidimus nos Nicetae aquileiensis opusculum ex codice vat. 314. in quo nomen eius diserte gerit. Sed idem tamen in vat. 325. Augustino inscribitur.

3) Vocabulum ab afro quoque Tertul. usurpatum.

mini quomodo omnes homines, nolite hanc talem cogitare portam, per quam est filii Dei transitus, qualis est vester introitus atque exitus. Non enim poterit manere maternus iure intactus uterus, in quo cotidie dominatur carnalis amplexus. Non est sic natus, qui ex Maria virgine de spiritu sancto est procreatus. Tollite ergo portas, principes, vestras, tollite, tollite: nulla est comparatio: nolite istam talem cogitare portam, qualis est vestra; sed elevamini portae aeternae, quoniam per eam introivit rex gloriae. Haec porta aeterna est, excelsa est, quoniam aeternus per eam introivit, rex fortis et potens, Dominus potens in bello. Sed nec introiens nec exiens signaculum virginis reseravit, quia confirmavit seras portarum tuarum. Huius portae firmissima claustra praedicabat Ezechiel propheta dicens *: haec porta Domini clausa erit in aeternum; nullus hominum transiet per eam 1), et ipsa clausa erit principi, idest et ipsi principi transeunti clausa erit. Nec immerito ipse princeps atque salvator post resurrectionem discipulis suis ostiis clausis dignatus est apparere, nisi ut quos *mittere* ad praedicandum dignabatur, ipse instrueret, ut videndo discerent quem natum ex Maria virgine praedicarent: eisque demonstraret, *ut* quod fecit per ostia clausa solidatum corpus traiciens *a*) iuventutis, hoc illi crederent fecisse Christum de suis infantilibus *b*) membris.

* Ezech. XLIV. 2.

18. Hanc totam itaque *c*) pulchritudinem tuae nativitatis videbat oculisque fidei cernebat ille propheta David, qui cum te in spiritu praevideret ita nasciturum, speciosum iam te demonstrabat esse prae filiis hominum; speciosus, inquit, forma prae filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis *. Quidquid de te agitur, gratia ex tuis labiis infunditur. Qualis enim et quanta est gratia, videre hominem susceptum a Deo, et in forma hominis cognosci Deum! Accingere gladium tuum *d*) circa femur tuum, potentissime. Rex fortis et potens, Dominus potens in bello. Accingere gladium, speciem tuam et pulchritudinem tuam, ipsam fragilem infirmitatem nostram, ex cuius mortalitate mortem interemisti. Hunc gladium accingere, ut ex isto gladio curentur credentes, et puniantur blasphemantes. Gladium bis acutum, verbum et caro *e*). Gladium bis acutum: qui habet filium, habet vitam, qui autem non credit in filium, iam iudicatus est, quia ira Dei manet super eum. Intendite, dilectissimi, istum gladium bis acutum, ex una parte artem exercere medicinae, ex alia ultioni servire iustissimae poenae. Gladium bis acutum: signum crucis pereuntibus stultitia est, hiis autem, qui salvi fiunt, virtus Dei est. Accingere ergo gladium tuum circa femur, potentissime; ut ex femore tuo nostra resurgat redemptio, quia ex femore

* Ps. XLIV. 3.

a) Cod *trahicerit*. — *b*) Cod. *istam*., pro *itaque* — *c*) Cod. *infantibus*. — *d*) Ita constanter casu quarto. — *e*) Ita cod, non *carnem*.

1) Prophetiam hanc ita explanabat etiam Severus patriarcha antiochenus, in fragmento a nobis, cum eiusdem plurimis aliis, graece edito, Script. vet. T. X. p. 740, quod iam latine exponemus. *Severi antiocheni ex sermone adversus appendicem Iuliani. Ab huius portae typo, quae describitur mystice a propheticis oculis in divino illo templo conspecta, constat nobis portendi ac velut adumbrari Emmanuhelis Deo dignam nativitatem, quae virginalis portae claustrum ne post partum quidem solvit*. Et quidem alii quoque patres sic Ezechielis locum exponunt.

Adae nostra processit maligna perditio. In ipso enim nostra proles est dampnata, quando eius castam mulierem serpentinis fraudibus cognoscimus vitiatam. A muliere enim initium factum est peccati, et propter hanc omnes morimur 1). Quia ergo mors regnavit per mulierem, redeat ad nos vita per virginem 2). Accingere igitur gladium tuum circa femur tuum, potentissime, speciem tuam et pulchritudinem tuam; et intende prospere, procede et regna: Dominus regnavit, irascantur populi.

19. Ecce qualis Christus, ecce quomodo natus est Christus, ecce qualem Deum colent *a*) christiani, quem crucifixerunt iudaei, de muliere natum, ab hominibus crucifixum. Irascantur, irascantur: Dominus regnavit, irascantur populi. Sic regnat humilis potentissimus, sic vicit rex fortis et potens, Dominus potens in bello: moriendo vicit, non saeviendo. Quare autem irascuntur superbi? quia regnat humilitas. Quare irascuntur impii? quia vicit pietas. Ausculta ausculta, tu illa Christi sponsa, per fenestram, sicut auscultavit Michol filia superbi Saulis *; viditque David regem virum suum ante arcam ludentem atque saltantem, eique displicuit humilitas saltantis, quousque ab eo audiret sacramentum illius actionis. Est enim nobis David necessaria haec similitudo, in qua David rex, nescio qua mystica actione, regia potentia intrinsecus custodita *b*), gravitate honoris illius reservata, in magno mysterio ante arcam Domini ludebat, saltabat, et nudabatur coram servis et ancillis. Haec itaque similitudo magnum passionis dominicae continet sacramentum 3). Sed quia hodie amplius honerandi *c*) non estis, ne in prolixum sermo discurrens vestris auribus fastidium ingerat, in alium diem, quem Dominus donaverit, tenete me debitorem; sed inpensius orate, ut idoneum Dominus vobis exhibeat redditorem d). Explicit sermo primus.

* II, reg. VI. 16.

CXX. INCIPIT SERMO SECUNDUS DE ACCEDENTIBUS AD GRATIAM.

Cod. vat. 150. f 197. b.

1. Scio quid, adiuvante Domino, promiserim caritati vestrae, et tempus esse reddendi debiti utrique cognoscimus. Sed mementote, quid etiam ego praeexigam a vobis. Exigitis a me promissum sermonem, exigo a vobis fraternam orationem. Facite itaque prius quod peto, et adiutus reddam ipse quod debeo. Licet omnis intentio karitatis vestrae inpressa festinet, accipite primitus pauca vos, filii matris ecclesiae, qui christiani invenimini

a) Ita cod, non *colunt*. — *b*) Cod. *custodit gravitatem*. — *c*) Ita cod. cum *h*.

1) Diserte hoc contra errorem Pelagianorum, quem exponit Augustinus libro de peccatorum meritis n. 9. *Hoc sentiunt (Pelagiani) quod et mors ista quae illic commemorata est, non sit corporis, quam nolunt Adam peccando meruisse, sed animae quae in ipso peccato fit: et ipsum peccatum non propagatione in alios homines ex primo homine, sed imitatione transisse. Hinc enim etiam in parvulis nolunt credere per baptismum solvi peccatum, quod in nascentibus nullum esse omnino contendunt.*

2) Hanc comparationem Evae cum Maria habemus pariter in his vat. sermonibus I. et LXXII. Quin et multo antiquior Irenaeus lib. V. 19. eandem comparationem pluribus verbis adornat.

3) Hanc propositionem demonstrabit copioseque evolvet in sequente sermone Augustinus.

4) Hunc Augustini morem promittendi futuros sermones, vel promissos reddendi, videmus v. gr. in Ioh. tract. LVI. LVII. LIX. LXVII. LXVIII. Et in ps. XXXV. XLVIII. LVIII. XC.

potius quam dicimini 1), qui memores captivitatis vestrae 2) patienter et fortiter toleratis mala quae in mundo patimini, ut ad illum securi veniatis, cuius gratia tales estis; et eius iusta iudicia cognoscentes, non solum eum in adversis non blasphematis, verum insuper et laudatis. Certissime vobis ipsa veritas demonstrabit, quod omnis laetitia huius mundi gaudium est cordis inmundi. Quid enim credamus, dilectisimi *a*)? ad hoc expectari a pacem hominibus dari, ut domus eius frequentetur, ut peccata quae com- f. 198. a. missa sunt paenitendo diluantur, ut vitia finiantur, gravitasque morum bonorum augeatur? Si sciret ille, qui omnia praescit, talia esse vota nostra, non solum petentibus non negaret munera sua, sed sicut semper fecit, praevenirent nos in omnibus munera sua.

2. Credam melius posse vivere homines finito bello, cum talia gerantur in bello? Credam a luxuria posse homines abstinere, cum videam in morte cotidiana positos luxuriae deservire? Credam vos, o mali, bene facere cum proximis vestris, cum vobiscum bene facere non curetis? Credam quod cogitetis pauperibus dare buccellam, qui vestram contempnitis animam? Misericordiam alteri exhibebis, cum tibi misericors ipse non sis? Miserere, inquit propheta 3), animae tuae, placens Deo. Quomodo placebis Deo, qui in ipso fine mundi 4) non curris ad Deum? Et cum cogitas niveum *b*) panem, tunicam mundam, contempnis animam. Quotquot, ait apostolus fidelibus, baptizati estis in Christo, Christum induistis *. Curre, misera * Gal. III. 27. anima, dum tempus est; recipe immortalitatem, qua te diabolus in Adam expoliavit, ne nudam te inveniat ille, qui et ipsum diabolum cum suis omnibus iusto iudicio dampnabit. Miserere animae tuae, placens Deo. Placebis Deo, si tibi placuerint omnia iudicia Dei, et quae conprehendis, et quae non conprehendis: iudicia enim eius sicut abyssus multa, et iudicia Domini vera, iustificata in id ipsum. Et quam inscrutabilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! Et quam, ait propheta *, magnificata sunt opera * Ps. XCI. 6. tua Domine! nimis profundae sunt cogitationes tuae. Et sequitur: inprudens non cognoscet, et stultus non intelliget haec. Quid non intelligit stultus? quia profundae sunt cogitationes Dei, non investigabilia sunt iudicia eius. Videt enim malos florem in mundo accipere, insuper potestatem ut mali conterant bonos; et continuo stultus erumpet in stultitia cordis sui, ut reprehendat iudicia Dei. Stulte, intellige; quia non capis, inde reprehendis; sed ideo non capis, quia profundum est quod quaeris; et non sic quaeris profundum ut intelligas esse profundum, et ideo ipse mersus es in profundum. Superba anima, te ipsam qualis sis non capis,

a) Cod. *David*. Atqui olim puto fuisse scriptum *DD*, quod posterior librarius explicavit *David*, loco *dilectissimi*. — *b*) Codex videtur habere *minimum*.

1) Alloquitur catechumenos nondum baptizatos; fide scilicet christianos, sed nondum appellatione.

2) Videtur ergo hic sermo dictus sub captivitate, vel ea ingruente.

3) Eccli. XXX. 24. Prophetam autem vocat Ecclesiasticum Augustinus, non linguae lapsu, nam et infra sic loquetur, sed forte usu generali sic appellandi sacros auctores, vel alia qualibet ratione.

4) Calamitatem barbaricam, mundi finientis indicium multi reputabant, quos inter sanctus ipse Gregorius PP. in homiliis IV. et XXVIII.

et Deum tuum in consilio suo non sequeris? Ideo tibi Deus displicet, quia non facit quod vis. Sed et tu ideo illi displices, quia non facis quod vult, et facis quod vis. Et ipsa est iustitia, non ut creator serviat creaturae, sed ut creatura serviat creatori.

3. Quid est, stulte, quod te movet gaudium temporale malorum? In-
* Ps. XCI. 8. tellige quia ipsa est alta fovea peccatorum. Audi psalmum *: cum exoriuntur peccatores sicut foenum, inquit, et prospexerunt 1) omnes qui operantur iniquitatem. Quid prospexerunt? quia floruerunt peccatores, sed sicut foenum: sicut foenum 2) hieme rigidum, aestate aridum: prospexerunt tamen omnes, qui operantur iniquitatem istam temporalem felicitatem malorum, et dixerunt apud semetipsos cogitantes non recte: isti ex malis factis et direptione rerum alienarum, ex praedis et rapinis, ex opibus iniquis aucti sunt, meliores effecti sunt, ditati sunt, honorati sunt. Quia ergo, inquiunt, talibus Deus favet, venite, et nos faciamus mala ut veniant bona. Dixerunt ista, sed vide qui: qui operantur iniquitatem. Quorum iustum iudicium quale sit, vultis nosse? Prospexerunt, ait propheta, omnes qui operantur iniquitatem, ut intereant in saeculum saeculi. Noli ergo in stupore mentis oculo perverso considerare mala quae nunc fiunt, sed considera et discute quae fiant. Memento quia nullus est immunis a peccato, nec infans cuius unius diei est vita super terram: omnes rei, omnes filii irae, omnes ex Adam nascimur debitores 3). Non ergo dicatis, quare modo talia? quia quomodo vult ille, exigit peccatorum debita qui iuste novit appendere tempora. Iuste nunc exigit ille, qui tibi tantum spatium temporis dedit, et inquilinum te debitoremque esse cognoscere noluisti. In domo aliena manes. Haec domus, hic mundus, peccata facientibus in ruinam versa est: aliter ea sua 4) suus dominus fabricare disponit. Cotidie convenit 5), cotidie ipsis periculis inquietaris, ut de re aliena migres, nec eius ruina magna premat. Et cum super 6) adversus Dominum murmuras, attende, considera, et inde disputa, ista cogita, ne debitor hinc exire cogaris, et illuc venias ubi audias: tollite illum manibus et pedibus, et mittite illum in tenebras exteriores; ibi est fletus et stridor dentium; amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.

1) Recte fit interpretatio graeci vocabuli διέκυψαν. Porro Augustinum vetere bibliorum versione latina uti solitum, passim in eius scriptis cognoscitur, immo exploratissimum est.

2) Ita repetitur in codice.

3) Utique inter ceteras nostrorum temporum calamitates scio non deesse homines qui et originale peccatum negant, et baptismum, saltem parvulorum, improbant. Sed ecce peccati illius assertor Augustinus non heic solum, verum etiam de nupt. et conc. II. 25. *Non ego finxi*, inquit, *originale peccatum, quod catholica fides credit antiquitus*. Item de bapt. lib. IV. 30. *Baptismum parvulorum ex traditione tenet universa ecclesia*. Quod repetit de pecc. merit. lib. III. 1. Insuper contra epist. Pelag. lib. III. 26. *Peccatum originale firmum est Catholicae (eccl.) dogma*. Denique in op. imperf. contra Iulianum lib. IV. 136. sic Augustinus: *catholica fides peccatum esse originale non dubitat; quam fidem non pueruli, sed graves atque constantes viri, docti in ecclesia, et docentes ecclesiam, usque ad diem obitus defenderunt*. Sancti Cyrilli sententiam parem non semel notavimus in eius commentario ad epistolas Pauli in hac PP. nova bibliotheca T. III.

4) Ita prorsus legitur in codice.

5) Sic omnino est in codice.

6) Vel pro *insuper*, vel pro *superbe*.

4. Itaque, Fratres mei, festinet unaquaeque anima, ut si non habet unde reddat, ad illum verum divitem currat, qui pro omnibus suis reddidit quod non debebat. Audiat ergo omnis anima vocantem, non contempnat Domini misericordiam prorogantem *a*), nec irrideat arcam fabricantem, aut illum regem ante arcam ludentem. Sit licet gladius belli, sit horrenda fames, habundent morbi et pestilentiae; nobis ista omnia diluvium minantur. Non ergo irrideat anima arcam fabricantem, aut illum regem ante arcam ludentem, ne totum quod in magno sacramento sui consilii peregit Christus, si non cautius inquirendum, sed irridendum *b*) potius dixerit *c*) christianus, tali animae rex iste noster non affectum *d*) coniugii repraesentet, sed eam tamquam moecham et adulteram dampnet. Iam et illius Michol filiae *e*) Saulis superbi, quid aliud David rex vir eius quam temerariam reprehensionem increpavit? Quare quod ille mystice agebat, ante quam cognosceret quare talia a rege fierent, reprehendere voluit quam discere maluit. Sed quia sponsa erat et subdita erat, sustinuit suum virum, se utiliter increpantem, libenter audivit postea exponentem.

5. Quia ergo, Domino donante, ad propositam pervenimus quaestionem, quam diximus tam passioni dominicae convenire, quam ipsi *f*) humanae animae, cui Christus coniugis inpendere dignatus est affectum, ipso adiuvante percurramus eandem ipsam parabolam, quam *g*) dignabitur ut vestris sensibus ingeramus. David ergo rex quadam mystica actione, regia potentia intrinsecus custodita, gravitateque honoris illius servata, ante arcam Domini ludebat, saltabat, et nudabatur coram servis et ancillis suis. Haec Michol filia superbi Saulis per fenestram inspiciebat *, intuebatur regem, et despiciebat eum talia facientem. Peregit ille mysticum sacramentum, peractoque regressus est domum. Mensa regia praeparata, ad convivium vocari iubet. In illa ipsa iam licita iocunditate convivii, huic David regina illa, ut dictum est, filia superbi insultandum credidit viro suo, et ait: quam iocundus fuit hesterna die dominus meus rex, saltans ante arcam, et nudabatur coram servis et ancillis suis! Videamus si huic opprobrio *h*) David rex verecundiae frontem dedit, an potius quod mystice peregerat, mystice coniugi increpando narravit. Plane, inquit David, et ludam, et saltabo, et vilior fiam, et nudabor coram arca domini Dei mei, qui abstulit omnem gloriam domus patris tui et dedit illam mihi.

* II Reg. VI. 16.

6. Transeamus iam a figura ad speciem, a parabola ad spiritalem intellectum. Dicamus et nos domino Deo nostro, salvatori David regi nostro 1), qui factus est nobis ex semine David secundum carnem. David enim manu

a) Cod. *praerogantem.* — *b*) Cod. *inquirenda sed irridenda.* — *c*) Fortasse pro *duxerit*, id est *existimaverit.* — *d*) Cod. *affectu.* — *e*) Cod. *illa* et *filia.* — *f*) Cod. *ipsius.* — *g*) Cod. *quod.* — *h*) Cod. *opprobpbrio.*)

1) Apud Augustinum David figura Christi est, v. gr. de catech. rud. n. 36. Item serm. ed. XLVII. 19, et in ps. III. LIII. LIX. Tum de de eius coniugio renovato cum Michol, de qua multus heic sermo fit, sic loquitur idem Augustinus de adult. coniug. lib. II. 5. *David Saulis filiam, quam pater eiusdem mulieris ab eo separatam dederat alteri, tamquam novi testamenti praefigurator sine cunctatione recepit.* Nunc vero Augustinus cogitationes suas de Davide et Michol latius evoluturus est.

fortis appellatur 1), ex cuius propagine nobis Maria virgo protulit illum qui est rex fortis et potens in bello. Dicamus huic regi nostro: exurge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctitatis tuae. Ecce enim veniunt chorus et ministri Iudaeorum, ecce cum eis venit Iudas venalis et venditor, in ore portans osculum falsum, et in corde occultum dolum. Ecce simul veniunt omnes cum lanternis et facibus et armis, veniunt ut elevetur arca dominica, caro tua, mediator Christe, pro nostra salute crucifigenda. Egredere in aciem, rex fortis et potens, pro nobis omnibus contra diabolum pugnaturus: levetur tua arca et cadat Dagon. Intendite David ipsum regem nostrum, Christum scilicet crucifixum, ante arcam carnis suae ludendo pugnantem. Quando enim Christus ad passionem ducebatur, quando a pontifice audiebatur, eius iam quodammodo arca movebatur. Quando a Pontio Pilato Iudaeis traditus, crux eius humeris inposita ferebatur, tunc illa arca exaltabatur. Quando a militibus Christus illudebatur, spinis coronabatur, palmis in faciem verberabatur, tunc ab ipso Verbo ante arcam ludebatur *a*), quia tunc diabolus illudebatur. Quando super vestimenta eius sors missa est, tunc ille rex noster coram servis et ancillis suis nudatus est. Quando in cruce sine ullo peccato suspensus est, tunc Dagon superbus diabolus prostratus et victus est.

7. Illam tamen eius nuditatem viderunt discipuli, tamquam servi fugientes: viderunt mulieres duae illae Mariae, tamquam ancillae ante crucem stantes atque plorantes. Hanc nuditatem longe antea unus ex servis eius Isaias propheta vidit et non tacuit, ceterisque conservis suis indicavit:
* Is. LIII. 2. vidimus, inquit, eum, et non habebat speciem neque decorem 2) *. Ubi est pulchritudo eius per quem facta sunt omnia? Ubi est pulchritudo tantae nativitatis? Ubi est pulchritudo miraculorum omniumque dictorum atque factorum? In cruce nudatus est, et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem. Hunc decorem expoliatum in cruce nec Petrus ille cognoscebat, quando illum quem filium Dei vivi confessus fuerat, ter negabat. Ille tamen rex, qui ante arcam carnis suae saltabat atque ludebat, considerabat ad dexteram nec erat qui cognosceret eum. Clamabat Petrum intus in corde, tamquam illum quem ad dexteram elegerat ipse et dicebat: Petre, Petre, agnosce me ante arcam saltantem. Quid me despicis in cruce pendentem? Et Petrus oculo carnis infixo respiciebat crucfixum nudatum, et dicebat: quis est iste qui dicit, agnosce me? Et Christus: ego sum quem confessus es filium Dei vivi. Et Petrus: video eum, sed non habet speciem neque decorem. Et Christus: ego sum, Petre; ego dico tibi: filium Dei vivi confessus es me, et tam cito peris? Fuga a me peris, fugis

a) Cod. *illudebatur.*

1) Non semel haec nominis *David* interpretatio occurrit apud Augustinum.

2) Ad hunc Isaiae locum ita commentatur perantiquus auctor Theodorus heracleota in sua prophetae huius deperdita explanatione, cuius nos copiosa fragmenta postea vulgabimus. Αὐτὸ δὲ τὸ εἶδος αὐτοῦ οὕτως εὐτελές, ὡς πολὺ ὑποβεβηκέναι τὰς τῶν λοιπῶν ὄψεις, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὴν ἐνέργειαν τῆς δυνάμεως δι' ἧς τὰ σημεῖα ἐτελεῖτο. *Species vero eius adeo vilis, ut multo infra aliorum aspectus esset, et certe infra vim potentiae suae, qua prodigia operabatur.*

negando et tu qui es in dextera mea? et non est qui requirat animam meam. Et Petrus respectus * 1), cum audiret non est qui requirat animam, *Luc. XXII. 61. conpunctus continuo in istis lacrimis quid expressit? Clamavi ad te, Domine; dixi, tu es spes mea. Cognovi quia haec tua nudatio, ipsa est mea redemptio. Clamavi ad te, quia conpunxisti me. Dixi, tu es spes mea, quia defecit virtus mea, praesumendo denegavi te. Attende ad orationem meam, quia humiliatus sum valde. Dixeram enim in habundantia mea, non movebor in aeternum: avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus: conturbatum vox unius puellae terruit: qui promiseram animam posse pro te ponere, conturbatus, tertio inventus sum veram vitam pavido timore negare: intende ad orationem meam, quia humiliatus sum valde. Cui tales iste preces fudit, talemque confessionem dedit, respexit, audivit, exaudivit; et Petrum, quem in sua passione demonstravit ter negantem, resurgens tertio confirmavit amantem *, fecitque eum suarum *Ioh. XX. 17. f. 199. a. ovium idoneum esse pastorem.

8. Ipse tamen crucifixus, qui sic abiectus et ignobilis prae ceteris videbatur, infirmitatem sciens ferre et auferre, quoniam ipse peccata nostra portavit, et vulneratus est propter peccata nostra, cuius livore sanati sumus, in illo ipso vulnere, in quo fugientibus discipulis latroni datum est credere, quando a persecutore lancea percussus est in latere, tunc per hanc fenestram lateris Christi regina illa sponsa, non synagoga in figura Michol sterilis, sed illa cui auferenda erat infidelitas dubitationis, caput emisit, nudatumque regem conspexit in cruce pendentem, tamquam ante arcam ludentem. Hanc eius humilitatem quasi despexit, atque totum illud quod suo splendore ageretur, donec ab ipso rege sponso ei exponeretur, ignoranti similis fuit. Sed peregit Dominus tamquam dominus in ipsa illa saltatione atque nuditate dominica sacramenta, perfecitque illud quod supra dictum est, ut ex sepulchro resurgenti diceretur: exurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctitatis tuae. Tertio enim die a mortuis resurrexit, arcam consecratam sui corporis discipulorum oculis demonstravit, manibusque tractandum *a*) dedit. Fecit cum eis ·XL· dies intrans et exiens, manducans et bibens. Atque in illo iam spiritali convivio rex magnus istam reginam vocari iubet; quoniam exsurrexit tamquam dormiens Dominus, quasi potens 2) crapulatus a vino *. Acetum bibit, et vi- *Ps. LXXVII. 65. num ructavit. Maius hoc miraculum in passione, quam tunc quando de aqua vinum fecit. Tunc enim aquam convertit in vinum, et nunc acetum vertit in sanguinem. A Iudaeis enim inimicis amarum acetum bibit; et eis credentibus dulcem calicem sui sanguinis propinavit. Gustate et vos, et videte quam suavis est Dominus.

9. In isto autem fidelibus noto iocundoque convivio videamus et in-

a) Ita cod. non *tractandam*, quia intelligitur *corpus*, vel *sc.*

1) Participium sensus passivi.

2) Codex *potans;* quam dictionem librarius sententiae opportunitate deceptus scripsit. Quominus ea tamen tolerari possit, obstant omnes bibliorum in linguis veteribus editiones, ut ex polyglottis cognoscere licet.

spiciamus quomodo vel ubi insultavit regina illa, anima adhuc dubia, Christo regi, quod ante arcam carnis suae humiliter saltaverit eumque despexerit. Attendite vos illos discipulos tamquam duos oculos reginae illius curiosos. Ibant in quoddam castellum, cui nomen Emmaus, *Simon* 1) et Cleophas, et loquebantur sibi de ipsa passione Domini et regis sui. Apparuit illis in ipsa via, et tenuit oculos eorum ne eum agnoscerent, tamquam oculi reginae, illius mysterio velati, ne quod a Christo agebatur, ante regina nosset, prius quam ab ipso disceret. Et ait illis Christus: qui sunt hii sermones, quos confertis ad invicem tristes ambulantes? At illi tamquam ex persona illius reginae insultantes, tu solus aiunt peregrinus es in Hierusalem? Nescis quae facta sunt in ea ante tertium diem? Et ille qui omnia praescit, fingit se ista nescire, ut incredulos instruat ad fidem. Et ait illis: quae? Et illi: de Iesu aiunt nazareno, qui fuit propheta magnus et acceptus omnibus; quomodo eum tenuerunt principes et seniores, et crucifixerunt in dampnatione mortis. Nos autem sperabamus, quia ipse est qui redempturus est Israhel. Sperabatis, iam non speratis. Ergo insultatis in hiis sermonibus. Quid aliud fuit, quam quod insultaverat regina illa dicens: quam gloriosus fuit dominus meus rex, saltans ante arcam, et nudatus coram servis et ancillis suis! Quid iam dominus Christus huic reginae animae, cui dubietatem auferre dignatur, respondeat audiamus, utrum verecundatus fuerit ex sua passione, an nescientes instruxerit fide *a*). O tardi corde ad credendum! Nonne scriptum est, et sic oportebat pati Christum, et resurgere a mortuis die tertio, et intrare gloriam suam?

10. O nova nupta regina, dicit sponsus tuus: illa attendis? et despicis nuditatem meam, quae tibi exhibuit hanc totam pulchritudinem tuam? Insultas quia nudus sum, ut tu dives sis *b*)? Christus enim pro nobis pauper factus est, cum dives esset, ut illius paupertate vos ditaremini. Despicis, inquit, me quia tantum te dilexi ut mortuus fuerim pro te? Maiorem enim hac karitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis. Insultas quia saltavi coram arca Domini mei, qui abstulit gloriam domus patris tui, et dedit illam mihi? Filia Saulis adhuc superba *c*) ideo insultat excelso? Humilis sis, si vis sequi digno amore humilitatem sponsi tui. Obliviscere populum tuum et domum patris tui. Audi filia, et vide filia, quia a me coniuncta filia, et vide; oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die. Audi prophetatum, cognosce impletum: oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die. Audi et vide, et obliviscere pupulum tuum et domum patris illius soperbi. De quo? a patre diabolo quidam estis, et facta patris vestri facere concupiscitis. Obliviscere ergo populum tuum,

a) Cod. *fidem*. — *b*) Cod. corruptus quasi *districte*. — *c*) Cod *superbi*.

1. Hoc ego scribo nomen in Augustino desideratum, sumens videlicet ab Origene prolog. in Ioh. n. 7. ubi sic: Σίμων καὶ Κλεόπας ὁμιλοῦντες πρὸς ἀλλήλους. Mirum autem est, quod Eusebius quoque in quaestionibus evang. quas nos edidimus ad Marinum, eodem in loco Cleopham tantum memorat τοὺς περὶ τὸν Κλεόπαν. Attamen apud S. Ambrosium in Luc. n. 173. scribitur *Ammaon*, quo super vocabulo parum certe probabili aut credibili, cousulesis criticam Maurinorum adnotationem.

et domum patris tui; quia omnem gloriam domus patris tui dedit Deus eam mihi. Populus enim, quem non cognovi, servivit mihi; subdidit populos sub me; constituit me in capite gentium ille, ante cuius arcam saltabam, et a te despiciebar. Ecce omnis gloria domus patris tui transitum fecit ad me, et in isto habitu clarificavi te; concupivi speciem tuam, non a te tibi creatam, sed a me tibi paratam; non quam *a*) tu habuisti, sed eam quam a me accepisti.

11. Quomodo autem haec persona aliena poterit esse a Trinitate, quae manet in patris et filii karitate 1)? quae tantam multitudinem congregat *b*) in unitatem? Aut quomodo non est spiritus sanctus cum patre et filio unum? Quia ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum! Qui f. 199. b. hanc trinam unitatem separat, haereticus est. Qui in eius unitate non manet, non intus sed foris est. Qui foris a societate catholicae disciplinae eicitur, sicut Iudas sceleratus a bonis discipulis separatur. Qui a bonis separatur, impius esse cognoscitur: impius autem non pertinet ad resurrectionem iustorum, quia non resurgunt impii in iudicio, id est non ad hoc resurgunt ut iudicentur, sed ut dampnentur 2). Quoniam novit Dominus viam iustorum; et via impiorum peribit. Via iustorum Christus, in carne minor patre, in divinitate aequalis patri. Via iustorum Trinitas unus Deus. Quia via iustorum directa facta est, ambula fidelis in hac via aequaliter directa. Vias iniquorum noli ingredi, averte autem pedem tuum a semitis illorum. Non enim iuste tenduntur retia (et alibi iniuste 3), avibus. Defensio peccatorum aliqua, promissio haereticorum, retia sunt animarum. Averte autem pedem tuum a semitis illorum. Si vis habere pinnas karitatis, fuge viscum iniquitatis. Si vis securus cantare: anima nostra sicut passer erepta est de muscipula venantium, fuge omnes promissiones haereticorum. Si vis ad aeternam vitam velocius pervenire, in viis peccatorum noli remanere. Beatus enim vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit. Exulta, canta, et curre via, donec pervenias ad petram sanctam, petram caelestem, petram aeternam vitam habentem, nullam perturbationem mortemque timentem, casum amicorum non respicientem, nullas inimicorum insidias formidantem, in aeternitate cum aeterno regnantem, cum perpetua felicitate gaudentem. Domine domine Iesu, huius verae sempiternaeque patriae qui es aeterna via, quoniam tu constituisti eam: qui habitas in ea, tu es: tu nos docuisti: eius sempiterna lux et lucerna, sol iustitiae, et unus permanens dies, stella splendida matutina: tu templum, sacerdos,

a) Cod. *nunquam*. — *b*) Cod. *congreget*.

1) Absolutâ Davidis et Michol parabolâ, sine ulla in codice intercapedine, immo medio in versu, fit transitus ad asserendam Spiritus sancti deitatem, quod quidem apte fit in sermone ad baptizandos, sicut etiam in praecedente sermone de Filii pariter deitate actum fuit. Nihilominius tam ex abrupto transitio fit, ut aliquid intermedium, nisi fallor, videatur omnino fuisse sublatum.

2) Animadverte bonam loci explanationem.

3) Vides in Proverb. I. 17. variam lectionem *iuste* et *iniuste* notatam ab Augustino. *Iuste* quidem, ut heic, etiam in Speculo Augustini, ex itala vetere, apud nos Spicil. rom. T. IX. part. 2. p. 27 In graeco textu est ἀδίκως. In vulgato *frustra*.

sacrificium, rex, dux, dominator et rector: tu eius societas et fons et pax: tu permanens dulcedo, et illic omnes sequuntur tui ubique manentem, nusquam discedentem, et per gaudiorum prata cum tuis virginibus discurrentem. Te ergo quaesumus extremi famuli tui filii; quia dignatus es, tui: te quaesumus, te petimus, ut ab ista societate congregationis huius sanctae Hierusalem civitatis magnae non separemur, non segregemur, non foris remaneamus; sed qualemcumque particulam etsi extremam intra muros eius concedere dignare. Quoniam elegi abiectus esse in domo Domini magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Suscipiar *a*) illic libens in officium ostiarii; quoniam concupiscit et deficit anima mea in atria Dei.

12. Si aeternam vitam veramque patriam desideramus et partem cum omnibus sanctis eius, id est excelsis montibus super quos haec civitas fundata est, habere concupiscimus, eligamus nunc etsi abiecti manere in domo Domini 1), quam confugere et habitare in tabernaculis peccatorum. Tribulationes cum tribulata matre sustineamus, ne appetentes tabernacula peccatorum, fovea nos absorbeat haereticorum. Mater vera, mater sancta ecclesia, mater casta, mater pulchra, collige ad te et tene filios suos quos ipsa nutristi. Virgo es, et omnes filii tui sumus; integra es, et omnes tu peperisti: pulchra es, et nulla te mala tangit concupiscentia, quae viro tuo servaris casta et integra, a quo spiritali prole inveniris esse fecunda. Impetra nobis ab ipso sponso tuo tuitionem et consolationem; tuitionem, ne nos terreat et frangat dura hominum et maligna potentia: consolationem, ne nos sustinentes humilitatem tuam, a te rapiat temporalis felicitas; quae quidem ad hoc nunc exaltatur, ut perpetuo humilietur. Inhaeremus uberibus tuis, ne malae nutricis *b*) lac noxium desideremus: quae ad hoc nescio qua dulcedine papillas suas forinsecus tangens, ad se infantes tuos quos rapuerit applicat, ut veneno baptizationis 2) in anima eos intus occidat. Omnes qui ex isto veneno erroris hausto poculo avide sumpserunt aut biberunt, ad se celerius redierunt, aut inhaerentes praefocati et mortui perierunt. Et tu haec videndo scimus, vera mater, quod doles, et voces precum tuarum ita aures tui sponsi propulsant, ut etiam nos audiamus gementes, audiamus, gemamus, suspiremus, tecumque aliquam consolationem Altissimi expectemus. Audiamus enim clamantem: vide humilitatem meam de inimicis meis, qui me exaltas de portis mortis. Audiamus clamantem et dicentem: noli gratulari mihi, inimica mea, quoniam cecidi; exurgam; quoniam si ambulavero in tenebris, Dominus lumen est mihi.

a) Cod. *suscipiam*. — *b*) Cod. *male nutritis*.

1) Vides, ex Augustini sententia, non posse nos caelestem ac beatam sperare ecclesiam, nisi verae, id est catholicae, in terris ecclesiae adhaeserimus.

2) Augustinus in sermone edito *de tempore barbarico* n. 10. *Cavete, dilectissimi, arianam pestem, non vos separent a Christo terrena promittendo, propter tunicam non vos expolient fide. Membra Christi servate unitatem atque integritatem unius tunicae, quam nec persecutores Christi ausi sunt scindere etc. Quem Christus per baptismum vivificat, quare eum arianus rebaptizando occidit?* Sed et ipsi Donatistae rebaptizabant catholicos. August. lib. de haer. cap. 69, et contra epist. Parmen. lib. II. 7. Idque scelus pluribus verbis detestatur in epistolis XXIII. et CVI.

Iram Domini tolerabo, quoniam peccavi illi, usque quo iustificet causam meam, et perducat me ad se, et videbo claritatem ipsius. Tunc videbit inimica mea, et operiet se confusione, quae nunc dicit mihi, ubi est Deus tuus? Haec verba prophetica apponuntur vere mihi solatium accipienti, vindictam de inimicis expostulanti.

13. Respondeant tibi, mater, omnes qui tecum pariter genuerint *a*) filii tui et consolationis: persecutiones patimur, sed non derelinquimur; deicimur, sed non peribimus; semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu in corporibus nostris manifestetur. Audiat te ipse dicentem: semper tolera, semper tamquam fidelis sponsa tolera, dicit sponsus tuus, iuxta viam meam, ut pervenire f. 209. a.
possis ad sempiternam laetitiam meam; quoniam digne iusteque, et ut decet acrius castigantur mali filii tui. Idcirco putas quia oblitus sum tui? Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliviscatur me dextera mea. Si parum credes, et iuro *b*). Adhaereat lingua mea faucibus meis, si tui non meminero. Si non proposuero Hierusalem in principio iocunditatis meae, ut confusionem *c*) in aeternum oblivisceris. Haec fidelis promissio capita erigit filiorum, cervices inclinat inimicorum. Non iam te perversa et tortuosa cavea, haeresis arriana, in aliqua formidat nostra caelestis regina; quoniam tu es filia Babylonis misera, quae ad hoc te cotidie male conponis, ut a casto sponso veraciter despiciaris. Ad hoc cotidie invadis aliena, ut cum omnibus simul perdas et propria. Cognosceris iam quae sis; omnibus palam facta es qualis sis. NON CREDERIS VERAM FIDEM TENERE CATHOLICAE, QUAE FIDEM NON DOCES ESSE SERVANDAM ROMANAM 1). Quaeris enim, quantum in te est, etiam ipsius fidei catholica *d*) fundamenta subvertere. Christus noster praedixit quod in aedificio tuo non stabit lapis super lapidem. Cognosceris iam quae sis; manifesta es *e*), qualis. Vis te nosse quae sis? dum certamina consolationis aut fugis aut respuis, nec in bello es fortis, nec in pace fidelis. Mensura temporis expectatur, ut omnis haec tua superbia humilietur, tua turpido 2) detegatur, vel dotes *f*) verae sponsae demonstrentur. Perversa enim doctrina tua. Ecce *g*) Christi gloriae invidenti per suos tibi resistit Christus; sub cuius nomine latitans, ab illo temporalem tantum quaesisti mercedem: accepisti, quam voluisti: filios tuos ab insania et furore sanguinis non revocasti, alienos in animo occidisti, spolia peccantium sine misericordia divisisti, terrena potius quam caelestia dilexisti. Non habes amplius quod ab ipso expectes, non est quod de eius iustitia conqueraris. Respondetur enim ab illo: amen dico tibi, percepisti mercedem tuam.

a) Ita cod. Num pro *gemuerint?* — *b*) Cod. *vero*. — *c*) Ita cod. — *d*) Ita cod., non *catholicae*. — *e*) Cod. *manifestis*. — *f*) Cod. *dotis*. — *g*) Cod. *et te*.

1) En egregium magni Augustini testimonium de necessitate adhaerendi fidei romanae, ut quisque a quovis haeretico aut schismatico distinguatur. Hoc catholici hominis signum tradit etiam S. Ambrosius, Augustini in religione pater, qui lib. I. 47. de excessu fratris sui Satyri, scribit hunc in Sardiniam delatum percontatum esse illic ex episcopo, ob eius orthodoxiam cognoscendam, *utrumnam cum episcopis catholicis, hoc est cum romana ecclesia, conveniret?*

2) De voc. *turpido* pro *turpitudo*, vide quae nos olim scripsimus ad Cic. de rep. I. 2.

Vos autem, filii dilectissimi, honorate et diligite hanc veram matrem, tenete unitatem, concupiscite videre ineffabilem Trinitatem.

Explicit sermo (II.) de accedentibus ad gratiam, sancti Augustini.

CXXI. INCIPIT LIBER DE TEMPORE BARBARICO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI 1).

Cod. vat. 150. f. 200. a. 1. Magna plaga, vulnus magnum, exigit remedium medicinae. Inter strages, ruinas, captivitates, et mortes, quas meritis peccatorum nostrorum super nos venisse agnoscimus *a*), quid nobis agendum est, qui ex istis malis liberari cupimus, nisi ad creatorem nostrum conversi, eum satisfactione digna placemus, qui eius longam et multam patientiam contempsimus. Satis irascitur. Ita sentiunt, qui aliquam adhuc spem salutis habent, qui non iam in anima percussi sunt, obduratique tantam plagam non sentiunt. Isti vivi, iam mortui deputandi sunt; et ut solent nequissimi spiritus, perditi perdere cupientes, malis suasionibus mortui vivos praefocare confundunt. Possemus quidem et nos illud dominicum sequi praeceptum, ut sineremus mortuos sepelire mortuos suos, nisi nos alia documenta atque exempla provocarent, ovem perditam de ore leonis eripere, drachmam in stercore latitantem lumine veritatis inquirere, filium perditum paenitentem suscipere, hortari, monere, increpare, arguere; quae et ipse Dominus fecerit, et nos per discipulos suos facere docuit. Faciamus itaque quod Dominus iubet, non quod servus malus fieri timet. Dicamus quae dicenda sunt. Nunc qui corrigi volunt, audiant admonentem; qui vero in suis malis persistunt, audiant increpantem.

2. Ubi divitiae, in quibus spes magna posita? Ab hominibus contemptus est ille creator et dives, qui omnia dederat. Ubi sunt facultates? ubi aurum? ubi argentum? ubi praedia? Nonne ideo omnia perierunt, quoniam avertit a nobis ille faciem suam, de quo dicit propheta*: avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus? Avertit a nobis faciem tuam, cum ab eo avertimus faciem nostram. Largitus est plurima, et contemptus est. Ditavit multos, et ab eis quos ditavit blasphematus est. Sustinuit servos duros *b*), nec forte correctos susciperet filios. Quis enim pro tantis beneficiis dignas ei gratias egit, ac non potius multa largienti insuper insultavit? Quando ille sancto *c*) tempore largas pluvias, quando auras salubres, quando aestus utiles, quando fertiles segetes, sive quibusque temporibus conpetentia

* Ps. XXIX. 8.

a) Cod. *agnoscemus*. — *b*) Ita cod. videtur *duras*. — *c*) *Sancto*, pro *sancito*.

1. Idem hic sermo legitur post praedictos duos *de accedentibus ad gratiam* etiam Mediolani in codice ambrosiano D.16. part. sup. Extat utique in ed. Maur. T. VI. sermo alius, sed ab hoc diversus Augustini *de tempore barbarico*. Extat item ibidem sermo *de excidio Urbis*. Noster hic quidem *de tempore barbarico* dictus fuit post annum CCCCVI, quo anno periit Rhadagaisus Gothorum rex, ut mox dicemus; ante Urbem tamen captam ab Alarico anno CCCCX, quoniam neque in hoc, neque in illo *de tempore barbarico* edito sermone, captae Urbis diserta mentio fit. Bacchantibus ergo per romanum imperium barbaris, has homilias consolandi causa et ad meliorem frugem revocandi plebem suam, dicebat Augustinus; quarum alteram nos in vaticanis codicibus (itemque olim in mediolanensibus, etsi tunc non edidimus) invenisse laetamur, et ad publicum usum deferre. Novit etiam auctor Milleloquii p. 1140.

largiri dignatus est, quis domum eius frequentavit? quis ei pro tantis muneribus dignas gratias egit? Nonne tunc luxus, atque desidia, atque obscena spectacula, turpissima convivia, aliaque licentiosa nequitia, quae nos pudet dicere, sed malos non pudet augere, ita perstrepuerunt, ut iure iusteque averterit Deus faciem tuam ab eis, quia ab eo averterunt facies suas 1)? Tales increpat per prophetam dicens: posuerunt, inquit * contra *II. par. XXIX. 6.
me dorsum suum, et non faciem suam. Et de talibus dictum est: quoniam pones eos dorsum *. Non enim sunt digni, aut tales invenientur, de qui- * Ps. XX. 13.
bus dicit apostolus *: nos autem facie ad faciem gloriam Domini speculan- * I. Cor. XIII. 12.
tes. Facies Domini; hanc avertit, et supervenit in nobis tribulatio. Facies Domini, salus; hanc avertit, et super nos omnis tribulatio. Facies Domini, summum bonum; hanc avertit, et invasit nos omne malum. Facies Domini, pax; hanc avertit, et ubi est pax? Avertit enim faciem suam, et non est qui redimat, neque qui salvet *. * Ps. VII. 3.

3. Nec tamen quiescunt mali murmurare, detrahere, blasphemare, atque in ipsa plaga positi liberas, immo male liberas, extertere voces *a*), sacrilegasque mentes iam non celare, sed prodere, desiderare noxia, quae sibi putant esse magna remedia. Non enim desunt quorumdam voces insultantes avitae ecclesiae dicentium: o si sacrificaretur! o si diis immolarentur solita! quoniam aut non venissent, aut iam finirentur ista quae patimur mala 2). Insipientium vox haec est; illorum est haec vox de quibus f. 200. b.
dicitur in psalmo *: dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Corrupti * Ps. XIII. 1.
sunt et abominabiles sunt in affectionibus suis. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Respondeat talibus vera sancta religio, et filios vanitatis veritatis voce convincat. O filii perditi, in quibus non est fides! in vobis nunc sacrificantium extinctae manus; qui diis falsis nuper sacrificaverunt, vestros oculos quodammodo ferunt. Nec longa illa tempora commemorabo, quibus sacrificantibus manibus vestris, falsis et fallacibus diis, eo usque progressa sunt bella, ut etiam eis civilia adderentur. In quibus manibus? *Filii* in sanguine parentum, parentesque filiorum. Dura atque atroci strage tunc terra percussa est, sicut romana testatur historia. Nec tot illi dii proceres et scelesti, nec tanta illa turba deorum falsorum, quibus tunc ara tura et sacrificia exhibebantur, ab illis malis cultores suos liberare potuerunt; quin potius, quia fallaces sunt spiritus, vi talia bella gerebant *b*): ipsi fecerunt, ipsi instigaverunt, ipsi cultores suos malis artibus deceperunt.

4. Sed si ista quae in scholis cantastis 3), filiosque vestros in hodiernum cantantes audistis, revocare vos ab ista vanitate atque impietate non pos-

a) Ita cod. Et quidem p. 253. adn. *excertendas* vel potius *extertendas*. Heic malim *exertare*. — *b*) Cod. *gerent*.

1) De terrena civitate Augustinus Civ. D. XV. 4. *Quaerit esse victrix gentium, cum sit captiva vitiorum.*

2) Vulgaris mundanorum hominum tunc querela, de qua saepe Augustinus atque Orosius.

3) Poëtas innuere videtur, qui deorum res gestas scribunt, quosque pueri in scholis cantitabant. Ipse Augustinus serm. ed. CV. 10. recitat Virgilii versus, quibus Iupiter aeternitatem romano imperio spondebat; seque eos in scholis exposuisse narrat.

sunt, praesens vos tempus edoceat. Quoniam sacrificantem iuvenem, fortem in regno, constabilitum iure, a militibus ordinatum, illi dii quibus sacrificavit, eum tueri minime potuerunt, ipsamque manum prius amisit, quae post Christi corpus aram diabolo consecravit 1). Ista si intueremini, si oculos cordis haberetis apertos, rubor et pudor vestris frontibus insideret, impiasque vestras voces et cogitationes aliquatenus comprimeret. Sed quoniam et in eo ipso quod tales estis, prophetia divina impletur, qui in sordibus est sordescat adhuc *; exercete quantum potestis vestras impias voces; et quia manus in caelum mittere non potestis, linguas vestras velut sagittas ignitas iaculante corde dirigite. Erigite *a*) cervices, calces iacite. Quid vobis prosunt ista, miseri? quid vobis prodest contra Deum vos posse rebellare 2)? Vanum est vobis adversus stimulum recalcitrare. Non est iniquus Deus, qui infert iram; vestris enim malis moribus atque clamoribus exagitatus est mundus: et ista exagitatione malorum atque bonorum, sicut coenum atque unguentum pari quotidie exagitatum motu, illud quidem exhalat 3), hoc suave flagrat; ita simul boni atque mali indiscrete quidem purgati, sed alto Dei iudicio separati, finierunt hanc vitam quacumque morte, ut illam suscipiant boni quae non habet mortem. Hanc infideles credere nolunt, et amore huius vitae obligati, nec istam tenere possunt, et illam non suscipiunt; bonam per infidelitatem amittunt. Quid facitis, quid agitis, o fugiendi? Nonne urgetur mundus? Urgemini et vos, dilectores, ut exeatis, atque ad illud veniatis quod videre non vultis.

* Apoc. XXII. 11.

5. Sed necesse est ut videatis has ipsas plagas generis humani: ante oculos vestros non insultans *b*) sed dolens et gemens ponam; et quid meritis nostris responsum sit *c*), quoniam nos vobiscum *d*) una catena calamitatis astrinxit. Dum prudentiae *e*) vestrae credimus, dum vestris blasphemiis aut partimur *f*)

a) Cod. *erige*. — *b*) Cod. *insultatis*. — *c*) Malim *repensum*. — *d*) Cod. *nobiscum*. — *e*) Ita cod. — *f*) Ita cod.

1) Sine dubio Augustinus loquitur de Rhadagaiso Gothorum rege, de quo item Civ. D. V. 23. *Nostra memoria recentissimo tempore, cum Rhadagaisus rex Gothorum agmine ingenti et immani iam in Urbis vicinia constitutus, romanis cervicibus immineret, uno die tanta celeritate victus est, etc. ut ipse cum filiis mox captus poena debita necaretur. Quas autem isti* (pagani) *diis suis voces haberent, quanta insultatione iactarent, quod ille ideo vicisset, ideo tanta potuisset, quia quotidianis sacrificiis placabat atque invitabat eos? Nobis apud Carthaginem dicebatur, hoc credere, spargere, iactare paganos, quod ille diis amicis protegentibus et opitulantibus, quibus immolare quotidie ferebatur, vinci omnino non posset ab eis qui talia diis romanis sacra non facerent.* Rursus idem Augustinus serm. ed. CV. 13. *Rhadagaisus rex Gothorum cum ingenti exercitu, multo numerosiore quam Alarici fuit, venit. Paganus homo erat Rhadagaisus, Iovi sacrificabat quotidie. Nuntiabatur ubique, quod a sacrificiis non desisteret Rhadagaisus. Tunc omnes isti: ecce nos non sacrificamus, ille sacrificat; vinci habemus a sacrificante, quibus non licet sacrificare. Victus est Rhadagaisus etc.* Denique Orosius hist. VII. 37. *Rhadagaisus, omnium antiquorum praesentiumque hostium immanissimus, repentino impetu totam inundavit Italiam etc. Hic paganus et scytha omnem romani generis sanguinem diis suis propinare devoverat etc. Fit omnium paganorum in Urbe concursus, hostem adesse praesidio deorum potentem etc. quem Romani ob hoc praecipue timendum arbitrabantur, quia deorum favorem sacrificiorum obsequiis invitaret etc. Conterritum Deus Rhadagaisum in Faesulanos montes cogit etc. Parum hoc est, nisi captum et catenatum ac subiugatum sciant, quem timuere Romani; illumque idololatram suum, cuius sacrificia se magis pertimescere, quam arma fingebant etc. Igitur Rhadagaisus captus, ac paulisper retentus, deinde interfectus est.*

2) Hos videlicet in sermone nostro CXIX. 9. dicit Augustinus *perfidos christianos*.

3) Vides *exhalo*, peiore tantum sensu, sine ullo adiuncto.

aut succumbimus, ponam ante oculos videre mala quae fiunt; et qui in sordibus est sordescat adhuc, iustus autem iustiora faciat, et sanctus sanctiora. Non enim spes bonorum in isto mundo est posita 1); spes enim quae videtur, non est spes, quia et ipsa spes mundana quae videbatur, in amaritudinem versa est. Amaram enim potionem mundus suis dilectoribus propinavit. Vos alloquitur veritas, o dilectores mundi. Ubi est quod amabatis? Ubi est quod pro magno retinebatis? Ubi est quod dimittere nolebatis? Ubi est Africa 2) quae toto mundo fuit velut hortus deliciarum? Ubi tot regiones? ubi tantae splendidae civitates? Nonne tanto haec acerbius castigata est, quanto provinciis emendatis, ista corrigendo noluit sustinere disciplinam? Lugendo potius dicta sunt, quam insultando. Neque enim alienus poterit esse ab istis calamitatibus, quem intus conpassionibus pius tangit affectus. Magno affectu ista deputarentur, si tantummodo audirentur. Et cum oculos vestros dura haec calamitas *a*) ferat, mortuorumque hominum sepeliendis cadaveribus nullus occurrat 3) omnes vicos, omnesque plateas atrox mors totam quodammodo foedaverit civitatem; considerantes etiam illa mala, matres familias captivas abductas, praegnantes abscisas, nutrientes revulsas inanimis *b*) parvulis atque in via semivivis proiectis, quae nec vivos potuerunt filios retinere, nec mortuos permissae sunt sepelire. Cruciatus in utroque magnus et dolor. Hinc dolet avibus canibusque proiectum parvulum; hinc metuit offendere dominum barbarum: dolor, timor, tortores cordis assistunt. Imposita etiam insolita humeris pondera, anima tantis cruciatibus delassata, grandi pondere fatigatur et corpus. Et maxime a talibus feminis haec inopina *c*) barbarica potentia exigit, ut ea quae se sciebat multorum mancipiorum fuisse dominam, barbari se subito sine ullo pretio lugeret ancillam. Impletum est illud quod dictum est per prophetam David *: vendidisti populum tuum sine pretio, et non fuit multitudo in iubilationibus eorum 4). Dura ab eis servitia sine ulla misericordia humanitatis a barbaris exiguntur. Strepitus clamoris huius cotidie in auribus nostris ab eis qui coniuges *d*), parentes illo impetu perdiderunt exurgit. Dum talia conspicimus, atque talia videmus, numquid ferreae sunt carnes hominum, etiamsi sensus ferreus in aliquibus invenitur? Quis ista audiens vidensque non doleat, atque in eis qui perpessi sunt se potius quam illos plangat? Quis dabit capiti meo aquam,

* Ps. XLIII. 13.

f. 201. b.

a) Cod. *calamitatis*. — *b*) Cod. *se vulsare manibus*. Divinent critici. — *c*) Cod. *inopia*. — *d*) Cod. *coniugis*.

1) Videant mundani sententiam vere christianam.

2) Calamitates publicas Africae per illa tempora narrat lugetque Augustinus in epistola CXI, quae est ad Victorianum, scriptaque creditur circa annum CCCCIX, ante Romam ab Alarico captam. Narrant easdem calamitates Africae Maurini editores in vita Augustini lib. VI. cap. 7.

3) Augustinus in libro de cura gerenda pro mortuis n. 3. loquens de romani imperii sub barbaris excidio, insepultorum quoque cadaverum meminit: *quibus cum responsum fuerit, animas fidelium pro fidei suae meritis a Christo fuisse susceptas, insultant* (pagani) *de cadaveribus insepultis.*

4) Cod. *tribulationibus*, quae lectio nulla ratione ferri poterat. Substitui *iubilationibus*, ut legit reapse Augustinus in explanatione psalmi XLIII. Porro cur graecus textus, unde manavit vetus itala ab Augustino retenta, habeat ἀλαλάγμασι *iubilationibus*, pro ἀλλάγμασι *commutationibus*, ut hebraica auctoritas, aliique interpretes, patet ex facili permutatione praedictorum vocabulorum. Graeci autem textus videsis elegantem explanationem sancti Cyrilli apud nos T. III. loc. cit. ps. Ceteroqui scribunt *iubilationibus* etiam sanctus Ambrosius et Cassiodorus.

et oculis meis fontem lacrymarum, et plorans plorabo die ac nocte vulneratos filios plebis meae? Deficiunt flendo oculi eorum, qui considerant non solum mortes corporum verum etiam animarum.

6. Christiani christianis loquimur. Ex parte meliore melior pars in homine intercepta doletur. Multos enim consideramus in ista vastatione sine sacramento baptismi ex ista vita fuisse ereptos, atque inter vasa irae inexpiatas animas fuisse relictas. Quis luctus idoneor 1), quis planctus aequior inveniri potest? quando sic ira exarsit omnipotentis ut repelleret tabernaculum suum in quo habitavit in hominibus; et ille qui unico filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, nec pretium tanti sanguinis attenderet, quando intus in corde nostro temploque dignatus est suo? Ita ibi omnia violata esse perspexit, ut etiam ipsa sanctificata, in quibus fidelium sacramenta celebrantur, hostibus tradere non dubitaverit, nullae *a*) ecclesiae, nulli clerico, nullae sacratae virgini, nullae parcens civitati. Numquid iniquus Deus, qui infert iram *, ait apostolus? Absit. Videmus, intelligimus, atque utinam corrigamur *b*)! Nec tamen ille qui sic irascitur, et iuste irascitur, omnem misericordiam suam obsidet *c*), qui potest *d*) omnem humanam creaturam totumque mundum uno diluvio perdere, aut incendio caelitus concremare. Sed parcit uni civitati, dum aliam castigat; et parcit uni provinciae, dum aliam castigat; et castigatam reparat, atque in ipsa castigatione mensuras nobis incognitas servat. Et agitur hoc alto iudicio omnipotentis, ipsorumque impias sustinet voces, quos non tradidit barbaris impiis. Sed ecce, inquiunt, omnia perierunt. Iure et iuste perierunt omnia, quia noluisti dare ei qui tibi dedit omnia. Nihil huc attulisti in hunc mundum, nudus venisti, omnia hic parata invenisti: communicare cum egeno et paupere noluisti: horrea implebas, apothecas claudebas, cellaria honerabas. Quando pauperibus exinde *e*) non erogabas, quibus ea nisi barbaris reservabas 2)?

* Rom. III. 5.

7. Doleamus ista, Fratres mei, quia derelicti sumus super terram: peccata nostra agnoscamus, ne cum impiis pereamus, Deum digna satisfactione placemus. Quam velociter placavit iram melicus ille qui dixit *: peccatum meum cognovi, et iniustitiam meam non operui; dixi, pronuntiabo adversus me delictum meum Domino. Et quid secutum *f*) est? Et tu dimisisti impietatem mei cordis. Credite quia non est iniquitas apud Deum; credite quia diligit Deus quod creavit; neminem persequitur Deus, si ipse non persequatur homo. Non propter felicitatem terrenam christiani effecti sumus; non propter divitias mundi, vel propter istam vitam Chri-

* Ps. XXXI. 5.

a) Ita cod., non *nulli*. — *b*) Cod. *corrigamus*. — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. *propter*. — *e*) Cod. *et inde*. — *f*) Cod. *secutus*.

1) Animadverte gradum comparativum *idoneor*. Apud Forcellinum vix sunt aliqua exempla *idoneior* et *idonior*.

2) Augustinus epist. CCXXVII. 4. *Modo cum Roma, domicilium clarissimi imperii barbarico vastaretur incursu, quam multi huius vitae temporalis amatores, ut eam vel infeliciter producendam nudamque redimerent, dederunt omnia, quae illi non solum oblectandae et ornandae, verum etiam sustentandae tuendaeque servabant!*

stum colimus. Ipse enim, cuius signo censemur, pauper pro nobis factus est, cum dives esset: in mundo veniens indiguit, qui omnia creavit: amaritudinem pertulit istius vitae, ut dulcedinem illius demonstraret aeternae. Denique ad caelestem mensam angelorum nos invitavit, et in cella mendicitatis nostrae fel et acetum bibit. Ne famem timeremus, ·XL· diebus ieiunavit. Ne nuditatem pertimesceres, praeter unam tunicam, aliam discipulos suos habere vetuit. Ne aurum diligeres, etiam oblata contempnere docuit. Ne tribulationes expavesceres, omnia ipse sustinuit. Ne mortem formidares, et hanc ipse suscepit. Cum ista nos docuerit non tantum verbo, verum etiam exemplo, delicati milites tanti regis, iniqui discipuli tanti magistri, nec fortiter pugnare pro patria, nec disciplinas et regulas magistri servare contendimus; magisque ista bona, quae ille contempsit et contempnere docuit, quam illa permanentia quae promisit, ab illo accipere volumus. Et si ea pro nostra utilitate subtraxit, stomachantes eum continuo blasphemamus. O insania mentis! caecitas cordis! nec amare donantem, et blasphemare utiliter auferentem.

8. Sed ecce mihi, inquis, ille totum abstulit, et ego egenus remansi, et ille de alieno plenus est. Video, intendo, considero, in isto mari positum piscis te grandior devoravit. Expecta paullulum, veniet amplior, qui devorantem expoliet, et auferenti auferat. Quamvis enim tu iusta passus sis, qui non erogando, male retinebas tua, et vidisti et videbis quae patiantur qui rapiunt aliena: non enim hoc flagellum nostrum ex quo flagellamur ideo semper durabit, quia manus reum tenet omnipotentis. Vivus enim fert corrigiam mortui animantis; flagellatur quidem qui ex ea castigatur, sed etiam ipsa corrigia flagellando conteritur. Non sibi blandiantur qui malis nostris insultant, non sibi blandiantur qui nostris cruciatibus delectantur. Quid insultat moriturus aut mortalis? Illuc veniemus, ubi malorum non erit insultatio, sed stridor atque ploratio. Nec sibi blandiantur qui de mortuorum praedis ac rapinis facere videntur eleemosynas, ut unus vestiatur, alius expolietur. Qualis eleemosyna est, ut unus pascatur, alius occidatur? Utrum quaerit ista Deus? immo audeo dicere, odit ista Deus. Ipsum audi prophetam 1) quid dicat: qui profert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimet filium in conspectu patris sui *. * Eccli. XXIV. 31.
Non accipiam, inquit, ista de manibus vestris. Manus enim vestrae sanguine plenae sunt. Et alius propheta ait: panis egentium *, vita pauperum * Os. IX 1.
est: qui defraudat illud, homo sanguinum est. Contendite facere eleemosynam, qui vultis facere eleemosynam, ut de iustis laboribus faciatis non de rapinis; ne multi contra te clamantes exspoliati, non pro te exaudiantur pauci vestiti. Nolite gloriari super iniquitatem, nec rapinam concupi- f. 201. b
scatis. Divitiae si fluant, ne apponatis cor. Ne rebus fluxis terrenis atque caducis ponas cor, cui quotidie dicitur sursum cor 2).

1) Rursus Ecclesiasticum prophetae titulo donat, veluti superius p. 265. Talis autem appellationis causam tradit ipse Augustinus de doct. ch. II. 13.

2) In missa videlicet. Iam *de missa quotidiana* sermonem Augustini habes inter hos nostros vaticanos p. 224.

9. Si autem apposueris, quid respondetur? Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Et, iniustitiam cogitavit lingua tua. Dicis enim in corde tuo: faciam quod possum, impleam *a*). cogitatione meas, suffragantur mihi consilia mea, adest aurum, superhabundat argentum, omnia mea sunt. Tua sunt omnia? Stulte, hac nocte exposcunt a te animam tuam;
* Luc. XII. 20. quae praeparasti cuius erunt *? Hominem te esse cognosce, qui de hominibus iudicas: impar est quidem dignitas, sed communis ista fragilitas. Tu attendis disparem te habere vestem, sed ego demonstro communem nos habere cutem. Ecce rapis, ecce totum poscis, et pro salute tua tempora pecunia redimis. Post paulum febre adveniente exire cogeris *b*). Ubi est quod emisti? ubi est quod reddidisti? Noli gloriari super iniquitatem. Ruina mundi, si et vos homines estis, terrere vos debet non consolari. An non vos terret illa vox Iohannis apostoli describentis in apocalypsi ruinam
* Apoc. XI. 15. VI. 12. saeculi, et dicentis *: septimus angelus, inquit, tuba cecinit, et factus est sol niger ut cilicium, et luna sanguinea facta est, et stellae ceciderunt eo modo, quasi ficus vento magno agitata amittit acerbos fructus suos. Et caelum recessit, ut liber dum solvitur: et omnes montes et insulae de locis suis motae sunt, et reges terrae, et maximi quique tribuni, et divites, et fortes, et omnis liber et servus absconderunt se in speluncis et cavernis, dicentes montibus et petris, cadite super nos, et abscondite nos a conspectu patris sedentis super trhonum et ab ira agni: quoniam venit dies magnus irae ipsorum, et quis poterit stare?

10. Erudimini ergo omnes qui iudicatis terram. Iudicare, est carnem domare 1). Erudimini ergo omnes qui iudicatis terram, apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus. Sed quoniam dum veritas ipsa clamaret, et per sanctos suos, quae et nunc non tacet per qualescumque ministros suos, facti estis mali velut aspis surda et obturans aures suas, quae noluit audire voces incantantium, et medicaminibus *obstitit* medicatis a sapientia; agite, mali, quod potestis, implete iniustitiam vestram, non quiescat mala voluntas vestra, persequimini iustos, persequimini et iniustos, agite officia patris vestri. Omnes qui de patre diabolo estis, facta ipsius facere concupiscitis; et ille enim bonos malosque persecutus est; sed aliis fuit supplicium, aliis magnum praestitit beneficium. Nam et Abraham *c*) temptatum, et Iob vulneratum, Dei fecit amicum; et Ananiam possessum, fecit furem; et Paulum colaphizatum, fecit fortem; et Iudam relictum, fecit traditorem; et Petrum quem fecerat praesumentem, conversum timuit flentem. Nec tamen Deus iniusto sed alto iudicio, et Abel innocentem a fratre malo permisit occidi, nec Iob divitiis passus est sauciari *d*), nec Ananiae locum donavit ad ignoscendum, nec Paulum deseruit colaphizatum quem sua gratia fecit robustum, nec Iudam suscepit paenitentem, nec Petrum deseruit flentem,

a) Pro *implebo*, ut alibi *deleam* pro *delebo*. — *b*) Cod. *cogaris*. — *c*) *Cain*, non *Abraham*. — *d*) Cod. *cuciari*.

1) Plane sibi consonans Augustinus serm. ed. XIII. 1. citato huius psalmi II. versiculo 10. ait: *terram iudicare, est corpus domare* etc. *Audiant ergo iudices terrae: corpus castigent, libidines frenent, ament sapientiam, vincant concupiscentiam; et ut hoc faciant, erudiantur.*

quem respectu idoneo suum fecit idoneum amatorem. Novit enim ille qui ad hoc stat in synagoga deorum, ut Deus discernat, novit alto iudicio nobis incognito separare vasa irae a vasis misericordiae. Quid mihi domonstras speciem atque magnitudinem tuam, o vas perfectum in perditione? Mustum *a*) sancti spiritus portare non potuisti, quo accepto, continuo crepuisti: totum fractum es, ad nihil utile es, nisi ut ex fragmentis tuis sanorum vasorum sonum praebeas. Percutiat testum fractum vas solidum, percutiat testum fractum vas fractum, qualis sonus procedit ex fracto vase? quia omnia perierunt, blasphematur Deus. Qualis sonus procedit ex vase integro? Dominus dedit, et Dominus absulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.

11. Convertimini, corrigimini; cum tempus est, inquirite Deum. Tempus est ut reficiamini, tempus est ut reparemini. Et si aliqui fracti *b*) estis, omnipotentem figulum artificem habetis. Credite quia potens est reparare perdita, qui creavit omia integra. Ecce enim ait ipse: sicut lutum figuli vos estis in manu mea. Superius enim hanc similitudinem posuit, quam in consequenti exposuit. Vade, inquit*, in domum figuli Dominus ad prophetam, et ibi audies verba mea. Perrexit ad domum figuli, et ecce faciebat opus suum in rota. Et cecidit vas quod faciebat de manibus eius, et fractum est. Et accipiens rursum illud *c*), formavit ex ipso aliud vas, sicut placuit coram illo facere. Et ait Dominus: numquid non possum sicut figulus iste fecit, ita facere vos, domus Israhel? Ecce sicut lutum figuli vos estis in manu mea. Terminum 1) loquar super gentem, et super regnum, ut exterminem illos et perdam. Et si conversa fuerit gens illa a malis suis, ego paenitear *d*) in malis quae disposueram ut facerem illis, et non faciam. Et iterum: terminum loquar super gentem et super regnum, ut aedificem iterum et plantem. Et si conversa fuerit gens illa, ut non faciat secundum iustificationes meas, paenitear et ego in bonis quae disposueram ne facerem illis, et non faciam. Et nunc ait: avertat se unusquisque vestrum a via sua mala, et meliores facite cogitationes vestras. Ecce cadunt iusti, iustificantur impii; deiciuntur praesumentes, sublevantur humiles. Quid inflaris *e*) de potentia? quid gloriaris in malitia? Si vis vere exaltari, dignare humiliari, agnoscere quid sis. Agnosce terram et fimum. Quod ista non cognoveris, frustra cervices iactas *f*). Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

* Hier. XVIII 3.

f. 202. a.

12. Consolamini humiles, consolamini qui estis pusillanimes, confortamini, et iam nolite timere. Ecce Deus noster retribuet iudicium; ipse veniet et salvos vos faciet, Dominus in proximo est, nihil solliciti fueritis. Saeviat *g*) mundus, saeviant dilectores mundi, terreat gladius, immineat famis, vastet pestilentia, habundent morbi, consumat mors; quis nos se-

a) Cod. *multum.* — *b*) Cod. *aliquid facti.* — *c*) Cod. *illum.* — *d*) Ita cod. — *e*) Cod. *inflans.* — *f*) Cod. *tuas* pro *iactas.* — *g*) Cod. *serviat* hic et postea.

1) Ex graeco voc. ὅρος quod significat tam *terminum*, quam *decretum*.

parabit a karitate Dei? tribulatio, angustia, an fames, an periculum, an gladius? Et si Deus pro nobis, quis contra nos? Et neque mors, neque vita, neque angelus, neque principatus poterit nos separare a karitate Dei, quae est in Christo Iesu domino nostro. Adest nobis perpetua felicitas; quid nos terret mundi infelicitas? Si istam infelicitatem mundanam sancti omnes timerent, perpetuam felicitatem non haberent. Si felicitas huius mundi transitoria diligitur, perpetua non invenitur: si vero perpetua felicitas quaeritur, quoniam hic non invenitur, ut ad perpetuam felicitatem veniatur, quaecumque intulerit mundus, patientissime tolerentur. Quantum est mihi quod toleratur, contra illud quod promittitur? Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. Nullae ergo nos pressurae detineant, nulla calamitas frangat. Dominus in proximo est; quid metuis?

13. Sed ecce video, errasti, quoniam gregem deseruisti, et in montibus vagaris 1). Times lupum, metuis feram, expavescis canem. Clama, ut te audiat pastor. Clamat ovis errans. Habens multas oves in grege *a*), dic dic: erravi velut ovis perdita. Clama et dic: libera a framea animam meam, et de manu canis unicam meam; salva me de ore leonis. Clama et dic: periit fuga a me; clamavi ad te, Domine: dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Libera me de manibus inimicorum meorum, et eorum qui me persequuntur. Nunquid iste pastor bonus qui animam suam ponit pro ovibus, ad quam sic clamat haec ovis, eam dimisit errare diutius, aut a feris vel a lupis passus dilaniari atque consumi? Absit; quin immo relictis ·IC· perrexit quaerere ovem perditam. Nec quia clamantem audivit, ideo perrexit; sed ante quam clamaret, numerum ipse inspexit; numerus enim omnis centenarius fuit, ex quo numero ista ovis erravit. Relictis ergo, ait evangelista ·IC· abiit quaerere unam quae perierat, quam inventam reportavit ad gregem. Amen.

Explicit liber de tempore barbarico.

CXXII. SERMO S. AUGUSTINI DE TRIBULATIONIBUS ET PRESSURIS MUNDI 2).

Cod. vat. 479. f. 62. b. vat. 480. et urb. 77. f. 84. a.

1. Quotienscumque pressurae seu tribulationis aliquid patimur, admonitiones *b*) sunt et simul correptiones nostrae. Nam et ipsae sanctae litterae nostrae non nobis promittunt pacem, securitatem, et quietem, sed

a) Cod. *lege.* — *b*) Cod. *amm.* ut alibi.

1) Loquitur Augustinus de iis, qui persecutionem barbaricam vitantes, ad montes confugerant, ibique segregati a reliquo Christianorum grege errabant. Ipse Augustinus circa annum CCCCX, quo capta Roma fuit, diu abfuit Hipponeregio, ut narrat in epistola CXXII. ad Hipponenses suos; verum alias ob causas, ut ibi agnoscitur, *non licentiosa libertate, sed necessaria servitute.* Ceterum quandonam episcopo ipsi sive clericis fugere liceat imminente obsidionis aut excidii periculo, docet in epistola CCXXVIII. quae est ad Honoratum.

2) Apparet, hunc sermonem dictum fuisse ab Augustino, turbata et periclitante re publica; quamobrem prope illum de tempore barbarico collocavi. De pressuris ecclesiasticis habemus tractatum Attonis episcopi vercellensis, cuius partem opusculorum antea desideratam nos edidimus in sexto volumine Scriptorum veterum.

tribulationes pressuras scandala non tacet evangelium: sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Quid enim boni aliquando habuit vita ista ab ipso primo homine, ex quo meruit mortem, ex quo maledictum accepit? de quo maledicto nos Christus dominus liberavit. Non ergo murmurandum est, Fratres, sicut quidam illorum murmuraverunt, ut ait apostolus, et a serpentibus perierunt *. Quid tale modo, Fratres, genus humanum patitur insolitum, quod non patres passi sunt? Aut quando talia patimur, qualia illos passos fuisse cognovimus? Et invenis homines murmurare de temporibus suis, et quod illa tempora bona fuerint parentum nostrorum? Quid si possent revocari ad tempora parentum suorum? etiam ibi murmurarent. Quae enim putas tempora bona fuisse? Praeterita, quia iam non tua sunt, ideo bona sunt. Si iam maledicto liberatus es, si iam in Dei filium credidisti, si iam sacris litteris vel imbutus vel eruditus es, miror computes bona tempora habuisse Adam. Et parentes tui Adam portaverunt. Certe ille est Adam cui dictum est: in sudore vultus tui edes panem tuum, et operaberis terram de qua sumptus es; spinas et tribulos pariet tibi. Hoc meruit, hoc accepit, hoc de Dei iusto iudicio consecutus est. Quid ergo putas praeterita tempora fuisse meliora quam tua? Ab illo Adam usque ad hodiernum Adam, labor et sudor spinae et tribuli. Excidit nobis diluvium? Excidere laboriosa tempora famis atque bellorum? quae ideo scripta sunt, ne de praesenti tempore contra Deum murmuremus. Excidit tempus illud apud patres nostros longe a vestris temporibus remotissimos, quando caput mortuum asini tanto auro vendebatur 1), quando stercus columbinum non parvo argento emebatur? quando mulieres de comedendis infantibus suis pactae sunt: et cum unus occisus consumptus esset, et alia suum nollet occidere, talis causa ad iudicem venit, ad regem venit, ubi se ipsum reum potius quam iudicem invenit. Et quis sufficit commemorare illius temporis aut bella aut fames? Alia ergo illa tempora fuerunt? Nonne omnes audita, omnes lecta perhorrescimus? Ut habeamus potius unde gratulemur, quam unde de nostris temporibus murmuremus.

* I. Cor. X 9

2. Quando ergo bene fuit generi humano? quando non timor, quando non dolor, quando certa felicitas? quando *non* vera infelicitas! Si non habes, ardes ut acquiras. Habens, tremis ne perdas. Et quod est miserius, et in illo ardore et in isto timore sanum te putas. Ducenda est uxor? si mala est, poena tua; si bona, vereris ne forte moriatur. Filii non nati torquent doloribus, nati timoribus: quoniam gaudentes facit natus, qui continuo timetur ne plangatur elatus. Ubi erit vita secura? Nonne omnis ista terra quasi navis magna est, portans fluctuantes, periclitantes, tot procellis et tempestatibus subiacentes? Timent a) naufragium, suspirant in portum, qui iam se intellegunt peregrinari. Ergo qui dies boni, dies incerti, dies praetervolantes? Dies autem finiti quare veniant? dies, qui ideo veniunt ut non

a) Cod. l. *timens*, et mox *suspirans*

1) IV. Reg. VI. 25. Porro Augustinus idem hoc exemplum exponit in enarr. II in ps. XXXIII. n. 17.

sint. Quis est ergo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Hic autem nec vita, nec dies boni; dies enim boni, ipsa est aeternitas. Dies *qui* sunt sine fine, dicti sunt dies. Habitabo, inquit in saeculum in longitudinem dierum. Item dictum est: quia melior est in domo tua unus dies, super milia. Melior unus sine fine. Tale ergo quid desideremus. Tale quiddam nobis promittitur, usitatis nominibus, inusitatis rebus. Quis est homo qui vult vitam? Cotidie dicitur: vita et vita. Sed quid ad illam vitam? Et diligit videre dies bonos. Cotidie dicuntur et dies boni; sed si discutiantur, non inveniuntur. Bonum diem duxi hodie. Si amicum tuum invenires, bonum eum duceres, si stare tecum vellet. Nonne semper homo queritur de amico suo, si eum videat et praetereat? Talis est ergo ille dies bonus, qui te videt et praeterit. Bonum duxi. Ubi est? duc illum ad me. Bonum diem duxi. Quod gaudes ductum, plange transactum. Quis est ergo homo, qui vult vitam, et diligit videre dies bonos? Omnes respondemus, ego. Sed post istam vitam, post istos dies. Si ergo differimur, quid nobis dicitur ut faciamus et perveniamus ad id quod differimur? Quid ergo faciam in hac vita qualicumque, ut veniam ad vitam et dies bonos? Quod sequitur in eo psalmo: cohibe linguam tuam a malo, et labium tuum non loquatur dolum: declina a malo et fac bonum. Fac ergo quod iubetur, et accipies quod promittitur. Si laboriosum putas, et deiceris labore operis, erigere splendore mercedis.

CXXIII. INCIPIT HOMILIA SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI [DE CARITATE.] 1)

Cod. palat. vat. 216. f. 76.

1. Fratres dilectissimi, faciamus bonum ad omnes homines, et patientiam habeamus, et pie et iuste et sancte vivamus in hoc saeculo: diligamus inimicos nostros, et bene faciamus his qui oderunt nos, et oremus pro persequentibus nos et calumniantibus nobis, ut simus filii patris nostri qui in caelis est, sicut Salvator docet, ut cum ipso regnemus sicut angeli in caelo, ubi non timemus inimicum, nec perdimus amicum, ubi vivimus cum bono, liberamur a tempore malo, ubi veniemus ad illam aeternitatem, ubi non timemus hostem nec praedonem, ubi stabilitas iuventutis, et securitas de metu senectutis, ubi non putantur dies, nec heri nec hodie nec cras nominatur, sed aeternitas sine labore, serenitas sine nube, gaudium sine fine. Haec sunt promissa. Habetis, karissimi, et his similia, quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se *. Ideo, karissimi, contendamus per augustam portam et artam viam quae ducit ad alta caelo-

* I. Cor. II. 9.

1) Sermonem hunc mihi suppeditavit codex pervetus palatinus vat. saeculi ferme decimi. Continet is codex scripta varia ecclesiastica, inter quae S. Augustini de genesi adversus Manichaeos, eiusdemque varios sermones, quos reperi editos. Hic tamen inter editos (ne inter illos quidem ad fratres in eremo) mihi non occurrebat; sed quamvis Augustini nomen, ut ceteri, gerit in codice, valde tamen dubito utrum tanto auctore dignus sit, nec ne. Negligendum alioqui non putavi, sed criticis potius ut iudicent exhibendum. De caritate quidem saepe concionatum esse Augustinum, alibi diximus.

rum, et pauci sunt qui inveniunt eam. Angusta porta et arta via animae, quidquid boni operis anima contra voluntatem malitiae suae patitur Haec angusta porta et arta via, quam docuit nos Salvator ascendere et intrare, in vigiliis, in ieiuniis, in caritate, in longanimitate, in temptationibus pro Christo, in mansuetudine, in martyrio, in humilitate non f. 77.
ficta, in caritate quae his maior atque sublimior: nihil enim horum omnium operatio, si non habeamus caritatem, quae in his omnibus mandatis Dei arcem atque principatum optinet: caritas quae est dilectio Dei et proximi in toto corde et in tota mente. Quaecumque volumus ut faciant nobis homines bona, ita et nos faciamus illis. Haec est enim lex et prophetae. Sicut dixit Iohannes apostolus *, Deus caritas est; et qui caritatem habet * I. Ioh. IV. 8.
in se, et Deum habet; et qui caritatem non habet, nec Deum habet sed diabolum. Si quis autem se dicit diligere Deum, et non diligit fratrem suum, hic mendax est, et veritas non est in eo. Et qui odit fratrem suum, homicida est. Paulus apostolus dicit *: et si tradidero corpus meum ita * I. Cor. XIII. 3.
ut ardeat, prae ieiunio scilicet et abstinentia; et si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum; et si linguis hominum loquar et angelorum, et habuero omnem scientiam et prophetiam, omnem fidem habuero; caritatem non habeam, nihil mihi prodest.

2. Videtis ergo, karissimi, quia sine caritate omnia quaecumque faciamus, nihil nobis prosunt; quia Deus caritas est, et sine Deo nihil nobis prodest facere; et inane expandemus studium * nostrum, si non habeamus * Ita cod.
caritatem quae est Deus. Caritas patiens et benigna est, non aemulatur, non inritatur, non quaerit quae sua sunt, non gaudet super iniquitatem, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat. Caritas numquam excidit, quae ducit sectatorem suum ad regnum caelorum in medio angelorum, ubi numquam morietur, neque sitietur umquam. Haec sunt opera, quibus dominus Iesus dixit esse angustam por- f. 78
tam et artam viam quae ducit ad regnum caelorum, et pauci sunt qui inveniunt eam,; quia dicitur: multi vocati, pauci vero electi, id est sancti et immaculati. Et custodiamus, ut cum paucis inveniri mereamur in regno: quia pusillus grex, cui placuerit patri dare hereditatem: quia lata porta et spatiosa via quae ducit ad perditionem, per quam totus numerus peccatorum praecipitantur ad perditionem instinctu diaboli, et vitio volumptatis * rapiuntur ad mortem id est ad poenam. Qui non audiunt prae- * ita cod.
cepta, et transgrediuntur mandata Dei, iudicia et praesentiam Dei et angelorum non timent, sub qua peccare ausi sunt. Quos necesse est ponere *in* poenis perpetuis, qui eiciuntur in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium, ubi ignis eorum non extinguitur, et vermis eorum non moritur. Quibus iuravit Dominus: amen dico vobis, non novi vos, discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Vere enim Deus ignorat peccatores et operantes iniquitatem, qui est solus naturaliter bonus et verax et misericors et patiens in malis hominum. Cuius primus adventus in man-

suetudine et humilitate; secundus autem adventus in maiestate fulgebit, Ps. XCVI. 3. sicut propheta dicit *: ignis ante ipsum praecedit, et inflammabit in cir- * Ps. XLIX. 3. cuitu inimicos eius. Et iterum *: in maiestate veniet Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu eius exardescit, et in circuitu eius tempestas * Is. XIV. 17. valida. Et alius propheta *: veniet Dominus cum virtute terribili, ponere f. 79. orbem terrae desertum, et peccatores perdere ex eo. Cavendum est nobis ne conprehendat nos dies illa, tamquam fur in nocte ita veniens, sicut * II. Petr. III. 10. dicit apostolus *, in quo caeli transibunt et terra ardebit, et mare siccabitur, et sol obscurabitur, et luna tenebricabitur 1), et stellae cadent de caelo in terram. Et tunc venit Dominus in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, et mortui resurgunt. Et iudicabit dominus Iesus Christus iudicia novissima, et tunc reddit unicuique secundum opera sua. Et tunc inimicus diabolus cum satellitum suorum turba alligabitur in camino ignis ardentis, et gentiles, et magi, et haeretici cum eo. Peccatores autem et fornicatores et adulteri et molles eiciuntur a conspectu Dei, et regnum Dei non possidebunt, et hereditatem non habent in regno Dei et Christi eius. Monachi 2) autem sancti, et sanctae virgines, et omnes sancti ac fideles cum Christo regnabunt in regno caelesti, et sanctis angelis eius; cui est gloria et potestas in saecula saeculorum. Amen.

CXXIV. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE OCCISIONE INFANTIUM.

Cod. vat. 3828. f. 140. b. * Ps. VIII. 3. * Ita cod

1. David propheta sanctissimus locutus est dicens *: ex ore infantium et lactantium * perfecisti laudem propter inimicos tuos. Dedicatus ab infantibus nobis sermo, sanctis laudibus Christo in gloria Dei. Primam vocem aperiunt innocentes: fiunt diserti laude, qui fuerant imperiti sermone: offerunt Domino primitias linguae, novos oris immolant fructus, verborum principia libant. Infantia enim quae per aetatem loqui non poterat, gloriam Deo cum gaudio resonabat. Nolunt laudare Christum, qui loqui non norant: fiunt periti laude, qui fuerant imperiti sermone: ostendunt laudibus Deum, suffragiis praedicant Christum, quem parentes duxerunt ad supplicium. O parentum miserabilis furor! Insectantur Christum, quem filii suscipiunt: necare disponunt, quem infantes agnoscunt: patres crudeles existunt, et pueri venerantur; nec a filiis potuerunt discere, quos ipsi debuerant erudire. Disce miser iudaee hostis inquam a parvulis, quod a lege non discis. Cognosce vel tardius Christum, cui innocens aetas perhibet testimonium: intellige laude infantium, quem praeconio non intellegis prophetarum: crede suffragiis parvulorum, quem non credis documento virtutum: persuadeant te talium laudes, cui non potuerunt persua- f. 141. a. dere Domini voces: nec ulla te causa tum poterit excusare, quem propria * ita cod. subolis * non potuit edocere. Fiunt interea pueri sine magistro diserti vel

1) Animadverte vocabulum *tenebrico*, cuius unicum exemplum afri Tertulliani recitat Forcellinus.

2) Hunc fortasse sermonem dixit Augustinus ad monachos carthaginienses, quorum gratia scripsit illam quoque egregiam lucubrationem, quae extat, *de opere monachorum*.

docti, sine doctore periti: agnoscunt Deum, praedicant Christum, non quem persuasio humana docuerat, sed quem divinitas innocentibus inspirabat. In voce proclamant; hoc enim Christo domino debebatur, ut non a reis parentibus, sed a filiis innocentibus laudaretur. Tacere enim innocens aetas Dei laudem non poterat, quam Christi gloria provocabat. Laetantur parvuli, gaudent infantes quod in laude Dei facti sunt narratores. Ut in his quod scriptum est dicamus esse completum *: sapientia aperuit os mutum, et disertas fecit linguas infantium. * Sap. X. 11.

2. Diximus de laude infantium, quid de lactantium laudibus proferemus, quos invenire non possumus, nisi hos ipsos qui laudaverunt noverimus? qui sint? ubi sint? quam laudem contulerunt, qui loqui non noverant? neque enim potuit aetas illa posse, quod natura non dederat; aut celebrari a talibus poterat, quod institutio denegavit. Dicunt namque laudes trucidati ab Herode lactantes: loquuntur sanguine, quod lingua non possunt: passione canunt, quod sermone non norunt. Nec novum est quod dicitur: aut innocens sanguis Deo refert laudes, aut suas indicat passiones, cum aut Abel sanguis clamat ad caelum, aut occisorum animae ab altario vociferantur ad Dominum. Contulit martyrium laudem, quibus negaverat natura sermonem: licuit sanguine clamare, quibus non licebat voce narrare: miscent cum Domino conloquia, quibus humana negata sunt verba. Sic * enim occisis innocentibus, in istis impleta sunt prophetiae verba dicentis: vox in Rama audita est, fletus plorationis Rachel flentis filios suos, et noluit consolari quia non sunt. Quaerit Herodes occidere vel necare: praestat hostis, dum nocet; beneficium tribuit, dum occidit. Invideret enim gloriam, si nosset amare. Aliae sunt terrestres hominum pugnae, aliae caelestes victoriae gloriosae. In proelio Christi moriendo vivitur, cadendo surgitur, victoria per interitum comparatur. * cod. *hic.*

CXXV. ITEM EIUSDEM IN EVANGELIO SEC. IOH. DE RESURRECTIONE LAZARI 1).

1. Sic est ista evangelica lectio tanto miraculo diffamata, ut nemo etiam infidelium non audierit a Christo Lazarum resuscitatum. Quanto magis erga fideles notum est, quod infideles ignorare non potuerunt? Et tamen quando legitur, tamquam novo spectaculo animus innovatur. Non est ergo inconveniens, ut etiam nos quod de illa solemus dicere, dicendo repetamus. Nec erit forte fastidio quod dicturus sum; saepius enim ista lectio repetitur in auribus vestris, quam noster de illa tractatus. Nam si legatur quando sabbatum non est, aut quando dies dominicus non est 2), sermo Cod. vat. 171. f. 146. a.

1) Praeclarus hic elegansque sermo titulum illum sine dubio requirit, quem recitat Possidius in indiculo cap. IX. *De tribus mortuis a Domino resuscitatis.* Attamen partim similia dicuntur in serm. ed. LXVII, et praesertim XCVIII. Item in Ioh. tract. XXII, et XLIX; nec non in ps. CI. serm. II. 3. Denique in tomo VI. ex 80. quaest. 65. Nihilominus noster hic sermo a praedictis omnibus diversus est. Et quidem se de hoc argumento saepe perorasse, diserte heic adfirmare videtur Augustinus.

2) Hinc satis cognoscimus morem fuisse concionandi diebus dominicis itemque in sabbato, quod idcirco feria non dicitur. In feriis autem plerumque tacuisse sacros oratores.

de illa non redditur. Hoc dixi ne dedignemini audire quod dicam. Nemo ergo dicat: iam illud dixit, quia et diaconus iam illud legit, et tamen libenter auditus est. Ergo audite.

2. A domino Iesu Christo in sancto evangelio tres mortuos didicimus suscitatos, unam filiam archisynagogi ad cuius domum venit, et eam cum prius periclitari aegritudine audisset, mortuam invenit; et ait illi: puella,
* Marc. V. 41. tibi dico, surge; et surrexit *. Alium iuvenem, qui iam extra portam
* Luc. VII. 12. civitatis mortuus efferebatur *, et graviter a matre vidua plangebatur. Tunc enim vidit haec, sed iussit stare portantes, et ait: iuvenis, tibi dico, surge; et sedit ille mortuus, et coepit loqui, et reddidit illum
* Ioh. XI. matri suae. Tertius est iste Lazarus *, quem modo fidei oculis vidimus et morientem et resurgentem, valde maiori miraculo, et grandi beneficio; erat enim quatriduanus, et iam putebat. Resuscitatus est tamen. Quid sibi volunt isti tres mortui? Non enim nihil significant, et Domini facta miraculorum, verba sunt mysteriorum. Invenimus ergo in peccatis hominum, mortis genera tria 1). Recolite istos tres mortuos. Primo illa puella in domo mortua erat, nondum elata erat. Iuvenis autem ille iam elatus extra portam. Lazarus autem sepultus, et mole lapidis pressus. Quae sunt ergo tria genera in peccatis? Dico: si quisquam malae concupiscentiae in corde consenserit, et quod illa blandiendo suaserit, facere decreverit, iam mortuus est. Nemo scit, quia non est elatus; secreta mors est, in domo est, in cubiculo est, tamen mors est. Nemo se dicat non fecisse adulterium, si facere statuit. Si titillanti delectationi faciendum esse consenserit, iam fecit. Ille adulter, illa casta est. Deum interroga, respondeat tibi de morte ista domestica, de morte interiore, de morte cubiculari. De qualibus cubilibus legimus: quae dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vetris compungi-
* Ps. IV. 5. mini *. Audi ergo de ista morte resuscitatoris 2) sententiam: qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo, qui nondum exercuit fornicationem in corpore suo. Sed aliquando respicit Dominus, et paenitet decrevisse, paenitet consensisse. In cubiculo mortuus est, in cubiculo resurgit. Si autem faciat quod decrevit, processit mors, iam foris est; sed et ipsa paenitendo finitur; et mortuus elatus, vitae redditur. Si autem facto accedat etiam consuetudo, iam putet, et tamquam lapide mole ipsius consuetudinis premitur. Sed nec ipsum Christus contempnit; potens est et ipsum resuscitare; sed lacrymat. Christum flevisse Lazarum, cum evangelium legeretur, audivimus. Qui ergo consuetudine premuntur, vim patiuntur, et Christus ut eos resuscitet fremit. Multum enim illos increpat sermo divinus, multum ad eos clamat scriptura, multum ad eos clamamus, ut etiam audiamur, et tamquam reviviscente Lazaro gratulemur. Auferte, inquit, lapidem. Unde fieri posset ut ille resurgeret, nisi remoto consuetudinis pondere? Exclamate, ligate, obiur-

1) Sic etiam Eusebius emesenus in Alcuini homiliario ed. Venet. p. 119. seqq.

2) Vocabulum item afri Tertulliani *resuscitator*. Sicut retro *indultor*.]

gate, accusate, lapidem removete; quando tales videtis, nolite parcere. f. 116. b.
Laboratis, sed lapidem removetis. Ille ille, cuius vox ad cor pervenit, clamet: Lazare, veni foras; id est vive, exi de sepulchro, muta vitam, fini mortem. Et processit ille mortuus, ligatus institis; quia etsi desiit peccare, adhuc de praeteritis reus est, et opus est ut precetur et agat paenitentiam propter facta: non propter ea quae facit, quia iam non facit. Reviviscit, non facit; sed propter ea quae fecit, adhuc ligatus est. Ergo ministris ecclesiae suae, per quos manus imponitur paenitentibus 1), Christus dicit: solvite eum, et sinite illum; solvite, solvite. Quae solveritis in terra, soluta erunt in caelo. Qui haec a me audierat et tenebat, putet se modo legisse quod scripsi. Qui autem non audierat, in corde scribat, ut quando vult legat.

CXXVI. ITEM EIUSDEM 2) DE CAPITULO EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM

ubi ait Dominus: confiteor tibi, pater, domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis 3). * Matth. XI. 25.

1. Istam sancti evangelii lectionem hesterno dominico die, sicut me- Cod. vat. 471. f. 21. a.
ministis, audivimus; sed hodie ut legeretur nos voluimus, propterea quia heri multitudo constipata etiam angustiis, aliquanto inquietior, voci nostrae non dabat facilitatem, quoniam non est talis ut sufficiat nisi magno silentio 4). Proinde hodie, adiuvante Domino, quod heri praetermisimus 5), discutiendum arbitror, et pro nostri moduli infirmitate tractandum; non quia hoc hesterno die multitudini invidimus, sed quia infirmitate vocis multitudini non sufficimus. Nunc ergo intentione vestra adiuvate me apud dominum Deum nostrum, quo nobis donet quod dicamus, et vobis ut salubriter audiatis.

2. Filius Dei, unigenitus patri, Deus semper, homo propter nos factus quos *a*) fecit; homo enim factus est qui hominem fecit; dicit ad patrem: confiteor tibi, pater domine caeli et terrae. Mihi pater, domine caeli et terrae; pater eius per quem facta sunt omnia. Omnis quippe creatura his duobus vocabulis breviter explicatur, cum dicitur caelum et terra. Ideo primus scripturae Dei liber, in principio, inquit, fecit Deus caelum et terram. Et auxilium meum a Domino, qui fecit caelum et terram *. Sed f. 21. b * Ps. CXX. 2.
nomine caeli intelligitur quicquid in caelo est; nomine terrae intelligitur quicquid in terra est. Ita duabus his creaturae partibus nominatis, ni-

a) Cod. *quod*.

1) Vides clavium ecclesiae, id est sacerdotalis absolutionis, potestatem.

2) Sic in codice *item eiusdem*. Sed Augustinus intelligitur, cuius sunt praecedentes in cod. cuncti sermones. Idem sentiendum de aliis mox titulis.

3) Super hoc evangelico textu duo extant inter editos Augustini sermones, nempe LXVII. et LXVIII, quorum prior vix paucis verbis, secundus longe pluribus, cum hoc nostro conspirat.

4) Animadvertatur notitia de vocis tenuitate Augustini concionantis.

5) Videmus suppleri ab Augustino feria secunda hebdomadae, quod hesterno die dominico praetermiserat.

hil creaturarum praetermittitur, quoniam hic est, aut ibi est. Dicit autem filius patri, confiteor; et admonet nos, confessionem non in solis peccatis deberi Deo: plerumque enim cum auditur in scripturis confitemini Domino, multi qui audiunt, pectus tundunt 1). Non eis videtur aliud aliquid significare confessio, nisi qua solent uti paenitentes, peccata sua confitentes; a Deo merita sua expectantes, non quod merentur pati, sed quod ille misericorditer facere dignatur. Quod si non esset in laude confessio, non diceret confiteor tibi pater, qui nullum habebat
* Ps. XXXII. CIV. CV. CVI. peccatum quod confiteretur. Dicitur etiam in quodam scripturae libro *: confitemini Domino; et haec dicens in confessione: opera Domini universa bona valde. Etiam hic confessio laudis est, non culpae. Quando ergo laudas Deum, confiteris Deo; quando peccata tua accusas coram Deo, confiteris Deo. Totum autem hoc pertinet ad laudem creatoris, et quod ipsum praedicas, et quod te accusas.

3. Sed quoniam ad laudem ipsius pertinet quod eum praedicas, nemo ambigit; quomodo autem ad laudem ipsius pertineat, et quod te accusas, forsitan quaeres. Hoc est, quod breviter dici et intelligi potest. Cum in peccato accusas te, laudas eum qui sine peccato fecit te. Nam si ille cum peccato te faceret, non accusares te peccantem sed illum creantem. Ergo in praedicatione, Dei laus est; et accusatio tua, laus Dei. Utrumque pertinet ad confessionem. Audivimus filium Dei dicentem 2): confiteor tibi, pater, domine caeli et terrae. Quid ei confitetur? in quo eum laudat? quia abscondisti haec a sapientibus, inquit, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Qui sunt sapientes et prudentes? Qui parvuli? Quae ille occultavit sapientibus et prudentibus? et revelavit parvulis? Sapientes et pru-
* I. Cor. I. 20. dentes illos significat de quibus Paulus dicit *: ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor huius saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Etiam nunc adhuc fortasse quaeris, qui sint isti. Forte illi sunt, qui multum de Deo disputantes, falsa dixerunt inflati doctrinis suis, Deum invenire et cognoscere minime potuerunt. Hos fortasse quis dicat eos fuisse significatos ab apostolo Paulo qui dicit: ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor *a*) huius saeculi. Sint quidem et isti; intelligantur etiam qui Deum cognoscere minime potuerunt, et pro Deo, cuius est incomprehensibilis invisibilisque substantia, putaverunt Deum esse aërem, aetherem, Deum esse solem, Deum esse aliquid quod sublimiter eminet in creatura. Attendentes enim magnitudines et pulchritudines et fortitudines creaturarum, ibi remanserunt, creatorem non invenerunt, admirantes quae facta sunt. Nihil ab re est, etiam istos significatos accipere.

4. Verumtamen, karissimi, magis mirum est quod invenimus in quo-

a) Ita hic cod. At superius *inq.*

1) Sic etiam in serm. ed. XXIX. 2. Tum vero in serm. LXVII. 1. «In hoc ipso quod sonuit, *confiteor*, » pectora tutudistis. Quare hoc fecistis? nisi quia » audistis *confiteor tibi, pater?*-Si *confiteor* Christus » dixit, a quo longe est omne peccatum, non solius » est peccatoris, sed etiam aliquando laudatoris. »

2) Sequentia partim congruunt cum sermone edit. LXVIII.

dam scripturae sanctae loco etiam illos reprehensos qui cognoverunt, et ipsorum accusatam stultitiam, falsamque irrisam esse sapientiam. Nam illos, qui non cognoverunt ex creatura creatorem, arguit ille liber Sapientiae * ubi dicit: quia siderum gyrum, quia solem, quia lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Et de his dictum est, quod licet praeferantur eis qui idola coluerunt, et opera hominum, non Dei opera, Deos esse putaverunt; tamen etiam ipsi accusati sunt ut diceretur: iterum nec ipsis est ignoscendum. Iam enim in comparatione qui Deos habent opera hominum, utique meliores qui Deos habent opera Dei. Idolum enim faber fecit, solem Deus fecit; in comparatione eius qui Deum putat quod faber fecit, melior est ille qui hoc putat Deum quod Deus fecit. Sed tamen attendite quomodo arguantur etiam et ipsi, et quam recte accusentur. Iterum, inquit, nec ipsis est ignoscendum. Si enim tantum potuerunt valere ut possent aestimare saeculum, quomodo eius dominum non facilius invenerunt? Accusati sunt consumentes tempora sua, et occupationes disputationum suarum, in perscrutanda et quodammodo metienda creatura. Quaesierunt meatus siderum, intervalla stellarum, itinera caelestium corporum; ita ut computationibus quibusdam ad eam scientiam pervenirent, ut praedicerent defectum solis, defectum lunae, et quando praedicerent eveniret eo die et ea hora tantum, ex tanta parte, ex quanta parte illi praedixerant. Magna industria! magna sollertia! Sed ubi creatorem scrutati sunt positum non longe a se, non invenerunt; quem si invenissent, haberent apud se. Tamquam si quisquam istam fabricam ingressus numeraret columpnas, metiretur quot cubitorum essent, colligeret altitudinem tecti, latitudinem pavimenti, staturamque parietum, et renuntiaret tibi de omnibus numerum quem tu ignorares; sed tu tamen a quo esset fabrica constructa scires, ille nesciret, et nimium rerum incertus non putaret hanc fabricam ab homine constitutam, sed aestimaret columpnas istas, hoc tectum, istos parietes sua vi et natura, nullo actore extitisse; aut alicui parti fabricae huius eam tribueret potentiam, ut ab ipsa cetera constructa esse sentiret. Et tu cum dixisses, homo fecit hanc fabricam; ille diceret, quis homo? quando potuit hanc fabricam fabricare? Tectum hoc quod vides altum, ipsum tectum fabricavit ista omnia quae cernis humilia. Non dico desipiens, sed delirus tibi appareret. Et quid ei prodesset quod tibi mensuram columpnarum omnium totiusque fabricae numeros computaret, et diceret quod tu nescires? Homo meliore praeditus scientia actorem *a*) huius fabricae scires. Plus est enim nosse quia homo fecit, quia ratione factum est, quia rationali mente constructum est, quia consilium praecessit hanc molem; quam scire quot cubitorum columpna sit, vel quot sint columpnae, vel quam latum pavimentum aut tectum.

I. 25. a.

* Sap. XII.

5. Puto quod caritas vestra discernat istas scientias. Non enim et in hoc magnum aliquid scis, quoniam nosti hominem fecisse. Si et ipsi ho-

a) Ita Cod. Lon *auctorem*.

I 25 b minis corpori tribuas hanc fabricam, magnum aliquid nosti. Si nosti factum esse consilio, rationali mente, ubi fuit ipsa fabrica ante quam oculis videretur? Praecessit enim fabricandi consilium, ac deinde consecutus effectus est. Praecessit quod non videres, ut esset quod videres. Nunc ergo vides fabricam, laudas consilium, intendis in quod vides, laudas quod non vides, et plus est quod non vides quam illud quod vides. Optime itaque rectissimeque accusati sunt, qui potuerunt investigare numeros siderum, intervalla temporum, defectum luminum cognoscere, praedicere. Recte accusati sunt, quoniam a quo ista facta atque ordinata sunt, non invenerunt, quia quaerere neglexerunt. Tu autem non valde cures, si gyros siderum et caelestium terrenorumve corporum ignores. Vide pulchritudinem mundi, et lauda consilium creatoris. Vides quod fecit, ama qui fecit, quia et te ipsum amatorem suum ad imaginem suam fecit. Ergo quid est mirum, quia talibus sapientibus occupatis circa creaturas, qui creatorem negligentes quaerere noluerunt, nec invenire potuerunt? Abscondita sunt illa, de quibus dixit Christus: abscondisti haec a sapientibus et prudentibus. Mirabilius est 1) quod audituri estis, sapientes et prudentes reprehensos etiam qui cognoscere potuerunt. Revelatur *, inquit, ira Dei de caelo super omnem impietatem et iniusticiam hominum, qui veritatem in iniquitate detinent. Quaeris fortasse, quam veritatem detineant in iniquitate? Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Unde manifestum? Sequitur et dicit: Deus enim illis manifestavit. Adhuc quaeris quomodo manifestaverit eis, quibus legem non dedit? Quomodo ergo? Invisibilia enim eius a constitutione mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sic ergo manifestavit, quia invisibilia eius a constitutione mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.

* Rom. I. 18.

6. Alius ut inveniat Deum, librum legit. Est quidam magnus liber ipsa species creaturae. Superiorem et inferiorem contuere, attende, lege. Non Deus, unde eum cognosceres, de atramento litteras fecit; ante oculos tuos posuit haec ipsa quae fecit. Quid quaeris maiorem vocem? Clamat ad te caelum et terra, Deus me fecit. Legis quod scripsit Moyses. Quid legit, ut scriberet ipse Moyses, homo temporalis? Attende pie caelum et terram. Fuerunt ergo quidam non sicut Moyses famulus Dei, non sicut prophetae multi ista intuentes et intelligentes, adiuti spiritu Dei, quem spiritum fide hauserunt, faucibus pietatis biberunt, ore interioris hominis ructaverunt. Non ergo tales. Sed fuerunt aliis dissimiles, qui per istam creaturam potuerunt pervenire ad intelligendum creatorem, et dicere quae fecit Deus. Ecce quae fecit, gubernat, et continet. Ille ipse qui fecit, implet sua praesentia ista quae fecit. Potuerunt hoc dicere. Nam ipsos et in actibus apostolorum commemoravit apostolus Paulus *, ubi cum dixisset de Deo, in illo enim vivimus et movemur et sumus, quoniam apud Athenienses loquebatur, ubi isti doctissimi extiterant, adiunxit continuo:

* Act. XVII. 28.

1) Rursus confer sermonem ed. LXVIII. 3, qui partim in sequentibus congruit.

sicut et quidam secundum vos dixerunt. Non est leve quod dixerunt; quoniam in Deo vivimus, movemur, et sumus. Unde ergo dissimiles? f. 26. r
unde vituperati? unde recte accusati? Audi apostoli verba quae dicere coeperam: revelatur, inquit, ira Dei de caelo super omnem impietatem et iniustitiam hominum, qui veritatem in iniquitate detinent. Quam veritatem? quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Quo manifestante? Deus enim illis manifestavit. Quomodo manifestavit? Invisibilia enim eius a constitutione mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus eius ac divinitas. Quare manifestavit? ut sint inexcusabiles. Si manifestavit ut sint inexcusabiles, unde ergo culpabiles? Quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Quid est quod dicis, non sicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt? Hoc est ergo glorificare Deum, gratias agere Deo. Hoc sane. Quid enim peius *a*), si ad imaginem creatus, cognito Deo eris ingratus? Hoc prorsus est, hoc est glorificare Deum, gratias agere Deo. Norunt fideles, ubi et quando dicatur, gratias agamus domino et Deo nostro 1). Quis autem gratias agit Domino, nisi qui sursum cor habet ad Dominum?

7. Sunt in his verbis inter vos qui audiunt, et non audiunt. Sed non nobis irascantur, quando ipsi se differunt. Ergo illi culpabiles, qui sunt inexcusabiles; quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt. Sed quid? sed evanuerunt in cogitationibus suis. Unde evanuerunt? nisi quia superbi fuerunt. Evanescit et fumus in altum surgendo, et magis ignis lucet, et roboratur, humilius apparendo *b*). Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Etiam fumus cum sit igne altior, obscurus est. Denique attende quod sequitur, et vide unde tota causa pendeat. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Sibi arrogando quod praestiterat Deus, tulit quod dederat Deus. Ergo superbis ipse abscondit se, qui per creaturam diligenter scrutantibus creatorem insinuaverat nonnisi se. Bene ergo, Domine, abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis; sive ab illis qui multiplicibus disputationibus et sollertissima inquisitione ad investigationem creaturae pervenerunt, sed creatorem minime cognoverunt; sive ab illis qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, et videre perfecte ac salubriter non potuerunt, quia superbi fuerunt. Abscondisti ergo haec a sepientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Quibus parvulis? Humilibus. Dicit *: super quem requiescet spiritus * Is. LXVI. 2.
meus? super humilem et quietum et trementem verba mea. Haec verba Petrus tremuit, Plato non tremuit. Teneat piscator, quod perdidit nobilissimus disputator. Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Abscondisti superbis et revelasti humilibus. Quid ergo

a) Cod. *Hoc sane quidem in peius.* — *b*) Male in ed. [illegible].

1) Sic loquitur, quia fideles tantum, non autem catechumeni aderant ei liturgiae parti, in qua haec verba recitantur. Agnoscimus tamen etiam ex Augustino eius locutionis antiquitatem.

sumus, quantumcumque sumus? Si humiles sumus, merebimur pleno conspectu Dei beatificari, si meruerimus inter parvulos numerari. Ita, pater, inquit exultans spiritu sancto; approbavit, placuit ei, laudavit ita esse, laudavit ita factum esse. Ita, pater, quoniam sic placitum est coram te.

8. Audivimus quod ait, abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Qui sunt sapientes et prudentes, quibus abscondisti? Et qui sunt parvuli, quibus revelasti? Quae sunt ipsa *a*)? Non enim cum hoc diceret, abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, caelum et terram attendebat, et quasi manu demonstrabat, cum diceret haec. Quis enim non videt haec? Vident boni, vident et mali, quia facit solem suum oriri super bonos et malos. Quae sunt ergo haec, de quibus ait quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis? Quae? nisi quae deinceps adiungit, et dicit: ita pater, quoniam sic placitum est coram te. Hic laudavit, placuit ei. Quae sunt ergo ista? Omnia mihi tradita sunt a patre meo. Gratia ista christiana, quia omnia tradita sunt a patre eius, omnes latuit sapientes huius mundi. Nec solum illi qui circa creaturas vel terrestres vel caelestes nimia et intentissima curiositate occupati, neglexerunt quaerere, nec valuerunt invenire creatorem, sed etiam nec illi qui ex creatura, et ex his quae videbantur, id est ex visibilibus ad eum a quo facta sunt incogitatione *b*) pervenire potuerunt, agnoverunt quod dictum est, omnia mihi tradita sunt a patre meo. Haec Moyses vidit, prophetae viderunt, patriarchae viderunt, sapientes illi magni arguti disputatores, inquisitores, eloquii quasi tonantes 1) profusores, omnino ignoraverunt. Hoc est mysterium quod absconditum fuit a saeculis in Deum, nunc autem manifestum est sanctis eius, parvulis eius. Ergo humilibus eius, super quos requiescet spiritus eius, quietis et trementibus verba eius.

9. Omnia inquit mihi tradita sunt a patre meo. Sed quoniam inter haec omnia vehementer volumus et desideramus videre ipsum Deum, et hoc desideramus quanto meliores sumus, quanto magis pii, quanto magis fideles, quanto inperfectum mentis instructiores atque firmi, hoc desiderium vincit omnia desideria, quasi ipsos parvulos suos, quibus dedit nosse gratiam suam; quia omnia Christo tradita sunt a patre eius. Blande alloquitur, ut non aegre ferant quia modo non vident; ut praeparandi ad illam visionem, medicinalem perferant dilationem; omnia inquit mihi tradita sunt a patre meo. Et dicturi erant parvuli: nos ipsum patrem videre volumus, quomodo ait Philippus, ostende nobis patrem et sufficit nobis *. Tamquam diceret: scio quid desideretis, et ad tam magnum bonum quam parvuli estis. Nemo cognoscit filium, nisi pater. Iam me cognitum putabatis, nemo cognoscit filium nisi pater. Tamquam me cognito, patrem videre et cognoscere quaerebatis. Neque patrem quis cognoscit nisi filius. Nec

* Ioh. XIV. 8.

a) Infra est *ista*. — *b*) Ita coniunctim cod. Et quidem agnoscitur verbum *incogito* pro *cogito*.

1) Sic Periclis eloquentiam dicit fuisse tonantem et fulgurantem Cicero in oratore cap. IX.

tamen vos ab hac visione separati remanebitis, quia sequitur: et cui voluerit filius revelare. Cui volet filius revelare, nisi de quibus dictum est, revelasti ea parvulis? Simus ergo parvuli; hoc a magno magistro requiramus et discamus; cum sis nihil, non eris parvulus, propter quem tam magnus factus est parvulus? Pater ergo revelat filium quibus vult, et filius c. 27
revelat patrem quibus vult. Non enim filius revelat patrem, et pater non revelat filium. Hic audivimus, hic legimus: neque patrem quis agnoscit nisi filius, et cui filius voluerit revelare. Revelatorem patris didicimus filium. Revelatorem filii unde noscimus patrem? Audi eundem filium: cum dixisset Petrus, tu es Christus filius Dei vivi, responsum accepit: beatus es Simon Bariona, quia non tibi revelavit caro et sanguis, sed pater meus qui est in caelis. Ergo revelat et pater filium, et filius revelat patrem. Quomodo enim agnoscis filium, nisi agnoscas quod habeat patrem? Et quomodo agnoscis patrem, nisi agnoscas quod habeat filium? Nec pater enim dici potest, si non habet filium; nec filius dici potest, si non habet patrem. Ergo si non est pater nisi quia filium habet, revelat pater filium, Hoc ipsum *a*) quod in eo paternitas agnoscitur, proles inquiritur. Si pater est, quaeris quem genuit; ipse est Deus Christus. Christus si filius est, quaeris a quo genitus sit; ipse est Deus pater. Ergo cum oculum mentis, cum oculum fidei in filium intendis, in quantum filius est agnoscis genitum esse, ut filius esset. Et ita filius revelat patrem. Sed quibus, nisi parvulis?

10. Unde modo non videmus Deum? quia peccata nostra separant inter nos et Deum. Si ergo ideo non videmus, quia peccata nostra separant inter nos et Deum, et propter delicta nostra avertit faciem suam a nobis; sub onere peccatorum nostrorum sudantes audiamus consequenter clamantem *: venite ad me omnes qui laboratis 1). Quid inaniter * Matth. XI. 28.
sub peccatis sudatis? Venite ad me omnes qui laboratis. Ubi enim laboras, nisi cum desideras quod non est in potestate desiderantis 2)? Desiderasti aurum, amasti aurum; numquid amando habes aurum? Quid est autem hoc, quid est quod amas? Amando sitis, sitiendo quaeris, inveniendo torqueris. Ecce enim ante quam invenias quod habere desideras, ante quam capias, ante quam habeas, ante quam possideas, ardes cupiditate. Iste tortor eviscerat cor, ipsa cupiditas laniat te. Sed quousque? Donec pervenias. Ecce pervenisti. Ardebas cupiditate, cum velles habere quod possideres. Habes iam quod timeas ne perdas. Non ergo securitas cupiditati, sed timor cupiditati tamquam tortor tortori successit. Ante quam aliquid haberes, torquebat te sola cupiditas; cum habere coeperis, torquet tenet timor. Male dixi successit, sed alius tortor accessit. Erat enim primo cupiditas habendi, manet augendi. Non enim quia quod

a) Malim *hoc ipso*

1) In editione maurina sequuntur duo sermones (id est LXIX. et LXX.) de hoc textu: *venite ad me omnes qui laboratis* etc. Sed tamen diversi omnino ab hoc nostro contextu sunt.

2) Confer sermonem ed. XXX. 8. qui tamen in diversa abit.

quaerebas accessit tibi, limes positus est cupiditati. Non vides quia plus habendo plus cupis? Quando nihil habebas, parva quaerebas; quia vero factus es dives, tuas cupiditates non satiant hereditates. Cupis habere quod non habes, times perdere quod habes. Duo isti tortores iugulant te. Vel inter tormenta confitere Deo tuo; audi vocantem, senti offerentem, ut tortores abscedant. Audi eum qui dicit: venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis. Diversis et dilaniantibus affectationibus mundi fatigamini, et duris urgemini sarcinis? ego vos reficiam. Liberi vagando per
f. 27. b. abrupta ruebatis? tollite iugum meum super vos. Ipsa cupiditate et habendi difficultate asperi eratis, et vano successu rerum elati ambulabatis? contra acerbitatem et contra elationem discite a me quia mitis sum et humilis corde. Nolite invicem vos attendere, ait, et habere inter vos vestram elationem.

11. Ait aliquis: quid, si habere volo? O si habeam! Deus da mihi quod habeam. Ecce vicinus meus habet, quod non habeo; salutatur, et non salutat; resaluto, et non salutat. Deus, da mihi. Si tibi ille displicet, cur vis esse talis? Ipse dicit: resaluto et non salutor, et cupit esse quod damnat. Sed ego, inquit, cum habuero, non solum resaluto, sed etiam prior saluto. Cupiditate habendi te submittis; sed melius te novit, qui te fecit; melius consulit tibi, qui et petenti non dat quod non expedit tibi. Certe ut habeas, quia recte putas te habiturum, bene usurum, pie gubernaturum: ut habeas divitias, laborem, egestates formidas. Beatus esse desideras? veni ad eum qui clamat, ego vos reficiam. Solum est ut discas quod ait: discite a me quia mitis sum et humilis corde. Attendis enim ad vicinum tuum divitem, habentem, superbientem. Attendendo illum et aemulando, superbus eris. Humilis non eris, nisi eum qui propter te humilis factus est, attenderis. Disce a Christo, quod non discis ab homine. In illo est norma humilitatis. Ad hunc qui accedit, prius in ipsa humilitate formatur, ut in exultatione decoretur. Nam quae species illius, qui cum in
* Phil. II. 6. forma Dei esset *, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo? Humiliavit semet ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Tanta dixit, et modum humilitatis eius nondum terminavit, nisi addidisset mortem autem crucis: hoc enim genus mortis magnum inter Iudaeos habebat opprobrium. Hoc suscepit quod habebat magnum opprobrium, ut de ipsa humilitate non erubescentibus daret praemium. Quousque pervenit secans tumorem tuum? usque ad crucis opprobria.

12. Sed forte quasi parvus? qui cum in forma Dei esset. Attende. Tu quando fuisti in forma Dei? Et erubescis humiliari, propter quem humiliata est forma Dei? Discite, inquit, a me. Non invenistis unde hoc tam magnum fundamentum forte vestrae celsitudinis noveratis? A me, inquit, discite quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem

animabus vestris. Nam utique in omnibus desideriis vestris requiem quaeritis; ad hoc enim inquieti estis dum quaeritis, ut invenientes quod quaeritis, aliquando requiescatis. Frustra hoc putatis; inveniendo quod male quaeritis, inquietiores eritis 1). A me, inquit, discite quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum leve est. Timebas ligari? Iugum meum leve est, suave est. Si timebas ligari, desidera iocundari. Non videtis etiam in ipsis corporibus humana quaerentium et temporalia cupientium esse quasdam colligationes, de quibus sibi placeant homines? Quam difficile est ut se solvi permittant! Qui f. 28. a. torquem habet, placet sibi de torque, quem cupiditas detorquet. Et putas tu quia iugum Christi transgulabit *a*) te? Noli timere, suscipe; lene *b*) est. Coërcet miseram libertatem, non affert aliquam asperitatem. Et sarcina mea levis est. Ne putes me non impositurum tibi aliquid, si iumentum meum eris. Hoc tibi Dominus tuus dicit: imponam et ego sarcinam meam. Sed noli timere, levis est; non te premit sed sublevat, non onerat sed honorat. Non ita levis est, quamvis *c*) non multum sit gravis. Quomodo sunt parvae sarcinae, quae cum portantur, dicit qui portat, leve est. Tamen et ipsum leve, quamvis non multum, habet aliquod pondus. Christi sarcina adeo levis est, ut levet: non cum illa vel ab illa premeris, sed sine illa non surges. Talem tibi puta istam sarcinam, qualis est avibus sarcina alarum 2). Alarum sarcinas si aves habuerint, sublevantur; si detractae fuerint, in terra remanebunt. Quid enim grave est amanti 3)? Nonne videmus (ut alia omittam innumerabilia, quibus aestuat genus humanum et conteritur) studiosus venandi, quantum laboret, quae perferat, quos calores aestate, quae frigora hieme, quae densa silvarum, quas itinerum difficultates, quas montium clivositates 4)? Amor tamen non solum facit haec omnia tolerabilia, sed etiam suavia; in tantum suavia ut si venari prohibeas, tunc laboret, tunc patiatur horrendum animi taedium; non fert quietem. Tanta tolerantur ut perveniatur ad aprum, et difficile sustinetur ut perveniatur ad Deum?

13. Ergo hoc dixit Christus. Ubi audistis, sarcina mea levis est, nolite cogitare quae *c*) hic perpessi sunt martyres, et dicere apud vos ipsos, quomodo est levis sarcina Christi? Confessi sunt eum viri, et tanta perpessi sunt: confessi sunt pueri, confessae sunt puellae, sexus validior et infirmior, aetas maior et minor, omnes confiteri et coronari meruerunt. Puto quia non laboraverunt. Quare non laboraverunt? quia caritate omnia pertulerunt. Ista est sarcina Christi, quam dignatur exponere; caritas vocatur, caritas dicitur, dilectio nuncupatur. Per hanc tibi facile erit, quic-

a) Ita cod. cum metathesi pro *strangulabit*. — *b*) Ita cod. non *leve*. — *c*) Cod. *quasi*. — *d*) Cod. *quia*.

1) Nempe hi sunt apud Augustinum contra Acad. I. 23. *qui se permittunt cupiditatibus laniandos*. Tum confess. XIII. 9. *Rationali creaturae nullo modo sufficit ad beatam requiem, quicquid Deo minus est.*

2) Confer sermonem ed. XLI. 5. Item CLXIV. 7.

3) Confer sermonem ed. XCVI. 1.

4) Animadverte novum bonumque vocabulum *clivositas*.

quid grave pendebas. Suscipe hanc sarcinam, non te premet; levabit te; alae tibi erunt, quas ante quam habeas, clama ad vocantem: quis mihi
* Ps. LIV. 7. dabit pennas sicut columbae *? Non sicut corvo, sed sicut columbae, et volabo, inquit. Et quasi quaereres, ut quid? Et requiescam. Ergo per illam sarcinam invenietis requiem animabus vestris. Accipite hanc sarcinam, has alas. Et si coepistis habere, nutrite. Perveniunt istae alae ad tantum modum, quo volare possitis. Una ala est, diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. Sed noli ad unam alam remanere. Nam si unam habere te putas, nec ipsam habes. Diliges proximum tuum tamquam te. Nam si fratrem quem vides non diligis, Deum quem non vides, quomodo potes diligere? Accedat et alia. Sic volabis, sic de terrenis auferes cupiditatem, figes in caelestibus caritatem. Istis duabus alis in quantum niteris, sursum interim cor habebis 1); ut sursum cor trahat tempore suo et carnem suam. Nec ad pennas omnes habendum putes tibi multum deesse. Quaerenda sunt quidem huius dilectionis praecepta in scripturis sanctis multiplicia, quibus exerceatur lector et auditor; sed in his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae.

CXXVII. ITEM EIUSDEM DE VERBIS DOMINI IN EVANG. SECUNDUM MATTH. XI. 28.

Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis.

Cod. Vat. 471. f. 33 a.

1. Lingua Domini tuba iustitiae et veritatis, tamquam in generis humani contione consistens, vocat et dicit: « venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super » vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis » requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, et onus meum » leve est. » Qui non laborat, non audiat; qui autem laborat, audiat: venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis. Qui non est oneratus, non audiat; qui autem oneratus est, audiat: venite ad me omnes qui laboratis et onerati istis. Ut quid? et ego reficiam vos. Omnis qui laborat et oneratus est, refectionem quaerit, et quietem desiderat. Et quis non laborat in hoc saeculo? Dicatur mihi, quis non laboret vel operando vel cogitando? Laborat in operibus pauper, laborat in cogitationibus dives. Pauper laborat operando, volens habere quod non habet; dives timendo perdere, et volendo augere quod habet, plus laborat. Onera vero sua portant omnes quaecumque peccata, quibus superba premitur cervix; et tamen sub tanta mole erigit se; et cum prematur peccatis, tumescit superbia. Ideo Dominus ait: quid? ego, inquit, vos reficiam. Tollite iugum meum super vos, et discite a me. Quid Domine, discimus a te?

1) In appendice Augustini serm. IV. 2. *Duabus velut alis, duobus scilicet praeceptis, diligendo Deum et proximum, eriguntur in caelum. Et quotiens sacerdos dixerit, sursum corda, securi et fideliter dicunt se habere ad Deum.* At enarr. II. 10. in ps. XXXIII. *Duo pedes, duo praecepta dilectionis Dei et proximi.*

Scimus in principio te esse Verbum, et Verbum apud Deum, et Deum Verbum; et scimus omnia per te facta, visibilia et invisibilia. Quid a te f. 33. b.
discimus? Caelum suspendere, terram solidare, aërem expandere, omnia elementa animalibus congruis implere, saecula ordinare, rotare tempora? Quid a te discimus? An forte quae operatus es in terra ipsa vis nos docere? Ergo discimus a te leprosos mundare, daemonia pellere, febres fugare, mari et fluctibus imperare, mortuos suscitare? Nec ista, inquit. Dic ergo quid? quoniam mitis sum et humilis corde. Erubesce Deo, humana superbia. Verbum Dei dicit, Deus dicit, Unigenitus dicit, Altissimus dicit: discite a me quia mitis sum et humilis corde. Tanta altitudo ad humilitatem descendit, et homo se tendit? Collige te, et redige te, homo, ad humilem Christum, ne in tua extensione rumparis.

2. Modo psalmus cantabatur, modo alleluia dicebatur: quis sicut dominus Deus, qui in altis habitat et humilia respicit*? Dum respiciet te, * Ps. CXII. 5
humilem inveniat, ne dampnet. Ipse dixit, ipse contionatus est, ipse ad hanc salutem genus humanum vocavit. Discite a me, inquit, non creare creaturam; discite quoniam mitis sum et humilis corde. In principio erat; quid excelsius? Verbum caro factum est; quid humilius? Imperat mundo; quid excelsius? Pendet in ligno; quid humilius? Quando ille ista propter te, tu quid adhuc erigeris? Adhuc tumes follis inflatus? Deus est humilis, et tu superbus? Forte quoniam dixit, excelsus est Dominus et humilia respicit, dicis tu, me non respicit sed despicit. Respectio miserationem habet, despectio contemptum. Sed forte quia Dominus humilia respicit, latere te putas? Quia humilis non es, excelsus es, superbus es, non lates hic oculos Dei. Vide enim quid tibi dicat: excelsus est Dominus. Excelsus certe. Quomodo ad eum pervenias? Scalas quaeris? Humilitatis lignum quaere, et pervenisti. Excelsus est Dominus, humilia respicit. Excelsa autem (ne te putes latere qui superbus es) excelsa autem a longe cognoscit. Cognoscit, sed a longe. Longe est a peccatoribus salus. Humilia quid? de proximo. Mirum machinamentum omnipotentis! Excelsus est, et humilia de proximo respicit. Alti sunt superbi; excelsus eos a longe cognoscit. Prope est Dominus eis qui obtriverunt cor [1]), et humiles spiritu salvabit*. Ergo, Fratres, non in nobis tumescat superbia, sed putrescat. * Ps. XXXIII. 19.
Horrete illam, abicite illam. Humilem quaerit christianum Christus. Christus in caelo, et Christus nobiscum. Christus in infernis, non retinendus sed soluturus. Habemus talem ducem. Sedet ad dexteram patris, sed de terra nos colligit; illum sic, illum autem sic; illi praestando, istum castigando; illum laetificando, illum tribulando. Qui colligit, colligat: ne pereamus, illuc colligat ubi non perimus.

1) Ita legebat Augustinus etiam in ps. XXXI. enarr. II. 11. Itemque enarr. II. in ps. XXXIII. qui loci utiliter conferentur propter laudem humilitatis et superbiae detestationem.

* Ioh. V. 2. CXXVIII. EIUSDEM IN EVANGELIO SEC. IOH. DE INFIRMO IACENTE AD PISCINAM 1).

Cod. vat. 471. f. 119. b. 1. Quaeri solet quod scriptum est in libro legis, qui appellatur genesis, ubi est initium sanctarum scripturarum, cur omnia opera sua Deus perfecerit sexto die, et die septimo, idest die sabato requieverit ab omnibus operibus suis; cum dicat filius eius, per quem facta sunt omnia: pater meus usque nunc operatur, et ego operor *. Hoc enim dicens redarguebat Iudaeos qui ei calumpniabantur, quod die sabbati dixerit homini, surge tolle grabatum tuum et ambula. Iudaeis enim onera portare non licet sabbato. Quid sibi ergo vult? Num quidnam filius contrarius est Verbo patris, cum ipse sit Verbum patris? Intelligere ergo debemus, ne Iudaeis similes remaneamus; ipsi enim tam carnaliter accipiebant sabbatum, ut vacantem putarent Deum ex illo die sabbati. Aut si hoc non putabant, forte credebant et ipsum in creatura sua operari per sex dies, et sabbato omni requiescere sibi et vacare, et more puerorum gaudere ad ferias. Sic ergo ista solvitur quaestio, quia verum est Deum sex diebus implesse, et perfecisse opera sua condendo creaturas, sabbato autem requievisse non a creaturis amministrandis, sed a condendis. Nam moles ista mundana, id est caelum et terra et omnia quae in eis sunt, si ab eo non reguntur, cadunt. Regit autem ille mundum sine labore, non quomodo ille portabat grabatum. f. 120. a. Et si bene intelligatur, Deus simul et requiescit, et agit; omnis enim qui sine labore agit, et in ipso opere requiescit. Si me interroges, utrum Deus vacet, viveremus si vacaret? Rursus si me interroges utrum Deus requiem habeat, respondebo tibi: et quid est quod nobis dabit, si ipse non habet? Ergo respondebo, et requiem habet, et usque nunc operatur. Hoc tu non potes; sed ille Deus est, quod non es tu. Venerat ergo iam tempus quo umbrae transirent, et respiraret dies, sic ut scriptum est in cantico canticorum, donec aspiret dies et removeantur umbrae *. (* Cant. II. 17.)

2. Quando ergo dominus Iesus languidum illum, quem sanum fecit grabatum suum tollere iubebat, umbras veteres removebat. Iam ergo venerat tempus, quo fieret quod dicit apostolus *: (* Coloss. II. 16.) nemo ergo vos iudicet in cibo et potu, et in parte diei festi, neomeniae, et sabbatorum, quod est umbra futurorum. Erant ergo illae observationes iudaicae mandatae a Deo umbrae futurorum; et ipsa quae fuerant futura, veniens Christus facere incipiebat praesentia: quod expectabatur, advenerat; quod significabatur, videbatur. Non ergo impediant umbrae, removeantur, videamus lumen. In quo? in Christo. Propter hoc enim dicit * (* Ps. XXXV. 10), in lumine tuo videbimus lumen; et qui sedebant in umbra mortis * (* Ps. CVI. 14), lumen ortum est eis. Sanus est homo, et calumpniaris de grabato? Ille dixit languido ut portaret lignum, qui pro illo fuerat pensurus 2) in ligno. Stulta impietas Iudaeorum! Quem

1) Argumentum hoc tractat Augustinus in serm. ed. CXXIV. Nec non in Ioh. tract. XVII.

2) Animadverte *pensurus* a *pensum*, id est a *pendeo, es*.

videbas iacentem, vides ambulantem; et accusas portantem? Qui sanitatem dedit ambulanti, dedit vires portanti. Esto christianus, o iudaee, et intellige sabbatum. Quamdiu iudaeus es, observare sabbatum potes, intelligere non potes. Nisi ad veritatem transeas, non potes habere quod celebras.

3. Quid est quod dixi, non potes habere, quod celebras? Potes enim per sabbati vacationem, requiem celebrare; sed nisi ad Christum transeas, ad aeternam requiem non potes pervenire. Remanebis in umbra, sine luce. Transi ergo ad Christum, ut auferatur velamen 1). Apostolus enim hoc dicit *: usque in hodiernum diem, quamdiu legitur * II. Cor. III 15.
Moyses, velamen est super corda eorum positum; quod non revelatur, quoniam in Christo evacuatur. Velamen, non Moyses, vacuatur; velamen, non lex. Attendite quomodo Dominus venerit, et evacuatur velamen. Quando pependit in ligno, velum scissum est. O magnum mysterium! O ineffabile sacramentum! Transgressores legis auctorem legis crucifixerunt, et legis secreta patuerunt. Nonne crux illa clavis fuit 2)? Dominum tenuit, et clausa dissolvit. Sed Iudaei etiam discisso velo, coopertam habebant faciem. Nos autem, ait apostolus *, revelata facie gloriam Domini speculantes, in * II Cor. III 18.
eandem imaginem transformamur, de gloria in gloriam, tamquam in Domini spiritum. In lapide illi potuerunt habere legem. O si haberent in corde, nobiscum essent! Nos autem, Fratres, in cordibus habeamus legem; non verbi laudibus, sed bonis operibus demonstremus. Faciendae sunt eleemosy- f. 120 b.
nae; tempus est; videantur fructus vestri; gaudeam de laboribus meis 3). Non potes dicere languido, surge et ambula; potes dicere, donec surgas, iace et manduca. Sanare aegrum non potes, vestire nudum potes; non te a Deus exigit quod non potes.

4. De ipsa facienda misericordia audistis quod monuerit sanctus Tobis filium suum Tobiam *: sicut tibi substantia, fili, ita fac: si multum habes, * Tob. IV 8.
multum fac: si exiguum, de ipso exiguo communica. Vidua quae duo minuta attulit, quam exiguum habebat! et Dominus eam videbat. Certe si negligebant, quia multum non attulit quae duo minuta, videre poterat cor sapientis quae dedit. Quae plus in dona Dei misit, quam quae sibi nihil dimisit? Non hoc monuit Tobis filium suum. Ex eo quod habes, inquit, communica. Non dixit, totum da. Hoc facite quod Tobis monuit. Multi et illud fecerunt, omnia sua dimiserunt, omnia sua pauperibus donaverunt, nihil sibi reliquerunt. Nihil, putamus? et ubi est Deus? Quid enim non habet pauper, si Deum habet? Aut quid habet dives, si Deum non habet? Facite ergo, et ammiramini verba scripturae: caecus pater videnti filio loquebatur, monebat ut faceret eleemosynam, eleemosyna enim liberat a morte. Non est hoc mirum; etsi enim caecus loquebatur videnti, sed tamen

1) Augustinus serm. ed. CLX 6 *Quamdiu legitur Moyses, velamen super cor eorum positum est. Quare? Quia non transierunt ad Christum.* Confer etiam in ps. enarr. LXIV. 6.

2) Obiter adnoto, in monumentis Aegyptiorum passim cerni crucem, quam clavim explicant.

3) Tamquam concionator hoc dicit, et eleemosynarum praedicator. Namque Augustinus instruendo praesertim populo tempora sua impendere solitum dicit in epist. LXXIII. 5.

vivens viventi. Quod sequitur mirum est. Cum enim dixisset de eleemosyna, liberat a morte, addidit, et non permittit ire in tenebras. O pater, semper eleemosynam fecisti, quare ad has tenebras caecitatis venisti? Poterat ergo hoc dicere filius patri suo. Sed ille sciebat quid diceret; et ille quod audiebat, intelligebat. Sunt aliae tenebrae, quo eleemosyna intrare non permittit eos, qui amant eam facere. Quae istae sunt tenebrae? De
Matth. XXII. 13. quibus ipse Dominus dicit *: ligate illi manus et pedes, et proicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium. Istae tenebrae exteriores vocantur. Quare? quia extra Deum sunt. Qui ad illas venit, et qui in illas intrat, a Deo longe recedit. Denique bonum servum intromittit, malum in tenebras exteriores. Bono autem dicit, intra in gaudium Domini
* Matth. XXV. 21. tui *. Malum est exire ad tenebras, bonum est intrare in lucem, ubi omnino nullae sint tenebrae nec cordis nec carnis.

5. Erat ergo in isto Tobia caecitas carnis, sed magna lux cordis. Filius patri ne offenderet locum, manum tenebat; pater filio, ne offenderet Deum, viam vitae demonstrabat. Ille manum tenebat, ille viam demonstrabat ubi vere periculosum est offendere. In qua luce erat quando ista dicebat? Certe clausi erant oculi, et tamen dicebat: fili, fac eleemosynam, eleemosyna liberat a morte. Nihil videbat, qui hoc dicebat? Immo videbat non alba et nigra, sed iusta et iniusta. Discernebat, non colores, sed mores. Benedictus filius qui audiebat caecum videntem, caecum in carne,
f. 121. a. videntem in corde! Caecitas enim transiit illius, curavit illum Deus, recepit oculos. Sed etiamsi non reciperet oculos in hac carne, nonne fuerant illi oculi quandoque in morte claudendi? Omnes enim sancti, quando hinc exeunt, ad lumen veniunt. Vile est videntibus Deum lumen solis huius. Filium pater exhortabatur, et de eleemosynis commonebat. Multa dixit de eleemosynis: prope hoc solum filium carissimum et unicum monuit. Quanta vis est in eis, quanta virtus! Quid datur et quid accipitur? Quid expenditur, et quid emitur? Non nobis dicitur, emerunt eleemosynis patres vestri regnum caelorum? Et emerunt, et nobis emendum reliquerunt. Omnes emant, omnes possideant, angustias nemo patietur, possessio Dei erimus, possessio nostra Deus erit. Colimus enim Deum, et colit nos Deus. Sed quod dixi, colimus Deum, omnes accipiunt; quod dixi, colit nos Deus, aliquos fortasse offendi; nos eum colimus, non ipse nos. Bonum est nobis, ut colat nos; nam nisi agrum istum coluerit, spinis implebitur. Quis est agricola, nisi qui colit agrum? Audi ergo dominum Christum, et noli expavescere quando tibi dicitur, colit te Deus: ego sum, inquit, vitis, vos sarmenta, et pater meus agricola. Ergo colimus Deum ut fructum habeamus, et [Deus] colit nos. Utrumque propter fructum nostrum fit. Nos enim de sterilibus efficimur fecundi atque fructiferi; aridi et sitientes implemur eo, fons autem siccari non novit. Fit ergo totum propter nos. Agamus gratias ei qui creavit nos, et ut cum illo regnemus qui vocavit nos.

CXXIX. EIUSDEM DE ILLIS VERBIS IN EVANG. SEC. IOHANNEM (VI. 55.)

Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.

1. Qualem vocem Domini audistis 1) invitantis nos? Quis invitavit? Cod. vat. 471. f. 132. b. quos invitavit? et quid praeparavit? Invitavit dominus servos, et praeparavit eis cibum se ipsum 2). Quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen ait: qui manducat me, vivit propter me. Quando Christus manducatur, vita manducatur. Nec occiditur ut manducetur, sed mortuos vivificat. Quando manducatur, reficit sed non deficit. Non ergo timeamus, Fratres, manducare istum panem, ne forte finiamus illum, et postea quid manducemus non inveniamus. Manducetur Christus, vivit manducatus, quia resurrexit occisus. Nec quando manducamus, partes de illo facimus. Et quidem in sacramento sic fit, et norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi. Unusquisque accipit partem suam, unde et ipsa gratia partes vocantur 3). Per partes manducatur, et manet integer totus. Per partes manducatur in sacramento, et manet integer totus in caelo, manet integer totus in corde tuo. Totus enim erat apud patrem quando venit f. 133. a. in virginem. Implevit illam, nec recessit ab illo. Venit in carnem, ut eum homines manducarent, et mansit integer apud patrem ut angelos pasceret 4). Quod enim sciatis, Fratres, et qui scitis et qui nescitis 5), scire debetis. Quando Christus factus est homo, panem angelorum manducavit homo. Unde? quomodo? qua via? quibus meritis? qua dignitate panem angelorum manducaret homo, nisi creator angelorum fieret homo? Securi ergo manducemus, non finitur quod manducamus. Et manducemus, ne nos finiamur. Quid est Christum manducare? Non hoc est solum, in sacramento corpus eius accipere; multi enim accipiunt indigni, de quibus dicit apostolus *: qui manducat panem et bibit calicem Domini indigne, iudicium *I. Cor XI. 29. sibi manducat et bibit.

2. Sed quomodo manducandus est Christus? quomodo ipse dicit: qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego illo. Si in me manet, et ego in illo, tunc manducat, tunc bibit. Qui autem non in me manet, nec ego in illo, etsi accipiat sacramentum, adquirit magnum tormentum. Qui ergo in me manet quod ait, alio loco ipse dicit *: qui facit mandata mea, in me manet, et ego in illo. Videte *Ioh. VI 57. seu XIV. 21. ergo, Fratres, quia si separemini qui fideles estis a corpore Domini, timendum est ne fame moriamini. Ipse enim dixit: qui non manducat car-

1) Sic in pari argumento incipit Augustinus serm. ed. CXXXI. *Audivimus veracem magistrum commendantem nobis sanguinem suum; locutus est nobis de corpore et sanguine suo.* Item serm. CXXXII. *sicut audivimus cum sanctum evangelium legeretur dominus Iesus Christus exhortatus est promissione vitae aeternae ad manducandam carnem suam et bibendum sanguinem suum.*

2) Accipiant heterodoxi in hoc quoque sermone luculentum Augustini testimonium de Christi corpore in eucharisticis speciebus praesente. (Conferatur autem tractatus XXVI. in Ioh.)

3) Nempe adhuc vulgari lingua Italorum dicimus *le particole.*

4) Ex psalmo LXXVII. 25. *Panem angelorum manducavit homo.*

5) Scilicet catechumeni, nondum ad totius mysterii notitiam admissi. Sic in serm. ed. CXXXII. 1.

nem meam, nec bibit sanguinem meum, non in se habebit vitam. Si ergo separemini ut non manducetis corpus et sanguinem Domini, metuendum est ne moriamini. Si autem accipiatis indigne, et bibatis indigne, metuenest ne iudicium manducetis et bibatis. Angustiae nobis sunt magnae. Bene vivite, et dilatantur angustiae. Nolite vobis male viventibus vitam promittere. Quod non promittit Deus, fallit se homo quando promittit. Tibi malus testis tu es. Tibi promittis, quod veritas negat. Veritas dicit: si male vivitis, in aeternum moriemini; et tu tibi dicis, et male vivo, et in aeterno cum Christo vivam? Quomodo fieri potest, ut mentiatur veritas, et tu verum dicas? Omnis homo mendax. Ergo non potestis bene vivere, nisi ille adiuverit, nisi ille dederit. Inde orate et manducate. Orate, et ab his angustiis liberamini. Implebit enim vos et in bene agendo et in bene vivendo. Inspiciatur vestra conscientia; implebitur os vestrum laude Dei et exultatione. Et dicetis illi de magnis angustiis liberati: liberasti
* Ps. XVII. 37. gressus meos subtus me, et non sunt infirmata vestigia mea *.

* Ioh. IX. 1.

CXXX. ITEM EIUSDEM IN EVANG. SEC. IOHAN. DE CAECO A NATIVITATE 1).

Cod. vat. 171. f. 136. b.

1. Dominus noster venit in hunc mundum peccatores salvos facere. Invenit ergo hominem a nativitate caecum. Quis enim hominum nisi caecus nascitur? Mente, dico, non corpore. Sed ut videat inungitur sputo et luto; sed sputo non quocumque, non cuiuscumque sed Christi. Sputum Christi est prophetia, lutum homines. Recordamini unde factus est homo. Quando ergo prophetabant homines, sputum erat in luto. Quid dicam de prophetis
* II Cor. IV. 7. antiquis? Ipse apostolus dicit *: habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Thesaurum istum ecce habes, sputum. Inde primum inunctus est iste; et omnis qui natus est caecus, hinc inungitur, et ad Siloam piscinam mittitur. Non enim poterat Christus de sputo suo illi oculos aperire? Postremo poterat et sine sputo et sine luto iubere ut videret, et fieret. Poterat; sed facta miraculorum, quasi verba sunt sacramentorum. Ergo mittitur ad Siloam piscinam 2). Ut quid moras istas? Agnoscimus potestatem Quod vis facis, Christe, videat iam caecus iste. Non, inquit; eat prius ad Siloam piscinam, et lavet faciem. Gratias sancto evangelio, interpretatur nobis Siloam piscinam. Siloa, inquit, quod interpretatur missus. Quis est iste missus? Missum agnoscite; clamat, pater misit me. Ergo misit ipse ad ipsum credentem, misit ad baptismum. Lavit faciem, et vidit; peccata deleta sunt, et lumen effulsit. Iam vero quod interrogatus, et a Iudaeis sic exagitatus, sic respondebat, iam in corde inunctus erat. Sed quando laverit faciem de Siloa, lectio ipsa testatur. Inunctus ergo

1) De hoc argumento Augustinus in serm. ed. CXXXV, et CXXXVI. Nec non in Ioh. tract. XLIV., Sermo Augustini *de caeco nato* fuit etiam in codd. laureshamensibus. Videsis spicilegium romanum Tom. V. pag. 167.

2) Sic tract. in Ioh. XLIV. 2.

adhuc erat, nondum videbat, quando dicebat *: scimus quia peccatores * Ioh. IX 31
Deus non exaudit.

2. Quae spes est hominum, si peccatores Deus non exaudit? Nonne
duo ascenderunt in templum orare, unus pharisaeus et alter publicanus 1)?
Nonne pharisaeus dicebat, gratias tibi ago, quod non sum sicut ceteri
homines, iniusti, raptores, sicut et publicanus iste? Nil petebat, quasi f. 137. a
satiatus ascenderat, saginamque ructabat. Non dixit, subveni mihi; non
dixit, miserere mei, quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me *. * Ps. XXVI. 10.
Non dixit, adiutor meus esto, ne derelinquas me. Sed publicanus de
longinquo stabat. Res mira! In templo de longinquo stabat, et Deo templi ipse appropinquabat. Ergo de longinquo stabat, nec oculos ad caelum audebat levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Domine, propitius esto mihi peccatori. Audivimus controversiam, dicat Christus sententiam. Ecce dicit; audiamus. Amen, inquit, dico vobis, quia descendit de templo iustificatus publicanus ille, magis quam ille pharisaeus. Certe peccatores Deus non exaudit. Quando pectus suum tundebat, sua peccata puniebat. Quando peccata sua puniebat, Deo iudici propinquabat. Odit enim Deus peccata. Si oderis et tu, incipis iungi Deo, ut dicas ei: averte faciem tuam a peccatis meis. Averte faciem tuam; sed unde? a peccatis meis; non avertas faciem tuam a me 2). Quid est autem faciem tuam a peccatis meis? Noli ea videre, noli ea agnoscere, ut mihi possis ignoscere. Ergo spes est et peccatori; roget Deum, non desperet, tundat pectus, in se ipse vindicet paenitendo, ne ille vindicet iudicando. Humiliatus propinquat excelso.

3. Sed quare dixerit Dominus, descendit publicanus ille iustificatus, magis quam ille pharisaeus, continuo subdidit rationem, non te fraudavit. Ait enim, tamquam diceremus illi, quare hoc? Quoniam qui se, inquit, exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. Audisti, quare. Si audisti et intellexisti, fac quod audisti, humilia te, roga Deum, dic domino Deo tuo peccatorem te esse; quod videt, etsi non dicas. Dicis fortasse: si videt ante quam dicam, quid me opus est dicere? O homo! oblitus es, bonum est confiteri Domino? oblitus es, confitemini Domino quoniam bonus est? Etsi iudici homini 3) non confiteris quia malus est, confitere Domino quoniam bonus est. Confitere, ingemisce, paeniteat te, pectus tunde. Delectat Deum tale spectaculum, ubi videt peccatorem suum, vindicare peccatum. Tu agnosce, et ille ignoscit 4). Tu puni, et ille parcit. Sed ut tibi parcat, peccatis tuis non debes parcere. Responde, non parcat, non parcat, deleat iniquitatem meam.

1) Utitur hoc exemplo Augustinus etiam in serm. ed. CXXXV. et CXXXVII.

2) Confer serm. ed. XX. 2.

3) Iudici inquit homini (utpote malefico ob suum officium) non confessario homini. Nam clavium potestatem apertissime alibi agnoscit Augustinus, et Spiritum sanctum peccata dimittere per ecclesiam. Confer serm. ed. XCIX. 9. Tum in serm. ed. CXLIX. 7. *Aut non sunt istae in ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur?* Denique recole sermonem vat. CXXV. fin.

4) Paria dicit Augustinus in serm. ed. XIX. 4.

4. Post multa, proiectus est de synagoga Iudaeorum ille ex caeco videns. Irati sunt ei, proiecerunt eum de synagoga sua. Ecce quod timebant parentes ipsius, exposuit hoc nobis evangelista, non tacuit. Timebant enim, inquit, parentes eius ne confiteretur Christum, et tollerentur de synagoga; et ideo dixerunt, aetatem habet, ipsum interrogate. Timuerunt ergo proici de synagoga. Ille non timuit, et proiectus est; parentes eius ibi remanserunt. Restat susceptor Christus, ut dicat iste: quoniam

* Ps. XXVI. 10. pater meus et mater mea dereliquerunt me*. Et quid adiunxit? Dominus autem assumpsit me. Veni, Christe, assume; illi proiciunt, tu suscipe; assume missus non admissum. Ecce assumit ille; ostendit se oculis quos ipse aperire dignatus est. Tu, inquit, credis in filium Dei? Et ille adhuc inunctus, quis est Domine ut credam in eum? Et Dominus, et vidisti eum, et qui loquitur tecum ipse est. Lavit ei faciem. Iam ergo corde videns, adoravit salvatorem suum. Hoc facit Christus Iesus tamquam caeco nato

f. 137. b. generi humano, adhuc inuncto corporaliter propter miraculum. Sed miraculum fecit ut commendaret fidem. Commendavit de isto miraculo apertorum oculorum caeci nati eam fidem, qua cotidie aperit oculos generis humani, et ipsius caeci nati.

I. Tim. I. 20.

CXXXI. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE HYMENAEO ET ALEXANDRO.

Cod. vat. 475. f. 192. a.

1. Cogit nos austera atque terribilis beati Pauli apostoli comminatio non tacere, qui se, ut in praesentiarum legi audistis, Fratres karissimi, severissimam in homines peccatores dixit exercuisse censuram. Sic enim

* II. Tim. II. 18. ait*: « Hymenaeum et Alexandrum tradidi Satanae, ut discant non blasphe» mare. » Videtis quam magna atque metuenda sit, dilectissimi, in apostolica comminatione districtio. Vitemus itaque nos per sanctam obedientiam quod Hymenaeus et Alexander passi sunt per impiae rebellionis offensam 1). Melius est enim nos quod apostolus salubriter mandat audire, quam quod severe minatur incurrere. Hymenaeum enim, inquit, et Alexandrum tradidi Satanae, ut discant non blasphemare. Ex hoc uno intelligite, dilectissimi, quantum debeatis vitare peccata, cum videatis ab apostolo Satanae traditos peccatores. Fugiendus itaque omnis error, fugienda omnis offensio. Agnoscere enim possumus quantum Deum laedant quicumque peccant, quando et apostolus in tantum iratus est peccatoribus, qui omnes voluit esse salvos, ut peccatores tamen fecerit Satanae esse captivos. Quamquam superflue Hymenaeus et Alexander ab apostolo traditi Satanae esse dicuntur; ostendo enim evidentissime, traditionem hanc non tam ad beatum apostolum, quam ad ipsum Hymenaeum et Alexandrum esse referendam. Dicitis, quomodo? Scilicet quia ex quo primum Hyme-

1) Hymenaei et Alexandri blasphemia cuiusmodi fuerit, dicit noster Augustinus in Ioh. tract. XIX. 14. *Talibus resistit apostolus* (ex II. Tim. II. 18.) *Iam factam esse resurrectionem dicebant, sed eo modo ut alia non speraretur; et reprehendebant homines qui sperabant resurrectionem carnis, velut iam resurrectio quae promissa erat, credendo impleretur in mente.*

naeus et Alexander fidem catholicam blasphemare coeperunt, ipsi se diabolo tradiderunt. Nemo itaque, Fratres, nemo apostolo imputet, quod blasphemos homines diabolo manciparit. Ipse se tradit daemoni unusquisque qui peccat. Sic enim etiam sanctus Iohannes apostolus docet dicens: omne peccatum a diabolo est *; et ideo quicumque peccatum diabolicum * I. Ioh. III. 8. sequitur, a se ipso daemoni mancipatur. Denique in quantum apostolus neminem gravare aut laedere velit, ipsa res indicat, qui Hymenaeum ipsum et Alexandrum, quos Satanae tradidisse se dixit, salvare voluit non perire. Quid enim ait? Tradidi, inquit, eos Satanae, ut discant non blasphemare. Ac per hoc, quos ideo tantum tradidit, ne ulterius blasphemarent, non eos ad hoc tradere voluit ut perderet, sed ut a perditione revocaret.

2. Sed fortasse hoc ipsum quod audistis Hymenaeum et Alexandrum Satanae esse traditos, quid sit, aut quale sit, ignoratis. Omnis christianus, dilectissimi, qui a sacerdotibus excommunicatur 1), Satanae tradi dicitur. Quomodo? Scilicet quia extra ecclesiam est diabolus, sicut in ecclesia Christus; ac per hoc quasi diabolo tradi dicitur, qui ab ecclesiastica communione removetur. Unde illos, quos tunc apostolus Satanae esse traditos praedicat, excommunicatos esse a se demonstrat. Sed quare, aut in quam ut dixi eorum utilitatem excommunicatos? In quam utique, nisi in quam ipse ait, ut discerent non blasphemare? Videtis ergo, quod pro excommunicatis id ipsum apostolus agebat, quod in eos sacerdotali severitate distrinxerat. O bonum magistrum! o bonum patrem! qui filiis indisciplinatis etiam hoc ipso tunc consulebat, quo eosdem castigabat iratus. Denique ideo castigabat, ut qui ante peccaverant, peccare cessarent; qui blasphemando meruerant excommunicationem, paenitendo mererentur communionem; et qui errantes ceciderant in dampnationem, conversi redire inciperent ad salutem. Unde evidenter agnoscitis, illam apostoli excommunicationem, non fuisse asperitatem sed salubritatem, non duritiam sed medelam. Illa enim excommunicatio non perdebat tunc excommunicatum hominem sed vivificabat. Nec enim ad hoc tunc ab apostolo tradebatur, ut Satanae excommunicatione serviret, sed ut Satanam ipsum paenitendo superaret; et cum vicisset per paenitentiam diabolum, post paenitentiam rediret ad Christum. Quod quidem omnem omnino hominem facere oportet, quicumque se in aliquo a praeceptis dominicis deviasse cognoscit; hoc est, ut qui errore lapsus est, paenitentia corrigatur. Error enim tollit a Christo, paenitentia reducit ad Christum. Ac per hoc fugiendus error est, qui nos a Deo removet; amanda paenitentia, quae Deo reddens est. Obtimum tamen illud est, numquam omnino peccare, id est numquam omnino a Deo discedere. Quia si etiam ille bonus est, qui per paenitentiam redire conatur ad Christum, quanto ille est melior qui numquam discedit a Christo!

1) Sacerdotalis excommunicationis apud Aug. mentio frequentior est, quam ut locos a me numerari opus sit.

CXXXII. SERMO VEL ORATIO SANCTI AUGUSTINI INVOCANTIS SPIRITUM SANCTUM 1).

Cod. urbin. vat. 77. f. 100. b. 1. Deus meus Spiritus sancte, timeo et desidero loqui tibi de te pro me, quia de meo non habeo quid loquar de te. Et quid loquar nisi tu dederis mihi te? ut tibi de te loquaris pro me in me. Da ergo mihi te in principio dator optime et donum optimum, quia quantum ad te tu meus es; nec potest aliquid meum esse, nec ego meus ero, nisi prius tu meus fueris. Esto meus, quia sic ero meus, et sic tuus; si vero non es meus, nil meum est. Quo ergo emam te, aut comparabo te? Nullo nisi a te. Necesse est igitur, ut des mihi te, ut te possim emere a te. Praeveni ergo te, et praepara me ad recipiendum te, et receptus loquere tibi pro me, et audi in me te pro me. Audi benignissime, audi semel, et ne irascaris. Vide quo spiritu loquar, quia ego nescio; sed bene scio quod loqui non possum, nisi tu des. Recolo quod tu aliquando adulterum et homicidam tetigisti, et psalmistam fecisti: Susannam innocentem liberasti: Magdalenam septem daemoniis plenam respexisti, et multa dilectione repletam apostolorum apostolam 2) constituisti; latronem in cruce visitasti, et socium Christi eadem die in paradiso statuisti. (f. 101. a.) Flere fecisti Petrum apostatam, et ordinasti in summum pontificem; vocasti publicanum, et evangelistam consecrasti: percussisti persecutorem, et erexisti in summum doctorem: descendisti in timidos 3) iudaeos, et emisisti eos audacissima doctrina inflammatos. Domine sancte, cum eorum mente meminero, excitant me sic alloqui tibi, et scio vere quia tu docuisti me sic tibi respondere; et ob hoc ad te suspiro, et ad te confugio. Audi, summa benignitas, et non incurrat indignationem tuam tua misera creatura. Si plura sunt scelera mea, quam omnium eorum quos in exemplum tuae misericordiae revocavi, multo maior est misericordia tua, quia infinita, quam iniquitas mea: cui aeque facillime est remittere multa milia peccata ut unum solum. Scio quod aliquis in suo mortali peccato decessit, praescitus ad mortem; alius post mille peccata commissa reservatus est decedens tandem praedestinatus ad vitam. Et in hiis quid, dulcissime, nisi hinc tua misericordia, illinc tua iustitia manifeste aperitur? Accidit in aliis duobus quod utrique post multa et magna peccata mortalia diutius reservati sunt; et in fine alter ad vitam, alter transit ad poenam aeternam. Quid enim, benignissime, in hiis nisi tua benignissima misericordia in se uniformis diversimode tamen operarans *a*)? Nec ergo dat certi-

a) Cod. *operaris*.

1) Sequimur hac edenda Augustini prece exemplum archiepiscopi elborensis, qui in catalogo Alcobacensis apud Lusitanos bibliothecae p. 286. edidit ex sexti saeculi codice S. Augustini aliam precem incipientem. *Da nobis Domine*, deque ea docte disseruit. Tertiam nos vidimus in codice vaticano 468. f. 16. incipientem. *Audi domine Deus meus*. S. Augustini orationes (id est preces) plures fuerunt in codd. lauresh. (Spicil. rom. p. 179. 217. 222.) Certe haec ab acumine augustinianae theologiae, vividoque affectu non abhorret.

2) Vel quia resurrectionem Domini apostolis nunciavit, vel quia hoc titulo gaudet in antiquis menaeis.

3) Cod. *tumidos;* sed quia descensus Spiritus sancti in apostolos heic innuitur, *timidos* malui pro *tumidos*.

tudinem vitae aeternae paucitas peccatorum, nec desperationem confert multitudo scelerum. Sed quoniam melior est misericordia tua super vitas, illam invoco, illam desidero, illi mihi adhaerere bonum est. Da te mihi per illam misericordiam, et illam per te: illa sit mihi in te, et illa sit tibi via in me.

2. Haec dat mihi audaciam alloquendi tibi; haec dat mihi fiduciam invocandi te; haec erigit mentem meam; habens ipsam, habet te. Nihil ergo peto, nisi te; quia tu es doctor et doctrina, medicus et medicina, prospector et praeparator, mentis amor et amator; tu es vita et vitae conservator. Quid plura? Tu es quidquid boni est; tua enim misericordia quia non sumus consumpti; ipsa sola nos sustinet expectando, conservat non dampnando, revocat non inproperando, dimittit non iudicando, gratiam confert non repetendo, salvat perseverando. Surge ergo et erige te, anima mea peccatrix, intende tanto auditui, tanto auxilio tuae reformationis: vide quia ista persona indiges sola ad restaurationem tui. Erige te tota mens mea, et huic, qui tota salus tua est, cum omnibus viribus intende et praepara te ipsi, recipe eum in te, ut recipiat te in se. Veni ergo, dulcissime, extende digitum tuum et erige me. Veniat ille sanctus digitus tuus, adducat me ad te, et ponat se in vulnera mea, et sanet ea. Pungat in me inflationem superbiae, eiciat putredinem irae, reprimat venenum invidiae, resecet carnem mortuam accidiae, mitiget dolorem cupiditatis et avaritiae, purget superfluitatem gulae, et odoriferis unguentis pulcherrimae castitatis fuget foetorem luxuriae. Tangat me digitus ille qui distillat vinum et oleum et myrrham probatissimam. Tangat me digitus tuus, benignissime Domine, ut sublata corruptione ad integritatem me restituere digneture; ut tu cum veneris manere in me, saccum perforatum, invenias integrum; habitaculum in veritate fidei fundatum, in certitudine spei erectum, et in fervore caritatis completum.

3. Veni veni, hospes iocundissime, quamvis non diu desideratus: mane nobiscum, quia nisi manseris, advesperascet et inclinabitur dies. Pulsa et aperi; quia si aperis, nemo claudit: ingredere, et claude post te ostium, et nemo aperiet. In pace sunt omnia quae possides, et sine te nulla est pax; tu qui laborantium es requies, proeliantium pax, dolentium iocunditas, languentium consolatio, aestuantium temperies, flentium risus, caecorum lux, dubitantium dux, timentium audacia. Nullus enim quiescit, nisi qui pro te laborat; solus pugnans pro te, pacem habet; pro te dolere, summa iocunditas est, et lugere consolatio. Cum flet anima mea pro te, tunc bene ridet. O quanta benignitas! Non potes sustinere quod aliquis doleat pro te, nec quod fleat aut laboret. Simul enim incipiunt labor et requies, pugna et pax, dolor et iocunditas, fletus et risus. Esse in te, est esse in aeterna felicitate. Tange, dilectissime, tange animam meam quam creasti, animam quam per lavacrum inhabitasti. Et heu eiectus milies et milies turpiter fuisti et iniuriose a domo tua pro-

f. 191. b. pria. Ecce misera hospita tua clamat post te; pessime est ei sine te. Revertere, benignissime, et miserere ei, quae te seditiose expulit a se. Nunc nunc bene recordatur quod bene erat ei prope te; venerunt ei omnia bona pariter propter *a*) te, et post recessum tuum spoliaverunt eam inimici eius, et omnia bona eius quae primo ei dedisti asportaverunt: et insuper plagas crudelissimas imposuerunt, et vix semivivam reliquerunt. Redi ergo, dilectissime Domine, et descende in domum tuam prius quam moriatur fatua hospita tua. Nunc video, nunc sentio quam malum est mihi sine te. Erubesco et confundor vehementer quod recessisti a me. Sed defectus tam graves pro absentia tua compellunt me revocare te.

4. Veni in domum miserae Marthae tuae, custos optime, et custodi eam in veritate, ne de cetero obdormiat in morte; ne dicat inimicus, praevalui adversus eam: qui tribulant me, exultabunt si mota fuero. Sed ego, te adiuvante, in misericordia tua sperabo, illam amplectar, in ea confidam, illa erit portio mea, et sic non timebo quid faciat mihi caro. Non potes non facere misericordiam, quia tibi consubstantialis est 1). Vide paupertatem meam, vide instantem necessitatem meam; secundum tuam magnam dignitatem miserere, non secundum meam iniquitatem. Ostendat misericordia, quod super omnia tua opera est. Non praevaleat malitia peccati adversus magnitudinem bonitatis tuae. Secundum misericordiam tuam dicis: nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Diligis enim misericordiam plus quam sacrificium. Largitor largissime, extende illam sanctam dexteram quae nunquam vacua est: denegare nescit, indigenti dare non cessat. Extende ergo, dator optime, manum istam omni bono repletam: ipsa est manus pauperum. Da pauperi tuo, immo ipsi paupertati, arma sive bona illa quae *b*) pauperem ditant sine defectu. Confirma ergo Deus quod operatus es in nobis, quia nunc video quod non ex superioribus iustitiis quas fecimus nos, salvas nos, sed secundum tuam misericordiam. Ergo, sanctissima communicatio, donum pietatis mihi concede, cui proprium est mitem facere et conservare, et reddere illum, cui se tribuit, immunem ab omni munere. Ut possimus dicere cum apostolo Petro *: ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Quibus omnibus despectis mundanis et transitoriis, Spiritus tuus bonus deducet nos in viam rectam et in terram viventium, affectum *c*) pietatis nos induens, ubi te poscimus *d*) perenniter frui per infinita saecula saeculorum. Amen.

* Matth XIX. 27.

a) Cod. *pro* — *b*) Cod. *quem*. — *c*) Ita cod. et alibi *induo*, cum accusativo rei qua induimur. — *d*) Num pro *possimus*?

1) Nimirum dicit Iohannes, *Deus caritas est*. Vel intelligit filium, quem sacra scriptura *misericordiam* interdum appellat per antonomasiam, v. gr. in psalmis et prophetis.

CXXXIII. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI SUPER (IOH. X. 22. 1)

1. Haec de lectione evangelica prout Dominus donavit explicando transcurrimus. Sed libet et adhuc de encaeniorum sollempnitate, quam et tunc Hierosolymitae, et nos celebramus, fraternitati vestrae latius disserere. Hoc autem in primis notandum est quod encaenia, quae in lectione evangelica facta cognovimus, non ad primam templi dedicationem, sed ad ultimam pertinent; quod ex eo facile colligitur, quia hieme facta referuntur. Prima siquidem eius dedicatio a Salomone tempore autumni: media Zorobabel et Iesu sacerdote tempore veris: ultima a Iuda machabaeo tempore hiemis est facta, quando specialiter constitutum esse legitur, ut eadem dedicatio per omnes annos in memoriam sollempnibus revocaretur officiis, iuxta quod ad tempus dominicae incarnationis observatum fuisse, modo cum legeretur evangelium, audivimus. Haec autem fuit causa secundae et tertiae dedicationis, quia Salomon quidem templi opus, quod Domino condidit, septem annis perfecit. Octavo autem anno decima die mensis septimi, qui a nobis october appellatur, in magna gloria dedicatur. Quae videlicet dies et antea per legem erat statuta sollempnis, ita ut in eo tabernaculum omne per singulos annos maioribus hostiis expiari deberet. Denique Zacharias pater Iohannis Baptistae eisdem expiationibus ad altare deserviens, adveniente angelo, de dominicae mysterio nativitatis gaudioque humanae salvationis instruitur. Sed hoc templum post annos quadringentos triginta incenderunt Chaldaei, et Hierosolymorum urbe destructa, populum Israhel in Babyloniam adduxerunt captivum. Qui post annos septuaginta, regnantibus Persis, *in* patriam remissus. Rursusque aedificatum est templum per annos quadraginta sex*, et tertia die mensis duodecimi, quem nos vocamus martium, opus ad finem usque perductum. Qui videlicet tunc praefuerunt duces plebis strenuissimi, ut diximus, Zorobabel de regio genere, et Iesus sacerdos magnus, sed et prophetae Aggaeus, et Zacharias, adiuvantes eos atque adversus insidias impedientium opus hostium * cor populi corroborantes. Inde post annos ferme trecentos et quinquaginta sex, rex nefandissimus Graecorum Antiochus*, fraude capta Hierusalem, templum idem sordibus idolorum profanavit, auferens inde et confringens altare Domini aureum, mensam propositionis, candelabrum luminis, et cetera vasa templi aurea quae invenire potuit. Sed in templo Iovis simulacrum statuit, populum tormentis ad sacrificandum idolis cogens. Qua persecutione multi de populo pro divinae legis custodia trucidati sunt. Inter quos, et mater illa septem filiorum merito famosa, nobilissima pro Domino cum sobole, martyrii coronam meruit. Sed et Iudas machabaeus, cum esset de genere sacerdotali, collecto exercitu iustorum, adversus Antiochi duces arma corripiens, eosque de Iudaea expellens, persecutioni saevissimae finem imposuit: ac templum ab idolorum imaginibus emundans, nova rursus altaria et cetera vasa vel ornamenta faciens, atque in templo reponens,

Cod. vat. 1276. f. 294. b.

f. 295. a.

* Euseb. chron.

* C. D. XVIII. 26.

* C. D. XVIII. 45.

1. Post tractatum XLVIII. in Ioh. X. 22. sequitur in codice hic, quo Augustinus argumentum continuat.
P

dedicavit ea simul cum templo, quod purificavit et renovavit, vigesima quinta die mensis noni, qui apud nos appellatur december, et ad hiemem pertinere nullo dubio constat. Statuitque decretum, ut praediximus, annis omnibus dies encaeniorum, vel innovationis ac dedicationis templi, festiva devotione celebrari.

* I. Cor. X. 6. 2. Quae profecto omnia sicut apostolus docet * in figura facta sunt no-
f. 295. b. stri, et propter nos utique scripta: ideoque nobis sollertius spiritali ratione
discutienda. Salomon quippe rex, qui interpretatur pacificus, ipsum redem-
* Is. IX. 7. ptorem nostrum typice designat. De quo Isaias ait *: multiplicabitur eius im-
perium, et pacis non erit finis. Templum, quod aedificavit, catholica eius ec-
clesia est, quam de universis per orbem credentibus, quasi de vivis lapidibus,
in unam suam fidei et charitatis compagem aggregat. Quod autem septem
annis aedificatum est templum, significat quod per totum huius saeculi
* cod. *des.* tempus, quod septem diebus * evolvitur, sanctae structura ecclesiae crescere
nunquam desinit. Quod autem octavo anno dedicatum est, et celeberrima
illa ac maxima sollempnitas a Salomone rege et cunctis filiis Israhel, tem-
pore completae dedicationis exhibita, insinuat mystice, quia perfecto in fine
mundi numero electorum, diu desideratae inmortalitatis est secutura festivi-
tas: et peracto universo universalis resurrectionis miraculo, mox omnes qui
ad pacifici regis, veri scilicet Salomonis, regnum pertinent, aeterna cum eo
gaudia patriae caelestis intrabunt. Nam quia Dominus noster octavo die,
id est post septimam sabbati, resuscitari a mortuis voluit, recte numerus oc-
tonarius nostrae quoque resurrectionis festa ventura designat. Quod tem-
* C. D. XVIII. 48. plum ab hostibus incensum, rursum Domino miserante construitur *, quod
ab idololatris coinquinatum, denuo supernae pietatis auxilio mundatur, va-
rios sanctae ecclesiae insinuat eventus, quae nunc infidelium persecutione
premitur: nunc a persecutionibus reddita liberior, tranquilla Domino servi-
tute famulatur: nunc in quibusdam suis membris hostis antiqui periclitatur
insidiis: nunc instanter sollertia doctorum fideles, quos ad horam perdere vi-
debatur, per paenitentiam iam castigatos recipit. Quod vero templum secun-
do, quadraginta et sex annis aedificatum est, ad significationem divini corpo-
* Ioh. II. 19. ris quod de virgine assumpsit specialiter respicit. De quo ipse Iudaeis *:
solvite templum inquit hoc, et in tribus diebus excitabo illud: quia videli-
cet solutum passione corpus suum ipse die tertio resuscitavit ad vitam. Fe-
* Quaest. CV. in T. VI. et doctr. ch. II. 42. Item serm. XXIX. 5. cas. paris. runt siquidem * quia corpus hominis quadragesimo sexto die post conceptio-
nis initium in membrorum distinctione formetur: atque ideo non casu ge-
stum sed divinitus procuratum est, ut eo annorum numero templum ae-
dificaretur, quo verum corpus dominicum, quod per templum figurabatur,
in utero virginali perfici oportebat. Quod autem encaenia per omnes annos
celebrari sancitum est, hoc profecto nos admonet, ut memoriam dominicae
resurrectionis, quam iam factam credimus, et nostrae quam futuram spera-
f. 296. a. mus semper animo retineamus. Taliterque nos agamus, ut non ad iudicium, sed
* Ioh. V. 29. sicut Dominus iis qui bona egerunt promisit *, resurgere mereamur ad vitam.

3. Nec sine discussione praetereundum, quod dedicans templum Salomon, ubi complevit preces, descendit ignis de caelo, et devoravit holocausta et victimas: holocausta namque et victima summi regis, omnes electi eius sunt. De quibus ait Petrus apostolus*: quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo mortificatos* carne, vivificatos autem spiritu. Ignis autem caelestis, fervor est eximiae dilectionis, qua supernae cives patriae, et sua alterutrum beatitudine, et sui conditoris conspectu, caritate*semper ardere laetantur. Hinc est enim quod quaedam caelestium virtutum agmina, quae ex singulari propinquitate conditoris sui incomparabili ardent amore, specialiter nomine seraphim, idest ardentes vel incendentes vocantur. Completa ergo dedicatione templi, ignis caelo descendens oblatas Domino hostias devorat, quia expleto tempore nostrae resurrectionis, cum introierint in gaudium Domini sui fideles servi, flagrantia veri amoris, quo nunc angelicae virtutes inflammantur, eorum quoque mentes visa specie sui Redemptoris absorbet. Qua quidem facile dilectione etiam nunc plurimos electorum in superna illa civitate paene absortos esse, non dubium est. Sed tunc nimirum hoc multo perfectius adimplebitur, cum recepta sua carne inmortali, receptis in candem beatitudinem conservis suis et fratribus cunctis, quos adhuc in terris certare conspiciunt, non habebunt ultra quo intuitum cogitationis suae foras vel ad modicum mittant, habentes secum intus Deum de cuius visione sempiterna gaudeant. Ubi aliud* primum et maximum Domini mandatum ad integrum perficietur, ad cuius perfectionem in hac vita iusti pro suis quique viribus accinguntur: diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et proximum tuum sicut te ipsum. Quia quo vicinius praesentem Dei vultum cernunt, eo se ardentius eius dilectioni totos impendunt: quo proximos suos omnes esse electos ac Deo dilectos agnoscunt, quo corda illorum non minus quam se ipsos amare delectantur.

* I. Petr. III. 18.
* sic var. gr. in 4. casu.
* cod. *claritate.*
* num pro *illud?*

4. Sed et hoc notandum, quia exposita dedicatione ac festivitate subsecuta, ipsa scriptura conclusit*: et dimisit Salomon populos, qui regi benedicentes profecti sunt in tabernacula sua, laetantes et alacri corde super omnibus bonis quae fecerat Dominus David servo suo et Israhel populo suo. Dimittet enim peracto resurrectionis munere Dominus electos suos in aeterna tabernacula laetantes, non utique eos ulterius a sua praesentia removens, sed discrimine iudicii, quod in aëre futurum apostolo dicente* novimus, ad inhabitationem patriae caelestis inmittens, ut pro suis quisque meritis promissam regni sedem percipiat. Quod enim hic populi in tabernacula sua profecti esse dicuntur, hoc est profecto quod in evangelio ait Dominus*: multae mansiones sunt in domo patris mei. Bene autem dicitur quia benedicentes regi profecti sunt in tabernacula sua, quia haec est nimirum sola actio quietissima ac felicissima civium supernorum, hymnos gratiarum suo decantare* conditori. Hinc etenim scriptum est: beati qui habitant in domo tua Domine! in saeculum saeculi laudabunt te. Hinc idem propheta ultimos septem psalmos in laudibus divinae suavitatis com-

* III. Reg. VIII. 66. f. 296. b.
* I. Thes. IV. 16.
* Ioh. XIV. 2.
* cod. *decantant.*
* Ps. LXXXIII. 5.

plevit. Porro octavus ante finem psalterii, de victoria pugnae, qua gigantem straverat, Dominum benedicendo confecit. Ubi aperte indicat, *quod* qui hic maligni hostis certamina superant, illic in requie vera laudem sui redemptoris et adiutoris decantant. Benedicentes, inquit, regi profectisunt in tabernacula sua, laetantes et alacri corde super omnibus bonis quae fecerat Dominus David servo suo, et Israhel populo suo. Laetantes quippe iusti super bonis quae a Domino percipiunt, tabernacula introëunt caelestium mansionum: quia quamvis graves huius saeculi, quamvis longi fuerint labores, breve nimirum videtur et leve totum quicquid aeterna beatitudine finitur. Unde oportet, karissimi, ut in aedificatione domus Dei unusquisque nostrum exhortando, obsecrando, increpando, ipse piis affectibus desudando, quantum valet insistat, ne si quempiam rex caelestis nunc si quidem torpentem in opere sui templi conspexerit, hunc in tempore futurae dedicationis, magnae suae sollempnitatis reddat exortem. Satagamus mutuo caritatis auxilio, ut omnes nos alacri corde et indefessos in operibus quae ipse praecepit inveniens, omnes ad praemia quae promisit perpetuae suae visionis introducat Iesus Christus dominus noster, qui vivit etc.

CXXXIV. HOMILIA BEATI AUGUSTINI.

De illis verbis: homo quidam seminavit bonum semen in agro suo 1).

Cod. vat. 1267. f. 241. b. 1. Audivimus sanctum evangelium, et loquentem in evangelio domi-
cod. *donavit.* num Christum. Inde loquamur, quod ipse donabit *. Parabolam istam, Fratres, laborarem fortasse exponere vobis, sed compendium nobis fecit, quia ipse exposuit qui proposuit. Qui legit quidem evangelium, eo usque legit ubi Dominus ait: colligite primum zizania, et alligate fasciculos ad
v. 30. comburendum ea; triticum autem recondite in horreo *. Sed postea disci-
v. 36. puli eius, sicut scriptum est, accesserunt ad eum, et dixerunt ei *: enarra nobis parabolam zizaniorum. Et qui est in sinu patris, ipse narravit. « Qui » seminat bonum semen, ait, filius est hominis; de se ipso. Ager autem, » est mundus. Bonum autem semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, » filii maligni. Inimicus autem qui ea seminat, diabolus est. Messis, est » finis saeculi; messores autem, angeli sunt. Cum ergo venerit filius homi» nis, mittet angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala, et » mittent eos in caminum ignis ardentem; ibi erit fletus et stridor den» tium. Tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno patris sui. » Verba dixi domini Christi, quae non sunt lecta, sed sunt scripta. Exposuit ergo nobis Dominus quod proposuit. Videte quid in agro eius eligamus esse. Videte quales nos messis inveniat. Ager enim, qui est mundus, ecclesia est diffusa per mundum. Qui triticum est, perseveret usque in messem. Qui sunt zizania, mutentur in triticum. Hoc enim interest inter homines, et veras spicas et vera zizania; quia quae in agro erant, quae spica est,

1) Ad hunc Matthaei XIII. 24. textum extat sermo ed. Augustini LXXIII, sed ab hoc vaticano pulcherrimo plane diversus. Ceteroqui conferantur etiam sermones ed. XLVII. 6. et LXXXVIII. 21.

spica est; quae zizania sunt, zizania sunt. In agro autem Domini id est ecclesia, aliquando quod erat frumentum, vertitur in zizania; et aliquando quae zizania erant, convertuntur in frumentum. Et nemo scit quid cras futurus sit. Ideo operarii indignati patrifamilias cum vellent ire zizania tollere, non sunt permissi. Voluerunt enim ea tollere, non illis permissum est zizania separare. Fecerunt ad quod idonei erant, separationes f. 242. a. angelis servaverunt. Et quidem illi nolebant servare angelis separationem zizaniorum, sed paterfamilias qui noverat omnes, et mittendam esse separationem, iussit eis zizania tolerare, non separare. Nam, inquit, cum dixissent, vis ut eamus et colligamus ea? Non; ne forte cum vultis colligere zizania, eradicetis simul et frumentum. Ergo, Domine, simul et zizania nobiscum erunt in horreo? In tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania et alligate in fasciculos ad comburendum ea: tolerate in agro, quod non habebitis vobiscum in horreo.

2. Audite karissimi grana Christi, audite karissimi spicae Christi, audite karissimi frumenta Christi, attendite vos, redite ad conscientias vestras; interrogate fidem vestram, interrogate caritatem vestram, excitate conscientias vestras. Et si vos frumenta inveneritis, veniat vobis in mentem, qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Quicumque autem discussa conscientia sua inter zizania se invenerit, non timeat mutari. Nondum iubetur secari, nondum est messis; noli esse hodie, quod heri; vel cras noli esse, quod hodie es. Quid tibi prodest quod dicis quandoque quia mutaberis? Deus tibi mutato indulgentiam promisit, diem crastinum non promisit. Qualiscumque exieris de corpore, talis venis ad messem. Mortuus est nescio quis, zizania erat; numquid ibi triticum habet fieri? Hîc in agro fit ante de zizania triticum; hîc possunt; alibi autem, id est post istam vitam, tempus est percipiendi quod fecit, non quod *non* fecit faciendi. Quisquis autem quasi zizania fuerit, et ab agro domini Christi se ipsum separare voluerit, non erit triticum. Nam permaneret utique triticum. Zizania quid timet triticum? Sinite utraque crescere usque ad messem, paterfamilias dicit; simul crescant; messores non errant; noverunt unde manipulos faciant, et in ignem mittant. De tritico autem non possunt manipuli fieri, et in ignem mitti. Manipuli separationes ostendunt. Habet ibi manipulum suum arrianus; habet ibi manipulum suum eunomianus; habet ibi manipulum suum Photinus; habet ibi manipulum suum Donatus; habet ibi manipulum suum Manichaeus 1); habet ibi manipulum suum Priscillianus. Omnes isti manipuli in ignem mittentur. Secura sint frumenta pura, in horreo laetabuntur.

3. Ubi autem inimicus ille non seminavit zizania? Quod genus, quem locum frumentorum invenit, et non zizania sparsit? Numquid seminavit inter laicos, et non seminavit inter clericos aut inter episcopos? Aut seminavit inter coniugatos, et non seminavit inter castos professos? Aut semina-

1 Contra hos haereticos plurimum decertat in scriptis suis Augustinus. Confer saltem serm. ed. CLXXXIII.

vit inter coniugatas, et non seminavit inter sanctimoniales? Aut seminavit in domibus laicorum, et non seminavit in congregationibus monachorum? Ubique sparsit, ubique seminavit. Quid non mixtum divisit? Sed Deo gratias, quoniam qui dignabitur separare, nescit errare. Non enim latet caritatem vestram, quia in quacumque excelsa et exaltata messe zizania invenitur. Et in professione zizania invenitur. Et dicitis in illo loco, et ibi inventi sunt mali; et in illa congregatione inventi sunt mali: sed ubique inventi sunt mali, sed non semper regnabunt cum bonis mali. Quid miraris quia invenisti malum in loco sancto? Nescis quia primum peccatum in paradiso inoboedientia, et per ipsam cecidit angelus? numquid inquinavit caelum? Cecidit Adam; numquid inquinavit paradisum? Cecidit unus de filiis Noë, numquid inquinavit iusti domum? Cecidit Iudas, numquid inquinavit apostolorum chorum? Aliquando autem secundum humanum iudicium putantur aliqui frumenta, et zizania sunt. Propter ista latentia dicit apo-
I. Cor. IV. 5 stolus *: nolite ante tempus quicquam iudicare, donec veniat Dominus et illuminet abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis; et tunc laus erit unicuique a Deo. Transeat laus hominis. Aliquando homo malum laudat, et nescit. Aliquando homo sanctum accusat, et nescit. Deus ignoscat nescientibus, subveniat laborantibus! Amen.

CXXXV. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE CAIN ET ABEL 1).

1. Retulit divina scriptura de Cain et Abel in praesenti lectione, ut audivit dilectio vestra, Fratres, quod Abel esset pastor, Cain autem agricola. Et factum est, inquit, ut offerrent ambo munera sua ante Dominum. Obtulit Abel de primo partu ovium suarum et pinguaminibus 2) illarum. Et respexit, inquit, Dominus ad munera Abel, ad Cain autem munera non respexit. Absit hoc credi; quia Deum latere nihil poterat, qui prodit * mentes et corda singulorum, quia ipse conscientiae iudex est. Respexit ergo ad munera Abel Deus, quia munera sua simplici corde ac pura mente Domino offerebat. Denique qui de fratris fatricidio cogitabat, dicitur ad illum a Domino: nam si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti, quiesce. Arguitur Cain a Domino, qui corde cogitabat, ut facto non compleret. Sed ita ille mente caecatus erat circa odium fratris, ut nec fraternam pietatem nec praesentiam Dei cogitaret. Non illum fratris pietas, non ipsa caritatis germanitas, non divina correctio a proposito sceleris potuit
Matth. V. revocare. Unde non immerito a Domino dicitur in evangelio *: si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc reveniens offeres munus tuum. Si ergo volumus munera

1) Sermo hic extat etiam in codice alcobacensi apud Lusitanos, iuxta archiepiscopi elborensis catalogo p. 301. Nos vero iam transimus ad codicem vaticanum CDLXXIX. in quo est Collectorium sermonum S. Augustini, auctore Roberto de Bardis; de quo nos homine eiusque opere diligenter alio in loco dicemus. Interim paucos ex hoc codice sermones delibare placet.

2) Animadverte vocabulum *pinguamen*.

nostra accepta esse Deo, reconciliari fratribus debemus, ne Cain similes efficiamur. Si Cain ergo et Abel munera oblationum Deus intuebatur, sed internae mentis conscientiam considerabat ut ille placeret in munere, qui placebat in corde; et ille displiceret in munere, qui displicebat in corde: placuit munus Abel Deo, quia puro corde offerebat; displicuit munus Cain Deo, quia non puro corde sed mente scelerata munus Domino offerebat, qui de fratris interitu cogitabat. Nam et ipsa munera iuxta typicam rationem offerentium grandem distantiam manifestant. Cain de fructibus terrae munera obtulit, quia terrena erat cogitatio eius: Abel vero de fructibus ovium munera obtulit, ut innocentiae suae signum ostenderet. Et non solum de fructibus ovium munera obtulit Abel, sed pinguamina ovium, ubi pinguia misericordiae opera demonstrantur. Tunc ergo innocentiae nostrae munus acceptum est Deo, si operibus misericordiae tamquam pinguamine ovium adiuventur. Nec illud autem otiosum, quod Abel pastor ovium erat; praefigurabat enim exemplum illius, qui ait in evangelio *: ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. In Abel imago cucurrit, in Christo veritas manifestaretur. Ille pastor de terra, iste pastor de caelo. Ille pastor pecudum, hic martyrum. Ille pastor ovium irrationabilium, hic rationabilium.

* Ioh. XI. 11.

2. Sed advertamus magnum mysterium. Licet et Salvator noster dicatur pastor, nuncupatur tamen ovis vel agnus. Denique non sine mysterio dominicae passionis, in praesenti lectione lectum est, quod Abel de partu ovium suarum obtulerit munus domino Deo. Sancti 1) patriarchae et prophetae merito innocentiae oves vel arietes nuncupantur 2). De ipsis enim scriptum legimus *: induti sunt arietes ovium, et valles habundabunt frumento; clamabunt etenim hymnum dicent. Et iterum *: nos autem populus tuus, et oves gregis tui. De hoc grege ergo sancto immaculata illa et intacta ovis processit, id est sancta virgo Maria, quae nobis contra naturam purpureum illum agnum, id est regem Christum generavit. Recte autem purpureus agnus Christus dominus intelligitur, quia rex non factus sed natus est. Omnis rex non statim rex nascitur; sed postquam natus fuerit, rex efficitur, aut ipse indumentum suscipit regni purpureum, atque regiam dignitatem. Dominus autem et salvator noster de ipso utero virginali cum regia auctoritate processit, quia rex erat iam antequam ex virgine nasceretur. De Deo enim patre rex et Dei filius extiterat natus. Audi hoc ipsum Dominum in evangelio declarantem. Cum enim interrogaret eum Pilatus, tu es rex? respondens ait *: ad hoc natus sum, et ad hoc veni in hunc mundum. Cuius regis dignitatem etiam magi illi monente ipso ortu nativitatis corporeae cognoverunt, dum dicunt ad Iudaeos, ubi est qui natus est rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, et

* Ps. LXIV. 14
* Ps. IC.
* Ioh. XVIII

1) Commodum huic Augustini sermoni dat testimonium auctor Milleloquii T. II. col. 296, recitans ex eo fragmentum ab hoc loco usque ad verba *qui natus est rex Iudaeorum*, non sine aliquot tamen omissionibus.

2) August. in enarr. huius ps. arietes dicit apostolos

venimus adorare eum. Quanto melior fides in Abel qui de fructibus ovium munera Domino obtulit, tanto religiosior devotio populi christiani, qui sumus nos, qui innocentiae et simplicitatis munera Domino offerimus, si tamen a Domino mereamur. Offerimus ergo de fructu ovium nostrarum munus Domino, si simpliciter et innocenter in conspectu Dei vivamus. Offerimus et de pinguaminibus ovium Domino, ut pinguia misericordiae opera ac pietatis Deo exhibeamus; praestante domino nostro Iesu. Explicit sermo de Cain et Abel.

CXXXVI. DE BEATO PATRIARCHA IOSEPH ET EIUS CASTITATE 1)

Cod. Val. 479. f. 15. a. 1. De beato patriarcha Ioseph aliquanta nobis divina scriptura intimat,
et nos etiam aliqua dicere temptamus, velut micas de magnis panibus exhi-
Matth. XV. 27. bentes. Unde scriptum est in evangelio: nam et catelli edunt de micis
quae cadunt de mensa dominorum suorum. Micae de magno convivio etsi
non satiant, tamen pascunt. Denique cum primum venimus ad credulita-
tem, apostolicis praeceptis tamquam micis pascimur. Cum autem profeci-
mus in fide, tunc habundantia panis caelestis admittimur, ut satiemur
* Ioh. VI. 51. pane caelesti illius qui ait in evangelio *: ego sum panis vivus qui de caelo
descendi. Non ergo refutemus micas doctrinae, quia micae de pane sunt;
et ideo micas supprimere non debemus, ut refici pane mereamur. Sed
veniamus ad sanctum Ioseph, ut exemplo castitatis et pudicitiae eius, velut
cibo quodam caelesti pascamur.

2. Sanctus ergo iste Ioseph, de quo audivit in praesenti lectione dilectio vestra, speciosus 2) corpore erat et castus et mente pudicus. Fulgebat in eo species corporis, sed amplius fulgebat pulchritudo animi. Et cum multis species corporis obesse soleat ad salutem, sancto nostro nocere non potuit, quia speciem corporis animi pulchritudo gubernavit. Debet
f. 15. b. ergo anima carni, non caro animae dominari. Caro enim ancilla est animae: unde infelix illa anima est, cui caro dominatur, et quae de ancilla dominam facit: amittit Domini fidem, ut suscipit peccati servitutem. Sed patriarchae Ioseph anima dominium suum fideliter tenuit, cui in nullo dominari caro potuit. Rogatur quidem a domina sua muliere impudica ut cum ea concumberet: qui adquiescere noluit, quia dominium animae nec in conditione servili amiserat. Unde calumpnia appetitus, in carcerem missus est. Sed vir sanctus carcerem illum palatium computavit: immo in carceris palatio erat, quia fides, castitas, pudicitia, illic palatium Christi est, illic templum Dei, illic habitaculum Spiritus sancti. Si quis ergo vir de specie sui corporis blanditur, vel siqua mulier de carnis suae pulchritudine gloriatur, sequantur exemplum Ioseph, sequantur exemplum Susannae: sint

1) De Iosepho et Susanna agitur in serm. maur. ed. CCCXLIII. Item de Iosepho sunt in append. maur. sermones tres vel potius quatuor.

2) Hinc incipit sermo non sine varietatibus cohaerere cum excerpto in Milleloquio T. I. col. 1071. Confer etiam col. 813.

corpore casti; sint mente pudici: et tales non solum hominibus, sed et Deo speciosi erunt. Tria enim sunt exempla in ecclesia castitatis, quae imitari singuli debeant, Ioseph, Susanna, Maria. Viri Ioseph imitentur, mulieres Susannam, virgines Mariam.

3. Secundum vero mysticam allegoricam rationem, in se typum Domini praefigurat Ioseph. Denique si gesta Ioseph vel ex parte aliqua consideremus, figuram Domini in eo praeostensam manifeste cognoscimus. Ioseph tunicam variam habuit; et dominus ac Salvator noster tunicam variam habere cognoscitur, quia ecclesiam ex variis gentibus congregatam, velut indumentum vestis accepit. Est et alia varietas tunicae huius, id est ecclesiae, quam Christus accepit. Habet enim ecclesia diversas et varias gratias, habet martyres, confessores, sacerdotes, ministros, virgines, viduas operarias iustitiae. Sed varietas ista ecclesiae, non varietas colorum est, sed varietas gratiarum. Hac enim varietate ecclesiae suae dominus ac Salvator noster velut varia ac speciosa veste refulsit. Ioseph distractus a fratribus, ab Ismahelitis comparatus est; et dominus Iesus ac Salvator noster distractus a Iudaeis, a gentibus comparatus est. Denique Ismahelitae qui Ioseph comparaverunt, diversa secum odoramenta portabant; ut exinde ostenderetur quia venientes gentes ad credulitatem, diversis odoribus iustitiae essent toto mundo flagrantes 1).

4. Sed advertamus magnum mysterium: pro Ioseph ·XX· aurei dati sunt, pro Domino ·XXX· argentei. Carius servus, quam dominus distrahitur. Sed non est mirum. Fallitur enim de Domino humana aestimatio, quia inaestimabilis est ille qui venditur. Sed advertamus plenius hoc ipsum mysterium. Iudaei pro Domino ·XXX· argenteos obtulerunt, Ismahelitae pro Ioseph ·XX· aureos. Carius Ismahelitae servum, quam Iudaei dominum comparaverunt. Illi in Ioseph imaginem Christi venerati sunt, isti in Christo veritatem ipsam contemptui habuerunt. Vilius ergo pretium Iudaei pro Domino obtulerunt, quia viliorem aestimaverunt Domini passionem. Sed quomodo vilis Domini passio haberi potest, cuius pretio totus mundus redemptus est? Totum enim mundum atque genus humanum passio Christi a morte redemit. Audi hoc ipsum apostolum demonstrantem cum dicit *: pretio magno empti estis. Audi Petrum apostolum similiter dicentem *: non enim, inquit, auro terreno, nec auro perituro redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine filii Dei immaculati. Si auro et argento empti essemus a morte, vilis esset redemptio nostra, quia plus est homo quam aurum vel argentum. Ideo nunc inaestimabili pretio redempti sumus, quia inaestimabilis est ille qui nos passione sua redemit.

* I Cor VI. 20

* I. Petr. I. 7.

5. Cetera quoque gesta Ioseph si consideremus, in omnibus imaginem Domini praefiguratam agnoscemus. Ioseph a muliere impudica calumpniam patitur, et Dominus a synagoga saepe calumpnia appetitus est. Ioseph poenam carceris suscepit, et Dominus passionem mortis. Ille in carcerem mit-

f. 16. a

1) Hactenus excerptum in Milleloquio, non sine aliquot ibi omissionibus.

titur, hic ad infernum descendit. Frequenter enim divina scriptura infernum carcerem appellare consuevit; unde illud prophetice dictum est*: educ de carcere animam meam. Cupiebat enim sanctus propheta de inferno liberari. Sed vide in ipso mysterium. Ioseph postquam de carcere egressus est, dominus Aegypti factus est; et dominus ac Salvator noster postquam egressus est de carcere, totius mundi dominatum obtinuit per fidei suae cognitionem. Ubique enim nomen Christi regnat, ubique dominatur, creditur et manifestatur, honoratur a gentibus, adoratur a regibus. Ipsi gloria et imperium in saecula. Amen.

* Ps CXLI, 8.

CXXXVII. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE SANCTO HELIA PROPHETA.

[illegible] 1. De sancto Helia nobis lectio recitata est, Fratres karissimi. Et congrue tempore ieiunii 1) de sancto Helia lectum est, quia Helias ·XL· diebus et ·XL· noctibus ieiunavit, non quaerens panem saeculi, qui panem vitae in se a Dei verbo habebat, cuius cibo ac virtute diebus illis confortatus est, ut validior quam alio tempore fuerat, videretur. Huius ergo Heliae multae virtutes referuntur, ut audivit ex parte dilectio vestra in praesenti lectione; sed quia explicare praelongum est, quia ad enarranda ea non hora temporis sed nec dies continuati sufficiunt, vel pauca de multis dicamus. Cum persecutionem novissimam ab Achab rege et ab uxore eius Iezabel sanctus Helias pateretur, dictum est illi a Domino: vade, inquit ad torrentem, et mandabo corvis, et pascent te ibi, et bibes aquam de torrente. Et afferebant ei, inquit, cotidie mane panes, et ad vesperas carnes. Quantam ergo curam habuit Dominus sanctorum suorum, ex hoc ipso intelligitur, quos etiam corvorum ministerio pascere dignatur. Bene et
[illegible] vere ante iam dixerat in psalmo *, quod non occidit Deus fame animam iustam. Iusta, inquit, anima erat sancti Heliae prophetae, quoniam usque adeo fame laborare Dominus voluit, ut eum avium ministerium pasceret. Et quamquam sit in interioribus animae iustae sermo Dei quo semper reficitur, tamen per Dei misericordiam nec hoc pane fraudamur. Et sancto quidem isti Heliae in deserto corvorum ministerio praebetur; Danieli vero in lacu leonum constituto, angelo ministrante prandium ferri praecepit. Et Daniel enim propter iustitiam persecutionem passus a potentibus Babylonis fuerat. Sed iniquitas persecutorum nil nocet animabus iustorum. Heliam corvi pascunt, Danielem ferae non tangunt; et homines insidiantur et insectantur. Sed redeamus ad ordinem. Pascit ergo Deus servum suum Heliam in deserto ministerio corvorum, qui ei panem mane et ad vesperam carnes deferebant.

2. Quid dicunt Iudaei, qui in hoc mundos putant se esse, quod ab escis quibusdam abstinent, quae mystice in lege immundae esse dictae

1) Hactenus ex manuscripto codice citat auctor Milleloquii T. II. col. 1143. Multa autem huic sermoni similia dicuntur in sermone edito XL. appendicis maurinae.

sunt? Corvus certe, iuxta legem, immundum est animal; quod tangit, immundum facit; et quomodo sanctus Helias, carnes a corvis allatas in usu escae habere potuit, si quod corvus tangit, immundum est? Illi certe immundae esse non poterant, qui mundam conscientiam possidebat. Unde manifestum est, non esca sed conscientia hominem inquinari. Et ideo bene ait apostolus *: omnia, inquit, munda mundis; conquinatis autem nihil * Tit. I. 15.
mundum est, etiamsi escas mundas accipiunt. Polluuntur enim escae mundae per immundam conscientiam. Denique Iudaei ab escis putant immundis abstinere, sed numquam mundi sunt, quia immunditia peccatorum pleni sunt. Utinam sicut ab immundis putant se escis, abstinere, se abstinerent ab immunditia peccatorum, ut vere mundi efficerentur! Verum escam mundam manducare, et non mundam conscientiam gerere, nihil prodest ad salutem. Quapropter mundam semper conscientiam gerere debemus, ut omnem escam quam accepimus, mundam habere possimus; quia non esca immundum hominem facit, sed conscientia mala. Hoc propter Iudaeos diximus, qui putant omnem mundiciam esse nonnisi in abstinentia aliquarum escarum; cum sanctus Helias qui per omnia mundus fuit, doceatur eas carnes accepisse quas immundi corvi portabant; et usque adeo carnibus ille pollutus non est, ut non solum non offenderit, f. 43. a.
sed ad paradisum tranferretur. Quae si tamen gesta Heliae spirituali sensu et oculis fidei consideremus, invenimus in iustitia, et magna iustitia. In Helia enim qui persecutionem a Iezabel muliere nequissima passus est, typus Domini ostendefiatur, qui persecutionem profanae mulieris synagogae sustinuit. In corvis vero qui Heliae cibum deferebant, vocatio nostra ostendebatnr, qui ex immundis gentibus venimus, credulitatem sanctae devotionis ac fidei Christo domino deferentes. Devotio enim ac fides credentium, cibus est Christi.

3. Sed plenius videamus ipsorum corvorum mysterium. Afferebant enim Heliae corvi mane panes, et ad vesperum carnes *. Panes mane hii Domino * III. Reg. XVII 6.
attulerunt, qui credebant toto corde in Christo, qui verum cibum fidei in ore portabant. Ad vesperum carnes martyres attulerunt, qui in occasione notitiae suae carnem ad vesperum, id est corpora sua pro Christi nomine tradiderunt; quas tamen carnes in ore portaverunt, quia confessores Christi martyrium pro Christo dixerunt. Nunc illud videamus, quare idem Helias missus est ad mulierem aliquam viduam, quae erat in Sarepta Sidoniae ut eum pasceret ne fame moreretur. Haec enim, ut lectio retulit, modicum adhuc farinae, et modicum olei habebat. Venit ad eam Helias et dixit ei, ut faceret ei panem quem manducaret. At illa respondens ait, non esse sibi nisi modicum farinae, et modicum olei, ut faceret sibi panem et filiis suis, et moreretur. Ait ad illam Helias: fac mihi primum, ut manducem; quia hoc dicit Dominus: capsaces farinae non minuentur, et oleum non imminuetur neque deficiet vase suo, quoad usque adducet Dominus pluviam super terram. Magna gratia prophetae quae tantum mulieri

promittit! sed gratiam prophetae mulieris fides adiuvavit. Illa enim tota fide credidit, ut Heliae praestaret quod postulat. Quod plena fide mulier ista credidit, res ipsa declarat, quae de modico farinae, quod solum ei remanserat, ante prophetae panem obtulit, quam filiis inde aliquid daret: plus enim fecit meritum prophetae, quam amor filiorum. Unde non immerito mulier ista figuram in omnibus ecclesiae praetulit, quae in Helia christianam tunc imaginem venerabatur. Cuius amore et gratia, non solum filiis sed et propriae animae antefertur. Et necdum audierat mulier ista Dominum in evangelio dicentem: qui non odit parentes et filios propter me, non est me dignus. Et tamen praeceptum hoc evangelicum, ante quam audiret implevit. Videbat enim tunc in Helia Christi ministrum operari. Haec mulier erat vidua, quae necdum verum Christum crediderat; de quo ait Iohannes Baptista, post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Hic vir post Iohannem quidem venit, quia secundum carnem post Iohannem ex virgine nasci dignatus est: sed prior Iohanne erat, quia ante omnia de Deo patre generatus est.

4. Sed videamus in muliere ista per omnia imaginem ecclesiae praeostensam. Ante quam ad eam Helias veniret, laborabat fame cum suis filiis, laborabat plane et gravissima fame, quia necdum panis vitae Christus de caelo descenderat; nec dum Christus Dei incarnatus ex virgine fuerat. Audi
* Amos VIII. 11. prophetam dicentem *: mittam, inquit, super terram famem; non famem panis, neque sitim aquae, sed famem audiendi verbum Dei. Ille enim vere fame periclitatur, qui fame verbi divini laborat. Longe enim alia fames panis terreni, alia verbi Dei. Fames panis terreni, solum corpus enecare potest, non tamen animam; fames autem verbi divini, et corpus occidit et animam interficit. Fames panis terreni, de vita praesenti hominem excludit; fames autem verbi divini, ab aeterna et perpetua vita hominem eicit. Huius autem periculo ecclesia laborabat ante quam Christum susciperet; sed postquam suscepit, periculum aeternae mortis evasit. Haec mulier habebat quidem ante adventum Christi modicum farinae et modicum olei, id est praedicationem legis ac prophetarum, sed sufficere ei ad vitam non poterat, nisi ipsam legem et prophetas Christi gratia implesset. Unde illud Do-
* Matth. V. 17. mini in evangelio dictum est *: non veni solvere legem et prophetas, sed adimplere. Non enim in lege et prophetis salus vitae humanae esse poterat, nisi sola Christi passione. Ideo denique postquam suscepit ecclesia Christum, et farina et oleum et lignum habundare coeperunt. In farina, cibus verbi ostenditur; in oleo autem, donum divinae misericordiae; in ligno vero, venerandae crucis mysterium, per quam nobis pluvia caelestis donatur.
[illegible] Hoc enim ait Helias ad mulierem: non deficiet tibi farina vel oleum, donec adducat Dominus pluviam super terram. Adduxit nobis dominus et Salvator noster pluviam de caelo, id est evangelicam praedicationem, per quam arida humani generis, tamquam terram sitientem aquis vitalibus recreavit. Quia ergo his cibis caelestibus pascimur, queri de labore ieiunii non de-

bemus; immo potius dicere ad Dominum illud quod ait propheta in psalmo *: quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo! Ut videns Dominus devotionem fidei nostrae circa se, remuneret nos gratia caelesti atque omnibus bonis spiritualibus; praestante domino nostro Iesu Christo. Explicit de sancto Helia propheta. * Ps. CXVIII. 103

CXXXVIII. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE DEITATE ET INCARNATIONE CHRISTI.

1. Audivimus prophetam de nativitate et divinitate domini Salvatoris sub profunda mysteriorum obscuritate proferentem, et novum caelestis solis iubar velut desub nube monstrantem. Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis, et factus est principatus eius super humerum eius *. Hoc loco propheticus sermo et Dei et hominis videtur expressisse personam; utrumque enim fides catholica et credit et praedicat. Nam si hominem tantum dixeris, Christi negas potentiam, qua creatus es. Si Deum tantum dixeris, Christi negas misericordiam, qua renatus es. Quid ergo est, parvulus natus est nobis, filius datus est nobis? Natus est nobis, qui sibi erat; datus ergo ex divinitate, natus ex virgine: natus qui sentiret occasum, datus qui nesciret exordium: natus qui et matre esset iunior, datus quo nec pater esset antiquior: natus qui moreretur, datus ex quo vita renasceretur. Ac sic qui erat, natus est: illic dominatur, hic humiliatur: ibi regnat, et hic militat. Quod vero audivimus, parvulus dicitur, quia exinanivit semet ipsum, et formam servi, non deposita sed abscondita maiestate, suscepit; ut sustineret humana, et servum Deum claritate nesciret. Hic est ille parvulus, quem etiam sermo evangelii grano comparavit. Simile est, inquit, regnum caelorum grano sinapis *. Sicut enim granum sinapis parvam praefert in exteriori specie quantitatem, sed magnam dum conteritur profert de sui contritione virtutem; et quod plus est, magis intra se vim suam possidet; ita et Dominus noster Iesus Christus exiguus putatur esse, dum ex homine procreatur; sed dum totum impletur, dum per vitae huius labores tribulationum afflictione conteritur, fortior invenitur: vivendo eruditionem praetulit, moriendo patientiam, potentiam resurgendo: et per infirmitatem susceptae carnis a foris quasi minimus et despectus apparuit, sed vigorem divinitatis immensae intus abscondit. Ideo ergo dixit: simile est regnum caelorum grano sinapis, quod acceptum homo misit in agrum suum, et factum est in arborem magnam. Ager hic mundus est, cui Christus adveniens per susceptam fragilitatem humani generis administravit salutem. Granum sinapis est propter contritionem mortis: arbor est propter fructum immortalitatis: caro illa quasi flos cecidit, sed poma vitae de radice divinitatis exhibuit.

Cod. vat. 4 7 3. f. 66. a.

* Is. IX 6.

* Matth. XIII. 31

f. 66. b.

2. Videamus ergo, Fratres karissimi, quando illum parvulum describat apostolus: humiliavit, inquit, semet ipsum factus obediens usque ad mortem *. Videamus quam magnum illum sublimemque commendet: propter quod, * Phil. II. 8.

quit, exaltavit illum Deus, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Itaque minimum sinapis granum est, dum in terram cadit; arbor magna est, dum resurgit: seminatur dum in agro mentis absconditur, dum in spe creditur, dum quasi sub cespitis gleba, ita sub littera sacrae legis operitur: in arborem stupendus attollitur, dum per omnes gentes, ac per fecunda sanctorum pectora dilatatur: dum Deus in homine per miracula et signa cognoscitur: dum quasi in opera virtutesque diffunditur: dum de convalle saeculi in caeli verticem sublimatur. Quod autem propheta commemorat, et factus est principatus super humerum eius, manifestum hominem demonstrat humerus, latentem Deum loquitur principatus. Sed quia neque ab hominibus creditus, neque ab hominibus est receptus, ideo
Is. LIII. 1. propheta alio loco conqueritur dicens: quis credidit auditui nostro 1)*, et brachium Domini cui revelatum est? Brachium dicitur, quia Dei virtus, quia paternae operationis effectus est, quia sicut de corpore brachium sine sui separatione porrigitur, sicut per compaginis unitatem, et extenditur et tenetur, ita et Salvator noster inseparabilis cum patre substantiae, et ad terrena descendit, et caelestia non reliquit: et hîc affuit, et inde non
* Ps. XVIII. 7. defuit. Nam quod dicit propheta: a summo caeli egressio eius *, describit quidem eundi ac redeundi velocitatem, sed discursum nescit immensitas. Et quia ubique totus est, accedere ad nos miseratio potuit, recedere a se plenitudo non potuit. Qui enim excedit omnia, quo recedit? ac sic unigenitus a patre missus est, non amissus. Et ideo dicit propheta eru-
* Ps. XLIV. 2. ctavit cor meum verbum bonum *. Sicut enim ex usu prolativum hominis verbum, ita ad audientem a loquente transfertur, ut nihilo minus in eodem progreditur, corde teneatur: sicut sermo quem loqueris et a te exit, et tecum est, novo ac stupendo genere et transit et remanet, transfunditur nec elabitur; et quo egreditur pervenit, et unde emittitur non recedit; ita et dominus noster Iesus Christus, qui in principio erat verbum Deus apud Deum, ad nos prodiit, et a patre non exiit; illic astitit, huc pro-
* Matth. XVIII. 20. cessit. Et quia ad caelos remeans dixit *, ecce vobiscum sum omnibus diebus, ad nostra descendens ita in suis mansit, sicut ad sua regrediens nobiscum remansit. Et ad nos ergo verbum incomprehensibile percurrit, et a patris pectore non recessit.

3. Ait ergo sermo divinus: et peperit filium suum primogenitum. Ubi sunt haeretici, qui recenti haeresis errore decepti, et novo antiqui serpentis dente percussi, dicere ausi sunt carnem domini Salvatoris nihil habuisse de Maria? Hoc dicunt illi orientales haeretici, nihil illum participasse de matre 2). Hic pestifer spiritus orientales ecclesias occupavit, ni-

1) Inter deperditos Augustini sermones, memoratur a Possidio in cap. IX. cum hoc titulo. *De lectione Esaiae: Domine quis credidit auditu nostro?* Porro huius dicti Esaiae elegantem interpretationem Theodori mopsuesteni habes in hac PP. B. T. IV. part. IV. p. 143.

2) Hi videntur Eutychiani, quos ab Augustino agnitos, vulgo negatur; quamquam in nonnullis codicibus liber Augustini de haeresibus desinit in Eutychianis inclusive. Et quidem praedictam, vel etiam peiorem, haeresim multo antea extitisse apud Manichaeos, exploratum est.

hil Christum de matris consanguinitate traxisse, sed per virginis transisse uterum quasi per corpus alienum. Et quid egit illis novem mensibus intra illud maternum corporis genitale secretum? Illic utique de eius *a*) ossibus ac medullis ratione operante collectus, illic natura obstupente compositus, illic per legitima nascendi spatia de carne in carnis incrementa mutatus est. Quod si nihil adtracturus erat de propriae parentis materia, quid opus erat novem mensium mora? quid opus erat longa hospitii mortalis iniuria? Si, inquam, nihil de suo erat corporeus matris sinus caelesti puero cotidianis horarum ac dierum profectibus collaturus, ubi primum legitur conceptus, statim consummatus, statim fuisset et genitus. Sed non ita est. Nam unde prima educatur parvuli conformatio? Unde ossium compago membrorumque perfectio prodit? Nota sollempnis temporis consuetudo. Itaque animam unde suscepit, si corpus de matre non habet? Ergo sermo divinus caret veritate, cum veritas sit, quae eum filium hominis protestatur. Quo quidem loco debemus advertere, quod dum non homo sed hominis filius dicitur, ex uno creari parente monstratur. Legimus: et peperit, inquit, filium suum primogenitum. Si nihil in eundem *b*) transtulit mater, non peperit proprium sed profudit alienum. Sed *c*) non ita est. Nam sicut totus Deus ex Deo, ita totum hominis corpus ex homine de carne Mariae coagulatum, de eius formatum visceribus, de eius substantia consummatum; et sanguinem, quem etiam pro matre obtulit, de sanguine matris accepit. Quod si inter haec quid fuerit rationis interrogas, quare proprietatem corporis nostri omnino induere deberet? id causae est ut per illam quam in nostra carne peragebat de mundi hoste victoriam, nostram posset consecrare naturam; et roboraret fragilem conditionem, dum exercet in fragilitate virtutem. Ac sic et homo contra diabolum fiducialiter auderet congredi, sic et diabolus ab homine cognosceret se posse superari.

4. Sed et quod legimus, parvulus natus est nobis, non nobis est natus, nihil cum sit ex nobis. Si nihil de nostro suscepit, nihil nobis contulit. Quod enim induit, hoc liberavit: quod Deo iunxit spiritaliter, hoc redemit: de nostro est quod appendit, de suo est quod donavit: meum est, testor, quod de cognita mihi carne processit, ut meum sit quod resurrexit: meum testor esse quod iacuit intra tumulum, ut meum sit quod ascendit in caelum. Quae cum ita sint, dirigamus conversationem nostram, quasi sub Deo, qui et in caelo et in terra est, teste viventem: iracundiae crudelitatem, et inhonestos et cruentos actus refugiamus, pectora a malitiae ac luxuriae iniquitate mundemus. Et nos Christum dominum concipiamus fide, parturiamus confessione, spe nutriamus, caritate portemus, quem etiam corpore gestare praecipimur. Glorificate, inquit, et portate Deum in corpore vestro *. Sed videamus quomodo hoc fieri posset. Qui vi- * I. Cor. VI. 2.
tam extinguit in carne, qui Christi virtutibus habitaculum procurat in

a) Ambigua in codice est scriptura. — *b*) Cod. *eudem se*. — *c*) Cod. *set*, pro *sed*, nunc et alibi.

corde, Christum portat in corpore, praestante ipso domino nostro Iesu Christo, qui cum patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

CXXXIX. INCIPIT SERMO EIUSDEM IN NATALE SANCTORUM INNOCENTIUM 1).

Cod. vat. f. 111. b. 1. Deceptor itaque Herodes rex illusus a magis mittit in Bethleem et in omnibus finibus eius ut interficiantur pueri a bimatu et infra. Occiduntur pro Christo parvuli, pro iustitia moritur innocentia. Quam beata aetas, quae necdum Christum potest loqui, et iam pro Christo meretur occidi! Nondum opportuna vulneri, et iam idonea passioni! Quam feliciter nati, quibus in primo nascendi lumine aeterna vita obviam venit! Incurrunt quidem inter ipsa principia acceptae lucis periculum, et finem salutis, sed de ipso protinus fine capiunt principia aeternitatis: immaturi quidem videntur ad mortem, sed feliciter moriuntur ad vitam: vix dum degustaverant praesentem, statim transeunt ad futuram: nondum ingressi infantiae cunas, et iam perveniunt ad coronas: rapiuntur quidem a complexibus matrum, sed redduntur gremiis angelorum. Nihil ergo egisti ferocissimae auctoritatis audacia; potes martyres facere, Christum non potes invenire. Putabat se infelix tyrannus domini Salvatoris adventu regali solio destruendum; sed non ita est. Non ad hoc venerat Christus, ut alienam gloriam (f. 112. a.) invaderet, sed ut suam donaret. Non, inquam, ad hoc venerat Christus ut regnum terrestre praeriperet, sed ut caeleste conferret; non venerat ad potestates dignitatesque rapiendas, sed ad contumelias et iniurias perferendas; non ad hoc venerat ut sacrum illud caput ad diadema gemmatum, sed ad coronam spineam praepararet. Non, inquam, ad hoc venerat, ut constitueretur super sceptra magnificus, sed ut crucifigeretur illusus. Nascente ergo Domino conturbatur Herodes, et omnis Hierosolyma cum illo. Quid mirum si pietate nascente, perturbetur impietas? Ecce iacentem in praesepio pertimescit armatus, contremescit humilem rex superbus, obvolutum pannis metuit purpuratus. Cum simulatione alloquitur magos: ite, inquit, requirite de puero, et cum inveneritis renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. Simulabat adorare se velle, quem conabatur occidere. Sed non timet veritas falsitatis insidias. Quam caeca feritas, quae credebat quod deprehendere Dominum fraudibus possit! Ecce cuius terra caelumque ostendebat adventum, qui pastorum non latet simplicitati, quem magi de extrema venientes Aethiopiae parte merentur agnoscere, solus ad illum non potest rex sacrilegus pervenire. Feliciter ergo stultus furor tyranni! Christum non potest invenire perfidia, quia Deus non crudelitate set credulitate quaerendus est.

2. Set iam, si iubetis, de laude infantium ista sufficiunt. Et quia de illorum felicitate quod potuimus diximus, de profectu animarum nostra-

1) Primus huius sermonis articulus congruit partim cum casin. paris. serm. XIX.

rum, quantum Dominus dederit, proferamus. Optima enim hora est, nec nos imminens hora prandii celerius de ecclesia exire compellit, et ideo patienter quod animae nostrae expedit, audiamus. Audite ergo, karissimi, et quod auditis tenete, quod tenetis amate, quod amatis facite, quod facitis custodite: primus enim proficiendi gradus est audire et velle, quod facias; secundus facere, quod audieris; tertius idemque perfectus, quod studiose audieris et devote feceris, stabili sententia custodire. Nam sicut nihil prodest audire quod non facias, ita quicquid feceris perit, nisi hoc stabili definitione, fide devota servaveris. Et ideo animi imperio, corporis 1) servitio magis uti debemus: animam ad imaginem et similitudinem Dei factam, corporis necesse est, quod nobis est comune cum beluis, dominari. Sed interdum pressa vis animae, quae igni similis, ad superna festinat; pondere corporis illigata pigrescit, ibique terrenis actibus implicata et concupiscentiarum turpium consensione deiecta perditur. Dominator in famulatum suae carnis, quam debuit dominari in vita, submittitur. Per hanc ergo societatem libidini, ebrietati, ambitioni, divitiis, voluptatibus, aliisque praetereuntibus et fugitivis rebus subiecta consentit, relinquens auctorem, ad cuius similitudinem se vigore et mobilitate sua excursu recursuque facili factam esse non ambigit. Hinc etiam fit, ut anima peccatrix vitae *a*) paene cum corpore moriatur. Animae ergo mors, karissimi, peccatum est; et peccati mors paenitentia est. Sicut peccatum animam occidit, ita et paenitentia peccatum. Et ita plerumque lapsus vires suas revocat, et langore *b*) depulso, peccatum per paenitentiam, a quo prostratus iacebat, interimit *c*); ut extinctus salutem, palmam victoriae victus obtineat. Ex dolore, animae vita reparatur. Sed quamdiu aut in anima aut in carne sensus doloris est, laborat quidem aeger, sed medicus non desperat. At vero cum peccator compunctionis stimulum, et infirmus sensum doloris amisit, perfecta mors: nihil superest, nisi ut defletu funeris lamenta et gemitus prosequantur 2).

3. Tamen de talibus mortuis, superstitum (salutem) solet Dominus operari. Quis enim ita inclemens *d*) est, ut mortem suam in aliena morte non sentiat? Quis ita a sensu humanitatis exclusus, qui cum corpus peccati ad tumulos perferri viderit, non sibi ipse arguente conscientia dicat: ecce iam praecedit ille, qui ut ego turpiter vixit, qui multorum criminum vile mancipium fuit, qui aliena rapuit, qui obiurgavit *e*) creditum, qui iusta iniustaque vendidit, qui praesentia semper attendit, et divino iudicio desperavit, vadit in aeternam sedem non rediturus, vadit in mortem cum conscientia non moriente, et commissa perpetuo supplicio vindicante. Ubi

a) Ita cod. — *b*) Ita cod. quae est archaica scriptura. — *c*) Cod. *interimitur*. — *d*) Cod. *ille tam clemens*. — *e*) Num pro *obligurivit*, aut *negavit*?

1) Cod. *cordis*. Sed Augustinum scripsisse *corporis* puto, ex Sallustio B. C. prolog. *Animi imperio, corporis servitio magis utimur*.

2) Quae deinceps dicuntur de mortis meditatione similia quodammodo partim sunt (etsi diversa) iis quae in sermone tertio de Innocentibus legebat in codicibus auctor Milleloquii T. I. col. 514, et sunt in serm. CCXX. append. maur.

f. 112. b. sunt voluptates et epulae temporis exacti? ubi noctes et dies illi in ebrietatis cantibus flagitiisque consumpti? Ecce, inquit, quid nostras quae brevi spatio terminantur voluptates expectat. Ubi aurum argentumque male acquisitum? Ubi diffusa patrimonia, quae ignotarum possessionum dominus non usu sed memoria possidebat? Fabricabatur miser ingenti substructione ac firmissimis molibus (aedes) quas in hac vita perpetuo possidendas, et mox relinquendas, perhennitatis studio construebat. Cuius nunc haec erunt? Cuius dicenda sunt? Quis horum dominus nominabitur? Veniet super illum profunda altitudo temporum, et in oblivionem conditus, cum omnibus quae reliquit, etiam nomine peribit. Quanto satius fuerit brevitate *a*) brevia parasse, et longiori vitae copiosius viaticum praemisisse? Ecce iam ipsa spes, quae nec videndo nec habendo implebatur, abscessit. Licet iam scire quid sumus. Vanum est ut video, et expergiscenti somnio simile, quicquid amitti potest. Sed fac ut longiori vitae aliquid, quo sustentetur humana necessitas, praestetur *b*). Quis nobis istam longam vitam promittit? Aut postremo quomodo longum est, quod habet extremum? Quod cum venerit, omnis voluptas praeterita, pro nihilo est, quia postea nulla futura. Quantum est hoc, quod de tantis opibus peccato et labore quaesitis, secum miser portat? Consumpta est vita ut aggeretur substantia, et quaesitum coniunctumque est, propter quod forsitan non solum hereditas sed etiam heres pereat.

4. Ergo inter lamenta ista audiamus et mortem de feretro clamantem. Maiori enim voce clamat, quia iam loqui non potest. Haec enim tacentis mortui vox est. Vides, amice, qualiter vado; vides quod omnia quae iuste iniusteque parata sunt relinquuntur. Si mihi vita mea non profuit, vel tibi prosit mortis exemplum. Accelera, emenda quicquid male gestum est; redime peccata tua quantum potes celeriter; ne moreris; mox tibi post me veniendum est. Ego enim quem vides efferri, ante te modicum tempus vixi. Vides quod me pauci flentes, et plures gaudentes sequuntur. Amici, quorum semper est paucitas, dolent; heredes cum iis qui ad exuvias *c*) manus exerunt, gratulantur. Atque utinam hoc quod tacitus clamo, audire a praecedentibus mortuis voluissem! Non ego de hac aerumpnosa vita pauper recederem, sed illi quae relinquo omnia servassem, qui multiplicata restitueret. Quid scienti divitias meas quas relinquo, et videnti egestatem cum qua vado, in illa aeterni iudicii discussione dicturus sum? Quis mihi dabit quod non dedi? Quis mihi miserebitur, qui alienas miserias sine miseratione praeterii? Quis audiet supplicantis vocem, qui a supplicationibus pauperum aures clausi? Serus iste mihi misero dolor est. Utinam qui vitae mortuus sum, poenae non viverem! Haec est viva vox mortui; hanc quicumque videt mortuum, et cordis aure non audit, vere mortuus est. Ergo iam qui talibus exequiis funera elata prosequitur, vitae optat adiungi. Sic morte peccatoris ad alterius peccatoris salutem plerumque

a) Num pro *brevitati*? — *b*) Cod. *praestitetur*. — *c*) Cod. *excubias*.

Dominus utitur. Et sic ut dum unus iuste perit, alius misericorditer emendetur. Et ideo dum vivunt peccatores, tacitas quas supra diximus, mortuorum voces cordis auribus, ne moriantur, exaudiant. Et iusti qui perdere paratam iustitiam nolunt, a bonis operibus non desistant. Nam sicut peccatori mors est a peccatis non desistere, ita et iusto mors est a bonis operibus iustitiae destitisse. Et ideo, karissimi, si vos forsitan poena mortis pro ipsa cotidiana vivendi consuetudine non deterret, vel ad beatam resurrectionem gloria promissa sollicitet. Cogitemus nos cum Domino victuros, et receptis corporibus in angelicam similitudinem transferendos. Nihil corruptionis ibi, nihil laboris futurum: timores, dolores, et gemitus procul fugandos: perhenne gaudium de Domini contemplatione capiendum. Nullas nos ibi rerum vel temporum permutationes vicesque passuros, sed in aeterna et perpetua luce cum beatis angelis gavisuros; ipso auxiliante qui cum aeterno patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

CXL. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE EPIPHANIA.

1. Epiphaniam id est apparitionem domini Salvatoris hodie, dilectissimi, celebramus quando tribus Magis in Chaldaea regione stella novae claritatis apparuit, et natum esse regem omnium regum monstravit. Quae stella pulchrior sideribus facile declaravit intelligi verum lumen, veramque laetitiam, veramque salutem: natum in mundo, qui et saecula fecit, et sidera. Unde et isti Magi secuntur * superni luminis ducatum, et primi fulgoris indicio pervenerunt ad Christum stellam mundi. Et quoniam in humanitate viderunt humilem natum, super caelos caelorum adoraverunt et crediderunt excelsum: aeternam Dei virtutem et sapientiam, dominumque maiestatis in Christo domino agnoverunt. Nam sacramenta quae cernebant, fideliter intelligebant, et quod corde crediderunt, muneribus protestabantur: aurum, thus et myrrham illi offerebant, aeternum eum regem, suumque pontificem, et verum hunc esse designabant hominem: in auro, quod regi congruit: in thure, quod verus nobis esset pontifex interpellans pro nobis, et reconcilians nos Deo patri suo: in myrrha autem designantes, quod idem filius Dei, Deus verus ex Deo vero patre ante saecula genitus, homo verus pro nostra redemptione et salute fieri dignaretur.

cod vat 473 f. 118. a.

* ita cod.

2. Honoretur itaque a nobis sacratissimus dies in quo salutis nostrae auctor apparuit; et quem Magi venerati sunt in cunabulis, omnipotentem Deum nos adoremus in caelis. Et sicut isti mystica ei munera optulerunt, ita et nos in cordibus nostris bona voluntate, fide recta, spe firma, caritate sincera, nostra bona opera offeramus. Quamvis enim ipse sit bono-

1) Confer sermones editos maur. 203. et 375, qui tamen diversi sunt. Vidit autem hunc sermonem vaticanum in Roberti ms. collectorio auctor Milleloquii T. II. col. 1129.

rum omnium largitor, nostrae tamen fructum quaerit industriae: non enim dormientibus pervenit regnum caelorum, sed in mandatis Domini laborantibus, atque vigilantibus. Unde hortamur dilectionem vestram, ut abstineatis vos ab omni opere malo: quae sunt casta et iusta sectamini, odia declinate, mendacium vitate, superbiam humilitate destruite, avaritiam largitate delete. Magi ergo per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Et nobis necesse est, ut in regionem nostram, idest ad paradisum, unde peccando decidimus, per bona opera redeamus; ut relinquamus viam perditionis ac mortis, aggrediamur viam mandatorum Domini, ut ad promissa fidelibus praemia, et ad regna caelestia veniamus; auxiliante nos rege aeterno domino Iesu, cui sit laus, honor, et potestas per infinita saecula saeculorum. Amen

CXLI. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE ADVENTU QUADRAGESIMAE ET OBSERVATIONE IEIUNII.

Cod. vat. 17?. f. 14? b.

1. Sacratissimorum dierum, qui nunc venturi sunt, Fratres, sollempnia digna necesse est omnibus christianis cum veneratione celebrare, in certamine sanctae conversationis, et in omni observantia mandatorum Domini. Quod cum nobis omni curriculo vitae nostrae incessanter agendum est, tamen maxime hoc tempore, et in istis est sanctis diebus studiosissime laborandum, quia quasi optatissimi nuncii aeternae nobis vitae gaudia praefigurant. Proinde, Fratres dilectissimi, egregie sanctae conversationis usum a sanctis patribus constitutum, quantum divina largiente gratia valemus, omni studio in spe firmissima erga nos misericordiae Dei, in fide recta et operibus iustis, in caritate perfecta in Deum et proximum conservemus. Nihil immoderate, nihil impatienter, sed omnia cum mensura et modestia laeto animo faciamus; dominicae caritatis vinculo coniuncti in castris nominis christiani, contra vitia et peccata, contra antiqui hostis insidias indefesso certamine, in ieiuniis, in vigiliis, in abstinentia mali, in castitate cordis et corporis, in luctu et paenitentia, in confessione pura, in eleemosynarum largitate, in omnique pauperum et infirmantium atque tribulantium cura, fortissime dimicemus: ut corda et corpora nostra a malis cogitationibus simul et operibus castigatione digna compressa, et refrenata carnis concupiscentia, in hiis quae sancte Deo sunt placita et cogitanda assidue maneamus, et in omni bono certissime contineamus; misericordiam, benignitatem, mansuetudinem, humilitatem, vel cetera sanctarum virtutum opera, quantum possibilitas admiserit, custodire et perficere satagamus. Nam misericordia vera magnum numerum peccatorum extinguit. Primo enim dignum est, ut quisque misereatur sibi, et vitia deserat, et peccata digna paenitentia et confessione deleat pura, mala quae fecerat. Deinde ut indigentibus atque tribulantibus misericordiam praestet, ut ita misericordiam a Domino quam desiderat promereatur. Ad ecclesiam innoxiis manibus et puro corde veniamus. Et si cupimus a divina fortitudine con-

tra omnia nos mala et signo sanctae crucis iugiter nos et sapienter armemus. Illudque inter cetera commonemus, hortamur, impellimus, ut quisquis aliquid habet simultatis aut indignationis vel iracundiae cum propinquo, cum servo, cum fratre, omnia remittat, deponat, abiciat. Omnis christianus a perturbatione separetur. Ignoscamus erroribus, indulgeamus offensae. Et sicut nos in passione et resurrectione Christi speramus et optamus indulgentiam delictorum, ita nos quoque placida mente tribuamus fratribus, quod a Christo magno opere optamus accipere. O domine Iesu pater et pastor optime, qui proprio nos redemisti sanguine, tu operare, tu perfice, tu usque in finem omnia in nobis bona custodire dignare, et f. 195. a.
ad aeterna tecum et cum omnibus sanctis gaudia perfruenda facias pervenire, omnipotens Deus qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

CXLII. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI FERIA QUINTA DE CAENA DOMINI.

1. Multa quidem dominus et Salvator noster in dispensatione huma- Cod. vat. 479. f. 195. a.
nitatis suae, quam pro nostra omnium salute agere dignatus est, exempla nobis humilitatis ostendit, sed hoc super omnia potissimum est humilitatis exemplum, quod dignatus est suorum lavare pedes discipulorum 1), ut legimus in evangelio *: et surgens, inquit, a caena exuit se tunica et prae- * Ioh. XIII. 2.
cinxit se; deinde misit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum. Mira et incomparabilis humilitas Salvatoris! Lavit pedes servorum suorum dominus maiestatis aeternae; et ministrat hominibus in terra, cui angeli ministrant in caelo. Ad hoc se humiliavit in terra, ut te per humanitatem suam sublevaret in caelum. Ad hoc se humiliavit inter homines, ne tu exaltari cupias super homines, sed potius humiliari; quia humilitas caelos ascendit, superbia erigentem se eiecit de caelo. Lavit ergo pedes Dominus discipulorum suorum, ne tu dedigneris conservorum tuorum lavare pedes. Quod ergo exuit Dominus se tunica, id est carnem mortalem quam assumpsit ex virgine deposuit in cruce, ut nostram omnium peccatorum nuditatem contegeret. Cum autem venisset ad Simonem, qui dicitur Petrus, a quo primum coeperat pedes lavare, dicit ei Petrus: non lavabis mihi pedes in aeternum. Respondens autem ei Dominus ait: et si non lavero te, non habebis partem mecum. At ille respondens ait: Domine, non tantum pedes meos sed et manus et caput. Primo excusabat sibi pedes a f. 195. b.
Domino lavari, quia indignum se credebat eius obsequio. Sed postquam cognovit mysterium, non recusavit obsequium, ut haberet cum Christo consortium, et pedes obtulit ad lavandum, ut gressus humani operis, qui polluti fuerant per peccatum, sacro lavarentur baptismate. Manus optulit ad lavandum, quas Adam illicite extendit ad arborem, ut eodem sacro

1) De pio lavandi pedes ritu (qui etiam in antiquis ritualibus legitur) loquitur Augustinus epist. LVI. 3. Item in Ioh. serm. LVI. LVII. LVIII. Et tom. V. in append. serm. 149. Nec non tom. VI. in serm. de unctione capitis et de pedibus lavandis. Denique Ambrosius de virgin. cap. X.

mysterio mundarentur. Caput optulit ad lavandum, ut totius corporis sensus et animae sordidati peccatis sacro fonte per Christi gratiam diluerentur. Totum se lavari offerebat, quia omne humanum genus totum salvari indigebat, ut in lotione capitis cor mundum mereretur habere; in manuum, opera iustitiae; in lavatione pedum, ut per viam veritatis mundis gressibus ambularet. Lavit ergo Dominus pedes discipulorum suorum, ne in nobis aliqua peccati vestigia de Adae sordibus remanerent. Lavat pedes discipulorum, quos ad gratiam baptismi salutaris invitat, ut ibi omnium remissionem peccatorum percipiant. Et quamvis per homines exerceatur huius officium, opus tamen illius est qui auctor est muneris, et ipse facit quod ipse instituit. Nos exhibemus officium, ille praebebit munus aeternum. Nos corpus lavamus, ille animas mundat. Nos aqua corpus intingimus; ille peccata dimittit. Dignum est igitur, Fratres karissimi, tam sanctum mysterium tamque salutare humilitatis exemplum dignis moribus imitari, et sancta conversatione illam sacratissimam lavationem observare; ut si cogente humana fragilitate post baptismum inquinavimus vitam, pura confessione, digna paenitentia, cum lacrymis vel eleemosynis hoc diluamus, ut ad veram indulgentiam veniamus, per Dominum nostrum Iesum Christum viventem et regnantem in saecula saeculorum. Amen.

CXLIII. ITEM SERMO EIUSDEM DE MYSTERIIS CAENAE DOMINI.

Cod. vat. 179. f. 195. b.

1. Quia hodie, dilectissimi, diem sanctum devota mente recolimus, quo Dominus ante passionem cum discipulis suis caenare dignatus est, et omnia quae de eius passione et morte scripta vel prophetata fuerunt, pro nostra omnium liberatione voluit misericorditer tolerare, oportet nos tam magna mysteria dignis moribus celebrare, ut sicut eius volumus passionis esse participes, ita et resurrectionis mereamur esse consortes. Nam et omnia veteris legis sacramenta in Christo sunt pleniter 1) consummata, cum discipulis panem corporis sui, et vinum sui sanguinis, aeternis mysteriis tradidit offerendum, omnibusque fidelibus assumendum in remissionem omnium tribuit peccatorum; ita ut sicut ipse passus esset pro nobis in corpore, ut ab aeterna nos morte redimeret, et viam nobis ad regna caelestia praepararet; id ipsum pro nobis cotidie pati velle monstravit 2), ut nos ad vitam secum aeternam perducat, quotienscumque in sancto altario *a*) eiusdem mysterii sacrificia celebrantur a nobis. Unde dixit discipulis suis: accipite ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum, et calix sanguinis mei, qui pro multis effundetur in remissionem omnium peccatorum. Hoc igitur quotienscumque sumetis, in meam memoriam facietis.

2. Agnoscamus igitur, Fratres, tanta mysteria, qui divinis officiis man-

a) Sic pro *altari* etiam in aliis veterum scriptis, ut in nostro glossario iam diximus.

1) Animadvertamus vocabulum *pleniter*, cuius unicum ex Ennodio exemplum dabat Furnalettus.

2) Videmus missae sacrificium, repetitionem esse, quamquam incruentam, sacrificii olim in cruce oblati.

cipati; et ideo ad illam terribilem mensam Domini cum debita reverentia, cum tremore pariter et amore ad eius sanctissimum corpus tractandum accedere cogitemus, nulla malignitate fuscati, nullo invidiae veneno transpuncti 1), nullo odio maculati. Si enim a spiritalibus debemus esse vitiis impolluti, multo magis a corporalibus sinceri. Nullus igitur duplici id est malivolo contra proximum animo audeat accedere, nullus in fide ambiguus, nullus nisi in corpore castus et corde mundissimus tantis audeat proximare mysteriis, ne condempnetur ut Iudas, et sententiam dampnationis mereatur, et quod Iudas sustinuit patiatur. Nam illum post tam magnae misericordiae communionem diábolus intravit; non quia contempsit dominicum corpus, sed quia impudenti mente atque maligna diabolo in se dedit hospitium. Ideoque timendum est indignis quibusque accedere praesumentibus ad tam sacra et veneranda mysteria, ne diabolo insidiatori pessimo habitandi in se locum efficiant. Hoc autem dico non ut vos terream, sed ut cautiores efficiam, ut nullus vestrum sit Iudae consortius 2) in mensa. Hoc namque sacrificium cibus est spiritalis. Nam corporalis cibus cum ventrem invenit adversis humoribus occupatum, amplius laedit, magis nocet, nullum praestat auxilium. Ita et iste spiritalis cibus si aliquem reperit malignitate pollutum, magis perdit quam salvet, magis dampnat quam liberet; non sua natura, sed accipientis peccato.

3. Christus ergo praesto est in mensa, Christus ibi ipse occiditur 3), Chri- f. 196. a.
stus immolatur, Christus ibi in suo corpore et sanguine sumitur. 4) Ipse ille qui discipulis hodie panem dedit et calicem, iste ipse hodie consecrat ista. Non est enim homo qui appositum Christi corpus et sanguinem dedicet, sed ille ipse Christus qui pro vobis est crucifixus. Ore sacerdotis verba proferuntur; ipsumque corpus et sanguis, Dei virtute consecrantur et gratia. Puram igitur mentem in omnibus, puram exhibeamus cogitationem, quia et sacrificium purum et sanctum est; ideo et animam praeparemus etiam sanctam. Nam si contra inimicum dolor retineatur in corde, solvatur; et inimicitia relaxetur, ut remedium de mensa sumatur, cum ad sanctum sacrificium properatur. Audiamus quae alibi ait *: si offers munus * Matth. V. 23.
tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum, et vade prius reconciliari fratri tuo, et ita offeres munus tuum. Merito namque reconciliationis causa hoc est sacrificium constitutum 5); quia si sacrificii praecepta contempnis, sacrificii remedium sentire non potes. Comple illud, propter quod ipsum est sacrificium factum, ut digne sacrificio perfruaris. Quia Christus ideo passus est, ut nos patris sui reconciliaret pietati. Ideo et nos cum hoc facimus, suo fecit vocabulo nuncupari. Beati, inquit, pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur *. Hiis igitur animadversis, cum omni simplicitate ipsa mysteria * Matth. V. 9

1) Verbi *transpungo* unicum afri auctoris Coelii Aureliani proferebat exemplum Furlanettus in lexico. Nunc addatur Augustini auctoritas.

2) Ita cod. Et videtur novum vocabulum.

3) Nempe eius occisio repraesentatur.

4) Splendidissimum denuo de Christo presente in eucharistia testimonium!

5) Nempe dicitur *communio*.

celebremus, atque ad mensam Christi dignis moribus accedamus, ut vitae aeternae consortes cum Christo esse pariter mereamur, qui cum patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

CXLIV. SERMO EIUSDEM DE CRUCIFIXIONE ET PASSIONE DOMINI.

Cod. Vat. 479. f. 198. b. 1. Inter omnia, dilectissimi, opera misericordis Dei, quae ab initio saluti sunt impensa mortalium, nihil est mirabilius nihilque sublimius, quam quod pro mundo crucifixus est Christus. Huic enim sacramento universa praecedentium saeculorum mysteria servierunt; et quicquid in hostiarum differentiis, in propheticis et legalibus institutis, sacra dispensatione variatum est, hoc renunciavit dispositum, hoc promisit implendum 1), ut Christus qui est vita vivorum et salus credentium, pro vita mundi moreretur; qui venerat quaerere et salvare quod perierat; qui mortuus est, non pro iustis *tantum*, sed etiam pro impiis; non ut impii permanerent, sed ut ab impietate eos iustificaret. Et qui in vita nostra periebamus, in morte Christi saluti restituebamur. Nos enim de natura nostra vivere non potuimus, nisi in morte Christi. Et quia ille accepit ex nobis unde moreretur, sic nos ab illo accepimus unde aeternaliter vivamus. Accepit ille nostra, et tribuit nobis sua: accepit pro nobis contumelias, et tribuit nobis aeternos honores; accepit pro nobis dolores, et veras nobis tribuit sanitates: accepit mortem nostram, et tribuit nobis vitam aeternam: cuius auxilium et misericordiam in omnibus implorare debemus, ut ipse nobis tribuat bona velle, ipse tribuat bona perficere; quoniam nisi ab ipso nihil boni velimus, nihil perficere boni possimus. Ideo intendamus, dilectissimi, quantas pro nobis sustinuit iniurias, quanta non pro se sed pro nostra salute toleravit adversa. Studeamus totis viribus eius inhaerere praeceptis, et quantum possumus ea opere impleamus; quia aut facientes ea, aeterna suscipiamus praemia; aut negligentes, aeterna sustineamus tormenta. Quod nobis divina pietas largiri dignetur, ut et passionem eius digne celebremus, et bonis moribus aliquantulum imitemur, et in futuro iudicio non cum impiis dampnemur, sed cum sanctis et electis Dei aeternam gloriam mereamur accipere. Explicit.

CXLV. ITEM SERMO EIUSDEM IN PARASCEVE.

Cod. Vat. 479. f. 199. a. 1. Passio domini et salvatoris nostri Iesu Christi cuius sanguine, dilectissimi, nobis delicta nostra deleta sunt, in universo orbe cum magna formidine celebratur. Quis enim non expavescit tantum facinus Iudaeorum, quod hodie perpetrabant in regem omnium saeculorum? Vel quis non admiratur laudat et veneratur tantam clementiam tantamque benignitatem

1) Hactenus est sermo tertius S. Leonis da passione. Iam Leonem sibi aliquando sumpsisse partes aliquot Augustini, dixi in hac PP. bibliotheca T. II. praef. p. VII. adn. Sed iudicent philologi.

Domini conditoris, quod ipse qui est creator omnium saeculorum et dominus angelorum, ipse propter peccata nostra delenda carnem suscepit peccati, et nasci dignatus est in forma servi, non sua sed nostra necessitate per omnia? Quia nisi ipse susciperet unde moreretur, nos ab aeterna morte, nec de captivitate poenali, nec a potestate diaboli ullatenus liberaremur. Sed quia temperavit potentiam suam, et fecit in nobis misericordiam suam, qui venerat quaerere et salvare quod perierat, circuivit regiones et urbes, vicos et castella, docens et praedicans evangelium regni; dans exempla et monita non solum verbis sed etiam operibus piis, quibus aeternam mortem evadere possumus, et aeternae beatitudinis gloriam promereri, si volumus eius praeceptis et monitis obedire. Ipse enim sua carnali praesentia curavit omnes languores et omnes infirmitates in populo, leprosos mundavit, mortuos suscitavit, et omnes sibi credentes ad regna caelestia invitavit. Pro talibus namque et hiis similibus operibus misericordiae et benignitatis in humano genere peractis, Iudaei eius praesentiam ferre non valentes propter inhabitantem in eis spiritum malignum, consilium fecerunt ut eum dolo tenerent et occiderent, eumque sub peccati debito manciparent: qui solus erat sine peccato, qui tollere venerat totius mundi peccatum: multisque eum iniuriis affligentes, et multis irrisionibus deridentes iudicaverunt ad mortem, qui eos venerat liberare a morte. Quamvis sibi dampnum, nobis autem salutem operati sunt magnam, nobisque exemplum patientiae ipse per omnia dedit. Novissime tamen cum et ipse crucem sibi portaret ad mortem; et non solum suos persecutores extinguere noluit, sed etiam pro eis in cruce ad patrem oravit dicens: pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. O quam magna patientia! quam magna misericordia! Qui sine reatu morti est deputatus, ipse etiam suos persecutores voluit carere reatu. Proinde, dilectissimi nobis, cogitemus quid retribuere Domino pro tantis beneficiis valeamus. Non enim ipse quaerit a nobis mortem nostram, sed etiam vitam nostram, ut moriamur peccatis carnis, concupiscentias conterendo; et bonis operibus, eius semper praeceptis obediendo: ut semper operibus misericordiae inhaereamus, plorando, et confitendo mala quae fecimus. Vigiliis, ieiuniis, eleemosynis insistentes, ad caelestia semper et eaterna gaudia promerenda sensus nostros sermones et opera dirigamus in beneplacito suo; ut cum eo pariter et sanctis eius mereamur gaudere in aeterno regno suo; ipso praestante, et omne bonum in nobis perficiente domino Salvatore, qui cum aeterno genitore et Spiritu paraclito manet et regnat in saecula saeculorum. Amen.

CXLVI. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE SABBATO SANCTO.

1. Merito ergo 1), dilectissimi, exultat hodie caelum et laetatur terra, Cod. vat. [illegible] f. 202. a.
quia dies iste amplius de sepulchro radiavit, quam de sole refulsit. Quia

1) Ne quis miretur hoc exordium, videat simile in Bibliotheca conc. Combefisii T. VII. 142.

dominus et salvator noster, sicut mundum antea natus homo illuminavit, ita etiam hodie mortuus corpore, cum divinitatis suae potentia simul et humana anima illustravit infernum. Hodie Domino se visitante tripudiavit in-
* Is. IX. 2. fernus, quia adimpletus est sermo propheticus *: populus qui sedebat in tenebris, id est omne humanum genus inferni tenebris obvolutum, lucem vidit magnam. Quia ipse qui creavit hominem, ipse hodie in inferno eum
f. 202. b. quaesivit, et sua inde potentia liberavit. Mira et ineffabilis Dei nostri pietas! Irruperat quidem mors in paradisum, sed vita expugnavit infernum; legemque mortalem filius Dei suscepta mortalitatis conditione calcavit, im-
* Os. XIII. 14. plens illud quod propheta testatur *: o mors, ero mors tua; quia quos tu per peccatum mori fecisti, ego mea morte in aeternum interitum colligabo, et eos a morte perpetua liberabo. Ecce quibus laqueis illigata et irretita est hominum perditio; quia sicut decepit, decepta est; dum interfecit, extincta est. Descendit ergo Dominus deposito corpore imas atque abditas tartari sedes; sed ubi retentus esse inter mortuos putabatur, ibi vincula mortuorum, ligata morte, dirupit. Et unde nullius umquam antea nec
* ita cod. solus redierat, inde ille cum magna spolia * caelos penetraverat. Ecce quantum egit immensa Dei pietas pro salute ac reparatione nostra! Propter nos sicut ovis ad occisionem ductus est; suscepit pro nobis mala praesentia, ut nobis tribueret aeterna bona.

Aestimemus ergo si possimus quantum nos dilexit ante culpam, quos ita glorificavit etiam post ruinam. Fecit ergo praedam magnam in inferno, quia omnes inde fideles animas liberavit. Ipse se sua potentia suscitavit, et immaculata carne vestivit, quam in sepulchro dimisit. Et non solum ipse resurrexit, sed etiam omnium fidelium animas ad caelestia regna provexit. Exultent ergo populi christiani, pro quibus sanguis effusus est Christi. Exultent et gaudeant, quia de manu eos redemit inimici, et in gremium patris provexit aeterni. Ideo exultemus in Domino non epulis carnalibus sed in operibus etiam spiritalibus. Cautionem enim et pactum in baptismo cum Christo fecimus, ut illi servaremus innocentiam, et ille aeternam nobis redderet gloriam: vel nos ei servitium praeberemus, et ille nobis regnum pararet aeternum. Quia ergo ad aeternam libertatem Christus nos sua morte perduxit, et sua nos gratia ab aeterna morte redemit, ideo cultu sanctae religionis, operibus iustitiae, et puritate castitatis, instantia orationis, assiduitate confessionis, eleemosynarum largitate, ea quibus post baptisma maculavimus vitam, omni studio abluamus, paenitendo et lamentando, et in omni nos cautela contra diabolum iugiter exercendo. Iocundemur semper in Domino, maxime tamen die adventante sanctissimo redemptionis nostrae, in quo per totum mundum omnis catholica gratulatur ecclesia. Quem ideo annua recursione devotissime colimus, ut ad aeternum diem atque ad aeternam exultationem cum omni gaudio veniamus; ipso Domino largiente, cui est honor et gloria virtus et potestas per omnia saecula saeculorum. Amen.

CXLVII. EIUSDEM DE SANCTO STEPHANO.

1. Quamvis martyrium sancti Stephani toto orbe celebretur, praecipue tamen nobis debet esse sollemne, quibus etiam reliquiae beati martyris contulerunt 1). Facit enim nos portio sancti corporis gratiosiores memoria passionis; maxime quia quantuslibet cultus 2) beato martyri deferatur, per praesentiam tamen reliquiarum suarum plus multo honoris praestat quam accepit. Et ideo et a nobis plurimum tribuitur venerationis, a quo plus ipsi potimur dignitatis. Bene autem natalis eius natali dominico coniunctus est, ut proximus esset Salvatori in sollemnitate, qui est proximus passione. Hesterna enim die, dilectissimi, natalem habuimus Salvatoris, hodie primi martyris: hesterno die unicae redemptionis, hodie summae devotionis: hesterno quo redimimur a morte, hodie quo invitamur ad praemium. Bene ergo hesternae festivitati sollemnitas hodierna coniuncta est, quod illa credentes eveheret ad vitam, haec conduceret ad coronam. Omni ergo ecclesiae 3) beatus Stephanus datus est ad exemplum, quia et in plebe fuit, et in altario *a*) mininistravit: ac per hoc et his forma est qui in plebe sunt positi, et his qui in altario constituti; quia et laicus diaconii meruit electionem, et diaconus martyrii optinuit principatum. Electus est enim, ut scriptum est, cum adhuc esset in populo plenus Spiritu sancto. In plebe ergo adhuc positus erat, sed iam virtutibus eminebat: humilis erat loco sed celsus fide: gradu latebat, sed meritis non latebat: discipulus erat ordine, sed factus est magister exemplo: in vestigiis enim apostolorum ambulans, quos sequebatur devotione fidei, praecessit velocitate martyrii. Cod. vat. 3828. f. 137. b.

2. Quamvis in illo etiam alia quae hodie lecta non sunt, laude et admiratione *b*) non careant. Scriptum est enim de eo, quod ad ministerii viduarum sit ab apostolis deputatus. Ergo etiam in hoc quod praepositus est feminis, testimonium meruit sincerissimae castitatis: nec castitatis tantum, sed etiam misericordiae. Praeteritae enim largitatis gratia promeruerat, ut hoc ei opus misericordiae crederetur. Factus enim est dispensator publicus, qui fuerat ante privatus. Ac per hoc quod ad regendas viduas electus est, et iustitiae habet palmam, et pudicitiae: quia his utique praepositus est feminis, qui et iustitiâ earum dispensaret alimoniam, et ornaret moribus disciplinam. Beatus ergo qui hunc secutus, qui imitatus fuerit in dilectione; eiusdem enim palmam et pudicitiae consequitur. Ac sic domino Deo suo et intrinsecus gratus erit, quia et anima eius placuit per eleemosynam, et corpus eius per castitatem.

a) Ita cod. Et quidem etiam alibi in antiquis mss. — *b*) Cod. *amm.*

1) De translatione reliquiarum S. Stephani in Africam, et de eius praecipue memoria, seu sacello, Hippone regio, Augustinus de civ. Dei. lib. XXII. 8. Immo vero in hoc eodem codice f. 139. b. legitur sermo, qui apud Maurinos est 318, habitus in collocatione reliquiarum S. Stephani.

2) En *cultus*, et mox *veneratio*, reliquiarum Sanctorum, quidquid contradicant heterodoxi.

3) Citat hinc luculentum frustum auctor Millelogquii T. II. col. 829.

CXLVIII. SERMO EIUSDEM DE EPIPHANIA DOMINI.

Cod. vat. 5828 f. 148. b.

Ps. XCVII. 1

1. Cantate inquit, dilectissimi, cantate inquit propheta canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus*. Cum ad insignem Epiphaniae festivitatem convenerimus, bene ipsa psalmi vox, dilectissimi, cum festivitate consentit, quae in laetitia festivitatis iubet cantare laetantes. Ita alterum est sollempnitatis, alterum psalmi: nam sollempnitati debemus gaudium; psalmi canticum gaudio *a*). Quid autem sequitur in psalmo? Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium revelavit iustitiam suam. Videamus, dilectissimi, quomodo condignissime *b*) hodiernae diei aptari possit hoc, quod innotuisse gentibus Dominum psalmista memoravit. Respiciamus itaque ad evangelium, et agnoscemus quomodo Dominus salutare suum non Iudaeis hodie tantum ostendit, sed etiam iuxta psalmum, qui lectus est, ante conspectum gentium revelavit. Ac primum consideremus, nato domino Iesu Christo, venientes ad illam humilem Salvatoris infantiam adoraturos cum donis Magos, immo in Magis gentium populos; quia cum paganicae superstitionis magistri et principes Magi fuerint, in quibus utique principatus gentium erroris fuit, typus gentilitatis apparuit. Deinde societur: stella stat super puerum, ut ostenderet utique eis, se stare tunc cui antea cucurrisset: et ut quae Magos duxerat itineris sui ductu *c*), eum ostenderet stationis officio. Ingrediuntur deinde diversorium sacrae nativitatis Magi: veniunt ad praesepium: vident hominem, agnoscunt Deum: incurvant corpora, intellegunt potestatem, pavent potentiam: vident carnem, adorant maiestatem: humana aspiciunt, et divina venerantur.

2. Quae cum ita sint, dilectissimi, consideremus an haec facientibus Magis, expleta sit prophetia illa, quae paulo ante lecta est, dicens: notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium revelavit iustitiam suam. In eo enim quod agnitus est per stellam, notus est in carne Salvator: notum fecit Dominus salutare suum. In eo autem quod visus est gentilibus, ante conspectum gentium revelavit iustitiam suam. Iam vero in eo quod eum hodie in baptismo *d*) declarasse pater filium traditur, nonne aperte item illud impletur quod ait psalmus: notum fecit Dominus salutare suum? Qua enim re magis Salvatorem suum notum facere potuit, quam quod a se ipso fecit agnosci dicens: hic est filius meus, et reliqua? Non enim ut antea per Moysen iam aut per prophetas, nec per typos aut figuras venturum in carne pater filium docuit, sed palam venisse monstravit. Itaque evidenter et luce clara praesentibus atque adsistentibus turbis, caelo denique atque terra, et omnibus quae inter caelum ac terram volvuntur testibus, sonuit: hic est filius meus dilectus, in quo mihi conplacui. Ac
f. 149. a. ne tantae rei testis vox esset sola, quae erat maxima; quem pater loquendo ostendit, Spiritus sanctus adveniendo signavit, ita *e*) descendente super caput illius columba: prius enim filium Dei esse visio ipsa docuit, quam

a) Cod. *gaudiorum*. — *b*) Adnotemus adverbium *condignissime*. — *c*) Cod. *ducto*. — *d*) Cod. *baptisma*. — *e*) Cod. *itaque*.

vox loquentis ostendit. In quo quidem mihi non testimonium esse tantum, sed divinitatis etiam mysterium videtur. Utique in manifestando domino Iesu Christo, quod filius esset, qui ostenderetur *a*); pater, qui declararet. Ac sic dum unigenitum Deum testimonium totius maiestatis ostenderet, tota se divinitatis trinitas demonstraret.

3. Iam vero ut aliquando ad eam perveniamus, dilectissimi, paulo ante lectam lectionem evangelicam, virtutem divinam consideremus diligentissime: nam *b*) ea quae in festis nuptialibus aquae demutatio 1) facta legitur, evidenter Deum manifestasse videtur. Quae enim maior potuit esse manifestatio Dei, quam conversio mutatioque naturae? nulli enim promtum est elementa convertere, nisi cuius potestas est procreare: quia eiusdem potentiae est facta convertere, cuius infecta generare. O mira Salvatoris nostri inaestimabilisque virtus! Aquae hydriis inferuntur, et vinum póculis ministratur: aliud infunditur, aliud hauritur. Quis dedit vini elemento hanc obedientiam ut desineret, et alteri ut substantia ne deesset 2)? Esto obtemperare norint *c*), quae vel audiendi usum *d*), vel sensum intellegendi habent: res certe utraque et auditu carebat et sensu. Unde et hoc habere potuerit oboedientia, quod non habuit in natura? Apertissime itaque et potentiam divinae maiestatis ostendunt, quae sine auditu audiunt, sine intellectu intellegunt, sine sensu obsecuntur. Probat enim se naturarum omnium Deum, qui in his quae non habent naturalem intellegentiam, facit naturam. Superest, dilectissimi, oremus nunc ut cuius virtus atque maiestas hodie in elementi conversione claruit, in nostrarum quoque mentium conversione clarescat.

CXLIX. SERMO EIUSDEM DE EADEM.

1. Admoniti Magi in somnis ab angelo, ne reversi Herodi nuntiarent Cod. vat. 2328. f. 151. a.
de Christo, sed per aliam viam in suam pergerent regionem; tunc Herodes cum se videret a Magis esse elusum, facie inmutatus, animo conturbatus, scribas ad se et seniores vocari iussit, a quibus exquirebat, dicens: ubi certum habetis regem futurum nasci? Illi autem dixerunt: in Bethleem Iudae. Sic enim scriptum est: et tu, inquit, Bethleem Iudae non eris minima inter principes Iuda 3); ex te enim exiet rex, qui recturus est f. 151. b.
populum Israhel. Tunc Herodes armatum militem destinavit, cui terribili iussu interminatus dixit: ite in Bethleem Iudae et fines *e*) eius, et quicquid ibi inveneritis a bimatu et infra masculum, occidite. Tunc modo videbam Dominum amicos sibi deligentem *f*), innocentes ad se vocantem, ut sit in-

a) In codice additur: *filius qui ostenderit.* — *b*) Cod. *hac* pro *nam.* — *c*) Cod. *norit.* — *d*) Cod. *usu*, et mox *sensu*. — *e*) Cod. *finibus.* — *f*) Cod. *dilijentem.*

1) Adde huius vocabuli *demutatio* exemplum apud Forcellinum, ubi variant aliae lectiones, sed non variat afer Tertullianus, quem nunc confirmat afer Augustinus.

2) Commode haec sententia ad eucharistiae quoque miraculum trahetur.

3) Ita cod. heic *Iuda*, etsi alibi *Iudae*. Confer autem S. Hieronymum ad Matth. III. 5.

nocentium amicus, sicut et innocens dominus, agnus inmaculatus qui tulit peccata mundi, et facti sunt ei innocentes amici. Innocentes et recti
Ps. XXIV 21. adhaeserunt mihi, quia sustinui te, Domine*. Sustinuit fugiens in Aegyptum, et fecit sibi amicas legiones infantium, quibus dedit sine dolore martyrium: quia etsi dolebant matres, crimen nescientes lacerabantur infantes: non curabat gladium persecutoris conscientia innocentis, quia gaudebat cum illis, fuga innocens Salvatoris. Dominus quaeritur, et amici iugulantur, ne lugeret in eis sanguis innocuus, quos separavit gladius inpudicus.

2. O inverecunda dextera persecutoris! non habet quod feriat in membris infantis, et extendit brachia ferientis: gladius locum non habebat, et carnificem non pudebat: latior erat machaera, quam vulnera, ut gladiator haberet crimen et non innocentiam. Dum enim avellerentur a conplexibus matrum avara manu carnificum, matres suas digitis teneris constringentes, et miseris gemitibus deplorantes, clamat mater: o fili, quid me retines? te enim a me separat carnifex: tu stringis manus, et meus torquetur affectus: hoc praecepit rex, ut separeris a me: sed est alius rex fortior et aeternus, per quem coniungaris mihi. Fili, facio tibi vale: terra bibit sanguinem tuum, sed est qui suscipiat spiritum tuum. Ubique luctus, ubique gemitus. Indictio fuit non cupiditatis, sed magni furoris. Clamant ergo hinc inde diversae matres: carnifex, parvulum meum a me festinas gladio separare? dona moras, si habes pietatem. Tu tollis a me filium meum, et ego non debeo in illo modicum habere momentum, ut refrigerer animum meum? Ego genui, ego peperi, et nutrire de meo ubere *a*) coepi, sed te vitricum crudelitatis inveni. Saltim non a me filius meus ieiunus abscedat: dabo illi viaticum lactis, ut habeat viscera pinguedinis ubi sagines gladium crudelitatis. Accedant nutrimenta lactis, ut tua satietur machaera; et filii mei inpinguetur anima lacte et sanguine candidata, sicut tunica medio clavata. Sanguis erat purpura, et lac fuit stola candida pretiosa. Tecum vado, dulcissime fili, clamat mater, quousque ad locum pervenio: te dulcissimum, te uteri mei dolorem et gemitus expectatura *b*) deduco.
f. 142. a. Ego infigo osculum, et carnifex sine misericordia infigit gladium. Ipse percutit pro Christo passurum; et ego suscipio sanguinem innocentis cum Christo regnantis. Tu iugulas sine causa, et ego excipio viscera mea. Si mihi non licuit lactare, liceat vel sepulchrum meo filio digne componere. Quia viscera turbantur a nimio dolore, dum inspicio meum filium carnificis manu sine misericordia iugulari. Inter matrum planctus, et filiorum ululatus, in fuga erat dominus Christus. Milites percutiebant, matres sepeliebant, et angeli spiritus eorum suscipiebant, et Christus rex caelestis dicebat: innocentes et recti adhaeserunt mihi. Si volumus ergo, Fratres, Christo adhaerere, careamus malignitate, teneamus simplicitatem, ut mereamur a Domino pietatem.

a) Cod. *de mea ubera*, fortasse ex idiotismo vulgari. — *b*) Pro *spectatura*, ut alibi.

1) Hi de occisione infantium sermones conferantur cum illis tomi X. editionis parisiensis anni 1614.

CL. SERMO EIUSDEM DE EADEM.

1. Novi sideris non fatale sed regale signum, clarum cursibus anhelis, aspicite, dum Magos ducit ad Christum, et totum convocat mundum, quia caeli patescit obsequium. Sic inlustris facies poli nocte detersa pingitur: sic humano generi posito in tenebris et umbra mortis, ianua lucis ostenditur. Veniunt Magi stellarum cernuli 1) et siderum sectatores, admoniti insolito fulgore radiantis globi, et solitis *a*) gressibus flammiflui 2) iubaris secuti viam, aspiciunt in angulo pannis opertum, cuius indicabat gloriosum apex purpuratus imperium. Non ita flammeum fulmen ignibus *b*) coruscat, nec sic aurora roseum imbrem terris effundit, aut nativa fornax vomit incendia, ut ardebat ille caelestis umbo quem, ignoti luminis sidus, terra *c*) pavebat *d*). Quis igitur regem magnum esse non crederet, cuius maiestatem caelorum scrinia *e*) praedicarent? Accessit igitur Magus, in quo fides nostra parvula nascebatur: offert aurum, thus litat, ingerit myrrham. O modicum natum, divitem mox paratum! Vagit inter crepundia ipsa querulus, et iam formidatur ut Deus: clientium muneribus excolitur, et depositis cervicibus adoratur. Aurum igitur exsolvitur quasi regi magno, thus immolatur ut Deo, myrrha praebetur tamquam pro salute omnium morituro.

Cod. vat. 3828 f. 119. a.

f. 119. b.

2. Sed Herodes impius factus ex timore crudelis, ut pudorem suum posset celare, amplius voluit daesevire. Fingit primum adorare, quem tremit partum esse. Nam *f*) puto, Fratres, hostem vires interim *g*) premere, quia non potest praevalere: et simulare innocentiam, quia non valet implere nequitiam. Ergo Herodes de successore anxius, et de regni desperatione sollicitus, praefert supplicem, concogitat 3) hostem. Sed quando poterat capere eum, qui ipsas fraudes venerat amputare? Deceptus igitur Herodes, pendula expectatione frustratus *h*), diu ferre non potuit quod celabat. Praecepit igitur innocentes occidi, et necdum membra coagulata, atque ab ipso partu recentia, gladiis interfici et saxis inlidi. O crudele facinus! O rabies saeculi inaudita! Talis erat illa species funeris, ut nec tenêri posset occidendus, nec postea videres occisum. Rapiebantur ab ipsis uberibus tremuli partus: inter manus matris atque carnificis vita tenuis expirabat; ut iam non vivos occiderent, sed mortuos trucidarent. Plangebant tunc piae matres, et suis ululatibus aethera quatiebant: stringebant natos ad pectora, et volentibus pariter mori, non dabatur occidi: torquebantur iterum viscera quae pepererant, non iam germine vivo, sed funere: et impio carnifici lacrymosae matres, nec quidquam *i*) miserationis extensis manibus supplicabant, dum ille lacteos artus furibundus elideret *k*), atque inter ipsas preces sanguine natorum maternos oculos effoedaret 4). Quid tibi, Herodes praestitit ista

a) Num pro *sollicitis*? — *b*) Cod. *ignitis*. — *c*) Cod. *in terra*. — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *nam*, pro *non*. — *g*) Cod. *intermum*. — *h*) Cod. *frustra*. — *i*) Pro *nequidquam* (frustra)? — *k*) Cod. *ederet*.

1) Animadverte vocabulum novum et elegans *cernulus*. Nam quod affert ex Apuleio Forcellinus, mendum manifestum est pro *cernuus*.

2) Videsis vocab. item novum *flammifluus*.

3) En novum verbum *concogito*.

4) Adnotemus adhuc verbum novum *effoedo*, *as*.

saevitia? Ecce cum unum insequeris, multos occidis; nec sic tamen ad illum pervenias quem quaeris. Ac sic et tibi infructuosae malitiae tuae interitum procurasti, et Christo coaevos martyres transmisisti. Laetemur nos, Fratres, in concordia fidei, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei: ambulemus cum Magis: sequamur clarum lumen sideris: adoremus praesepe christiferum 1), offeramus ei votiva obsequia. Iacet nunc ante ianuam pauper christianus in pannis: obtulit Magus aurum, christianus non neget pauperi nummum.

CLI. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE OCCISIONE INFANTIUM 2).

Cod. Vat. 5828. f. 113. a. 1. Quid est, Fratres karissimi, quod circa propheticas aures clamant vulnerum voces? Quid est quod sancti Spiritus praescientia scelus, ante quam fiat, canitur, et innocens sanguis prius quam fundatur auditur? Strepit interpellans ululans occisorum innocens turba, et ingemescit *a*) contestans inmaturae messis nascentium seges. Saucia inter lactantium vagitus et cunas Christum clamant tot martyria quot sepulchra, et Hieremiae vatis caeleste praeconium, et irascentis Dei fidele documentum. Qui prophetarum non accipiunt testimonium, vel voces audiant *b*) occisorum, sicut scriptum est: vox in Rama audita est, ploratus et fletus multus Rachel plorantis filios
Hier. XXXI 15. suos, et noluit consolari quia non sunt *. Nato enim domino Iesu Christo, postquam radiantis globi almum sidus, caelestis ortus auspice protulit lumine, et inter hebetes stellarum tremuit luce pallores micantis orbis candicans visus, rutilugnisque 3) fulgor ostendit; tunc Magi 4) sacrilega peritia et secretorum sagax ac *c*) vetita male cauta *d*) sollertia, signorum omnium cursus et motus, ortus occasusque sollicitat: regulis siderum stellis iubar, et usualis circuli insuetum lumen nascendi, novitatem mirati ac *e*) trepidi Herodis aures pavidi metus terrore perturbant. Sed mortali stoliditate naturae, natum terris novum iudicans *f*) regem, regnorum caelestium principem, sicut
* Ps. II 8. David Spiritu sancto plenus adnuntiat dicens *: postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.

f. 113. b. 2. Agnitis itaque, Fratres karissimi, caelestis nativitatis regalibus signis, aestuat tyrannicus animus, propinat veneni ebrium nefas, et crudeli tanti sceleris sagina pasta mens indigestum virus eructuat. Patitur exitu sui pervigiles iocos 5), et in poena sua indigena carnifex persistens edacis *g*) flammae vernaculo consumitur igne. Sed dum incertarum rerum incertior consolator exerrat, profanis haustibus scelus gestiens morsu, dispositis mortibus

a) Ita cod. — *b*) Cod. *audiunt*. — *c*) Cod. *hac*. — *d*) Cod. *caute*. — *e*) Cod. *hac*. — *f*) Cod. *indicans*. — *g*) Cod. *sedaces*.

1) Observa vocabulum *christifer*.

2) Qui sequitur sermo stili asperitatem obscuritatemque prae se fert, et mendis multis gravibusque obsidetur. Tamen inter Augustini sermones in codice scribitur.

3) Ita evidenter codex. Et notemus vocabulum, nisi mendum est. Sed mallem saltem *rutilignis*.

4) Sermo est non de magis Christi adoratoribus, sed de superstitiosis qui Herodem exterruerunt.

5) Ita se habet scriptura in codice. Davus sum non Oedipus.

innocentium membra dilaniat, et cruenta lege ferali *a*) iussit totam nascentium depopulari infantiam. Mittit namque inmanissimus tyrannorum per Bethleem populos non edicta sed tumulos et publicum luctum funebri adnotans pagina, innocentium supplicium lege iubet esse sacrilegium. Cunctorum infantium anni scrutantur *b*), et tempus a magorum dimensum *c*) moratu *c*). Inter membra lactantium errando per strages funerum, quaerit homicidium afferre mentis caeco furore *d*). O insanae blasphemiae insanabilem luem *e*)! Totam vult humani generis sobolem perdere, quasi vero inter homines Deum possit occidere. Sic sancti evangelii perhennes loquuntur apices: tunc Herodes cum vidisset quod inlusus est a Magis, indignatus est nimis, et interfecit omnes pueros qui fuerant in Bethleem a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis. Sternuntur itaque innumera infantium milia, in quibus lex ex *f*) nascendo fecerat poenam. Supputantur parvulorum breves anni, et recens nativitas carnificis curiositate perquiritur. Non evasit mortem, quem aetas prodidit innocentem. Stat raptis liberis mater orbata; et revulsis, fluentium mammarum lacteum imbrem clausa vix continent membra. Stat unius causa *g*) ad diversa supplicia. Haec percutientem ut expectet paululum rogat, donec infans ad vulnus idoneus fiat, ne de parvo corpore se infamet homicida. Haec ut in pectus suum suus innocens feriatur exorat. Nulla *h*) lacrymis mater excusat, solas inducias postulat, ut persecutori nutriat quos occidat. Stat cruentus exerto mucrone persecutor, et assidua caede lassata iam dextera, ingrassati teli obtunsam *i*) aciem vibrans, tenerum transforat pectus; sed in brevi corpore locum vix invenit vulnus. Sonant inter carnificum manus pro clamoribus tremuli vagitus, pro ululatibus pium murmur infantium. Nemo loquitur moriens *k*), sed frigida in faucibus lingua laudem mussitat non dolorem. Sicut beatus propheta David testatus est dicens *: ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem propter inimicos tuos. * Ps. VIII. 3.

3. Sic, Fratres karissimi, in laudem domini nostri Iesu Christi primus dedicatus est sermo: sic clausi oris resoluta repagula rudis *l*) linguae immolavere primitias; cum tacita victima, loquax discit esse per vulnera. Sicut Salomon sapientissimus loquitur dicens *: Dominus aperuit ora mutorum, et linguas infantium fecit disertas. Confitetur ecce mutorum nova vox Dominum, et infantis *m*) linguae verba semivoca 1), in laudem Christi, quasi olim docta loqui, se provocat. Rumpuntur muta suspiria, et offendentium labiorum confusa *n*) fragmenta in verba se glutinant. Non expectatur loqui, qui Deum cogitur confiteri. Sic ad Moysen Dominus dicit *: ego aperiam os tuum, et instruam te quid loquaris. Agnoscit ne, rogo, sacrilegus tyrannorum facinus suum ante praedictum? Intelleguntur *o*) in aures Dei quicum- * Sap. X. 21. f. 144. a. * Exod. IV. 12.

a) Cod. *feralibus.* — *b*) Cod. *sectantur.* — *c*) Cod. *amoratu.* Iam si recte nos corrigimus, extat novum substantivum *moratus, us.* — *d*) Cod. *caecum furorem.* — *e*) Cod. *lucem.* — *f*) Cod. *lex rex.* — *g*) Cod. *causae.* — *h*) Cod. *nulla a lacrymis.* — *i*) Cod. *obtundens.* Scripsi *obtunsam* more vetere pro *obtusam.* — *k*) Cod. *mortem.* — *l*) Cod. *rudes.* — *m*) Cod. *intuentis.* — *n*) Cod. *confessa.* — *o*) Cod. *intellegitur.*

1. Animadverte vocabulum novum *semivocus.*

que sunt sanctorum gemitus resonantes suspiria, cum recepta plenitudo vatidico ore sacri sensus *a*), modulando divina verba famulantur.

4. Quae sunt, Fratres karissimi, caelestis mysterii occulta sacramenta? Rachel clamat lacrymis, vociferatur lamentis, et consolatio nulla fit. Moritur *b*) humanitas. istae res fidei exempla sunt nobis. Suos contestatur occidi, et confitetur iterum non amitti. Flet mortalitas, tacet secura credulitas *c*): saeculum quidem perdidit, sed occisos pro se Christus excepit. Promovet tunc caelestium regionum spiritalem militiam barbarus tyrannorum: et divinis castris tironum innocentiae tenerae *d*) characterem cruoris insigniens, martyralibus stipendiis cruentus adtitulat. Quantumvis promovet exercitum *e*), non est angustus venientibus locus, omnes suscipit caelum. Praecedat regem suum gloriosi agminis innocens miles, et meta Christi votivis incedat officiis. Fundetur *f*) fides ulciscatur christiani nominis sanguis, fiat dives sanctorum messis in tumulis, et exuberent Dei horrea de sepulchris. His ergo testibus nuntiatur Christus: horum sanguine, nativitatis Dei spiritales conscriptae sunt tabulae. Horum primo confitentium pro Christo cruorem terra suscepit. Hinc plantata martyria: hinc ex parvulorum novella de vitis vinace *g*) frondueре sarmenta: hinc honesta mater ecclesia passionum offerens palmas, caelestem vivacibus surculis promovetur ad coronam.

CLII. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE RESURRECTIONE DOMINI.

Cod. vat. 1270. f. 4. b.

1. Fratres karissimi, quam speciosa et grata 1) hodie ecclesia nobis enituit, et totius anni diebus clarior dies hodierna refulsit, non de usitati solis curriculo illuminata praeclarius, sed de lumine agni resurgentis illustrata sublimius! Hodie enim sol iustitiae Christus ascendit, evangelizatis sanctorum animis, ab infernis elevans secum corpora sanctorum, tamquam choros siderum spiritalium. Enituit Hierusalem, in qua visi sunt resurgentes: enitescit ecclesia in qua praefulgent renascentes. Et illi testes, et isti testes: illi testes solis resurgentis, isti testes solis in aqua et spiritu baptizantis. Et idcirco pulsemus citharam David canentes: haec dies quam fecit Dominus, exultemus et iocundemur in ea*. Contemplemur hunc diem, qualem noctem habuerit genitricem. Nox quae caelum luminaribus imitatur, immo in qua ornatior caelo terra laetatur. Nox bonae parturitionis, nox sanctae regenerationis. Geminum noctis huius video uterum, quia et geminum agnosco partum. Commovit nox ista uterum, parturiendo corpora resurgentium. Commovet nunc vulvam suam, renovando animos innocentium. Nox de qua dicitur: et nox tamquam dies illuminabitur*. Ab ipsa est dies quam fecit Dominus. Dies dominicus: alii dicunt dies panis: alii dicunt dies lucis. De hac tripertita diei nuncupatione, producamus gaudiorum tubae clamorem.

* Ps. CXVII. 24.

* Ps. CXXXVIII. 12.

a) Ita se habet locus in codice, in hac hercle homilia corruptissimo. — *b*) Cod. *mortis*. — *c*) Cod. *crudelitas*. — *d*) Cod. *terrae*. — *e*) Cod. *quanto suus promovet exercitus*. — *f*) Cod. *fundatur*. — *g*) Ita cod. pro *vinacco*.

1) Recitat haec priora sermonis verba auctor Milleloquii T. II. col. 1133.

2. Dies dominicus, dies inquam regalis, in quo imperator ascendit ab inferis. Hesterno die agonizabamur, tamquam sperantes regem; hodie laetamur suscipientes imperatorem. Et ideo hesternus dies non fuit ieiunationis 1), sed expectationis. Numquid aliquis sensit ieiunii laborem? Sed omnes tamquam in adventum iudicis sibi parabant laeti refectionem. Quemadmodum si iudex speretur ad patriam, nonne ordines, viri principes civitatis, plebs quoque, dum meditantur cantica in occursum iudicis venientis, longius per momenta portis procedunt? Et dum sperant, ieiunant; dum ieiunant, refectionem parant. Sic hesterno veluti in expectatione iudicis salutaris, agonizabamur parando, sed delectabamur ieiunando. Suscepimus regem, et reficimur gratia salutari. Et recte dies dicitur panis 2), quia in eo novimus panem resurrectionis caelestis. Hodie enim processit panis in veritate, qui sicut crystallus mittebantur de nubibus prophetiae. Clamat enim David in voce psalmi dicens *: qui emittit crystallum suam sicut frusta panis. De ore enim prophetarum, tamquam de nubibus sanctis, descendebat niveis velleribus crystallus spiritalis. Ut per frusta panis consumptae prophetiae, integrum sacramenti faceret panem. Splendebat elapsa crystallus de ore prophetantium, et salutare panificabatur nobis verbum, crystallica 3) prophetiae fermentatione formatum. Destitit iam crystallus prophetiae, et paratum nos gustavimus panem; et gustando ipsum panem, non sicut Adam vidimus nuditatem, sed nuditas nostra tecta est per huius diei claritatem. Et recte dies dicitur lucis in quo fugerunt tenebrae caecitatis. Et exclamaverunt qui erant in tenebris, qui lumen viderunt magnum, et qui erant in regione umbrae mortis quia lux orta est illis. Laetetur terra, quia vidit novam lucem. Laetentur angeli, quia donavit Dominus peccatoribus claritatem. Contremuerint inferi, insolitum sustinendo splendorem. Et incurvatum est omne genu Christo domino, caelestium et terrestrium et infernorum.

* Ps. CXLVII. 17

3. Omnia ergo nobiscum hodie contriumphant 4): angelorum apparitio *, festa nobiscum sollemnia concelebrat: archangeli, throni, virtutes, dominationes, cherubin, et seraphin, laetitiae choros ducunt, dum nos tractamus paschae mysterium. Immutatur hodie in angelis splendor, non vestium sed canticorum. Et nos mutamus cantilenam, cantantes alleluia. Angeli immutant cantilenam, cantantes cantica caelestia, quae humana adhuc cantare non potest lingua. Ideo laetentur caeli, et exultet terra. Exultemus Domino, sed in tremore, non remissa securitate. Quia et beatus Iohannes praecursor exultavit in utero matris, sed vinum non bibit praecepto archangeli Gabrihelis. Nos autem quia infirmi sumus, sobrie vivamus, modum non excedamus: ut laetitia nostra cum moderatione, nullam sentiat corporis tempestatem, sed per sobrietatis serenitatem portum intremus salutarem. Accepimus ieiuniorum palmas, festivitatis non amittamus victoriam, quam

* cod. *apparatio*.

1) Animadverte vocabulum *agonizor* seu deponens seu passivum.

2) Vocabuli *ieiunatio* unicum afferebat exemplum afri Tertulliani Forcellinus.

3) Nonnulla ex sequentibus recitantur apud Milleloquium T. II. col. 624.

4) Animadverte *crystallicus* pro *crystallinus*.

5) Rursus novum verbum *contriumpho*, *as*.

* I. Cor. XV. 54. nobis tribuit dominus Christus adiuvando, qui vicit in nobis patiendo, ut digno carmine triumphemus cantantes*: absorta est mors victoria tua. Ubi est mors aculeus tuus? Ubi est infernus victoria tua? Quia captivata est captivitas tua. Omnes canamus alleluia, et idcirco propter diei laetitiam convertamur ad Christi clementiam.

CLIII. SERMO SANCTI AUGUSTINI UNDE SUPRA.

Cod. vat. 1270. f. 13. a. 1. Quantum domino donante possumus 1) de carnis resurrectione tractemus. Haec enim fides est nostra, hoc donum in Domini nostri Iesu Christi nobis carne promissum est, et in ipso praecessit exemplum. Voluit enim nobis quod promisit in fine, non solum praenuntiare, sed etiam demonstrare. Illi quidem qui tunc fuerunt cum illo, viderunt, et cum expavescerent, et spiritum se videre crederent, soliditatem corporis tenuerunt. Locutus est enim non solum verbis ad aures eorum, sed etiam specie ad oculos eorum. Parumque erat se praebere cernendum, nisi etiam offerret pertra-
* Luc. XXIV. 38. ctandum, atque palpandum. Ait enim*: quid turbati estis, et cogitationes
f. 13. b. ascendunt in cor vestrum? Putaverunt enim spiritum videre. Quid turbati estis inquit, et cogitationes ascendunt in cor vestrum? Videte manus meas et pedes meos, palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Contra istam evidentiam disputant homines; quid enim aliud facerent homines, qui ea quae sunt hominum sapiunt, quam disputare de Deo contra Deum? Ille enim Deus est, isti homines sunt,
* Ps. XCIII. 11. sed Dominus novit cogitationes hominum quoniam vanae sunt. * In homine carnali, tota regula est intellegendi, consuetudo cernendi: quod solent videre, credunt; quod non solent, non credunt. Praeter consuetudinem facit Deus mirabilia, quia Deus est. Maiora quidem mirabilia sunt, tot cotidie homines nasci qui non erant, quam paucos resurrexisse qui erant; et tamen ista mirabilia non consideratione comprehensa sunt, sed assiduitate viluerunt. Resurrexit Christus, absoluta res est: corpus erat, caro erat, pependit in cruce, emisit animam carne posita in sepulchro, exhibuit illam vivam qui vivebat in illa. Quare miramur? quare non credimus? Deus est qui fecit, considera auctorem, et tolle dubitationem. Quaerunt ergo homines, utrum corruptio ista corporis quam sentiunt in carne sua, futura sit in resurrectione mortuorum? Dicimus non futuram. Respondent nobis: si corruptio non erit, quare manducabitur? Aut si non manducabitur, quare post resurrectionem Dominus manducavit?

2. Modo cum evangelium legeretur audivimus, quia cum exhibuerit se vivum oculis manibusque discipulorum suorum, parum illi visum est ad demonstrandam evidentiam corporalem, et ait: habetis hic aliquid quod manducetur. Et optulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis, et manducavit, et reliquias dedit eis. Dicitur enim nobis: si corruptio

1) [illegible] recita tangitur Milleloq. T. II. col. 1133. Tum conferatur idem Millel. [illegible] cit. col. [illegible] et 613

corporis non resurgit, quare manducavit Dominus Christus? Legistis, quia manducavit; numquid legistis, quia esurivit? Quod manducavit Iesus, potestatis fuit, non egestatis 1). Si desideraret manducare, egeret. Rursus si manducare non posset, minus valeret. Numquid et angeli quando suscepti sunt hospitio a patribus nostris non manducaverunt? Et tamen corruptibiles non fuerunt 2). Rursus dicunt: resurgunt vitia? et respondetur a nobis: non. Quare ergo, inquiunt, Dominus cum suorum vulnerum cicatricibus resurrexit? Quid ad hoc dicimus? nisi quia et hoc potestatis fuit, non necessitatis. Sic resurgere voluit, ut quibusdam dubitantibus exhiberet in illa carne cicatrices vulneris, et sanaret vulnus incredulitatis 3), ipse qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

CLIV. SERMO SANCTI AUGUSTINI UNDE SUPRA.

1. Domini nostri Iesu Christi salvatoris honorabilem sollemnitatem, Cod. vat. 127.. f. 17. a.
sua favente clementia, Fratres karissimi, fideliter veneremur, pietatemque eius ineffabilem admiremur, qui non solum nostrae redemptionis causa diversarum infirmitatum genera subiit, verum etiam sacri cultus ritum per diversas festivitatum gratias aeternae beatitudinis nobis effecit causas. Ut licet post multum inertiae somnum, non tam inviti quam voluntarie sanctae religionis dulcedine provocante, magnarum sollemnitatum adventu surgere compellamur. Expergefacti itaque libenter de somno inertiae surga- f. 17. b.
mus, et noctem hanc sancti paschae laetanter ducamus, atque magna spe, magna devotione, mentis desiderio, sollemniter celebremus; non in fermento veteri, neque in fermento malitiae atque nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis *. Hoc est non in amaritudine malitiae humanae. Quic- *I. Cor. V. 8.
quid enim humanum solum est, sincerum non est, sed in sinceritate divinae sanctitatis, quae est castitas, humilitas, bonitas, misericordia, humanitas, iustitia, lenitas, patientia, veritas, pax, benignitas. Haec est massa sanctitatis christianae, quam humanae malitiae fermentum corrumpit, hoc est libido, superbia, invidia, iniquitas, avaritia, intemperantia, mendacia, discordia, odium, vana gloria, quae omnia aliena a nobis esse vult sanctus Paulus dicendo. Non in fermento malitiae veteris. Laetitia nostra, Christi pascha sit. Nobis enim et pro nobis Christus nascitur, patitur, et resurgit, ut nos in vitam per ipsum renascamur in tribulationibus, et cum eo in virtutibus resurgamus.

2. Omnia enim per ipsum, in hac nocte restaurata sunt. In hac quippe nocte, quasi primitiae resurrexit, ut nos omnes postea resurgeremus. In hac ergo nocte captivitas solvitur, vita in Adam amissa restauratur. In

1) Sic idem Augustinus serm. ed. CXVI. 3. *Christus manducavit potestate, non necessitate.*

2) Ita serm. ed. CCCLXII. 11. *Angelus non ex indigentia manducat. Manducat angelus ut mortalibus congruat. Si enim mortem non timet angelus, non ex defectu reficitur.*

3) Sic in serm. ed. LXXXVIII. 2. *In corde discipulorum vulnera noverat, propter quae sananda cicatrices in corpore suo servaverat.* Hanc rei explanationem notissimam cumulare non interest.

hac quippe nocte protoplastus antiquus peregrinus redit ad paradisi patriam, Christo cherubin movente. Ab hac enim nocte dominicae resurrectionis, paradisus patet. Nulli clauditur nisi a se ipso, nulli aperitur nisi a Christo. Redeat ergo qui nusquam defuit, ascendat qui semper cum patre fuit. Iam enim credimus vitam mori pro nobis; quomodo tamen vita moritur? Credimus mortuum et sepultum, ac resurgentem, atque ascendentem; cum Patre tamen et cum Spiritu sancto semper manentem. Cum phase, quod est pascha, transitus intellegitur, sive transcensus 1), Christi sanguine nos consecremus, et consignemus, ut a vastatore mundi transcendamur, et a morte in multos crassatura, defendamur. Quicumque enim transcenduntur, hi salvantur: hi pascuntur, nimirum quibus Christi sanguis inhaesit. Nullus diabolicis pluvialibus imbribus innumerabilium guttarum humectetur neque oblectetur. Ideo nobis quoque sic inhaereat Christi sanguis, hoc est signum mortis eius, quod super nos stat integrum 2). Quando nobis morimur, ei vivimus qui pro nobis mortuus est. Respergit enim nos quodammodo sanguis Christi, quando mortificationem eius circumferimus in nobis, ut nullis mortalium voluptatum pluviis, sive tempestatum saecularium imbribus, a nobis tergatur, sed sed super nos siccans, nobis semper inhaereat; aspersusque nos tingat: non tingat tantum, sed suo signo reddat mortificatos. Semper omnia membra nostra suo sanguine lavare potest, qui crucis suae signum in exitibus nostris pinxit, ut a morte mundum vastatura transcensi defendamur. Et in divinitatis suae fulgore ascendentes, suis cum sanctis congregemur ad caelum. Ipso donante qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

CLV. ITEM SERMO EIUSDEM DE EADEM.

Cod. vat. 479. f. 216. a.

1. Hodie diem celeberrimum et omnibus festivitatibus excellentissimum resurrectionis Domini celebramus, Fratres karissimi; quoniam sicut Christus ex mortuis resurrexit, ita et nos cum illo resurrecturi sumus in gloriam: et ubi praecessit caput nostrum Christus, et nos membra eius sequi oportet, utique in caelum. Quia si compatimur hic in tribulationibus et angustiis huius mundi, pro Christo carnis vitiis resistendo, et regnabimus simul in aeterna gloria cum Christo. Quia igitur hodie catenae ruptae sunt inferorum, ita rumpantur etiam per confessionem nostram omnium nostrorum vincula delictorum; ut de omnibus filiis renatorum simul et confessorum mater ecclesia laetetur plenitudine gaudiorum. Veni, Domine, in cubiculum cordis nostri, et perfice in nobis habitaculum sancti Spiritus tui. Dic nobis: pax vobis, nolite timere; ut magnam securitatem per tuam misericordiam mereamur. Fac nos hic dignis moribus festivitatem

1) Vidimus hoc vocabulum *transcensus* etiam in serm. CXV, qui pariter de paschate est.

2) Gestabant enim nuper baptizati crucis signum in frontibus. Ipse Augustinus enarr. in ps. CXLI. n. 9. *Usque adeo de cruce non erubesco, ut non in occulto habeam, sed in fronte portem.*

tuam celebrare, ut possideamus aeternaliter perpetuam claritatem. Esto nobiscum Deus piissime pater, ut umbras non timeamus mortis, sed ut gaudeamus semper in nomine filii tui patientis et resurgentis domini Salvatoris. Quia iste est dies quem fecit Dominus, exultemus et laetemur in eo. Omnes enim dies fecit imperio suo, istum tamen consecravit sanguine suo. Laetitia tunc fuit a mortuis suscitatis, ut nobis fieret gaudium ipsa Dei gratia decoratis. Ibant tunc resuscitati in sanctam civitatem, et ibimus nos ad sanctam ecclesiam matrem. Tollamus etiam corda nostra, ut intrantes cantemus cum cithara, introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat iuventutem meam, quia tulit tristitiam meam. Dimissa est iniquitas nostra, soluta est catena nostra, quia ipse est qui laetificat animam nostram. Et iterum dicamus: iste est dies quem fecit Dominus, exultemus et laetemur in eo. Iste est dies indulgentiae, dies praecipue venerationis, et dies liberationis. Vivis est gaudium, defunctis est refrigerium 1); dies iste laetus et latus, liber et lucidus, tamquam mille anni in conspectu Domini. Hunc diem, dilectissimi, cum gaudio celebremus; et ita in resurrectione Domini dignis moribus gaudeamus, ut per bonam vitam praesentis saeculi in aeterna illa vita sine fine vivamus, et in ea aeternaliter gaudeamus; per eum qui nos redemit sanguine suo, et qui nos glorificavit pretio suo, cui sit indefessa semper a nobis laus et gratiarum actio honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

CLVI. ITEM SERMO EIUSDEM DE EADEM.

1. Huius ergo 2), dilectissimi, opportunitatem temporis sanctus Isaias divinitus informatus agnovit, qui nos ad conversionem hiis verbis hortari non desinit: quaerite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationem suam, et convertatur ad Dominum, et miserebitur eius; et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Nunc ergo Dominus quaerendus est, dum potest a quaerentibus inveniri: nunc invocandus cum est proximus invocanti: nunc impietatis via, nunc iniquitatis est cogitatio derelinquenda: nunc est necessaria conversio peccatori, quando potest beneficio divinae remissionis reatu totius carere peccati. Proinde omnis iniquus intra ecclesiam positus, malam conversationem respuat, et bonae vitae cursum festinet arripere, ut ad aeternam vitam valeat pervenire. Nunc omnis ipsius pravam fidei sententiam deponat, et ad ecclesiam redire non differat. Nunc ambulet iustitiae viam, ut ad patriam veniat, in qua requiem habeat sempiternam. Nunc omnis, qui Deum malis operibus exacerbat, transeat ad vitam bonam, per quam propitius Deus acquiritur; et ut accipiat vitam aeternam, quam Deus bonus in fine largitur.

Cod. vat. 479. f. 248. b. in marg.

* Is. LV. 6. 7.

f. 249. a.

2. Nemo desperet misericordiam, considerans atrocitatem cuiuslibet cri-

1) Milleloq. T. II. col. 624. — 2) Sic incipit Augustinus post recitatum a lectore Isaiae textum.

minis: nec tamen sub spe aliquis misericordiae Dei permaneat in peccatis, sed confidentia sperantis sic Dei misericordiam diligat, ut eius consideret cum timore iustitiam. Totum sibi speret relaxari posse converso, nec dimittendum tamen aliquid existenti obdurato. Hoc tempore mutet iniquus vitam, et non inveniet poenam: fugiat culpam, et accipiet veniam: modo quaerat Dei misericordiam, qui non vult in aeternum mori. Nunc praeveniat in confessione faciem Dei, qui non vult sempiterna punitione dampnari. Nunc autem fructuosa paenitentia geritur, nunc remissio peccatorum paenitenti conceditur, nunc converso regni caelestis possessio non negatur, in qua sine fine vivitur, et sine fine gaudetur: ubi nec mors laetantibus adimit vitam, nec maeror viventibus potest auferre laetitiam. In quali enim fide et opere unumquemque hominem vitae huius inveniet finis, talis ei retributio dabitur, cuius non erit finis. Quia sicut omnis qui ante finem vitae praesentis conversus non fuerit, et in malis suis vitam finierit, ultra requiem non habebit; sic omnis qui in hoc tempore praeceptis divinis obediens, a malis suis conversus fuerit, si in fide recta et bona vita intra ecclesiam catholicam perseveraverit usque in finem, hic salvus semper erit per omnia saecula saeculorum Amen.

CLVII. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE ASCENSIONE DOMINI.

Cod. vat. 479. f. 249. a. in marg.

1. Dominus noster Iesus Christus, Fratres karissimi, post redemptionem nostram, et post triumphum diaboli, hodie ascendit ad caelos, et humilitatem humanitatis nostrae super omnem caeli militiam, et super omnes ordines angelorum, et ultra cunctarum altitudinem potestatum, ad dexteram Dei patris pervenit consessum. Nam in passione sua mediator Dei et hominum homo Christus diabolum superavit, resurrectione sua infernum reseravit; hodie tamquam perfecto opere ad caelos victor adveniens, audit a Deo patre: sede ad dexteram meam. Nec mirum si unius sedis offertur filio consessus a patre, qui unus est sempiternitate cum patre. Cur autem ad dexteram filius esse dicatur, moveat aliquos fortasse 1). Licet enim dignitatis gradus non sit, ubi plenitudo divinitatis est, tamen ad dexteram Dei sedet filius, non quod praeferatur patri, sed ne inferior esse credatur. Et ideo ad dexteram Dei sedit filius, quia secundum evangelium ad dexteram oves, qui sunt iusti; ad sinistram vero constituuntur haedi, hoc est peccatores.

2. Videamus ergo quid sit rationis, quod ab evangelista sedens dicitur, stans vero a Stephano praedicatur *. Haec propterea a sanctis viris 2) dicta arbitror de Domino, non quo sibi sint contraria, sed ut modo eius potestas, modo eius misericordia describatur. Nam pro potestate iudicis, sedere di-

* Act. VII. 55.

1) Filii sessio ad dexteram patris quid significet, non semel explicavit Augustinus, v. gr. in sermonibus de symbolo, et de agone christiano n. 28. Item Eusebius gallicanus in sermone II. de symbolo.

2) Puta a S. Cyrillo in psalmum IX. 5. apud nos T. III. p. 169.

citur; pro bonitate intercessoris, stare suggeritur. Pro iudicio enim suo quo iudicaturus est omnes secundum opera sua, sedere dicitur; pro intercessione autem, qua apud patrem pro peccatis Christianorum intercedit, stare perhibetur. In illo itaque nostri generis homine nos Christus vivificavit; nos eius resurrectio ad caelos evexit; nos ascensio eius consecravit: ut si volumus in eius consecratione permanere, illuc etiam possimus conscendere. Nam in illo corpore, quod a nobis excepit, caelestibus regnis arrham nostrae conditionis imposuit. Et laboremus ergo, karissimi, ut quemadmodum Dominus hodie nostro cum corpore ad caelos ascendit, ita et nos post illum quantum possumus, spe ascendamus, et corde sequamur et operâ, cum bona voluntate. Ibi sit fixa mens nostra, quia ibi erit requies nostra: ascendamus ibi iugiter bonis operibus, castis cogitationibus, pia voluntate, sanctaque conversatione. Scire possumus enim, quia illic non f. 149. b.
ascendit superbia, avaritia, non luxuria, nullumque ibi vitium ascendit 1).

3. Et ideo si post Christum ascendere cupimus, debemus vitia et peccata deponere. Mundo enim corde et casto corpore illic, si volumus, debemus ascendere: quia mundus Deus mundo corde conspicitur. Et ipse Dominus in evangelio ait *: beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Tu * Matth. V. 8.
ergo, christiane, munda cor tuum confessione pura, paenitentia digna malorum, non solum quae gessisti inique, sed etiam quae cogitasti illicite, vel quae locutus es immoderate. Et quantum vales, id age ut munderis. Et quae tu non vales, Christum roga, ut ipse te mundet, et ipse in te habitet. Quia si ipse in te manere dignatur, et tu manebis in eo, et eris unum cum eo; sicut ipse patrem rogavit dicens *: pater, volo ut et disci- * Ioh. XVII. 21.
puli mei unum sint, sicut et nos unum sumus: ego in te, et tu in me, ut et ipsi in nobis unum sint: ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum. Igitur si regnum eius volumus adipisci, prius vulnera nostra curemus. Ordinemus et custodiamus in nobis statum utriusque substantiae nostrae et spiritalis et corporalis. Caveamus omnimodis ne animam, nobiliorem utique hominis partem, tartaro caro devolvat; sed secum potius ad caelum corpus sanctificatum anima iusta perducat; praestante domino Iesu Christo, cui sit cum aeterno Patre et Spiritu sancto laus et gloria in saecula saeculorum. Amen.

CLVIII. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE PENTECOSTE.

1. Hodierna die credo quod noverit karitas vestra, adventum sancti Cod. vat. 2828. f. 180. b.
Spiritus, Domini ecclesiam celebrare. Promisit enim Dominus missurum se sanctum Spiritum apostolis suis, et secundum fidelissimam pollicitationem suam utique quod promisit implevit. Sicut enim resurrectio Domini confirmavit in fide hominum divinitatem eius, qui propter nos homo fieri dig-

1) Confer Milleloquium T. I. col. [illegible] 170. [illegible] Denique Eusebium gallicanum in sermone de ascen- [illegible] sione Domini.

natus est, sic multo magis ascensus in caelum, et plenius atque perfectius dono Spiritus sancti quod misit, et implevit discipulos suos iam factos utres novos ut vinum novum possent suscipere. Ideo cum linguis loquerentur, ebrii dicti sunt et musto pleni. Audientium vox testimonium dominicae scripturae fuit. Nemo enim mittit vinum novum in utres veteres, Dominus
* Matth. IX. 17. dixerat*. Parabat ergo vinum novum utribus novis. Utres enim veteres erant, quamdiu carnaliter de Christo sentiebant. Ad utrem enim veterem pertinebat illa sententia apostoli Petri, quando ei ait Dominus timenti ne moreretur Christus, et quasi sic periret quomodo et ceteri homines: redi post
* Matth. XVI. 23. me, Satanas, scandalum es mihi*. Ita turbatio Petri ad utrem veterem pertinebat. At ubi resurrexit Dominus et ostendit se illis, et palpaverunt quem planxerant in cruce pendere; viderunt membra viventia, quae mortua et sepulta plangebant; confirmati sunt in fide, et crediderunt ei. Ascendit in caelum, et mandat ut congregarent se in unum locum, et ibi expectarent quo usque mitteret ipse promissionem suam. Congregati ergo in unum lo-
f. 181. a. cum orando et desiderando promissionem, exuerunt vetustatem, et induti sunt novitate. Facti ergo iam capaces susceperunt Spiritum sanctum die pentecostes. Et non sine causa magnum sacramentum et evidentissimum quidem nos diem istum celebramus. Intendat autem sanctitas vestra, quomodo sibi consonent scripturae veteres et novae. Ibi enim gratia promissa est, hic data: ibi figurata, hic perfecta. Quemadmodum si quis artifex rerum formandarum de alio metallo aere aut argento, formas quas fusurus est primo de cera conponit, et prima adumbratio viam facit futurae soliditatis. Ipsas enim formas facit, quas impleturus est. Sic etiam Dominus veteri populo figuris delineavit omnia et deformavit: novo populo autem effusione perfectissima implevit. Quae sit ergo illa forma, et quae ista adimpletio in die pentecostes, advertat aliquando intentius sanctitas vestra. Operae pretium est intentionis: cum magno fructu dicitur, quando intentius auditur quod dicitur. Estote certe et vos utres novi, ut per ministerium nostrum, vinum capere possitis.

2. Quaeritur a nobis saepe: si nos diem pentecosten propter adventum sancti Spiritus celebramus, Iudaei quare celebrant pentecosten? nam et ipsi habent pentecosten. Audistis mane qui fuistis intenti, cum legeretur lectio Tobiae 1) ad memoriam beati Theogenis 2), quod in die pentecostes sibi fecerit prandium invitaturus aliquos de suis, qui digni essent participare cum illo mensam, ex eo quod esset timor in eis Domini. Die pentecostes ait, qui est sanctus de septimanis 3); septies enim septem ·XLVIIII· fiunt. Huc additur unum propter unitatem, ut redeamus ad caput quod unitas con-

1) Nempe secundum veterem eius libri editionem, qua utitur Augustinus etiam in Speculo.

2) Insignis haec est demonstratio, genuinum esse hunc Augustini sermonem. Nam de Theogenis memoria seu altari Hippone regio locuti nos sumus p. 121. in adn. (ubi corrige sis mendum *semine* pro *sermone*.)

3) Rursus alia insignis demonstratio. Etenim Possidius in indiculo cap. VIII. inter Augustini sermones numerat quendam cum titulo hoc. *De die pentecostes, ex eo quod scriptum est in Tobia: a die pentecostes qui est sancta* (corr. *sanctus*) *septimanarum*.

firmat omnem multitudinem; et multitudo nisi unitate ligetur, rixosa et litigiosa est; multitudo autem consors unam animam facit; sicut et ipsis illis qui acceperunt Spiritum sanctum, ut scriptura dicit, erat anima una et cor unum in Deum *. Fiunt ergo quinquaginta, quod sacramentum est pentecostes. Quare ergo illud celebrant Iudaei, nisi quia ibi figura erat? Adtendite: nostis, et nullus omnino Christianorum est qui hoc ignoret quod dicturus sum, apud Iudaeos agnum occidi, et celebrari pascha in figura futurae dominicae passionis. Nam etiam hoc illis mandatum est, ut quaererent agnum ex capris et ovibus. Unde potest inveniri agnus ex capris et ovibus? Sed quod ibi imperatum est impossibile, possibilitatem futuram Domini nuntiabat. Inventus est enim agnus ex capris et ovibus, quia dominus noster Iesus Christus secundum carnem natus ex semine David, ex peccatoribus et iustis habet originem. Invenis in origine Domini secundum generationes, quas evangelistae exponunt, et peccatores multos et iustos: ideo et tales vocavit, id est peccatores, quia et per tales venit. Congregat enim ecclesiam suam de iustis et peccatoribus in regnum caelorum; iustos missurus, et segregaturus peccatores qui perseverant in peccatis et nequitia. Tamen sic venit portaturus peccata nostra, ut non dedignaretur originem peccatorum suscipere. Et multa ibi sacramenta sunt, in ipsis generationibus, quae praestabit Deus ut sit tempus exponere sanctitati vestrae: nunc tamen ad id quod institueramus revertamur.

* Act. IV. 32.

f. 181. b.

3. De die pentecostes dicebamus, quare ipsum diem celebrant Iudaei, *et* occidunt agnum? Occisio agni paschalis est. Sic et nos celebramus pascha, ubi agnus occisus est inmaculatus sine culpa. Vere agnus, cui testimonium perhibuit Iohannes, dicens *: ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ipsius nos passione pascha celebramus. Lex data est Iudaeis in timore, Spiritus sanctus datus est Christianis in gratia. Illi per timorem legem implere non potuerunt, et per ipsam legem rei facti sunt. Quinque libros habet lex, quinque porticus circumdabant piscinam Salomonis, sed ferebant infirmos, neminem eorum sanare poterant. Quinque porticus infirmos ferebant, ubi iacebant; quomodo et in libris nemo sanabatur. Quare nemo? propter superbiam. Cum putant enim se viribus suis posse implere quod iussum est, non impleverunt quod praeceptum est. Et erat contra illos lex, in qua inveniuntur rei, donec exclament, quod etiam mane diximus sanctitati vestrae: miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius *? Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Lex ergo reos ostendit, gratia liberat a reatu: lex minatur, gratia blanditur: lex poenam intendit, gratia indulgentiam pollicetur. Tamen ipsa, quae praecipiuntur, in lege et in gratia; et ideo lex illa digito Dei scripta dicitur. Sic habemus scriptum.

* Ioh. I. 29.

* Rom. VII. 24.

4. Quid sit autem digitus Dei, quaeramus in evangelio, et inveniemus. Quid significat digitus Dei? Non enim Deus vere talem formam habet corporis, qualem nos habemus; et ex una parte videt, et ex una non videt; aut determinatur figura membrorum, qui ubique totus est et praesens om-

nibus. Quid est ergo digitus Dei? Spiritus sanctus. Adtendite: unde hoc probamus? ex evangelio. Aliquando enim quod unus evangelista figurate dicit, alius ipsum locum apertius dicit. Est in quodam loco evangelii, ubi dixerunt Iudaei de Domino, quod in nomine Belzebub eicit daemonia.
f. 182. a. Respondens ait Dominus: si ego in digito Dei eicio daemonia, certe su-
* Luc. XI. 20. pervenit in vos regnum Dei * Alius evangelista sic exponit ipsum locum,
* Matth. XII. 28. dicens *: si ego in Spiritu sancto, igitur supervenit in vos regnum Dei. Cum ergo unus evangelista dicit digitum Dei, alius exponit illud, ut nobis ostendat quia Spiritus sanctus digitus Dei; non digitos carnis quaeramus in Deo, sed intellegamus, quare digitus dicatur Spiritus sanctus; quia per Spiritum sanctum divisiones donorum acceperunt apostoli. In digitis autem divisio manus apparet; ibi est conputatio et distributio. Quare
* ita cod. ergo pentecosten * Iudaei *celebrant*? Magnum sacramentum, Fratres, et omnino mirum! Si animadvertatis, die pentecostes acceperunt legem digito Dei scriptam, et die pentecostes venit Spiritus sanctus.

5. Sed hoc de lege data probare opus est, quam acceperunt Iudaei in tabulis lapideis. Significabat autem duritiam cordis illorum: tamen digito Dei scripta; quia omnia quae ibi scripta sunt, ipsa praecipiuntur et Chri-
* II. Cor. III. 3. stianis. Sed iam, sicut dicit apostolus *, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Hoc ergo interest, quia ipsa scripta est in duris cordibus illorum, et non est impleta. Ipsa data in iam credentia cor-
* Cod. *facilia*. da, et facilis * et sempiterna Christianorum. Ideo ergo ille lapis erat: corda vero Christianorum, terra fructifera erat, quae possit fructum adferre. Ideo et Dominus in evangelio, quando illa mulier illi oblata est, quae in adulterio fuerat inventa, et volebant eam secundum legem lapidare, Dominus autem volebat ut deinceps non peccaret, paratus ignoscere peccato eius, ait illis qui volebant lapidare, cum ipsi essent lapidei: si quis
Ioh. VIII. 7. est in vobis sine peccato, prior in illam mittat lapidem *. At ubi dixit hoc, inclinavit caput, et coepit digito scribere in terram. Illi autem considerantes conscientias suas, unus post unum discesserunt, a maiore usque ad minorem. Et relicta est illa mulier sola. Levavit autem Dominus caput, et ait ei: quid est, mulier? nemo te dampnavit? Et dixit: nemo, Domine. Et Dominus: nec ego te dampnabo: vade, deinceps noli peccare. Ista indulgentia quid significavit? gratiam. Illa duritia quid significabat? legem in lapidibus datam. Unde Dominus digito scribebat; sed iam in terra, unde fructus possit excipere. In lapide autem quicquid seminatur, non exit, quia radicem mittere non potest. Digitus Dei, et digitus Dei. Digito Dei scripta est lex. Digitus Dei, Spiritus sanctus.

6. Data est lex die pentecostes. Sed dixeramus nos probaturos, quia quinquagesimo die acceperunt Iudaei legem. A pascha quod celebramus habes praeceptum illis esse, ut quartadecima die primi mensis agnum occidant, et pascha celebrent. Restant de mense ·XVII· dies, ut conputes ipsum diem quartumdecimum, unde incipit pascha. Ventum est ad eremum, ibi data est

lex, et sic dicit scriptura *: tertio autem mense ex quo populus de Aegypto eductus est, locutus est Dominus ad Moysen, ut illi qui accepturi erant legem, purificarent se in tertium diem, quo danda erat lex. Tertio ergo tertii mensis mandatur purificatio in tertium diem, et incipit pascha. Adtendite ne vos numeri quasi deludant, et caliginem intellectus vobis adferant. Quantum possumus aperimus illud, adnuente Domino. Si adiuvet nos intentio vestra, videbitis cito quod dicitur: si autem non fuerit, obscurum erit quicquid dixero, etiam si planissime dicatur. Ergo indicitur pascha quarta decima die mensis, et mandatur purificatio, ut lex daretur in monte scripta digito Dei; digitus autem Dei est Spiritus sanctus. Mementote: probavimus enim hoc ex evangelio. Indicitur purificatio in diem tertium tertii mensis. De primo ergo mense deduc tredecim, et restant ·XVII·, ut incipias a quarto decimo. Adde totum mensem secundum; fiunt dies ·XLVII· Ab ipso die purificationis in tertium diem, fiunt dies ·L· Nihil manifestius, nihil evidentius, quia die pentecostes acceperunt legem Iudaei.

* Exod. XIX. 16

7. Sed durum est, onus fuit, durum pondus fuit. Venit autem Dominus cum gratia, et clamat *: venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum lene est, et sarcina mea levis est. Quomodo iugum illius lene est? Lex minatur, ille blanditur. Lex dicit: sin feceris, puniam. Christus dicit: quicquid feceris, ignosco; deinceps vide ne pecces. Ergo iugum eius lene, et sarcina levis. Si efficiamur utres novi, expectamus gratiam eius intenti, magnopere implebimur Spiritu sancto, et per Spiritum sanctum erit in nobis karitas. Iam cum *a*) fervidi facti fuerimus vino novo, et inebriati calice illius inebriante et praeclaro, ita ut saecularia illa quae nos tenebant obliviscamur, sicut obliti sunt martyres, cum irent ad passionem, et filios et uxores sunt obliti, et parentes pulverem mittentes in capita sua, et matres producentes ubera sua, cum improperio lactis, separantes *b*) *se* a cibo, obliti sunt omnia, nec agnoscebant suos. Quid miraris si *martyr* non agnoscit suos? Ebrius est homo. Unde autem ebrius? de karitate. Unde autem karitas? de digito Dei, de Spiritu sancto, de eo qui venit per pentecosten.

* Matth. XI. 28

CLIX. SERMO SANCTI AUGUSTINI 1) DE SANCTO IOHANNE BAPTISTA.

1. Sancti Iohannis Baptistae natalicia hodie prosecuturus, tacere velim, et laborem atque imperitiam meam silentio coërcere, sed eius ipsa vis nominis silere non permittit. Nam nuncupatio vocabuli ipsius, pectoris nostri urget secreta, silentii nostri resolvit arcana; et quod simulatione siletur, admiratione compellitur. Si enim pater eius Zacharias cum eum

Cod. vat. 1195 f. 291. b.

a) Ita cod. non sine sententiae suspensione. — *b*) Ita cod.

1) Cod. *unde supra*, quae est in codicibus sollemnis formula pro auctore qui praecedit. Reapse autem praecedunt ibi Augustini sermones typis iam impressi.

nominavit, vocem recepit, quanto magis nos cum laudamus, eloquium promeremur 1)? Et si illius os, cum in saeculo nasceretur, aperuit, quanto magis cum pro Christo patitur, ora nostra fecundat? Cum enim Zacharias pater eius, propter incredulitatem nativitatis illius, ab angelo Gabrihele silentii esset taciturnitate multatus, et iam diu mutus verborum dispendio mentis secreta velaret; subito nato Iohanne filio, cum apud proximos esset contentio quo nomine vocaretur, offeruntur patri tabulae, ut vocabulum eius pro sui cordis arbitrio ipse describeret. Mirum in modum, acceptis pugillaribus ut
f. 292. a. stilum figeret, linguam resolvit, ac litteram sermone praevenit, et Iohannem non testatur, sed locutus est. Videte igitur, Dilectissimi Fratres, sancti Baptistae meritum: vocem patri reddidit, sacerdoti eloquentiam praeparavit. Videte, inquam, meritum: os quod angelus alligaverat, Iohannes absolvit: quod Gabrihel obstruxerat, parvulus reseravit: quamquam et ipse sit ange-
* Marc. I. 2. lus, sicut scriptum est de eo: ecce mitto angelum meum ante faciem tuam*, et reliqua.

2. Respicite igitur in Iohanne quanta sit vis *a*) vocabuli, cuius nuncupatio reddidit muto vocem, patri pietatem, populo sacerdotem. Prius enim erat tacens lingua, sterilis filio, privatus officio. At ubi Iohannes nascitur, fit repente pater propheta vel pontifex, loquelae usum recepit, prolem affectio suscepit, sacerdotem functio recognoscit. Cum ergo tanta vis sit eius vocabuli; dicturi de eo, etsi tacere volumus, silere non possumus; ipse enim Iohannes vox clamantis dicitur. Quis enim est qui vocem laudet, et taceat? clamorem admiretur, et mutus sit? Ait enim ipse de se: ego sum vox clamantis in deserto. Videte quid dixerit, non enim ait: ego sum vox, sed clamantis. Vox scilicet, ut ad fidem consequendam, vox aurem penetret, clamor corda concutiat: vox regnum praedicet, clamor iudicium comminetur. Magnus igitur Iohannes, cuius magnitudini etiam Salvator testimonium
* Matth. XI. 11. perhibet dicens *: inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista. Praecellit cunctis, eminet universis, antecedit prophetas, supergreditur patriarchas; et quisquis de muliere natus est, inferior est Iohanne.

3. Sed debemus diligenter inquirere, cur ista dixerit de Iohanne, hoc est inter natos mulierum, et non potius dixerit: inter filios virorum non est maior? Num utique mulieres natos sine viro habere possunt? Hoc autem dixit quia numerosior est progenies 2) mulierum, quam virorum: est enim mulieris filius, qui viri filius non est. Denique sancta Maria genuit filium, qui patrem hominem non haberet; Dominus enim est mulieris filius, et
* Gal. IV. 4. viri filius non est. Sicut dicit apostolus *: natum de muliere, factum sub lege. Matrem in terris habet, patrem habet in caelis. Ergo in laudem Iohannis fecundioris sexus generatio ponitur, ut nullus ab eo nativi-

a) Cod. *eius* pro *vis*. Correxi autem respiciens ad sermonis initium, et ad sequentia.

1 Ita S. Sophronius exorditur S. Baptistae panegyricum a nobis olim editum: δίδου ὦ φωνὴ τοῦ λόγου φωνήν· δίδου ἡμῖν ὦ τοῦ λόγου πρόδρομε τοῦ λόγου τὸν δρόμον. Tum et Anonymus latinus apud Combefisium in Auct. PP. T. I. col. 1372: λύει κἀμοὶ τὴν γλῶσσαν ὁ Βαπτιστὴς οὐχ ἧττον τῆς πατρῴας ἐνισχημένην.

2) Cod. mendose *procellis*. Emendet autem pro suo quisque libito.

tate *a*) separetur. Dicit autem aliquis: si inter natos mulierum Iohannes est maior, numquid etiam maior est Salvatore *b*)? Absit. Iohannes natus mulieris, Christus autem natus est virginis. Iohannes corruptibilis uteri senio effusus est; Dominus inpollutae vulvae flore progenitus. Ideo autem cum Iohannis nativitate Domini generatio deputatur, ne Dominus extra veritatem videretur esse conditionis humanae; qui cum Patre vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia saecula saeculorum. Amen.

CLX. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE SANCTO IOHANNE BAPTISTA 1).

1. Sancti Iohannis, *qui* iudicis nostri *vox fuit*, Verbi divini, mysterii christianae religionis ac fidei natalis festivitas hodie ubique celebratur 2), cuius nunc vota persolvimus, dum nostrum studium et eius memoriam recensemus *c*). Hoc enim prophetica dignitate promeruit, ne laudes *d*) eius sileret ingrata posteritas. Nam cum sanctorum gloriam colimus, non eis aliquod beneficium praestamus, sed nobis maximum lucrum conquirimus. Hic enim, ut dixi, Iohannes angelo annuntiante concipitur, et *e*) divino praecepto in matris utero *f*) signatur, et in Iordanis sacramento baptista dominicus sublimatur. Quoniam Dominus per angelum deputat filio cursorem, et Zacharias se confirmat incredulitatis auctorem. Modo, inquam, Helisabeth velud lampada *g*) accendebatur, et Zacharias sacerdos corripiebatur. Helisabeth lumen accipiebat, et Zacharias obmutescebat. Illa accendebatur, et Zacharias sine fide obmutuit, eo quod tale verbum emiserat: unde hoc inquit sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea progressa est in diebus suis. O mysterium! Sacerdos *h*) ipse pro aliis incensum offerebat, et Deum praesentem non agnoscebat. Sentit virtutem, et non habet fidem: merito tacet, quia non credit. Cod. vat. 1195. f. 293.a.

2. Repleta igitur Helisabeth pudore, egredi nolebat; quia quod habuit, magna mirabilia *veluti i*) conspiciebat: concepit enim, et miratur, sed quasi confundebatur: iam enim in diebus suis processerat, hoc est aetatis suae f. 193. b.
vires transierat. Hoc est quod mirabatur, quia senectus eius gravida cernebatur. Munus *k*) iuventutis, tempus protulit senectutis: non peperit tempore *l*) quo volebat, et genuit tempore quo nolebat. Lactavit infantem in senectute, quae fuit sterilis in iuventute. Gestavit in manibus puerum mulier annorum nonaginta 3), et eo amplius. Sed ita perfecit *m*) Pater et Filius et Spiritus sanctus. Haec *n*) non est iuventutis affectio, sed senectuti *o*) divinae maiestatis promissio. Quando Zacharias voluit, tunc Helisabeth non potuit quia Deo non placuit. Deus enim sic eum nasci voluit, quoniam prophe-

a) Cod. *nativitas*. — *b*) Cod. *salvatori*. — *c*) Cod. *recenseamus*. — *d*) Cod. *laudibus*. — *e*) Cod. *ut* pro *et*. — *f*) Cod. *utero facta signatur*. — *g*) Cod. *lampadam*. — *h*) Cod. *in sacerdote*. — *i*) Cod. *ipse* pro *veluti*. — *k*) Cod. *o munus*. — *l*) Cod. *tempus*. — *m*) Cod. *sed ille profecit*. — *n*) Cod. *sed haec*. — *o*) Cod. *senectutis*.

1) Sermo, qui sequitur, mendosissime scribitur in maximae molis codice saeculi XIII. aut XIV, ubi nominatim Augustino inscribitur.

2) Codex corruptissime sic. *Sancti Iohannis iudicis nostri mox verbi divini mysterii christianae religionis ac fidei natalis sui festivitas hodie ubique celebrare*. Pro suo quisque libito scribat.

3) Quasi nimirum altera Sara. Gen. XVII. 17.

tam eum mittere disponebat. Nascitur ergo Iohannes non sine patris invidia, quam *a*) praeparavit suae mentis perfidia: non credidit divino praecepto, et vinctus est linguae impedimento. Zacharias enim in ordine vicis suae fungens sacrificiorum munere, coepit insolito more ubertatem precum Deo fundere 1): sed lingua constrictus, nervum vinculi non potuit mutilare.

3. Infans vero prope iam nasciturus in alvo matris exultavit, et de ventre eius prophetavit. Cum veniret Maria mater Domini ad Helisabeth matrem Iohannis, quid Helisabeth dixit? Ecce ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit infans prae gaudio in utero meo. Et quid infans in utero prophetica voce exultavit? Unde hoc, inquit, mihi ut veniat mater Domini mei ad me? O magna humilitas! mater Salvatoris venit ad matrem Praecursoris. Salutavit Christus Iohannem, et ambo nondum videbantur in carne: Christus enim in utero Mariae hospitabat *b*), et Iohannes in ventre Helisabeth morabatur. Merito voce divina dici potuit: ante
* Hier. I 5. quam esses in utero matris tuae novi te, et in vulva sanctificavi te *. Quia nec dum Helisabeth coeperat parturire, et iam coeperat prophetare. Locu-
* Ps. XVIII. 3 tae sunt noctes, salutaverunt dies; unde scriptum est *: dies diei eructat verbum, et nox nocti proferet *c*) Christum. Prophetia impletur; et quod obscurum fuerat, revelatur: id est Iohannes hodie nascitur; Iohannis nomen scribitur, et patris lingua solvitur. Ergo, Fratres karissimi, beatae sunt tales pignerum susceptores, quae iustorum sunt genetrices. Et bene, quia beatae erunt, quae talium *c*) matres dici meruerunt. Fit hodie gaudium magnum, quia sterilis peperit filium, et pater qui erat mutus locutus est verbum.

CLXI. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE SANCTO THOMA APOSTOLO 2).

Cod. vat. 479. f. 306

1. Gloriosus apostolus Thomas, Fratres karissimi, non solum sibi, sed etiam nobis salubriter dubitavit; sed *d*) cicatrices Domini videns tangens tractans et palpans, omne prorsus dubium de nostris cordibus amputavit; et sic cognitus est in verbis fidelis, quia vidit Deum lucis, et invocavit Deum omnipotentem. Nam Maria mater Domini mei, quia de resurrectione dubitavit 3), et tamen ardentissimo desiderio desiderabat filium

a) Cod. *quae*. — *b*) Ita cod. pro *hospitabatur*, nisi mendum est. — *c*) Cod. *preferet*. — *d*) Cod. *tali*. — *e*) Cod. *sed dum*

1) Mendosissime codex: *in ordine vicis suae variis sacrificiorum munera cepit mens solito mori ubertate precum Dei funderet*.

2) Sermonem hunc de S. Thoma, ut Augustini (valde tamen dubitans) esse autumem, suadet mihi eius 1. titulus in codice vaticano CDLXXIX. de quo ego codice postea copiose prae ceteris locuturus sum. 2. Sermonis huius analogia cum aliis de S. Thoma, nempe 161. et 162. in appendice maurina Augustini, et cum nostro XCV. vat. 3. Duplex mentio de S. Cypriano. 4. Illa quae narrat Augustinus de canum fidelitate a se Romae et Hippone regio observata. Ceterum nihil pugnaciter ago, nihil invita veritate adstruere velim. Certe stilus vix videtur Augustini, et res ipsae non satis quadrant.

3) Ita codex; quamquam statim contradicere videtur Augustinus circa fidem B. Mariae non dubitantis de futura mox Christi resurrectione. Ceteroquin ne quis temere scandalum hinc patiatur, legat apud Trombellium in vita sanctissimae Dominae dissertationem XXXVIII, dicta nonnullorum Patrum aliorum, qui opinionem hanc aperte prae se tulerunt. (Et quidem inter eos pseudo-Augustinus est in quaest. 73. ex nov. Test.) Sed tamen ecclesia catholica Deiparae honori apprime favens, opinionem huiusmodi prorsus respuit.

resuscitatum. Sed nisi zelus redemptionis meae fuisset in ea, et certitudo resurrectionis Domini, gladium passionis minime sustinere potuisset. Mortua denique martyr iuxta crucem fuisset, nisi resurgentem postmodum filium expectasset. Vidit ergo Maria mater Domini resurrectionem, et prima vidit, et prius tamquam certissima credidit. Sed non sic fecit Magdalena, ut ait sanctus martyr Cyprianus 1), sed videndo dubitavit. Ideo ipsi *a*) dicitur, noli me tangere. *Thomas* immo et palpare, non solum etiam palpare, sed manum in latus eius immittere voluit. Igitur cautus ad experiendum *b*), promptus ad obsequendum, expeditus ad confitendum; quia palpans credidit, et credendo clamavit: Dominus meus et Deus meus! Quis ergo, Fratres, dubitabit Salvatorem resurrexisse a mortuis, cuius praesentiam agnovit oculus, attrectavit manus, et perscrutatus est digitus? O necessaria tarditas, per quam omnis tollitur dubietas, asseritur veritas, imponitur nobis omnis fidei firmitas! Quid ergo mirum, Fratres mei, si apostolus in verbis cognitus est fidelis, dum vidit Deum lucis, et invocavit omnipotentem? Vere fidelis est in confessione divinae virtutis; vere catholicus in praedicatione; vere evangelicus in praelatione *c*); vere mirabilis in tormentorum elatione, nobis sanctus apostolus demonstratur.

2. Igitur, Fratres dilectissimi, celebremus et laudemus hunc gloriosum apostolum, copiosum in meritis, virtuosum *d*) in signis, famosum in prodigiis, gloriosum in praemiis. Sed ad nostram doctrinam, Fratres, aliquid dicere vos avidos esse affecto. Sunt enim aliqui ex nobis, qui nisi videant signa et prodigia, non credunt. Tales a Domino corripiuntur cum regulo, cui hoc dictum est*. Ipse denique quaerebat corporalem praesentiam, sicut *e*) * Eph. IV. ..
et Thomas quaerebat sensus experientiam. Dispensative tamen pro nobis factum est, quod per hoc, fide veritas creditur, sensu experitur, ratione concluditur, et nullius dubietatis locus relinquitur. Credamus ergo, ne dicatur nobis: nisi signa ut prodigia videritis, non creditis. Credamus, ut audiamus: beati qui non viderunt, et crediderunt. Et quid est credere, nisi fide informata *f*) tendere in Deum, et credere incarnatum *g*), redemptorem, flagellatum, punitorem dum venerit iudicare vivos et mortuos? Ex hiis enim anima informatur affectione ut suo creatori ex amore adhaereat, suo redemptori ex dolore peccatorum condoleat, salvatori ex spe congaudeat. Credamus ergo, ne corripiamur a Domino dicente *: o * Luc. XXIV. .
stulti et tardi corde, ad credendum! Non enim hodie sapientes mundi credere possunt, nisi videant sacramentum unionis, tormenta passionis, argumenta resurrectionis, et condita *h*) retributionis. Non igitur videre haec * ita cod.
omnia possumus, sed fide credere nos oportet. Sic enim quaerebat credendo Simeon in templo per orationis devotionem: sic et Zachaeus in

a) Cod. *sibi*. Sic et infra. — *b*) Cod. *aperiendum*. — *c*) Ita cod. — *d*) Id est *potentem*, sicut *virtus* pro *potentia* in ss. bibliis. — *e*) Cod. *sic et*. — *f*) Ita legendum videbatur vocabuli compendium. — *g*) In hoc tractu nonnullas repetitiones vocabulorum ac metatheses habebat codex. — *h*) Ita cod.

1) Respicit, ut puto, ad opusculum *de resurrectione Christi*, quod tamen critici nonnisi inter suppositita Cypriani admittunt. Ibi enim piae mulieres unguentariae de Christi resurrectione dubitant.

sycomoro per eminentem dilectionem: sic et apostoli in excelso *a*) per passionis imitationem; sic et Thomas in caenaculo per stuporis admirationem.

3. Quid ergo, Fratres? Pensemus et nos, quanta fuit Christi humilitas. Quae enim maior humilitas, quam Deum homini uniri? Quae maior pietas, quam Deum pro homine mori? Quae maior claritas, quam resurrectione in morte vestiri? Quae maior aequitas, quam hominem praemiari *b*) ex meritis vel puniri? Haec autem omnia, Fratres, credere et nullatenus dubitare debemus, ut credendo cum Thoma dicamus: Deus meus et dominus meus! Nam nisi crediderimus, Deum invocare in nullo poterimus. Et si non aderit nobis, quid nos facere possumus? Numquid aliquid boni? omnino minime, ut etiam nihil cogitare. Mala denique sine Deo facere possumus; sed a malo resurgere sine Deo nullatenus omnino cogitare valemus. Sufficientes ergo sumus ad mala; sed omnis nostra sufficientia a malis resurgendo, ex Deo est 1). Simus ergo ipsi fideles, quia sine fide ipsi placere non possumus. O beata fidelitas, quae homines deos facis, quae homines Deo coniungis, quae omni auro et lapide pretioso suavior praedicaris a cunctis! O cara et amanda possessio! O astringenda possessio *ac* beatitudo! O diligenda hereditas filiorum Dei! Beati qui te agnoscunt! maledicti qui te despiciunt! Nam qui te dilexit, triumphat in caelis: et qui odivit, laqueo se suspendit. Pilatus etiam magnae infidelitatis fuit. Ipse denique fratrem suum proditorio occidit gladio, zelo invidiae inflammatus: socrum, dormientem filium regis suffocavit: tandem manu propria se occidit 2). Romealda 3) uxor regis Lombardorum *c*) viro fidem fregit, venenum in genitalibus viro dormienti imponens occidit, quae in eadem nocte a diabolo suffocata invenitur in lecto 4).

4. Ecce, Fratres, quo infideles pergunt, ecce qualis est eorum finis. O quam dolendum, o quam plangendum de fidem frangentibus! Longe maior fides invenitur in brutis quam in hominibus. Nam canem Romae vidimus, Fratres, qui tantam fidem domino suo servavit, ut ipse homo solus cum cane inimicis novem obvians, *se* ipsum illaesum servaverit; qui non solum occidi *d*), sed nec etiam vulnerari ab aliquo potuit; et sic omnino illaesus ab inimicis romanus ille recessit. Nonne *e*) et ibidem canem vidimus

a) Ita cod. Num in Tabor, aut olivarum? Sed iam dixi corruptum videri hunc locum, et vocabula etiam loco mota. — *b*) Animadverte *praemiari passivum*. — *c*) *Lombirdorum* pro *Longobardorum*, ut puto. — *d*) Cod. *occisus*. — *e*) Cod. heic et mox *numquid*.

1) Vides heic sollemnem illam Augustini de gratiae divinae praevenientis necessitate doctrinam.

2) Pilati scelera recitat authenticus auctor Philo iudaeus in tract. de virtut. ed. Mangey. opp. tom. II. p. 590, nempe τὰς δωροδοκίας, τὰς ὕβρεις, τὰς ἁρπαγάς, τὰς αἰκίας, τὰς ἐπηρείας, τοὺς ἀκρίτους καὶ ἐπαλλήλους φόνους, τὴν ἀνήνυτον καὶ ἀργαλεωτάτην ὠμότητα: *venditatas sententias, contumelias, rapinas, plagas, iniurias, crebras caedes indemnatorum, crudelitatem infinitam et acerbissimam.* Ibidem dicitur: *homo ingenio inflexibilis, et cum arrogantia implacabilis*, τὴν φύσιν ἀκαμπής, καὶ μετὰ τοῦ αὐθάδους ἀμείλικτος et βαρύμηνις. Violentam autem eiusdem necem testantur Eusebius hist. II. 7, Orosius lib. VII. 5, et Hieronymus aliique in chronicis.

3) Cod. *Romealta*. Scribendum potius erat *Romealda* vel *Romoalda*. Certe *Adoaldus*, *Arioaldus*, *Grimoaldus*, et *Rodoaldus*, sunt inter reges Longobardorum apud Krantzium Hist. gent. septentr. in tabula operi praeposita.

4) Quicquid de hac narratione existimandum videatur, Longobardi, seu Langobardi, certe multo ante Augustinum noti fuere Romanis. Strabo lib. VII. p. 290. Tacitus An. II. 46. XI. 17. et de mor. Germ. cap. 40.

alium, qui videns dominum suum in carcere morientem, magno rugitu se mordens cum domino moritur suo? Nonne multi ex nobis apud Hipponem vidimus canem, qui videns dominum suum in lecto mortuum, panem domino suo porrigebat, et brancis *a*) ut poterat ad comedendum invitabat et voce: sed videns eum non manducantem, non manducabat? Dum autem corpus defuncti portaretur ad foveam, canis cunctis recedentibus, corpus domini sui rapuit, et in prato florum ipsum collocavit; et custodiens diebus tribus, fame moritur canis 1). Ecce denique, Fratres, canes et lupi, ursi et leones, turtures et ciconiae, fidem tenent et servant. Nos aliquando nostras conscientias, Fratres, discutiamus. Eia ergo o milites, estote Christo fideles. Nam sicut aurum est purissimum metallorum et nobilissimum, et albedo fundamentum colorum, sic et fides omnium virtutum. Hanc servavit, hanc adamavit, hanc nos tenere docuit et demonstravit gloriosus Thomas apostolus, qui tamdiu remansit incredulus ut nos certificaret 2). Hac fide sancta armatus ad Indiam pergit, et ibidem tres magos convertit, mortuos ·XXXI· resuscitavit, provinciam totam convertit. Tandem a pontifice gladio percutitur, et diffuso in terra cerebro anno aetatis suae, ut martyr Dei Cyprianus, sexagesimo 3), extensis ad caelum manibus et brachiis migravit ad Dominum 4). Amen.

CLXII. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE CARITATE 5).

1. Magna et immensa Dei patris dilectio, et incessabilibus laudibus praedicanda est, et in omni tempore glorificanda, quia ad redimendos nos de aeterna morte, vitae auctor reparare vitam nobis, omnipotentem aeternumque filium, qui erat, et qui est unius *b*) cum Patre et Spiritu sancto potestatis, mittere destinavit. Sicut Deus hunc mundum ab initio creavit, ita per eundem illum renovavit inveteratum atque iacentem in malitia peccati. Ipse enim per suum sanctum adventum et illuminavit ecclesiam, et ab hiis *c*) terrenis segregavit *d*) et elevavit conversationibus; quia ei spem vitae caelestis tribuit. Erecta enim fuit de tenebris ad lucem, dum se sol iustitiae praesentavit: Christus sitienti aridoque populo eius doctrinae fluenta manifestavit, perpetuaque dulcedine irrigavit exemplis suis sanctis, per quae possumus evadere inferni flammas, et adipisci invisibilia bona, quae nunquam finiuntur. Et ideo agendae sunt gratiae omnipotenti Deo om-

Cod. urbin. 77. f. 188. a.

a) Vocabulum satis aptum, ut *branca ursi*, *branca lupi* in lexicis. — *b*) Alii codd. *unus*. Sed R. *unius*. — *c*) Ita codd. prisca nec insolita orthographia, *hiis* pro *his* vel *iis*. — *d*) Alius cod. *congregavit*.

1) Recole apud nos in hac Bibl. T. VI. Theodori Gazae laudationem canis.

2) Verbum *certifico* legitur etiam in praedicto pseudo-Cypriani opusculo. Quamquam nulla nobis necessitas erat provocandi ut (nuper fecimus) ad id opusculum; etenim ipse Augustinus in serm. edit. CCXLIV. 1. dicit Magdalenam initio non credidisse Christi resurrectioni.

3) Non contemnenda est haec de S. Cypriani morientis aetate notitia; quam unde noster hauserit, alii quaerant.

4) Vetera de stupendo Thomae apostolatu, ac martyrio etc. testimonia, videsis commemorata apud Baronium ad annum Christi XLIV. n. 33. Item apud Sandinium hist. apost. aliosque.

5) Prosequitur codex. *Deus dilectio est, et qui manet in dilectione* etc. quae verba pertinent ad IX. sermonem in epistolam Iohannis.

nium beneficiorum eius; et considerandum est sine intermissione, quanta super nos effusa sunt viscera creatoris nostri. Omnes enim nos ex gentilitate venimus: antiqui patres nostri idolis serviebant, et derelinquentes Deum *a*) a quo facti sunt, deos venerati sunt quos fecerunt. Nos autem per omnipotentis Dei gratiam ad lucem de tenebris reducti sumus.

2. Recolamus ergo de quibus criminum tenebris venimus, et de luce fidei, quam accepimus, gratiam agamus Deo; id est de fide recta et pura intelligentia, et de baptismo quem accepimus: neque enim divinam misericordiam intelligit, qui suae miseriae memor non est. Unde per psalmistam
* Ps. XVI. 7. Deo dicitur *: mirifica misericordias tuas, qui salvos facis *b*) sperantes in te. Tunc enim divinae misericordiae nostrae fiunt, cum nobis ad memoriam miseriae nostrae revocantur. Ideo debemus amare illum, et ad Deum totis viribus anhelare, a quo veraciter ad vitam de errore revocati sumus. Ecce ad fidem atque ad audiendum verbum Domini nostri ex diversa mundi qualitate venimus, atque ex dissimilibus iniquitatibus in sanctae ecclesiae concordiam congregati sumus; ita ut patenter factum esse videatur, quod
* Is. XI. 6. repromissione ecclesiae per Esaiam dicitur *: habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit: nam per caritatis gratiam lupus cum agno habitat, quia hii qui saevitia raptores fuerunt *c*), cum mansuetis ac mitibus in pace 1) acquiescunt *d*); et pardus cum haedo accubat, quia is qui peccatorum suorum maculis vanus fuit, cum eo qui despicit, et humiliter peccatorem se fatetur, humiliari consentit. Ubi et subditur: vitulus et leo et ovis simul morabuntur; quia is qui per contritum cor ad cotidianum se Deo sacrificium praeparat, et alius qui tamquam leo ex crudelitate saeviebat, et alter velut ovis in innocentiae suae simplicitate perdurans, in caulis sanctae ecclesiae conveniunt *e*).

3. Ecce qualis est caritas, quae diversitates mentium accendit et conflat, et quasi in unam auri speciem reformat. Sed in eo quod electi sic se amant, ad illum necesse est ut festinent, ut eum *f*) aeterno gaudio in caelo videre mereantur. Unus est enim dominus ac redemptor noster, qui electorum suosum corda ad unanimitatem ligat, et ad supernum amorem per interna desideria excitat. Unde et illic subditur: et puer parvulus mina-
* Is. XI. 8. bit eos *. Quis est ille parvulus, nisi de quo scriptum est: puer natus est
* Is. IX. 6. nobis, et filius datus est nobis *? qui simul habitantes minat, quia ne in terrenis rebus corda nostra inhaereant, haec per internum desiderium cotidie inflammat. Et hoc ipsum minare, est amorem suum incessanter accendere; ne cum nos vicissim diligimus, mente in hoc exilio remaneamus; requiesque vitae huius sic placeat, ut ad oblivionem patriae nos perducat; ne delectata mens prosperis, torpeat. Unde et Dominus suis flagella permiscet, ut nobis omne, quod in saeculo delectabat, amarescat: et ideo *g*)

a) Al. cod. *dominum*. — *b*) Al. *tu qui salvas*. — *c*) Al. cod. *erant*. — *d*) Al. cod. *conquiescunt*. — *e*) Al. cod. *convenerunt*. — *f*) Al. cod. *cum*. — *g*) Al. cod. *illud*.

1) Congruit satis in huiusmodi explanatione S. Cyrillus, tum in explanatione Isaiae XI. 6, tum etiam apud nos in commentario ad Lucam in hac nova bibliotheca PP. T. II. p. 127.

incendium surgat in animo, quod nos spe ad caeleste desiderium excitet. Puer ergo parvulus nos minat, cum operatur Deus per caritatem, quam nobis tribuit; cum in hoc mundo mentem figere non permittit, sed per compunctionem, et emendationem morum, et confessionem peccatorum, nos ad se invitat; de qua per psalmistam dicitur *: intrate portas eius in confessione, et reliqua. Cum enim peccata nostra per lacrymas confitemur, angustae viae portam ingredimur. Sed cum post haec securi ad aeternam vitam perducemur, porta nostra * atria in confessionum laudibus intrabimus, quia ibi iam angustia non erit, cum nos laetitia aeternae sollempnitatis susceperit. Ibi laudibus praedicabimus eum, quem in humilitate carnis pro nostra necessitate legimus, ut nobis omnibus ascensum aeterni regni praeparet. Optandum ergo nobis est, ut ad eum citius perveniamus, cum quo omnia bona optinebimus: cui condicione perpetua in aethereis arcibus una est cum Patre potentia, par splendoris claritas, indivisa sublimitas, honor aequus, eadem virtus, sociale fastigium, regnum infinitum in aevum. Amen.

* Ita codices.

CLXIII. SERMO S. AUGUSTINI EPISCOPI IN EVANGELIUM MISEREOR SUPER TURBAM 1).

1. Prius quam de septem panibus et paucis pisciculis, quatuor millia hominum Dominus ac redemptor noster satiaret, praemittitur in superioribus quod ascenderit in montem, et sederit ibi *. Et accesserunt ad eum turbae multae habentes secum mutos, claudos, caecos, ac debiles, aliosque multos, et proiecerunt eos ad pedes eius, et curavit eos; ita ut turbae mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, caecos videntes, et magnificarent Deum Israhel. Prius itaque languores abstulit, et postea cibos ministravit: consequens enim erat, ut quos vulnerum sanaverat dolore, eos alimoniis spiritalibus a ieiunio liberaret. Itaque nemo Christi Domini accipit cibum, nisi fuerit antea sanatus. Denique isti, qui vocantur ad caenam, prius vocando satiantur: si claudus fuit, gradiendi facultatem, ut veniret, accepit: si lumine privatus oculorum, intrare Domini non potuit, nisi refulsa luce, convivium. Ubique igitur mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea caelestis mensae alimonia praebeatur. Sed quibus impertiri spiritalis debeat cibus, diligenter nobis est attendendum: impertitur autem non otiosis, non in civitate, quasi in synagoga residentibus, sed inter deserta quaerentibus Christum: qui enim non fastidiunt, ipsi excipiuntur a Christo: cum ipsis loquitur Dei Verbum non de saecularibus negotiis, sed de regno. Sicque impletum est illud Isaiae prophetae*: quiescite agere perverse, discite bene facere. Ideo namque quod diversas Dominus infirmitates in illis hominibus curavit, quid aliud egit, nisi ut a perversitate iniquorum operum, qua

Cod. vat. 6154. p. 279.

* Matth. XV. 9

p. 280.

* Is. 1. 16.

1. Apud Augustinum sermo XCV. inter editos de hoc argumento agit, sed ibi reapse desiderari videtur iste vaticanus, qui a futuris, ut spero, editoribus ibidem in ordine collocabitur.

infirmi languebant, eos quiescere fecit? ac postmodum cum cibum fessis tribuit, mystice eos ad bona peragenda roboravit. Sed ubi hoc nisi in monte fieri debuit? quia videlicet nisi quis vitam carnalium deserens ad altiora conscendat, neque iniquorum operum languores evadere poterit, nec spiritalibus alimoniis recreari.

2. Sed iam ipsius textus lectionis ordine suo promendus est. Iesus autem convocatis discipulis suis, ait: misereor turbae, quia iam triduo per-
p. 281. severant mecum, et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via; quidam enim ex eis de longe venerunt. Vult pascere quos curavit, et prius aufert debilitates, et postea sanis offert adiumenta salutis. Convocat quoque discipulos suos, et quod facturus est loquitur. Duabus ex causis discipulos convocat, scilicet, ut magistris exemplum tribuat, cum minoribus atque discipulis communicanda consilia, sive ut ex confabulatione intelligerent quod facturus erat magnitudine signi. Respondentes, se panes in eremo non habere; misereor, inquit, turbae, quia iam triduo perseverant mecum. Quid est triduo cum Domino perseverare, nisi quasi in tribus diebus Patri et Filio sanctoque Spiritui credere, et non transeunte sed perseverante studio sanctam Trinitatem confiteri? Et non habent quod manducent. Turba semper esurit, quippe quae nomen a perturbatione trahit; haec, nisi a Domino, unde respici possit acceperit, ex semet ipsa boni ali-
* I. Cor. IV. 7. quid habere non potest. Sed et beatus Paulus loquitur *: quid enim habes,
p. 282. quod non accepisti? Sequitur: et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. Vere in via huius saeculi deficit, quisquis non a Domino confortationis alimoniam percipit. Periclitatur ergo, et defectionis patitur languorem; qui nisi caelesti pane ad optatam aeternae patriae pervenire festinat man-
* III. Reg. XIX. 7. sionem. Hinc est quod angelus Domini loquitur ad Heliam *: surge et comede, quia grandis tibi restat via. Utinam dicas, domine Iesu, etiam de nobis: nolo eos ieiunos dimittere; sed digneris nobis alimenta praebere, ut in via, quae ad patriam ducit, non possimus lassescere: multi enim in hac via deficiunt, sed qui tuae mensae cibum salutiferum non requirunt.

3. Vel potius haec verba Domini, quae praemisimus, hoc modo intelligenda sunt: misereor super turbam, quia iam triduo sustinent me, nec habent, quid manducent, et si dimisero eos ieiunos, deficient in via; quidam autem ex eis de longe venerunt. Turba triduo Dominum sustinet, quando multitudo infidelium peccata quae perpetravit per paenitentiam declinans, ad Do-
p. 283. minum se in opere, in locutione, atque cogitatione convertit: quos dimittere ieiunos Dominus in domum suam non vult, ne deficiant in via; quia videlicet conversi peccatores in praesentis vitae via deficiunt, si in sua conscientia sine doctrinae sanctae pabulo dimittantur. Ne ergo lassentur in huius peregrinationis itinere, pascendi sunt sacra admonitione. Valde autem pensanda est pia sententia, quae ex ore veritatis processit, qua dicitur: quidam enim ex eis de longe venerunt. Est autem qui nil fraudis et nil carnalis corruptionis expertus ad omnipotentis Dei servitium festinavit:

iste de longinquo (non) venit, quia per incorruptionem et innocentiam proximus fuit. Alius nulla impudicitia, nullis flagitiis inquinatus, solum autem coniugium expertus, ad ministerium spiritale conversus est: iste non venit de longinquo, quia usus coniunctione concessa, per illicita non erravit. Alii vero post carnis flagitia, alii post falsa testimonia, alii post furta, alii post illatas violentias, alii post perpetrata homicidia ad paenitentiam redeunt, atque ad omnipotentis Dei servitium convertuntur: hi videlicet ad Dominum de longinquo veniunt Quanto enim quisque plus in pravo opere er- p. 284. ravit, tanto ab omnipotenti Domino longius recessit. Nam prodigus filius patrem deseruit, abiit in regionem longinquam, in qua porcos pavit, quia vitia nutrivit. Dentur igitur alimenta eis etiam, qui de longe veniunt; quia conversis peccatoribus doctrinae sanctae cibi praebendi sunt, ut in Deo vires reparent *a*), quas in flagitiis amiserint *b*). Qui saepe a doctoribus, (abfuerint) tanto necesse est ut largioribus cibis doctrinae satientur, quanto fessi maioribus vitiis venerunt.

4. Sequitur, et dicunt discipuli. Unde ergo nobis in deserto panis tantus est, ut saturemus turbam tantam? Iam superius * de quinque panibus *Matth. XIV. 15. quinque millia hominum satiaverat, et satis mirandum est quomodo discipuli de reficienda turba dubitabant. Sequitur, et ait illis Iesus: quot panes habetis? At illi dixerunt, septem, et paucos pisciculos. In superiori lectione de quinque panibus et duobus piscibus ita scriptum est: vespere autem accesserunt ad eum discipuli dicentes: desertus est locus, et hora iam praeteriit, dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas, et p. 285. reliqua. Hic discipulis congregatis ipse Dominus loquitur *c*): misereor turbae, quia triduo perseverant mecum, et dimittere eos ieiunos nolo. Felices quidem et illi sunt, quorum discipuli reminiscuntur; sed hi profecto feliciores, quorum ipse Dominus meminisse dignatur: ibi quinque panes erant et duo pisces, hic septem panes, et pauci pisciculi. Nondum erant apostolis plus quam quinque panes mosaicae legis, et duo pisces utriusque testamenti, quae diutius in abdito mysteriorum latentium quasi undis abyssi tegebantur. Bene autem iuxta evangelium Iohannis * panes qui legem desig- *Ioh. VI. 9. nant, hordeacei fuisse referuntur, qui iumentorum maxime rusticorumque est cibus servorum; quia incipientibus, nec dum perfectis auditoribus, asperiora et quasi duriora committenda praecepta sunt; de quibus apostolus ait *: animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei. At- *I. Cor. II. 14. que ideo Dominus pro suis cuique viribus dona tribuens, semperque ad perfectiora provocans, primo quinque panibus quinque millia virorum; secundo septem panibus quatuor millia hominum refecit; tertio discipulis p. 286. suae carnis et sanguinis mysterium credidit; ad ultimum ut edant et bibant super mensam suam in regno omnibus concedit electis. Sed ibi quinque millia refecti dicuntur, quia quinque sunt exterioris hominis sensus, quos illi imitabantur, videlicet visus, auditus, gustus, odoratus, et tactus

a) Cod. *raperent*. — *b*) Cod. *commiserint*. — *c*) Sic loquitur etiam S. Gregorius PP. homil. IX. in evangelia.

hic autem quinque millia Dominum secuti designant eos, qui in saeculari adhuc habitu positi, exterioribus quae possident bene uti noverunt: qui recte quinque panibus aluntur, quia tales necesse est legalibus adhuc praeceptis institui. Nam qui mundo ad integrum renuntiant, quatuor sunt millia, quasi de quatuor mundi partibus venientes, iuxta illud quod Domi-
* Matth. VIII. 11. nus ait *: multi venient ab oriente et occidente, ab aquilone et austro, et recumbent cum Abraham et Isaac, et Iacob in regno caelorum. Hii et septem panibus dicuntur refecti, hoc est et evangelica perfectione sublimes, et spiritali sunt gratia edocti; cuius significandae distantiae causa, mystice reor introitu quidem tabernaculi quinque columnas deauratas, ante oraculum vero idem sancta sanctorum quatuor fieri iussas; quia videlicet incipientes per legem, ne peccare debeant, castigantur; perfecti autem per gratiam, ut devotius Deo vivere valeant, admonentur.

p. 287. 5. Pauci vero pisciculi, qui septem panibus adiciuntur, sancti viri sunt qui ad exemplorum imitationem ponuntur; qui quantum excellentiores, tanto pauciores existunt; quorum dum isti, qui septiformi gratia reficiuntur, imitatione proficiunt, quasi eorum spiritali pastu satiantur; quia videlicet omnes, qui ad perfectionem tendunt, et verbo sacrae scripturae, et sanctorum virorum exemplis imbuuntur. Ut in quinque panibus illic benedictio ponitur, hic etiam gratiarum actio refertur. Pro ecclesia quippe sua Dominus patri gratias agere consuevit, quia quae abscondit sapientibus, ea parvulis revelavit. Benedictio igitur super nos, qui inferiores sumus; gratiarum vero actio super eos, qui de infirmitatibus et corporum suorum passionibus triumpharunt. Illi supra foenum, isti supra terram discumbunt: plus enim est terram premere, quam supra foenum iacere. Illi autem adhuc quibus sensus sunt corporales, mollioribus delectantur, et ideo super faenum recumbunt: isti vero qui supra terram, quae triticum et vinum gignit et oleum, cibum gratiae consequuntur. Nequaquam igi-
p. 288. tur talem Dominum deseramus, qui pro uniuscuiuscumque viribus impertiri nobis alimenta dignatur, ne aut infirmum cibus validior degravet, aut validum alimenta non satient.

6. Iam vero quod in illa lectione duodecim cophini de reliquiis fragmentorum, hic vero referuntur sportae impletae, quamvis diversa videantur in superficie, intellectu tamen interiore non multum distant ab invicem. Quod ergo turbis superest, a discipulis sustollitur, quia sacriora mysteria quae a rudibus capi nequeunt, non negligenter omittenda, sed a perfectis quibusque viris inquirenda sunt. Ibi ergo per cophinos, duodecim apostoli, et per apostolos omnes sequentium doctorum chori figurantur, foris quidem hominibus despecti, sed intus salutaris cibi reliquiis ad alenda humilium corda cumulati. Hic vero per septem sportas universitas significatur ecclesiae, quae septenario numero frequentius solet appellari, sicut in Iohannis ostenditur apocalypsi. Sed et beatus Paulus ad septem nihilo minus eccle-
p. 289. sias scribit. De illis igitur spiritalibus reliquiis, quibus tunc ille populus

satiatus est, ecclesia Dei non solum hactenus repleta est, sed singulis quibusque temporibus exuberante semper verbo Dei satiabitur, et replebitur usque in finem. Nec mirum si ecclesia Dei sportae nomine appellatur, cum utique gestatorium vel ferculum apud Salomonem dicatur *, pro eo quod animas hominum ad aeterni regis gestet vel ferat convivium. Congruenter igitur sportae nomine etiam potest vocari quae a portando, sicut etiam exportando, vocabulum trahit; quia videlicet sancta ecclesia per sacrae praedicationis studium, per bonorum quotidie exempla virorum, animas fidelium de mundi ereptas iniquitate ad mansura semper caelestis patriae gaudia portare consuevit; quo etiam et nos ferri mereamur! praestante domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

* Cant. III. 9

CLXIV. IN NATALI MARTYRUM.

Cod. vat. 4951. f. 199. b. et ottob. 978. f. 351. b.

1. Lingua non sufficit, Fratres carissimi, quantum me necesse est dicere, et vos oportet audire; quoniam imbecillitate percellimur, quominus quam oportet dicere valeamus: hoc est, etsi a laudibus Domini lingua cessamus, mirabilia tamen eius fidei operibus approbemus *: si non loquuntur verba, eius gloriam; factis, exequamur gratiam. Quis enim bonum factum videns non gaudeat, miretur, imitetur, ac veluti tacito magistro utens, eius exemplo doceatur? Dictis igitur facta praecedant, immo sine factis dicta nihil prosunt. Nam ideo et Dominus, Fratres, voluit sic docere, ne sine bono opere, verborum inutilis esset et superstitiosa iactatio. Melius ergo docemur facto, quam voce. Denique martyres etsi voce tacent, factorum virtute nos edocent: et si lingua silent, martyrii passione persuadent. Unde quamvis disertus orator facundiaque summa doceat, id tamen quod mihi utile est, melius disco exemplo sanctorum, quam assertione verborum: citius mihi persuadent oculi quod cernunt, quam auris possit insinuare quod praeterit: auditui enim cito obrepit * oblivio, oculorum autem historia semper inspicitur. Quis enim non omnibus horis momentisque conspiciat quemadmodum tunc beati martyres propter nomen Christi diversis subiacuere suppliciis, et de ipsis poenis quodammodo triumphabant? Quanto enim plura patiebantur, tanto se victoriosissimos esse credebant. Victoria enim est martyris, iudicium persequentis; cum iudicatur enim martyr et condemnatur, tunc vincit atque prosternit. Tali enim iudicio non est addictus ad mortem, sed absolutus ad requiem; ac per hoc manifestissima ratione vincit, non perit. Constat igitur sanctos martyres plus passione docere quam voce; quamquam ipsa passio sine voce non sit. Legimus enim animas eorum de sub ara Dei clamare, vel dicere: quousque Domine sanctus et verus non vindicas sanguinem nostrum? Nam et Deus dicit de sanguine Abel ad Cain, vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Clamare igitur dicitur sanguis qui innocens effusus est, non tam voce quam causa. Sic et san-

* cod. *apprehendimus*.

* cod. *auditum obrepit*.

ctorum martyrum animae clamant, dum fidem atque innocentiam suam sensibus nostris ipsa passione commendant.

Sancti Augustini sermonis octavi de natali S. Iohannis Baptistae, ex casinensi codice anno 1819. *Romae plurimis cum corruptelis editi, emendationes ex codice antiquissimo vaticano* 3835. *f.* 206.

Pag. 38. *editio col.* 1. *v.* 12. quia	*Codex rectius omittit* quia.
v. 17. vox fuerit ad aurem	vox ferit aurem.
v. 18. usum	sonum.
v. 23. vox	vocem.
Col. 2. v. noverat	erat.
v. 4. quod erat emittat	quod erat, et latebat, appareat.
v. 5. id est Christo	in Christo.
v. 6. quale Christus etc.	Quaere Christum. In principio erat Christus.
v. 16. respondebat Iohannes: ecce agnus Dei	Ille autem ut se vocem probaret, Verbum quod praecedebat insinuabat, honorem indebitum repellebat, ad Christum digitum porrigebat. Dicentibus enim, tu es Christus? respondebat Iohannes: ecce agnus Dei.
v. 27. Nostis enim? Dixerunt etc.	nostis enim, dilecti, quoniam verbum.
v. 32. quia permanet	quin permaneat.
P. 39. col. 1. v. 1. ecce	et ecce.
v. 5. mysterium *sec. loc.*	ministerium *sec. loc.*
v. 7. crevit	crescit.
v. 16 . . .	quamvis occurrerit testimonium perhibere de lumine.
v. 17. crevit	crescit.
v. 18. solstitio	solistitio 1. *manu.*
v. 19. luctum lucis	lucrum lucis.
v. 21. quare sic nati sunt?	quare hoc? sic nati sunt.
v. 24. Christus autem	Christus.
v. 25. ille vero - iste vero	ille - iste, *sine* vero
v. 26. truncatus est	truncatur.
v. 27. in crucis patibulo est exaltatus	ille ut crescat, extenditur.
v. 34. iuvencula	primaeva, *quae lectio consonat praecedenti* grandaeva.
v. 40. nasciturum	eum nasciturum.
v. 44. Gabriel angelus et ad virginem	Gabrihel angelus ad Zachariam mittitur sacerdotem. Gabrihel ad virginem.
v. 45. promittitur utrique filius.	promittit utrique filium.
v. 47. accepit ab utraque	accipit ab utroque.
Col. 2. v. 1. ad angelum promittentem	angelo promittenti.
v. 18. murmurant alterna miscentes	murmura alterna miscentes.
v. 19. de evangelio	modo de evangelio.
v. 22. magnus	tantus, *quod rectius respondet praecedenti* tantillus.
v. 32. festis coelestibus	festis coetibus.
v. 39. Non faciamus natali eius iniuriam. Cessent religiones sacrilegiorum; cessent studia atque ioca vanitatum.	Non ei faciamus iniuriam. Natali eius cessent reliquiae sacrilegorum; cessent studia vanitatum.
v. 42. quaedam	quidem.
v. 44. putrescentibus	putentibus.
v. 45: flagrabat atque putrescebat, et universum.	flagrabat, universum.
Pag. 40. col. 1. v. 3. a pauperibus, sed a maioribus fieri prohiberi debuerant.	a pueris, sed maiores prohibere debuerant.
— fratres	equidem, fratres.
v. 8. per annos singulos ista utique, et omnis diminutio.	per annos singulos ista minuuntur; et utique omnis deminutio.
Col. 2. v. 2. tacere possimus. Nihil est vetustas	nec tacere poterimus, nisi cum vetustas.
v. 4. consumetur	consummetur.
v. 7. una cum	cum
v. 8. et cum Spiritu sancto, nunc et per omnia saecula saeculorum. Amen.	et] Spiritu sancto in saecula saeculorum, amen. Explicit.

CLXV. SERMO SANCTI AUGUSTINI IN DOMINICA PALMARUM 1).

1. Fratres dilectissimi, dignum est, ut semper, quando ad ecclesiam Cod. vat. 6454. p. 213.
convenitis, divinum sermonem in vestris auribus audiatis; maxime tamen
modo oportet ut in his diebus Dei sermonem vobis annuntiando, fraterni-
tatem vestram admoneamus, quatenus omnibus saecularibus curis abiectis,
divinis tantum studeatis obedire praeceptis. Legimus enim: isti sunt dies, p. 214.
quos observare debetis. Certe ita istos dies observare debemus, ut apud
nullum ex fratribus nostris, qui nobiscum unum Deum adorant, aliquod
odium, vel iram habeamus 2), timentes illud, quod scriptum est *: omnis, * I. Ioh. III. 15
qui odit fratrem suum, homicida est. Et si in pascha Domini, corpus domi-
nicum accipere volumus, corpus nostrum et animam nostram ab omni
avaritia, et ab omni luxuria, ab omni ira, et ab omni odio, ab omni
turpiloquio, et omni peccato mundum habeamus; quatenus domini nostri
Iesu Christi corpus et sanguinem ad profectum, et non ad detrimentum,
suscipiamus. Sic enim, dicit apostolus *: quicumque corpus et sanguinem * I. Cor. XI. 29.
Domini indigne manducat et bibit, iudicium ibi manducat et bibit. Sci-
tis, Fratres, quia si aliquis vestrum hodie temporalem seniorem 3) suum p. 215.
in domo sua deberet suscipere, quantocius festinaret ipsam domum suam
scopis mundare, et ab omni sorde et vitio illam alienare, ut cum ipse
senior suus ad domum suam veniret, mundam et non sordidam illam in-
veniret. Si ergo illum seniorem, qui ad tempus nobis prodesse et nocere
potest, cum tanta reverentia et dignitate, quanta diximus, volumus su-
scipere, multo magis debemus laborare, et corpus et animam nostram
multis vigiliis et orationibus et eleemosynis adornare, quatenus corpus
aeterni domini nostri Iesu Christi, qui in hoc et in futuro saeculo inenar-
rabiliter nobis potest prodesse et nocere, cum mundo corde et casto cor-
pore valeamus recipere.

2. Denique sciendum est omnibus vobis, unde haec talis consuetudo cre-
verit, quod has olivas et palmas hodie in manibus portamus. Certe antiquo p. 216.
tempore fuit etiam consuetudo, ut si quis rex ad alium regem, vel si
quilibet potens ad alium potentem causa pacis, et non belli, ire deberet,
statueret, ut olivae illum antecederent; oliva enim in sacro eloquio pacem
significat: ut per ipsas olivas ipse rex, et ipse potens posset cognoscere, quia
ille, quem praedictae olivae praecedebant, non causa bellandi, sed causa
pacis, advenire volebat 4). Item altera consuetudo erat, ut si quis aliquis
rex contra suos inimicos in bellum procederet, et adiutus misericordia Dei

1) Diserte inscribitur sancto Augustino in codice hic sermo, qui tamen paulo infra cognitum Augustini stilum esse videtur.

2) Sic loquitur Augustinus etiam in serm. edit. CCVII. 3, et praecipue in serm. CCXI. Utiliter item conferentur Augustini sermones ed. a CCV. ad CCXI, et in append a CXL. ad CXLVIII.

3) Quasi senatorem. Seniores locorum in ed. opp. Augustini Antuerp. T. X. append. col. 34. et 48. C. in edicto ac sententia Marcellini. Tum interdum apud Augustinum *senex* titulus dignitatis est. Quid demum? En etiam Iohannes apostolus scribit ep. II. *Senior Electae dominae et natis eius.*

4) Sic ad Evandrum regem Aeneas pacificus veniens, Virg. aen. VIII. 116: *paciferaeque manu ramum praetendit olivae.*

de suis inimicis victoriam haberet, cum reverteretur, palmae ante illum portarentur 1), ut per illas possent homines intelligere, ipsum regem omnes suos superasse inimicos. Ad quam similitudinem nos quoque modo olivas
p. 217. et palmas in manibus portamus: olivas portamus, ut nos pacem habere cum domino nostro Iesu Christo, ad cuius corpus suscipiendum praeparamur, ostendamus: palmas vero ideo portamus, ut nos victoriam de diabolo, cum quo ista quadragesima magnum proelium habere debuimus, ostendamus. Consideret ergo unusquisque intra se, Fratres karissimi, si pacem factam cum domino nostro Iesu Christo habeat, et si diabolum, cum quo magnum iubemur habere proelium, habeat superatum. Ille namque pacem habet factam cum Domino, et victoriam de diabolo, qui si aliquid in toto anno peccavit, hac quadragesima orando, et multas vigilias faciendo, et longis ieiuniis carnem suam macerando, illud, in quo peccavit, delevit. Et si cibum, quem corpori suo abstraxit, pauperibus dedit *a*). Certe inaniter ille ieiunat, qui de cibo a quo corpus suum ie-
p. 218. iunando abstinet, non pauperum corpora sustentat, sed suum sacculum 2); dignum est enim, ut unde nostra caro affligitur, inde pauperum caro reparetur.

3. Si quis tamen ista quadragesima corpus suum luxuriae macula coinquinavit, et pauperibus de sua substantia aliquid dare noluit, et invidiae facibus accensus fuit, et vigiliis et orationibus deditus non extitit, et aliquid alicui furando defraudavit, ille sine dubio non habet pacem factam cum Domino, neque victoriam de diabolo, qui non Domini voluntati consentit, sed in omnibus sua colla diabolo subdidit. Quapropter oportet, Fratres karissimi, ut si in primordio huius sanctae quadragesimae bonis operibus coepistis insistere, modo amplius insistatis, et Domino deservire
p. 219. firmius in omnibus studeatis: quia nemo per bonam inchoationem potest Domino placere, nisi bonum, quod inchoavit, usque ad finem studeat perducere. Nunc ergo, Fratres dilectissimi, cum magna cura et sollicitudine eleemosynas ieiunando facite, et vigiliis et orationibus, ac omnibus bonis operibus vigilanter insistite; et si aliquid alicui per malum ingenium rapuistis, festinanter reddite, sequentes Zacchaeum, qui si aliquid alicui tulit, amore Dei accensus, omnia in quadruplum restituit. Decimas plenas et primitias 3) tempore congruo cum magno amore date: et si aliquis in vos peccavit, pro amore Dei illi indulgete: quia si hoc feceritis, tunc orationem dominicam non ad damnationem, sed ad vestram salvationem
p. 220 cantare poteritis. Studete itaque omnibus bonis operibus, quantum potestis,

a) Cod. *non dedit*. Sed *non* rectius auferri visum est.

1) Hinc tot cusae in nummis victoriae cum palmis.

2) Codex *corpus*, quae si lectio recte (quod non puto) se habet, intelligenda essent vana illa ieiunia, quae deliciosi christiani exquisitioribus et sumptuosioribus cibis compensabant, ut non semel dicit Augustinus in praedictis sermonibus. Ceterum quia potius scribendum fuit *sacculum*, avari ieiunium describitur, consensusque fit cum serm. ed. CXLII. 6. *Sic ieiunemus, ut prandia nostra pauperibus erogentur; ut quod pransuri eramus non in nostris sacculis, sed in visceribus pauperum reponamus.*

3) Animadverte *decimas* non solum, sed etiam *primitias* oblatas in vetere ecclesia, qui mos uterque apud pios catholicos multis adhuc in regionibus viget.

vos adornare; ut in paschali sollemnitate corpus et sanguinem Domini cum mundo corpore et casta mente valeatis suscipere, et ad futuram gloriam, quam ista paschalis sollemnitas significat, possitis pervenire; quod ipse praestare dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto etc.

CLXVI. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI IN FERIA III. PASCHAE.

1. Scripturam quidem hebraici exitus 1), et verba mysterii, dilectissimi Fratres, audistis; quomodo agnus immolatus est, et quomodo plebs salvata est, et quomodo Pharao per mysterium verberatus est. Intelligite, dilectissimi, quemadmodum sit novum ac vetus, temporale et aeternum, corruptibile et incorruptum, mortale et immortale, paschae mysterium: vetus quidem secundum legem, novum autem secundum verbum 2): temporale per exemplar, aeternum per gratiam: corruptibile propter victimam pecudis, incorruptibile propter Domini vitam: mortale propter sepulturam, immortale propter resurrectionem. Vetus quidem lex, novum autem est verbum: temporale per exemplar *, sed sempiterna est gratia: corruptibilis ovis, incorruptibilis Dominus: non comminutus ut agnus, sed resuscitatus ut Deus: licet enim, ut ovis ad victimam ductus est, sed non erat ovis: licet sicut agnus sine voce, sed non erat agnus. Illa enim in figura fiebantur 3), haec verius reperiuntur: pro agno enim Dominus factus est, et pro pecude homo, homo autem Christus, in quo capiuntur omnia. Isaias autem ait *: sicut ovis ad occisionem ductus est; et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate 4) iudicium eius sublatum est; generationem autem eius quis enarrabit?

Cod. vat. 6454. p. 227.

* Ita cod

* Is. LIII. 7. et 8.

2. Multa quidem et alia plurima a prophetis praedicta sunt in paschae mysterio Iesu Christi, cui gloria in saecula saeculorum, amen. Ipse enim adductus est ut agnus, et occisus ut ovis. Veluti ab Aegypto nos a mundi cultura 5) redemit: et salvavit nos de manu diaboli, quasi de manu Pharaonis, et consignavit animas nostras proprio spiritu, et membra corporis nostri suo sanguine pretioso. Hic est qui confusione mortem induit, et diabolum in planctu constituit. Hic est qui iniquitatem percussit; et iniustitiam, sicut Moyses, sterilitate damnavit. Hic est qui nos eripuit de servitute ad libertatem, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, a tyrannide in regnum perpetuum. Hic est qui in multis multa sustinuit. Hic est qui in Abel occisus est, in Isaac pedibus colligatus est, et in Iacob peregrinatus est, et in Iosepho venundatus est, et in Moyse obvolutus est

1) Nempe lectionem ecclesiasticam libri Exodi.

2) Verbum intelligitur doctrina evangelica, ut more graeco λόγος. Sic v. gr. Origenes a nobis editus comm. ad prov. XXXI. 16. γνώσεως μὲν ὡς νόμου, ζωῆς δὲ ὡς λόγου.

3) Ita et Cato a Forcellino laudatus: *graeco ritu fiebantur saturnalia*. Sic divus Iobus in S. Augustini Speculo apud nos p. 37: *quousque iterum fiar*.

4) Vides bibliorum antiquam lat. interpretationem, quam hoc loco exprimit Augustinus noster ut in serm. ed. XLIV. 6, alibique, prout adnotat Sabaterius. Et quidem sic multi veteres hunc biblicum locum legebant.

5) Id est cultu, affectu. *Culturam* pro sacro cultu cum aliis priscis scribit etiam Nicetas aquileiensis, ut ibi olim adnotabam.

et in amne a matre expositus: et in agno iugulatus, et in David persecutus 1), et in prophetis exhonoratus. Hic est qui in terra sepultus est, et resurgens a mortuis ad caelorum excelsa conscendit. Hic est agnus sine voce. Hic est qui de grege assumptus est ad victimam, vespere immolatus est, qui in nocte sepultus est. Hic est Iesus Christus dominus noster, qui resurrexit a mortuis, et de inferiori sepulchro hominem resuscitavit ad vitam.

3. Hic itaque in medio Hierusalem interemptus est. A quibus? ab Israhel. Quam ob causam? quia claudos eorum curavit, et leprosos mundavit, et caecos illuminavit, et mortuos suscitavit. Quid fecisti, o Israhel, tam novam iniustitiam? Ignobilitasti 2) eum, qui te nobilem fecerat: ignominiasti eum, qui te glorificaverat: reticuisti eum, qui te praedicaverat: occidisti eum, qui te vivificaverat. Nonne scriptum est *, non effundas sanguinem innocentem, ne pessime moriaris? Ego, inquit Israhel, hoc feci, quia pati eum oportuit. Erras, o Israhel, cum taliter sapis: pati eum oportuit, sed non per te: oportuerat eum contumeliis affici, sed non per te: oportuerat eum crucis suspendi patibulo, sed minime per tuam dexteram debuit fieri. Hac, o Israhel, voce ad Dominum clamare debueras: o Domine, si voluntas tua ita decrevit, ut filius tuus patiatur, sed minime per me patiatur. Plane ab alienigenis diiudicetur, ab incircumcisis, a quolibet tyranno clavis configatur. Absit ut per me hoc piaculum perpetretur. Hac, o Israhel, voce proclamare minime voluisti, nec inferre in Dominum tuum manus proprias pepercisti. Non es veritus opera eius: nullam tibi incussit verecundiam, cum manus arida proprio corpori restituta esset incolumis, neque cum obturati oculi patefacti fuissent, nec cum dissoluta membra per eius consolidata sunt vocem. Sed neque recens illud erubuisti miraculum, quod iam quatriduanus mortuus ad vocis eius imperium de sepulchro surrexit.

* Deut. XIX. 10.

4. O Israhel, tanta mirabilia Christi vidisti, et semper in infidelitate permansisti? Tu quidem universa haec praetervolans, ad necem Domini properasti: parasti ei acutissimos clavos, testes mendaces, fel quoque et gladium ut homicidae latroni: intulisti etiam verbera eius corpusculo, et in capite eius coronam spineam posuisti: et manus eius illas bonas, quae te de humo plasmaverant, vinculis colligasti: et bonum illud os eius, per quod tu cibatus es vita, e contrario felle cibasti. In magna diei festivitate tuum Dominum peremisti: et tu quidem epulis fruebaris, ille autem famis patiebatur esuriem: tu bibebas vinum, et panem edebas, ille autem acetum et fel: tu eras splendidus corpore, et ille confectus maeroribus: tu exultabas, et ille tribulabatur: tu psallebas, et ille iudicabatur: tu choros ducebas, et ille in tumulo condebatur: tu quidem in mollitie strati iacebas, ille autem in sepulchro et loculo. O impiissime Israhel, quid hanc novam iniustitiam pepetrasti? Novis tuum Dominum subiciens pas-

1) Sic passive etiam in vetere homilia a nobis edita Script. vet. T. III. p. 139. *Helias cum persequebatur a Iezabel.* Sic et Hyginus a Forcellino laudatus.

2) Verborum *ignobilitare* et *ignominiare* exempla affert Forcellinus ex notis tironianis et ex Gellii titulis, quos nos ipsi in palimpsesto vaticano, ob antiquitatis argumentum, contra nonnullorum dubitationes, observavimus.

sionibus, peremisti dominatorem tuum, et factorem tuum, qui te honoravit, qui tibi Israhel nomen imposuit, tu autem Israhel nequaquam inventus es. Non vidisti Dominum 1), nec Dominum intelligere voluisti. Nesciebas, Israhel, quoniam hic est primogenitus Dei, qui ante luciferum genitus est? Hic fuit qui te in Aegyptum perduxit, atque ibi te conservans alimentum exhibuit. Hic est qui ad te transmissus est, qui patientes tuos curavit, qui mortuos suscitavit. Hic est in quem inique gessisti, quem trucidasti, hic est quem vendidisti.

4. Idcirco, o Israhel, quia super Dominum non contremuisti, impugnatus ab hostibus contremuisti: super Dominum non formidasti, super Dominum non eiulasti, super mortuos filios eiulasti: quia dereliquisti Dominum, nec invenieris ab eo. Allisisti Dominum, et tu quoque ad terram allideris: et tu quidem iaces in terra, ille autem surgens a mortuis transvectus est ad altitudinem caeli. Nunc ergo venite universae familiae hominum qui estis commixti delictis, et remissionem accipite peccatorum: ego enim sum vestra remissio, ego pascha salutis, ego agnus qui pro vobis sum iugulatus, ego vestra redemptio, ego vita, ego vestra sum salus. Ego vestra resurrectio, ego vester sum rex, ego vos resuscitabo per dexteram meam. Hic est Dominus noster qui fecit caelum et terram, qui in ligno suspensus est, qui in terra sepultus, qui surrexit a mortuis, ascendit ad excelsa caelorum, qui regnat cum Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

CLXVII. HOMILIA SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI

In illo tempore, cum intrasset Iesus Hierosolymam, commota est universa civitas dicens: quis est hic? et reliqua. * Matth. XXI. 10.

1. «Et veniunt Hierosolymam, et cum introisset templum, coepit eicere Cod. vat. 1276. f. 159. a.
» vendentes et ementes de templo et mensas nummulariorum et cathedras
» vendentium columbas evertit.» Quod maledicendo ficum, infructuosam
per figuram fecit Dominus; hoc idem mox apertius ostendit eiiciendo im- v. 19.
probos de templo. Neque enim aliquid peccavit arbor, quae esuriente Domino poma non habuit, quorum nec dum tempus advenerat; sed peccaverunt sacerdotes, qui in domo Domini saecularia negotia gerebant, et fructum pietatis, quem debuerant, quemque in eis Dominus esuriebat, ferre recusabant. Arefecit Dominus arborem maledictam, ut homines hoc videntes sive audientes, multo magis intelligerent se divino contempnendos esse iudicio, si absque operum fructu, de plausu tantum sibi religiosi sermonis blandirentur, velut de sonitu et blandimento viridantium foliorum. Verum, quia non intellexerunt, consequenter in ipsos districtionem meritae ultionis exercuit. Eiecitque commercia rerum humanarum de domo illa in qua divinas res tantum agi, hostias et oblationes Deo offerri, verbum Dei legi, audiri, praedicari, praeceptum erat. Et quidem credendum

1) Respicit hebraicam etymologiam vocabuli *Israhel*.

est quod ea tantum vendi vel emi reperiebat in templo, quae ad ministerium templi eiusdem necessaria erant, iuxta hoc quod alias factum legimus *, cum idem templum ingrediens invenit in eo ementes et vendentes oves et boves et columbas: quae omnia nonnisi ut offerrentur in domo Domini, eos qui de longe venerant ab indigenis comparare credendum est. Si ergo Dominus nec ea volebat in templum inferri, videlicet propter studium avaritiae sive fraudes, quod proprium solet esse negotiantium facinus, quanta putas animadversione puniret, si invenisset aliquos ibi risui vel vaniloquio vacantes, aut alio * cuilibet vitio mancipatos? Si ea quae alibi libere (fiunt), geri non patitur; quanto magis ea, quae nusquam fieri licet, plus caelestis irae merentur, si in aedibus Deo sacratis agantur?

* Ioh. II. 14.

* ita cod.

f. 159. b.

2. Verum quia Spiritus sanctus in columba super Dominum apparuit, recte per columbas Spiritus sancti charismata figurantur. Qui autem sunt in templo Dei hodie, qui columbas vendunt, nisi qui in ecclesia pretium de impositione Spiritus sancti caelitus data recipiunt? Columba igitur venditur, cum manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium praebetur. Sed redemptor noster cathedras vendentium columbas evertit, quia talium negotiatorum sacerdotium destruit. Hinc est quod sacri canones simoniacum hoc esse clamant, et eos sacerdotio privari praecipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quaerunt 1). Cathedra ergo vendentium columbas evertitur, quia hii qui spiritualem gratiam venundant, vel ante humanos, vel ante Dei oculos, sacerdotio privantur. « Et non sinebat, ut quisquam transferret vas per templum. » De vasis dicit illis, quae mercandi gratia inferebantur. Ceterum absit, ut vasa Deo dicata Dominus eiiceret de templo vel intro ferri prohiberet in templum, sed potius inmunda et profana eliminat vasa de templo ac ne diutius inferantur. Ubi futuri sui examinis insigne praetendit exemplum, quando non solum de ecclesia omnes repellit ac separat reprobos, verum etiam ne ultra ad turbandam ecclesiam intrent, aeterno eos verbere conpescit. Sed in praesenti haec vocatur domus Domini, idest, cordis fidelium purificatio, ut non tantum peccata, quae fuerant, divinitus inmissa compunctio tollat; sed etiam ne haec ultra repetantur, divina gratia in eis perseverans adiuvet.

3. Et docebat, dicens eis: « nonne scriptum est, quod domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? » Omnibus quippe gentibus non solum iudaeae, nec in uno Hierosolymae urbis loco, sed in toto orbe terrarum; et nequaquam taurorum et hircorum et arietum, sed orationis. » Vos autem fecistis eam speluncam latronum. » Qui ad accipienda munera in templo residebant, profecto, quia quibusdam non dantibus, laesiones exquirerent, dubium non erat. Domus ergo orationis spelunca latronum facta fuerat, quia ad hoc in templo assidere noverant, ut et non dantes

1) Ita S. Cyrillus apud nos in comm. in Ps. XXXV. 12. Χεὶρ ἁμαρτωλοῦ ἡ τοῦ δῶρα διδόντος ἐπὶ φθορᾷ καὶ λαμβάνοντος· χεὶρ ἁμαρτωλοῦ ἡ τοῦ ἱερέως τοὺς ἀναξίους τῷ θυσιαστηρίῳ προσάγοντος. *Manus peccatoris, munerum corruptionis causa datio et acceptio: manus peccatoris sacerdos, qui indignos altari admovet.* Scilicet manuum impositione venali.

munera, studerent corporaliter persequi; et dantes, spiritualiter necarent. Templum quippe et domus Dei, est ipsa mens atque conscientia fidelium. Quando enim in laesionem proximi perversas cogitationes proferunt, quasi in spelunca latronis resident: et simpliciter gradientes interficiunt, quando in eos, qui in nullo rei sunt, laesionis gladios defigunt. Mens enim fidelium non iam domus orationis, sed spelunca latronis est, quando relicta innocentia et simplicitate sanctitatis, illud conatur agere, unde valeat proximis nocere.

4. « Et cum mane transissent, viderunt ficum aridam factam in radi» cibus. » Non rami tantum et stirpes infructuosae fici, sed ipsa etiam radix arefiendo *a*)*, signum divinae in se reprobationis ostendit. Et Johannes ait: « quia securis ad radicem arboris posita est. » Arefacta est itaque ficus a radicibus, ut ostenderetur gens impia non ad tempus, vel ex parte corripienda, exteriorum in securibus, et mox miserante *b*) Domino pro sua pietate *c*), posthinc restituenda libertati, ut saepe factum sacra historia refert, sed aeterna potius damnatione ferienda. Arefacta est a radicibus, ut intimaretur nefanda plebs non solum humana gloria forinsecus, verum etiam divino favore funditus esse destituenda. Nam et salutem, et vitam, et quam *d*) accipere poterat patriam, perdidit in terris.

* Matth. III. 10.

CLXVIII. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE SANCTA DEI GENETRICE MARIA 1).

Cod. vat. 1269 f. 91. b.

1. Mariae nuptias virginis, et thalamum cum illaesa virginitate *e*), temeraria narrare conatur humilitas. Ipsius *f*) tamen ipsa dignetur trepidis sensibus adesse divinitas. Neque enim parvi ratio tremoris assumitur, quando humanis vocibus secreta deitas praeconatur 2), ut inmortalia mortalitas explicare contendat. Dum nobis pro fragilitate corporea vel sentire sufficiat, ut creatoris sui referat creatura cum virgine immaculata consortium, pro quo legatio dirigitur angelorum. Nam cum auctor lucis in suae residens palatio claritatis, praefulgentis solii dignitatem, incomparabili luminis, de sui praesentia, splendore perfundens, astris rutilantibus coruscaret, et gemmatam stellis radiantibus regionem serenis iugiter aspectibus decoraret, solis quoque meatus vel lunae deliquia suis intercurrere vestigiis aspexisset, tunc etiam sollicita angelis famulantibus sine cessatione cautela, divini oris avide sustinebantur imperia. Ut quod sacrati sermonis arcanum proferret arbitrium, angelicum claritate servitium patefaceret. Inter caelestium itaque Dominus sollicitudines sanctionum, terrae doluit pereuntis interitum; ne quod divinae institutionis bene prompta sollertia nascenti f. 92. a.

a) Cod. *areficiendo*. — *b*) Cod. *mirante*. — *c*) Cod. *post tantam pietatem*, non sine litura. — *d*) Cod. *quamquam*. — *e*) Additur in cod. *deitatis*. — *f*) Id est *humilitatis*.

1) Auctor Milleloquii T. II. col. 1131. legebat hunc Augustini (si credere satis dignum est) sermonem simili fere initio: *Thalamos Mariae et secreta coniugia*, sub titulo de annuntiatione Mariae virginis. Stilus certe huius sermonis accedit ad illum primi vat. sermonis, nec non LVII. LXXI. LXXII, qui Augustino iuveni familiaris fuisse videtur, quem diversum a senis stilo fuisse, Maurini observarunt.

2) Afer Capella dixerat *praeconans*. Forcellinus dicebat inusitatum esse *praeconor*. Nunc apud afrum Augustinum id in usu apparet. Infra etiam *praecono, as*.

dederat mundo, invidente posset subverti diabolo. Et miseratus est mercedem sui operis sic perire, quam pridem in homine dignatus fuerat fabricari, qui nuper ex lutea conspersione primum formaverat hominem, non ad contumeliam scilicet sed honorem. Nam cum stragem mundi cadentis, diaboli concurrere videret ingeniis, machinationi divinae dexteram supposuit aeternae virtutis; et tunc filium dignatus est Deus sub incarnationis lege producere, per quem mundi posset pereuntis fabricam restaurare: ut quod mundana polluerat, consentiendo satanae venenis, obscenitas, surgentis de Deo filii mundaret sancta nativitas. Et quod crassator 1) ille nequissimus per Adae potuit nocere peccatum, ad indulgentiam redeat per dominum Iesum Christum. Quem tunc Dominus oris parturientis arcano, et linguae generantis ex utero suum proferre voluit Verbum, in cuius sermone pendebat omnium progenies nationum.

2. Protulit ergo de verbo Verbum, quod ante saecula cum eo caelestis throni possideret imperium. Et voluit sibi incarnatione nasci dominum saeculo, qui secum consors consempiternus 2) regnat in caelo. Tunc quoque elegit sibi in Maria spiritale Deus hospitium, cum qua caelestium intercurreret scriptura pactorum, et nullum nasceretur virginitati dispendium. De sublimi namque solio, quod immensae lucis splendore circumfluo, artifex construxerat sermo, et architectante lingua formaverat camerata suspendio, dum cohortes astantium et legiones officialium conspiceret angelorum, instruxit cum Gabrihele secreta colloquia, per quae divina possent inviolata castitate celebrari coniugia: quem sacris praemonens affatibus destinabat dicens 3).-Suscipe Gabrihel, suscipe suave legationis huius officium, peracturus sanctum cum Maria commercium, quia te nostrum terris proferente mandatum, mundo nascetur maritante Verbo de virginitate remedium. Paranymphum te divini iubeo interesse coniugii, unde meae virtus assumpto homine germinet deitatis, et integra permaneat substantia castitatis. Mundum facies ascribi dotalibus, et thalamorum pretio caelum tua conferat pro dote promissio, quia talem eius utero nasci gaudeo filium, cui etiam in carne exercitus deserviat angelorum. Namque haec genitura est immortalis, quem mecum regnare mundus sentiet coheredem, ut doceatur aequalis merito, licet semper coaeternus mecum regnavit in caelo. Qui quamvis in me, aequalem mei in omnibus compos habeat dignitatem, nostram tamen suo nascendo non minuet consortio maiestatem, et permanebit nostrae potestatis integra soliditas, quia deitatis a se non separatur hereditas, sed humanis afferam cladibus salutis aeternae substantiam. Iesum carnaliter nasci censeo per Mariam, quae nullam sentiet de integritate iacturam. Et ne dubitet mater sui vocari Domini, quem ego meum filium volui nominari.
* Ps II. 7. Sicut per musicam David propheticam praeconavit dicens *: filius meus es

1) *Crassator* pro *grassator*. Priore modo pronunciant adhuc Romani: *crassatori*, *crassazioni*.

2) Animadverte vocabulum *consempiternus*.

3) Sequitur pars quasi dramatica, ut in sermonibus de Ninivitis et de Susanna. Alius quoque mihi in manibus est antiquus et perelegans graecus sermo dramatico schemate instructus. Insuper prosopopoeiam ne ipsi quidem Ciceroni musitatam scimus.

tu, ego hodie genui te. Et ne ingrate suscipiat fieri se suo Domino matrem, cui me esse volui sine coniuge patrem; neque enim sunt in aliquo recusanda coniugia, quando ratio permanet castitatis illaesa; Spiritus sancti sermone praegnabitur, per quam mundus cum genuerit iocundetur. Et erit sui mater auctoris, cui nomen exhibere gratulor genitoris. Deserviat itaque, ei pro matrimonio caelum, et pro dotalibus chorus innumerabilis angelorum. Quamvis, quid non subiaceat thalamis, qui consortia meruerit deitatis?

3. Tum Gabrihel angelus sollicita velocitate festinus, ad terras per caeli tramitem commeabat. Illi namque per auras alarum velificante navigio, crocea lacertorum fulgebat extensio, cui divina fuerat commissa legatio. Qui cum per crassas nubium quodammodo densitates, et per astriferas caelis camerantibus regiones, quasi gradatim mandati conscius per- f. 92. b.
volasset, praecipitatis pennarum alacritate remigiis, caelum volans miscuit terris, quia de terris Mariam Dominus elegerat maiestatis. Tunc etiam terris insedit sacrum portans Mariae mandatum, in cuius corde Dominus sibi iam parabat hospitium, cuius etiam obtinuerat maritante Verbo consortium. Et ait ad eam angelus: dirigit tibi, Maria, verbum Dominus, per quod Dei nascetur deitate similis Iesus Christus, quô nascente carnaliter consempiterno sibimet filio, diabolus nocere non praevaleat mundo, quia in eo totius saeculi constat rediviva redemptio. Spiritus in te residet Dei patris, de quo propaginem suscipies Salvatoris et maculam tuae non senties castitatis. O quam veneranda praegnacitas 1), de qua nulla dolorum pariendi nascitur difficultas, quia integra permanet inviolata virginitas! Neque enim deitatis transitus, clausa potuit virginalis gratiae portarum repagula reserare; cum praecedente iam tempore per prophetam Dominus dignatus fuerit praenuntiare dicens*: « vidi portam in do- * Ezech. XLIV. 2
» mo Domini clausam. Et dixit ad me angelus: porta haec, quam vides, non » aperietur, neque aliquis per eam transiet, quoniam Dominus solus intrat, » et egredietur per eam, et semper erit clausa ». Beata itaque foetante praegnata est subinde sermone; et interclusa virginitatis latebra, ad opera spatiosa se coepit breviter dilatare: et tunc divini palmitis novellante Verbo materies, botrum divinae sobolis, intra immaculatae scrobis spatia nutriebat. Occultabatur spiritalibus intra humanitatem deitas nutrimentis; et intra angusti corporis metas, caelestis versabatur origo sermonis. Retinebat occultam intra se humanitas deitatem; et proprium Maria portare exultabat auctorem, quia caelestem in se meruerat foecundante verbo germinare propaginem. Tunc itaque divini sermonis paulatim crescebat per modos ampliata praegnacitas, et inviolata regnabat cum praegnacitate virginitas. Intra brevitatem vertebatur viscerum, quem totum ferre vix potest caelum: humani dignatus est pectoris minima versari per spatia, cui

1) Observa vocabulum *praegnacitas*. Et quidem Furlanettus adnotaverat in Fulgentio mythographo persimilis naturae vocabulum *praegnax, cis*. Lexicis ergo adiungatur.

caelestis throni non sufficiunt pro deitate palatia. Qui pluribus expletis humanitatis more mensibus, per inlaesam virginem producitur partus; quia pudor laedi non potuit, transeunte Christo, virgineus. Superest, ut qui pro nobis et nasci sub carnis conditione dignatus est, et non despexit pro nostris peccatorum excessibus crucifigi, caelestibus nos regnis per indulgentiam praecipiat sociari. Qui cum Deo patre, indissolubili societate vivit et regnat, in unitate Spiritus sancti, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Inter multos qui de obitu et sepulcro, vel etiam resurrectione S. Iohannis evangelistae scripserunt, eminet doctrinae copia P. Augustinus Calmetus in dissertatione, quam Iohannis evangelio praeposuit. Ibi quod ad rem nostram adtinet, observat dictus Calmetus, iam aetate sancti Augustini plures ea persuasione occupatos fuisse, in ephesino tumulo adhuc viventem apostolum Iohannem iacere, extrema iudicii die illinc proditurum. Reapse Augustinus in Ioh. tract. CXXIV. 2. et 3. multis verbis opinionem illam exponit, quae studiosi lectores videant. Hoc sublato obstaculo historiae aegre credibilis, quam Augustinum cognovisse constat, non dubitavi sermonem hunc in augustinianorum serie retinere, quamquam fortasse cento quidam est ex Augustini variis scriptis contextus.

CLXIX. HOMILIA BEATI AUGUSTINI EPISCOPI DE SANCTO IOHANNE EVANGELISTA.

Cod. vat. 615. f. 227. a.

1. Postquam dominus Iesus significavit Petro qua morte clarificaturus esset Deum, protinus adiungit: sequere me *; ac si aperte dicat: quia ipse prius pro tua redemptione crucis supplicium subire non timui, quid tu pro mei confessione nominis, crucem pati formidas? quia eo gloriosiore martyrii palma glorificaberis, quod in hac promerenda magistri iter sequeris. Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Iesus sequentem. Hinc patet, quia cum dixisset Iesus Petro, sequere me, surrexit de loco convivii et coepit abire. Secutus est Petrus, secutus est ille discipulus quem diligebat Iesus, Iohannem videlicet ipsum, qui hoc scripsit evangelium. Diligebat autem eum Iesus non, exceptis ceteris, singulariter solum, sed prae ceteris familiaribus unum, quem specialis praerogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum. Omnes quippe diligit, qui omnibus dicit: sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos *. Sed hunc prae omnibus diligit, qui virgo electus ab ipso, virgo permansit. Tradunt namque historiae, quod eum de nuptiis nubere volentem vocaverit *a*), et propterea quem a carnali volumptate *b*) retraxerat, potiore sui amoris dulcedine donavit. Qui et recubuit in caena super pectus eius. Quod autem discipulus ille super pectus magistri recubuit, non praesentis solummodo dilectionis, sed et futuri signum mysterii figurabatur. Etenim tunc iam evangelium, quod idem discipulus erat scripturus, uberius atque altius ceteris sacrae scripturis paginis, arcana divinae maiestatis esse comprehensurum. Quia enim in pectore domini Iesu, sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi *, merito super pectus eius recubat, quem maiore ceteris sapientiae et scientiae singularis *c*) munere donat. Ceteros quippe evan-

* Ioh. XXI. 56. — * Ioh. XV. 9. — * Coloss. II. 3.

a) Praef. ante tract. in evang. Iohannis. — *b*) Ita cod. qui est archaismus. — *c*) Cod *singulis*.

gelistas novimus plura de miraculis domini Salvatoris, pauciora de divinitate locutos. Iohannes autem perpauca de humanis scribens actibus, potius exponendis divinae naturae institit arcanis, patenter insinuans quanta de pectore Iesu fluenta doctrinae caelestis, quae nobis ructaret, hauserit.

2. «Hunc autem cum vidisset Petrus, dicit Iesu: Domine hic autem quid? Quia se beatus Petrus audierat per passionem crucis glorificaturum esse Deum, voluit etiam de fratre et condiscipulo cognoscere, qua esset ipse morte, perpetuam transiturus ad vitam. «Dicit ei Iesus: sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. Non, inquit, eum per passionem martyrii volo consummari, sed absque violentia persecutoris diem expectare novissimum, quando ipse veniens eum in aeternae beatitudinis mansione recipiam. Et quid ad te? Tu tantum crucis patibulum subeundo, mea te vestigia sequi debere memento. Non ideo ait Dominus de beato Iohanne, sic eum volo manere, quia non et ipse labores antea multos pro Domino pressurasque malorum non toleraverit, qui et in actibus apostolorum cum ceteris apostolis flagellatus invenitur, quando ibant gaudentes a conspectu concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine Domini contumeliam pati *. Et a Domitiano Caesare in ferventis olei dolium missus, in ecclesiastica narratur historia 1): ex quo tamen divina se protegente gratia, tam intactus exierit quam fuerit a corruptione concupiscentiae carnalis extraneus. Nec multo post tempore ab eodem principe propter insuperabilem evangelizandi constantiam in Patmos insula exilio relegaretur. Ubi humano licet destitutus solatio, divinae tamen visionis meruit crebra consolatione relevari. Denique ibidem apocalypsin, quam ei Dominus de statu ecclesiae praesenti vel futuro revelavit, manu sua conscripsit. Unde constat promissum sic manendi, donec veniret Dominus, non eo pertinere, quod sine labore certaminis victurus in mundo, sed illo potius quod sine dolore passionis transiturus esset de mundo. Sic enim in patrum litteris legimus. Cum longo confectus senio 2) sciret imminere diem recessus sui, convocatis discipulis suis per monimenta exhortationum, ac missarum celebrationem, ultimum eis patefecit diem. Deinde descendens in defossum sepulturae suae locum, facta oratione positus est ad patres suos, tam liber a dolore mortis, quam a corruptione carnis invenitur alienus.

* Act. V. 41.

f. 227. b.

3. Illud etiam 3) in his duobus apostolis Petro et Iohanne, quem non moveat ad quaerendum, cur Iohannem plus dilexerit Dominus, cum ipsum Dominum plus dilexerit Petrus? Ubicumque enim se commemorat Iohannes, ut nomine suo tacito ipse possit intellegi, hoc addidit, quod eum diligebat Iesus. Porro quod apostolus Petrus plus aliis dilexerit Christum, possunt quidem documenta multa proferri. Sed ut longe in alia non eamus, ipsius tertiae manifestationis Domini paulo superiore lectione,

1) S. Hieronymus in Matth. cap. 20.

2) Haec et sequentia aliquot verba extant in praefationibus ante evangelium Iohannis in antiquis bibliorum editionibus v. gr. Paris. an. 1566. quam prae manibus habeo.

3) Sequens quaestio de Petri et Iohannis erga Christum amore, sumitur ex tractatu CXXIV. 4. in evangelium Iohannis.

quae istam praecedit, satis evidenter apparet, ubi interrogans eum dixit: diligis me plus his? quod utique sciebat, et tamen interrogabat, ut etiam nos qui legimus evangelium, amorem Petri erga Dominum, et in illo interrogante, et in isto respondente nossemus. Quod autem in eo quod respondit Petrus amo te, non addidit plus his; hoc respondit, quod de se ipso sciebat. Non enim quantum a quolibet diligeretur, scire poterat, qui cor alterius videre non poterat. Sed tamen superioribus verbis dicendo: etiam Domine, tu scis; satis et ipse declaravit, scientem Dominum interrogasse, quod interrogavit. Sciebat igitur Dominus non solum quod diligeret, verum etiam quod illis plus eum diligeret Petrus. Et tamen si proponamus quaerentes, quis duorum sit melior, utrum qui plus, an qui minus diligit Christum, quis dubitabit respondere, esse eum, qui plus diligit, meliorem? Item si proponamus, quis duorum sit melior, utrum quem minus an quem plus diligit Christus; eum qui plus diligitur a Christo, meliorem procul dubio respondebimus.

4. Adgrediar igitur in eius manifesta misericordia, cuius est occulta iustitia, de solvenda quaestione pro viribus, quas ipse donaverit, disputare 1). Sic enim, inquit, volo manere, id est sic eum expectare finem conditionis propriae, non finem mundi. Quod autem subdit, donec veniam, non solum de generali illo, quo mundus resolvendus est, sed etiam de hoc quo quotidie sanctos suos visitare dignatur adventu, accipi potest. Quod vero ait: diligis me plus his? potest ita intellegi, ut Iohannem hoc loco, qui specialius dilectus, a ceteris exciperet. Spiritaliter iuxta mysticum sensum, in Petro actualis vita, in Iohanne contemplativa significatur, in utroque praesens pariter et futura. Ecclesia autem, cuius Petrus, propter primatum apostolatus, figuram gerebat, claves a Christo regni caelorum accepit 2) in petra, idest potestate solvendi ligandique peccata. Quod enim est per proprietatem in Christo ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra, quod significatione intelligitur Christus petra, Petrus ecclesia. Haec igitur ecclesia, quam significabat Petrus, quamdiu degit in malis, sequitur Christum in eis qui pro veritate certant usque ad mortem. Quibus idem
* I. Petr. II. 21. Petrus ait *: Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum ut sequamur vestigia eius. Ecce propter quod ei dictum est: sequere me. Est alia vita immortalis, quae non est in malis, ubi facie ad faciem videbimus, quod hic per speculum et in aenigmate videtur. Duas itaque vitas 3) sibi divinitus praedicatas, commendatas novit ecclesia: quarum una est in fide, altera in specie: una in peregrinatione, altera in aeternitate:
1. 228. a. una in labore, altera in requie: una in via, altera in patria: una cum hoste pugnat, altera sine hoste repugnat. Ergo una bona est, sed adhuc

1) Deinde discedit Augustinus a suo tractatu in Iohannem.

2) Sic in sermone ed. CXLIX. 7. *Petrus in multis locis Scripturarum apparet quod personam gestet ecclesiae: maxime illo in loco, ubi dictum est tibi dabo claves regni caelorum. Quaecumque ligaveris in terra etc.*

3) Rursus partim ex tract. XXIV. in Ioh. nec non in Breviario romano die 26. decembris. Est enim codex vat. ex maximae molis choralibus.

misera; altera melior et beata. Ista significata est per apostolum Petrum, illa per Iohannem. Ideo huic dicitur, sequere me. De illo autem, sic eum volo manere, donec veniam redditurus bona. Sic eum volo manere, id est expectare. Quoniam quod per eum significatur, non utique nunc, sed cum venerit Christus, implebitur.

5. » Hic est discipulus, qui testimonium perhibet de his, et scripsit » haec: » Hic manifeste beatus Iohannes suam personam designat ex officio, quam designare vitat ex vocabulo. Perhibuit quippe testimonium verbum Dei praedicando, perhibet etiam nunc pandendo. Siquidem a tempore dominicae passionis, resurrectionis, et ascensionis in caelum, usque ad ultima Domitiani principis tempora, per annos circiter sexaginta et quinque, absque ullo adminiculo scribendi, verbum praedicabat. At ubi a Domitiano, qui secundus post Neronem Christianorum persecutor extitit, exilio missus est, irrumpentes in ecclesiam haeretici, quasi in destituta a pastore ovilia lupi, Marcion, Cerinthus, et Ebion, ceterique Antichristi, qui Christum fuisse ante Mariam negabant, simplicitatem fidei evangelicae perversa maculavere doctrina. Sed cum ipse post occisionem Domitiani, permittente pio principe Nerva, rediret Ephesum, compulsus ab omnibus paene tunc Asiae episcopis, et multarum ecclesiarum legationibus de coaeterna patri divinitate Christi altius sermonem facere, eo quod in trium aliorum evangelistarum scriptis de humanitate eius sufficientem sibi viderentur habere testimonia. Quod ille se non aliter facturum respondit, nisi indicto ieiunio omnes in commune Dominum precarentur, ut illo digna scribere possit. Et hoc ita patrato, instructius revelatione Spiritus sancti gratia debriatus 1), omnes haereticorum tenebras patefacta subito veritatis luce dispulit. In principio, inquiens, erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Similemque initiis totum sui sermonis cursum faciens, Dominum nostrum Iesum Christum sicut verum hominem vere ex homine temporaliter factum, ita etiam verum Deum, vere ex Deo patre aeternaliter natum, vere cum patre et Spiritu sancto existentem semper, clarissima assertione perdocuit: immo omnia divinae veritatis, et verae divinitatis, quantum alteri mortalium nulli licuit, arcana reseravit. Et hoc virgini privilegium recte servabatur, ut ad scrutanda Verbi incorruptibilis sacramenta, incorrupto ipse non solum corde sed et corpore proderet. De cuius dictorum veritate quam sit nemini ambigendum, ipse quoque curavit ostendere. Qui cum dixisset: hic est discipulus qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec, continuo subiecit et ait: et scimus quia verum est testimonium eius. Quia ergo et nos cum ceteris fidelibus scimus verum esse testimonium eius, curemus per omnia, ut recta fide intellegendo, recte operando, exercendo quod docuit, ad dona perveniamus sempiterna, quae promisit; praestante domino nostro Iesu Christo, cui est honor et virtus et imperium cum Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

1) Observa vocabulum *debriatus*.

CLXX. SANCTI AUGUSTINI FRAGMENTA.

Sequens fragmentum mittebat ad me olim R. P. Octavius Frangipanius ex monasterio casinensi, sumptum ex codice, inserendumque sermoni CLXII. 2. de paschate in appendice maurina post verba ut redivivo corporis usui renascatur.

Nativitas enim resurrectionis apud inferos, mors est quaedam inferorum. Mors mortem quodammodo patitur, dum ei invitae defunctorum multitudo subtrahitur. Post dies octo iterum erant discipuli intus, et Thomas ille qui tunc cum eis non fuerat, quando gavisi sunt discipuli viso Domino. Et qui referentibus postea discipulis dixit: nisi videro fixuras clavorum, et mittam digitum meum in latus eius, non credam. Hoc ergo hodie cum discipulis reliquis posito, venit Iesus ianuis clausis. Sic oportuit venire, ubi cor incredulitate clausum, erat fidei luce reserandum. Non immerito ergo etiam octavus dies pari vi, paene pari devotione, celebratur, qua ille celebratus est, a quo octavus dies iste numeratur. In illo enim resurrectio acta, in hoc confirmata est: nec minus dura atque tenebrosa hic incredulitatis ianua, quam illic inferni porta praerumpitur. Venit ergo, inquit, Iesus ianuis clausis. Est quod nos quoque cum Thoma dubitemus, nisi facti respiciamus auctorem. Sed si Deum esse, de quo loquimur, cogitemus, cui nihil invium, cui humanum quoque pectus pervium confitemur, cui hoc idem corpus non solum ianuis clausis *. In ipsa statim salutatione: pax vobis. Hanc ergo nobis semper afferat, hanc a nobis reposcat, hanc a nobis inveniat, hanc relinquat. Deinde dicit Thomae: infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis. Non est meum meos ludificare phantasmate, vanam imaginem visus timeat, veritatem corporis manus et digitus explorent. Potest fortasse aliquando oculos caligo decipere, palpatio corporis verum corpus agnoscat. Spiritus inquit, carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere. Quod ostia clausa penetravi, sola est virtus divini Spiritus, non sola carnis substantia: alioquin quid profuit me suscepisse hominem, si piguit suscepisse? Respondeamus ergo et nos, et fateamur cum Thoma, in quo miraculum divinae virtutis exposuit. Tu Dominus meus, et Deus meus. Nobis enim ille dubitavit, nobis exploravit, nobis in illo Dominus manus et lateris vulnera contrectanda permisit. Dicit ei Iesus: quia vidisti me credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt. Habemus ergo et firmitatem palpata videntium, et beatitudinem non visa credentium.

* ita ms.

SANCTI AUGUSTINI FRAGMENTUM

PERTINENS AD DISPUTATIONES CONTRA MANICHAEOS.

In codice vaticano, olim Reginae Svecorum DLXIX. (qui ex antiquioribus sumptus fuit gallicanis codicibus) p. 18. post anathematismum, quo concluditur liber secundus actorum sancti Augustini cum Felice manichaeo, sequitur alius anathematismus, sine dubio eiusdem Augustini, qui videtur ineditus: nam et quae ibi in codice sequuntur, sunt Augustini, nempe illud vulgatum a

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Lovaniensibus Commonitorium, sub titulo epistolae 244, et aliud quod extat in editione maurina (ed. Paris. T. VIII. in append. col. 37. ex Sirmondo Concil. Gall. T. I. p. 209.) Tum vero et nomina pleraque, quae in hoc scripto leguntur, frustra alibi quaerentur apud Augustinum. Ne quid dicam de formula prorsus diversa recipiendi novos Manichaeos seu Paulicianos, quae extat in Gallandii bibliotheca T. XIV. p. 87. Recitemus ergo fragmentum, quod nos quidem excidisse a fine libri II. contra Felicem manichaeum existimamus.

Ego Cresconius unus ex Manichaeis scripsi, quia si discessero ante quam gesta subscribantur, sic sim habendus, ac si Manichaeum non anathemaverim. Felix conversus ex Manichaeis dixi sub testificatione Dei, me omnia vera confiteri, de quo scio, esse Manichaeos in partes caesarienses Mariam et Lampadiam uxorem Mercurii argentarii; cum quibus etiam apud electum Eucharistum pariter oravimus; Caesariam et Lucillam filiam suam; Candidum qui commoratur Thipasa, Victorinum 1), Hispanam, Simplicianum Antonini patrem, Paulum et sororem suam qui sunt Hippone, quos etiam per Mariam et Lampadiam scivi esse Manichaeos. Hoc tantum scio. Quod si aliud inventum fuerit me scire supra quam dixi, me reum ego ipse confiteor.

DE NOVIS SANCTI AUGUSTINI SERMONIBUS

EX CODICIBUS AMPLISSIMI CAPITULI VERONENSIS.

Tandem aliquando post tot vaticanas beatissimi Augustini copias, haud minore alacritate accedimus ad pretiosas aliquot eiusdem sancti doctoris reliquias, quae ex antiquis veronensium RR. Canonicorum codicibus ad nos feliciter pervenerunt. Namque amplissimi illius Collegii veterem bibliothecam quis fama saltem celebrari non audiit? Quae postquam superiore saeculo, anno MDCCXIII, ex abdito et maceriis atque oblivione sepulto cubiculo emersit; docti certatim homines ad scrutandos illos vetustate venerandos codices certatim incubuerunt; atque in primis Scipio Maffeius, tum Blanchinius, Cennius, Ballerinii fratres, Vallarsius, Zacharias, Niebuhrius borussus cum sociis; nosque adeo ipsi, qui faventibus summa cum facilitate Canonicis, Virgilii aliquot interpretes, et sancti Cyrilli alex. commentariorum in psalmos prooemium, cum speciminibus aliis, indidem extulimus. Iam vero cum ante hos annos studiorum suorum causa, quorum tot egregios fructus edidit, versaretur Romae reverendus dominus Iosephus Brunatus sacerdos, Salodio 2) nobili ad Benacum oppido oriundus; et me, quem familiariter saepe adibat, cognovisset augendis Augustini scriptis curam impendere, de veronensibus tempestive codicibus sermonem intulit, ex quibus novae aliquot copiolae sperandae forent: quod ne frustra loqui videretur, adversaria sua mihi protulit, ubi nonnulli Augustini sermones erant, a se Veronae de schedis fratrum Balleriniorum, qui ex codice capitulari LIX. hauserant, diligenter exscripti. Erant

1) Prorsus de hoc Victorino manichaeo tota est epistola Augustini CCXXXVI.

2) P. Bembus in novo poëmate, cui titulus *Sarca* v. 177, apud nos in Spicil. rom. T. VIII. ita canit

Fundavit dixitque suum de nomine pulchrum
Salodium, antiquam migrans quo transtulit urbem.

autem 1. et 2. de paenitentia. 3. de carnis resurrectione 4. de incarnatione, passione, ac resurrectione Domini; quem postremum tamen R. Brunatus tractatum, Augustino licet inscriptum, Idacii potius chronographi aut Vigilii tapsensis foetum esse iudicabat. Ex eodem codice sumpta mihi ostendebat augustiniana fragmenta alia, de quibus suo loco dicam.

His ego magnopere laetatus nobilissimi patris scriptis, quae in ius meum ad divulgandum libenter et cum summa humanitate tranferebat R. Brunatus, dicta etiam » Maffeii considerabam v. gr. in eius Anecdotis p. 82: «divo Augustino multae ex his » membranis dedicantur. Sed praecipue sunt eius sermones variis in codicibus in- » terspersi, quorum quatuor inter editos haud reperio. » Tum in Verona illustrata ed. fol. part. III. cap. 7. col. 247. « Tre sermoni col nome di S. Agostino, di » buon colore, non più veduti.» Alibi etiam miro cum amore de his codicibus scribit Maffeius v. gr. in praef. ad Cassiodorii complexiones, et in observationibus litterariis T. I. Quae mecum reputans, sumpsi animos ut ad amplissimum veronensium Canonicorum collegium scriberem, vellent pro sua benignitate et sacrarum doctrinarum amore, indulgere absenti mihi ut per aliquem industrium virum vetustissimos saltem sermonum Augustini codices retractandos curarem, vestigaremque numquid ibi Augustini ineditum forte fortuna latitaret. Meas vero preces apprime commendavit favor et auctoritas doctissimi ac disertissimi Veronensis episcopi R. P. Aurelii Muti, cui iamdiu non patriae tantum communis, verum etiam amicitiae vinculo devinctus sum. Qua indulgentia amplissimi Collegii impetrata, dedi porro litteras ad R. dominum Placidum Brixianum bibliothecae illius doctum custodem orans, ut pro sua excellente peritia, et in litterariis curis constantia, potiores aliquot S. Augustini codices mei causa pervolutare non recusaret. Quod cum ipse impigre confestim egisset, primo quidem illos ex antiquissimo codice LIX. fidelissime ad litteram exscripsit sermones, quos iam R. Brunatus ex apographo balleriniano sumpserat. Deinde et pervetustum alium LXXVII. gravi labore miraque sedulitate inspexit codicem, unde item nonnullos alios S. Augustini sermones (praeter quaedam monumenta de quibus postea) luce dignissimos carpsit; quos singulis quemque locis debita notitia donabimus. Tum etiam utriusque codicis continentiam perdiligenti commendavit syllabo, et quo quisque sermo libro editus esset, vel nondum vulgatus, sapienter admonuit. Denique utriusque codicis scripturam picto specimine misit, quam nos aere cudendam curavimus.

Idem R. Brixianus codicem mihi quemdam suppeditavit, membraneum venustum, ex veronensi cive pretio redemptum, in quo praeter alia, opusculum Augustino inscriptum continetur, cui titulus cur Deus fieri voluit homo, ad Adeodatum; *quod tamen ego genuinum esse Augustini nullatenus persuadere mihi potui; tum ideo praesertim omisi, quia Milleloquii augustiniani auctor Bartholomaeus urbinas totum, variis licet segmentis distractum, in suo volumine iamdiu exhibuerat. Ceteroquin hic qui in meam potestatem venit codex, memoria etiam ac stemmate possessoris illustris, mihi apprime carus accidit. Ut enim fert eius inscriptio, fuit olim Constantii Sfortiae, Pisauri domini, cuius vitam a me in Spicilegii rom. tomo I. editam, ingenuo stilo scripsit Vespasianus florentinus; qui inter cetera merita, insignem eius bibliothecam memorat, a patre Alexandro principe acceptam, sed ab ipso multis codicibus auctam, quos per conductos antiquarios eleganter describendos curabat.*

CLXXI. SANCTI AUGUSTINI

Ubi post baptismum spes paenitentiae concessa est, quod nullus neque negligere neque tardare debebit 1).

1. Beatus David spiritaliter nos hortatur ad paenitentiam dicens: confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius*. Et ideo in ipso psalmo per singulos quoque versiculos laudem divinae misericordiae copulavit, ut nos qui indigemus misericordia *a*) Dei ad postulandum facilius incitaret. Merito ergo tam frequenter adiunxit *b*): quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius; ne respicientes ad peccatorum vulnera, desperatione *c*) remedii frangeremur; sed festinaremus confiteri peccata nostra, et certa spe indulgentiae deprecari, quem totiens misericordem fatemur. Confitemini, inquit *d*), Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius. In quo illud *in* primis considerandum est, quomodo Deus qui non solum scientiam habet omnium, sed etiam praescientiam, ab hominibus peccatorum confessionem requirat. Nunquid ignorat Deus peccata nostra, ut ea nos iubeat confiteri? Non utique ignorat, qui non modo actus *e*) nostros inspicit, et sermones audit, sed etiam cogitationes *f*) cordis introspicit. Quomodo ergo confiteri Deo iubemur, quod iam scitur a Deo? et quae nos ideo confiteri Deus iubet, quia commissa iam novit? Illa hic ergo confessio non petitur, Fratres karissimi, per quam nos Deus instruit, sed [per quam] peccatum omne destruitur. Illa hic ergo confessio petitur quae peccatum sic *g*) confitetur, ut paenitentiam profiteatur. Haec confessio non tam verbis est implenda, quam rebus. Hoc est enim vere confiteri Deo peccata sua, iam peccata desinere, et nihil de prioribus habere delictis praeter dolorem. Hic bene et *h*) utiliter peccata sua misericordi Deo pronunciat, qui ea etsi labiis taceat, gemitu *i*) confitetur; qui peccasse se, non tam verbis quam lacrimis loquitur; qui dolere *k*) sibi, quod ante peccaverat, non oris sono, sed emendatione operis confitetur. Haec est utilis, haec fructuosa, haec vera confessio. Ad hanc nos per prophetam suum Dominus cohortatur, et dicit*: redite ad me ex toto corde vestro in ieiunio et fletu et planctu, et disrumpite corda vestra et non vestimenta vestra. Redite ad dominum Deum vestrum, quia miserator est et magnanimis *l*) et multum misericors. Non dixit tantummodo, labiis confitemini quaecumque peccastis; sed redite, inquit *m*), ad me ex toto corde vestro. Non contentus dicere ex corde vestro, addit ex toto corde vestro. Tunc enim vera conversio est, cum incipiunt ex toto corde servire iam Domino, qui servierunt ex toto corde peccatis. In ieiunio, inquit. Sed hoc iam facere sollemne est; et ideo addidit in fletu et in planctu *n*), ut dolorem *o*) expugnandis criminibus necessarium designaret.

Cod. Veron. LIX p. 152.

* Ps. CVI. 1.

* Iohel. II. 12.

a) Cod. fortasse *misericordiam*. — *b*) Ita cod. prisca orthographia. — *c*) Cod. *disperatione*. — *d*) Cod. *inquid*. — *e*) Cod. *actos*. — *f*) Cod. *cogitationis*. — *g*) Cod. *si*. — *h*) Cod. *ut*. — *i*) Cod. *gemitus*. — *k*) Cod. *dolore*. — *l*) Ita *is*, non *us*, etiam in Augustini Speculo, ut in glossario meo iam adnotavi. — *m*) Cod. *inquid*. Sic et infra. — *n*) Cod. heic *plancto*. — *o*) Cod. *et dolore*

1) Sermones sancti Augustini de paenitentia extant CCCLI. et CCCLII. Item in append. LVI. CCLIII. et seqq. Nominat sub hoc titulo Possidius in indiculo cap. 8, citatque non semel Florus, ut adnotant Maurini ad serm. CCCLI. Nunc alii duo genuini ex codice veronensi accedunt, hic videlicet et alter qui sequitur.

Et disrumpite, inquit, corda vestra, et non vestimenta vestra. Solent enim in luctu gravissimo, id est in mortibus propinquorum, ad ingentis *a*) doloris indicium *b*) vestimenta disrumpere. Sed maiorem dolorem exigit Deus. Quod nos peccasse lugeamus *c*), ait corda vestra et non vestimenta vestra. Si enim, inquit, sic doletis *d*) eos qui temporali morte moriuntur, quomodo vos ipsos lugere debetis, qui in aeternam mortem *e*) peccando cecidistis? Ideo ergo hic Dominus: disrumpite, inquit, corda vestra. Quia *f*) enim omnia peccata de corde procedunt, merito Deus paenitentium corda vult dolore *g*) disrumpi.
* Matth. XV. 19. De corde enim, ut Salvator in evangelio dicit *, procedunt cogitationes *h*) malae, id est adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia, blasphemia. Disrumpite, inquit, corda vestra. Ingentes exprimit et vim et aequitatem doloris, qui cum de peccatis satisfacit Deo, illut *i*) ipsum *in* primis affligit et cruciat, unde peccatum est. Confiteamur ergo Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius. Ut praesenti capitulo ostendimus, non solum iussit paeniteri 1) peccatores, sed etiam docuit, et totum ipsum ordinem paenitentiae propriis describsit doloris *k*) officiis; ne quando iam velint *l*) ad peccatum reverti, qui lugent quod *m*) aliquando peccassent.

2. Ad hanc ergo confessionem, Fratres dilectissimi, festinandum est, quae non labiis tantum sed corde et operibus impleatur. Neminem vulnus suum pigeat confiteri, quia non potest sine confessione sanari. Aput *n*) saeculi iudices publicatum, hic vero occultum *o*) crimen interficit. Aliter in foro humanis legibus, aliter divinis in ecclesia iudicatur. Ibi *p*) qui fuerit de crimine confessus, punitur; hic etiam de multis criminibus confessus, absolvitur. Nec pudeat aliquem paenitere, quem peccare non puduit. Si etiam similes *q*) nobis homines erubescimus *r*), quid in iudicio faciemus Dei? ubi astantibus angelis, praesidente Christo, concilio simul iudicante sanctorum, omnia cordis nostri secreta nudanda sunt. Aut quae amentia est cogitare de temporali pudore peccati, et non cogitare de aeterno dolore supplicii? Sed haec sunt diabolosa 2) et perniciosa consilia. Ipse est qui et peccare suadet homini, et paenitere dissuadet *s*). Non vult aliquando sanari: congaudet suis iaculis vulneratum, et ideo iam hominem in peccatis interdum dolentem, ne ad paenitentiae *t*) remedia confugiat, humano pudore deterret *u*), ne quando de sanitate eius doleat inimicus, ad cuius vulnus exultat. Qui enim novit per misericordiam Dei omnia paenitentibus peccata dimitti, desuadet 3) paenitentiam peccatori, ut usque ad finem vitae peccando perveniat; et inveniat iustitia Dei quem puniat, quia non invenit quem possit *x*) liberare clementia. Sic etiam de illis gaudere volebat diabolus: ne lu-
* II Cor. XII. 21. geret, timebat. Dicit enim idem sanctus apostolus *: ne iterum cum venero,

a) Cod. *ingentibus.* — *b*) Cod. *indicio.* — *c*) Cod. *lugimus.* Et quidem *lugo*, *is*, scribebat hoc loco Augustinus in Speculo suo, ut diximus in glossario. — *d*) Cod. *dolentes.* — *e*) Cod. *in aeterna morte.* — *f*) Cod. *qui.* — *g*) Cod. addit. *ac*, quasi *dolere ac disrumpi.* — *h*) Cod. *cogitationis.* — *i*) Ita cod. prisca orthographia. — *k*) Cod. *dolores.* — *l*) Cod. *velit.* — *m*) Cod. *caeliquando*, omisso *quod.* *n*) Ita cod. prisca orthographia. — *o*) Cod. *occulto.* — *p*) Cod. *ubi.* — *q*) Cod. *similis.* — *r*) Cod. *erubiscimus.* — *s*) Cod. *his suadet.* — *t*) Cod. *et remedia.* — *u*) Cod. *deterrita.* — *x*) In codice vel schedis B. deest *possit.*

1) *Paeniteri* cum terminatione passiva, memini me alibi quoque vidisse in priscis m ss.

2) Animadverte vocabulum *diabolosus.*

3) Ita heic cod. Et nota vocabulum.

humiliet me Deus aput vos, et lugeam ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt paenitentiam super immunditiam et fornicationem et impudicitiam quam gesserunt. Quod si de his dolendum est, qui post crimen sine paenitentia de hac luce rapiuntur, de illis sine dubio *a*) gaudendum est, qui crimina sua paenitentiae lacrimis diluerunt: de quibus usque adeo certe gaudendum est, ut dominus et Salvator noster de salute paenitentium, etiam angelorum in caelo dicat esse laetitiam *. Gaudium, inquit, erit in caelo super uno peccatore paenitentiam agente *b*), quam super nonaginta novem iustis. Optamus itaque vobis, Fratres karissimi, ut aut nunquam incidatis in peccatum; aut quicumque inciderit, digna illud satisfactione extinguat ac deleat *c*); per dominum nostrum Iesum Christum, cui est gloria cum Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

* Luc. XV. 7

CLXXII. ITEM EIUSDEM DE PAENITENTIA,

ad quam se omnis christianus, si post baptismum deliquerit, pro animae suae remedio convertat.

Cod. veron. LIX. p. 146.

1. Optabile *d*) erat, Fratres karissimi, continua corporis salute gaudere, et nullis neque morborum vitiis corrumpi neque vulneribus sauciari. Nam quantum ad voluntatem sanae mentis expectat 1), nemo est qui velit aut ferro se obtruncari *e*), aut infirmitate aliqua detineri. Et sicut ait apostolus *, nemo carnem suam odit, sed nutrit et fovet eam. Iam si quando *f*) contra voluntatem *g*) venerit, ut malo aegritudinis laboretur, aut incurratur in ictum teli, ut non vitales partes, sed superficies corporis caesa sit; continua sollicitudine omnia remedia conquiruntur: in ligaturis *h*) vulnus adstringitur, ut illa quae fuerant ferro abscisa iungantur: colliguntur apta herbarum genera, quae adhibita possint mederi *i*): et si quid curae necessarium etiam de peregrinis petendum est, non parcetur pecuniae, non tenuitas paupertatis aspicitur: ipsa vitae subsidia pro vita inpenduntur hominis: et quidquid vilius est salute, causa salutis inpenditur: ac maxima cura providetur, ne per dissimulationem multiplicetur *k*) infirmitas, et in peius proficiat causa languentis. Ergo, Fratres, non deest sollicitudo, ut si amissa fuerit corporis sanitas, reparetur: et certe illius corporis quandoque perituri, quod pro conditione sua *l*) in pulverem redigendum est: et quamvis *m*) spes resurrectionis maneat, prius tamen subiacet illi sententiae: de terra es, sed in terram ibis. Quibus dictis vilitatem *n*) ostendit materiae corporalis, cuius et egressum de terra, et regressum in terram dicit futurum. Unde et, carissimi, hic affectus *o*) rebus inferioribus exhibetur? Inferius est enim corpus animae dignitate: nam anima velut domina corporis, servitio utitur membrorum, et illa ad diversum opus pro appetitus sui voluntate compellit. Illa *p*) quoque post administrationem subiecti sibi *q*) huius mancipii, etiamsi resolvatur corpus, im-

* Eph. V. 29.

a) Cod. *dubium.* — *b*) Cod. *agentem.* — *c*) *extingueat ac dileat.* — *d*) Cod. *optavile.* — *e*) Cod. *obstruncari.* — *f*) Cod. *quanta.* — *g*) Cod. *voluntate.* — *h*) Cod. *ligatoris.* — *i*) Cod. *mediri.* — *k*) Cod. *multiplicaretur.* — *l*) Cod. *suam.* — *m*) Cod. *quaevis* — *n*) Cod. *utilitatem.* — *o*) Cod. *effectus* — *p*) Cod. *illam.* — *q*) Cod. *subi*

1) Ita cod. pro *spectat*, ut alibi non semel observavimus in multis mss., et in glossario nostro demonstratur

mortalis *a*) manet. Animae ergo conditio longe melior est corpore, cui etiam usu *b*) sermonis nostri testimonium perhibemus, cum dicimus plerumque, propter animae salutem *c*) hoc nos velut operari. Itaque si et ratione et communi omnium sententia, honoris primatus ad animam refertur, quid nos pro eius salute facere oportet, ut integrum et inlaesum retineat, quod vel a prima vel a secunda nativitate suscepit? id est vel gratiae sanctificationem vel innocentiam naturalem: in horum enim custodia consistit animae pulchritudo, in his formae integritas, in his decoris *qui* ex sanitate venit species conlocatur. Et sicut in corporibus illa sunt pulchra maxime, quae nullo naevo, nulla cicatrice *d*) foedantur, ita anima primae beatitudinis decore gaudet, si nullis turpetur maculis, nullis peccatorum *e*) vulneribus asperetur. Sed quia rara aput homines est ista felicitas ut perfectam animae retineant sanitatem, ut inoffenso gradu vitae iter peragant, ac *f*) in nullo involvantur lubrico, adhibeatur saltim *g*) illa recuratio 1), quae sauciatis corporibus exhibetur: admoveatur *h*) manus consilii animae vulneratae, et perfossam telo peccati, paenitentiae medicina *i*) suscipiat *k*), iacentemque aegram refoveant fomenta lacrimarum. Non crescat dissimulatio, ne morbus ex *l*) noxia securitate geminetur. Non intercedat desperatio *m*): spes *n*) sanandi est volentibus curari, ad sanitatem recursus, teste propheta qui dicit *: numquid qui cadet, non adiciet ut resurgat? aut qui aversus fuerit, non revertetur? (* Hier. VIII. 4.)

2. Non ergo stulta verecundia, qua cecidimus *o*) surgere detrectemus *p*), nec iacere infeliciter libeat post ruinam. Non operiantur ulcera amictu pudoris; nec putredine latius serpente, ad ipsa vitalia veniatur. Revelet spes medendi ea quae verecundia contegebat: quamquam stulta est ista contectio, cum oculos *q*) eius non possit effugere, cuius solius est notitia formidanda. Quid adiuvat ab hominibus abscondi, quod Dei conscientia continetur? Quod novit iudex, quid prodest si ab aliis ignoretur? Ipse est iudex, de quo in psalmo canitur *r*): scrutans corda et renes Deus *. (* Ps. VIII. 10.) Et ab apostolo de eo dicitur *: (* Hebr. IV. 12.) quia sit discretor *s*) cogitationum et intentionum cordis, et quod nulla creatura sit invisibilis in conspectu eius. Omnia enim nuda et patentia sunt oculis eius. Quid ergo miserabilis error latere se credit, cum ab hominibus abscondit peccatum suum, cum id a Dei oculis operire non possit? Perniciosius, Fratres, cum anima agitur, quae suum aut non vult procedere, aut studet *t*) occultare delictum. Non potest sanari, qui tectis vulneribus optat sanus videri. Illi vero proximus est reditus ad salutem, *qui* abiecto *u*) inutili pudore currit ad medicum, et dicit *: (* Ps. VI. 3.) miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum, sana animam meam quoniam peccavi tibi *. Revelat pudenda operum suorum, et in hac voce publicationis

a) Cod. *immortalitas*. — *b*) Cod. *husu*. — *c*) Cod. *salute*. — *d*) Cod. *cecatricae*. — *e*) Cod. *peccatores*. — *f*) — Cod. *cum* pro *ac*. — *g*) Ita cod. ut in aliis codd. — *h*) Cod. *amoveatur*. — *i*) Cod. *medicinam*. — *k*) Cod. *suscipiant*. — *l*) Cod. *et*. — *m*) Cod. *disp*. — *n*) Cod. *spem*. — *o*) Cod. mendose *quam cadimus surgere*. — *p*) Cod. *Deo sectemus*. — *q*) Cod. *oculis effugare*. — *r*) Cod. *canetur*. — *s*) Cod. *de.c.* — *t*) Cod. *studit*. — *u*) Cod. *abiectu*.

1) En novum bonumque vocabulum *recuratio*, a verbo *recuro*, *as*.

erumpit* delictum *a*): meum cognitum feci, et iniustitiam meam non abscondi. Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino. Et quid statim secutum est? Et tu remisisti impietatem peccati mei. Videte *b*), carissimi, qui fructus confessionum peccati, quae utilitas consequatur. Dixit: confitebor adversum me iniustitiam meam Domino. Et quid statim secutum est? Tu remisisti impietatem peccati mei. Quam velox medicina! quam non tarda curatio! Ostendit vulnus medico, et confestim sanitatem recepit. Indicat *c*) quod dolebat, effugatur continuo vis doloris: ad vocem emissam confitentis *d*), indulgentia non moratur. Quis talem medicum despiciat? qui sine *e*) ulla mora sanat contritos corde, et alligat *f*) contritiones eorum? qui nullum praetendit fastidium, nec aliqua accedentes ad se curationis difficultate deterret *g*), sed ultro invitans dicit per Hesaiam prophetam *: ego sum qui deleo *h*) iniustitias tuas, et non recordabor. Tu autem recordare: dic tu iniustitias tuas primus, ut iustificeris. O mira Domini bonitas! o mira clementia! Non poenam post confessionem peccati, sed iustificationem secuturam promittit. Dic, inquit, iniustitias tuas primus, ut iustificeris. Quod merentur boni opere sanctitatis, hoc, inquit, confertur per paenitentiam peccatorum. Amplectamur ergo, carissimi, tantam benignitatem invitantis nos medici, nec erubescamus *i*) erratorum nostrorum vulnera denudare, ut sanitatem recipere possimus: ut non dissimulatis *k*) in longum protractisque morbis, incipiamus ad mortis periculum pervenire; qua nos liberare dignetur ille qui dixit*: nolo mortem peccatoris, tantum convertatur et vivat; cui est potestas omnis carnis, ipsi gloria et nunc et semper in saecula saeculorum. Amen.

* Ps. XXXI. 5.

* Is. XLIII. 25.

* Ezech. XXXIII. 11.

CLXXIII. ITEM EIUSDEM DE RESURRECTIONE CARNIS, ET VIVORUM ET MORTUORUM IUDICIO 1).

Cod. veron. LIX. p. 149.

1. Christianorum fides, Fratres dilectissimi, hic aput Deum magna atque pretiosa *l*) est, quia praesentia despiciens, futura desiderat. Grandis siquidem fiducia est de promissionibus Dei, neglegere omne istud quidquid carnalibus oculis occurrit, et illa tantummodo concupiscere quae mentis contemplatur aspectus; quibus certe tanto avidius fidelis *m*) animus intendit, quanto haec quae cernuntur in saeculo intelleguntur viliora *n*). Brevis enim vita ista ac semper incerta est, et nimis caducum et fragile quidquid possidetur in mundo: satisque esset hominum miseranda condicio, si ut *o*) hic solum viverent nascerentur. Nunc autem ea lege in hanc lucem *p*) venimus, ut ad vitam perpetuam praeparemur, et facile aspera omnia et adversa toleremus quae aeternis sunt gaudiis repensanda. Tota itaque haec fidei esse debet intentio, ut nos resurrecturos esse credamus a mortuis, et brevem

a) Cod. *dilectum*. — b) Cod. *vide*. — c) Cod. *indica*. — d) Cod. *confitendis*. — e) Cod. *se*. — f) Cod. *allegat*. — g) Cod. *deterrit*. — h) Cod. *deleo*. — i) Cod. *erubescamus*. — k) Cod. *dissimulatus*. — l) Cod. *praetiosa*, ut passim in aliis codd. — m) Cod. *fideles*. — n) Cod. *intellegitur vilivre*. — o) Cod. *sive* pro *si ut*. — p. Cod. *in hac luce*.

1) Conferendi sunt Augustini de resurrectione carnis sermones CXXVII. CCXLI. CCXLII. CCXLIII. CCCLXI. CCCLXII, et in appendice CIX. Denique vaticanus LXXXVII. noster.

hanc vitam aeternitate mutandam; istamque carnem quae usque ad mortem corruptibilis perseverat, incorruptibilem futuram esse post mortem. Nec hoc ideo inpossibile videatur esse, quia magnum est; sed ideo credatur esse possibile quia *a*), ab omnipotente promissum est, ut caro resurgat ex pulvere, ut versa post mortem in cinerem et *b*) favillas, post mortem in haec, quae nunc sunt *c*), membra renovetur. Si per se ipsum cogites, incredibile est; si vero respicias ad Dei omnipotentiam, facile est, ita ut creditur, resuscitanda et glorificanda caro, quod facturum se Dominus pollicetur. Aut a quibus istud non creditur, Deus omnipotens denegatur. Sed soli hinc illi dubitent, qui Deum prorsus ignorant; nos vero qui divinis vocibus eruditi, et Deum credimus, et omnipotentem eum ex ipsis operibus confitemur, quomodo de resurrectione carnis nostrae dubitare possumus, quam promittit omnipotens? Hanc carnem restaurare Deus non valebit ex pulvere, qui caelum et terram ac mare et omnia quae in eis sunt fecit ex nihilo? qui ipsum quoque hominem, cum antea numquam fuisset, fecit ex limo? Et certe multo est difficilius ea quae numquam fuerunt facere, quam facta reparare. Quamquam operante Deo, aput omnes opus verbo perficitur, pari facilitate cuncta procedunt. Quid hic, rogo, inpossibile, quid incredibile dicitur, si promittitur Deus homines *d*) suscitaturus *e*) ex pulvere, qui eum in primis fecit ex pulvere? Non tam novitas hic, quam similitudo prioris operis inducatur. Nemo ergo dubitat de futuris operibus Dei, nisi qui praeterita non credit. Qui autem credit a Deo esse illa, quae facta sunt, nihil is *f*) de futuris operibus inpossibile iudicabit, quem * omnibus *g*) confitetur. Dubitas, o homo, de resurrectione carnis tuae? Respice quam multa alia resurgant: quae tu etsi ideo *non* miraris quia saepe vidisti, illa tamen diligenter considerantibus mirabilia esse non desinunt. Vides *h*) certe per annos singulos aestatis abscessu *i*) siccari atque *k*) mori, quod virebat *l*) in pratis: sed veris adventu rediviva *m*) herba rursus exoritur: et campi tanto tempore arentes ac nudi, resurgentibus subito floribus *n*) vestiuntur. Arbores quoque nudat autumnus, et pomis rami simul expoliantur et foliis, qui tamen veris ingressu *o*) in eam quam ante habuerant faciem reformantur: et omnis arbor nunc nudatur in gemmis, nunc vestitur in foliis, nunc ornatur in floribus *p*), nunc oneratur in fructibus. Credat ergo his exemplis homo se ipsum resurgere, propter quem Deus resurgere fecit et cetera. Unde et beatus apostolus incredulos de resurrectionis dubitatione castigans ita loquitur *: insipiens, tu *q*) quod seminas, non vivificatur, nisi » prius moriatur. Et non corpus quod futurum est seminas, sed nudum » granum, ut puta tritici aut alicuius ceterorum. Deus autem dat illi corpus » sicut vult, et unicuique semen in proprium corpus.» Moriuntur ergo grana tritici, quae ab hominibus seminantur. Et qua spe seminantur, si quidquid moritur, non resurgit? Sed resurgunt iam ista mortua, nec vivifi-

* ita cod.

* I. Cor. XV. 37

a) Cod. *qui*. — *b*) Cod. *sed*. — *c*) Cod. *est*. — *d*) Cod. *omnes*. — *e*) Cod. *suscituturos*. — *f*) Cod. *his*. — *g*) Ita cod — *h*) Cod. *vide si*. — *i*) Cod. *aetatis abscessus*. — *k*) Cod. *adque*. — *l*) Cod. *verebat*. — *m*) Cod. *redivina*. — *n*) Cod. *fluribus*. — *o*) Cod. *ingressus*. — *p*) Cod. *fluribus*. — *q*) Cod. *ut*.

cantur *a*) nisi ante moriantur. Desine ergo dubitare hominem post mortem ad vitam venire, qui vides *b*) aliqua vivere non posse nisi post mortem. Sed forte dicis: ista *c*) ideo credimus, quia videmus. Unde autem credimus resurgere mortuos, a quibus adhuc nemo resurrexit? Concedamus interim, salva fide catholica, neminem surrexisse. Quis tamen dubitare de resurrectione, nisi impius potest? cum haec futura repromittitur a Deo, qui *d*) et quasi verax, mentiri non potest; et quasi omnipotens, potest quod promisit implere. Quis autem Christianorum adhuc ad confirmandam fidem quaerat resurrectionis exemplum, cum illum credat qui a mortuis resurrexit? Christus enim Deus ac Dei filius Verbum Patris manens semper in Patre, qui ante omnia saecula et ante omnia initia incomparabiliter et incompraehensibiliter, sicut nulla lingua proloqui poterit, a Patre omnipotente genitus, non creatus neque factus est, id est etiam in nostro saeculo naturae nostrae hominem est dignatus adsumere, ut tu per illius sacramentum redemptus, redemptoris faceres *e*) voluntatem. Ideo est mortuus, ut te a fide eius atque iustitia nec mortis horror *f*) avelleret. Ideo resurrexit, ne tu de resurrectione dubitares *g*). Propter quod beatus apostolus * si, inquit, mortui non resurgunt. Explicit. * I. Cor. XV. 16.

CLXXIV. SANCTI AUGUSTINI INCIPIT DE INCARNATIONE ET PASSIONE VEL RESURRECTIONE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI 1).

1. Una substantia est sanctae Trinitatis, quia unus est Christus dominus Deus: et in uno eodemque Christo duae substantiae sunt; una, quae aequalis et consubstantialis est Patri; alia quae minor est Patre, et consubstantialis est matri. Propheta cecinit dicens *: ego hodie genui te; quod post constitutionem mundi datur intellegi, ubi iam dies videtur esse firmatus. Sed quia aput Deum non heri, hodie, et cras, sed semper hodie est, illa prophetia nativitatem futurae carnis ostendit, eo quod de Maria nuper natus est. Nam de aequalitate divinitatis eius cum Patre si requiras, non dicit hodie genui te, sed ante luciferum genui te *, id est ante quam caelum et terra diesque vel angeli fierent. Duplices *h*) itaque in Christo naturae: una, sine divisione vel confusione, persona est: et filius Dei idemque filius hominis, unus est Christus, qui natus est de Spiritu sancto et Maria virgine. Quod enim Verbum caro factum est, non hoc significat quod in carnem sit

Cod. veron. LIX. p. 93.
* Ps. II. 7.
* Ps. CIX. 3

a) Cod. *viviticatur*. — *b*) Cod. *vidis*. — *c*) Cod. *ita*. — *d*) Cod. *quia*. — *e*) Cod. *faceris*. — *f*) Cod. *error*. — *g*) Cod. *dubitaveris*. — *h*) Cod. *dupplices*.

1) Ballerinius in apographo suo ms. de sermone hoc adnotabat: «non est Augustini stilus, habet textum aliquando ex Leone sumptum. Sic Leo serm. XXV. 1. de natale Domini. *Unus passibilium, unus voluit esse mortalium*. Et serm. LXVIII. 1. de passione Domini. *Fecit caro passibilem, quia divinitas quae erat in dolente, non erat in dolore*. Ibidem n. 2. *Tradi Dominum passioni, tam fuit paternae, quam ipsius voluntatis; ut eum non solum Pater relinqueret, sed etiam ipse se quadam ratione desereret, non trepida discessio ne, sed voluntaria cessione*. Et serm. LXIX. 3. *Potestate impassibilis, humilitate mortalis*. Non paucae item formulae posteriores Augustini aevo videntur. Num est Vigilii tapsitani sermo, cuius alia scripta in hoc codice pariter Augustino tribuuntur?» (Nos tamen cum Ballerinio ipso, in huius bibliothecae tomo II. praef. p. VII, et in adn. ad serm. vat. CXLIV, ostendimus S. Leonem quaedam ad litteram ex Augustino interdum sumpsisse M.)

Dei natura mutata, sed quod a Verbo in unitatem personae sit caro suscepta. Caro enim profecit in Verbo, non Verbum in carne. Caro vas fuit: quod habebat, adtende, non quod erat; quia incommutabilis est Verbi substantia, et secum humanitatem non confudit sed univit; non confusis naturis neque inmixtis, sed societate unitis *a*); non conpraehensus a carne sermo, sed in carne supra carnem: nec se Verbum, hoc est divinitas, convertit in carnem, sed potius carnem adsumpsit humanam ab utero et carne Virginis, veterem hominem renovando. Deus ergo carnem adsumpsit, caro in Deum non transivit, non naturae versibilitate *b*), sed Dei dignatione: quoniam veri Dei filius, Deus verus, unitatem et aequalitatem habens cum Patre et Spiritu sancto, idem verus homo esse dignatus est, nec conceptu *c*) virginis matris seiunctus a carne, nec partu sic humanitatem sibi uniens, ut Deus incommutabiliter permaneret; sic deitatem homini impertiens, ut eum glorificatione non consumeret sed augeret. Neque enim primo natus est homo communis de sancta Virgine, et postea inhabitavit in eo *d*) Verbum; sed in ipsa vulva uteroque virginali se cum carne coniunxit, et simul nobis effecerunt *e*) unum dominum Iesum Christum Dei filium; id est divinitas et humanitas per arcanam illam ineffabilemque copulationem adunatae *f*). Quamvis enim susceptae incarnationis dispensatio ad Unigenitum pertineret, sic tamen Pater non abiungebatur a Filio, quemadmodum caro non dividebatur a Verbo. Hunc igitur filium Dei Deum, natum a Patre ante omne principium, sanctificasse uterum Mariae virginis, atque *g*) ex se verum hominem sine viri semine suscepisse per occultam potentiam divinae dispensationis, non imaginarium corpus aut forma compositum, sed verum hominem, certissime confitemur; non sic natum ex Virgine ut deitatis initium nascendo homo acciperet; sed aeternus Deus, homo ex Virgine natus est: ut sicut vera in Christo divinitas, ita credatur humanitas. Quem sic dicimus passum esse et resurrexisse, non quia Deus Verbum in sua natura passus sit; Deus namque incommutabilis extra passionem est; sed quia corpus illut *h*), quod ipsius proprium factum est, passum est: simul fuit in traditione, simul fuit dum pateretur in cruce; sed passioni penitus in nullo subiacuit; quia si *i*) suscepit nostram infirmitatem, non tamen amisit suam divinitatem. Inerat in eo corpore, quod patiebatur, Deus qui pati non potest; nec Deus reliquit sui corporis passionem, nec Deum fecit caro passibilem; quia divinitas, quae erat in dolente, non erat in dolore. Inpassibilis Deus non dedignatus est esse homo passibilis, et inmortalis mortis legibus subiacere: quia potestate humilis, potestate passibilis, potestate mortalis: ut ad damnandum peccati mortisque dominatum, et poenae capax esset in substantia infirmitatis, et nihil gloriae suae perderet in natura virtutis. Quia quaedam in Christo Iesu cognoscimus subiecta iniuriis, quaedam inlustrata miraculis; ita ut in eadem nunc humana appareant, nunc divina resplen-

a) Cod. *societatem unitatis.* — *b*) Cod. *versibilitatem*, et mox *dignationem.* — *c*) Cod. *concepto.* — *d*) Cod. *in eum.* — *e*) Cod. *effecerunt.* — *f*) Cod. *edunitam* — *g*) Cod. *adque.* — *h*) Ita cod. — *i*) Cod. *se.*

deant. Sic enim eum dicimus crucifixum, non quia in maiestate sua crucifixum putemus; sed quia idem Deus, idem homo; per divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo. Christus Iesus dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors utriusque naturae, id est divinae atque *a*) humanae, in natura hominis subiit passionem; ut indiscrete et dominus maiestatis dicatur, quia passus est; et filius hominis, sicut scribtum est, quia descendit de caelo. Unde et tradi Dominum passioni, tam fuit paternae quam ipsius voluntatis, ut eum non solum Pater relinqueret, sed se ipsum quadam ratione desereret, non trepida discessione, sed voluntaria cessione. Servili se subdidit formae, servata etiam filii cum Patre aequalitate naturae; quia Christus Patris filius est; et Pater, Christi est pater; et filius de Deo Patre Deus est; Pater autem Deus, non de filio Deo Deus est, quia non Verbum sed corpus Christi, iuxta Pauli vocem *, mortem gustavit. Idcirco dicitur mortem passus esse pro nobis, non quia in corruptionem *b*) ceciderat; absit: neque derelictus est in inferno; sed quia eius resurrexit corpus, ideo Christum Deum et hominem confitemur. Spiritum quoque sanctum non ingenitum, neque genitum, sed ex Patre Filioque procedentem 1), eo quod Patris et Filii sit Spiritus, et ipse consubstantialis et coaeternus ambobus. Nec alium fuisse Spiritum sanctum, quem insufflans dedit, et alium quem post ascensionem suam misit. Unus est enim Spiritus Dei, Spiritus Patris et Filii, Spiritus sanctus idem Deus, qui operatur omnia in omnibus; ita ut perfecta credatur Trinitas propter proprietatem personarum, et unus Deus propter inseparabilem Trinitatem; quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula saeculorum. Amen.

* Hebr. II. 9.

FRAGMENTUM.

Item eiusdem in homilia 2) de eo loco evangelii ubi dicit Dominus *: *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, et cetera.*

Accepit *c*) a nobis quod vile est, dedit nobis quod magnum est: accepit malum nostrum, dedit nobis bonum suum: accepit mortem, dedit nobis vitam: accepit hic contumelias, dedit nobis honorem: accepit hic crucem, dedit nobis requiem. Quanta sunt quae hic accepit mala! quanta

Cod. veronen. LIX. p. 105.

a) Cod. *adque.* — *b*) Cod. *corruptatione* — *c*) Cod. inconstanter modo *accepit*, modo *accipit.*

1) Observa testimonium pro catholico dogmate contra Graecos; et quod etiamsi dicatur Spiritus Filii, inde recte arguitur processio a Filio et eius consubstantialitas. Sic Faustus reiensis, Augustino suppar, apud nos in Spic. rom. T. V. p. 93. *Spiritus sanctus de utroque procedit.* Item Atto vercellensis in sermone undecimo a nobis item edito, Script. vet. T. VI. part 2. p. 27. *Nec defuerunt haeretici, qui dicerent hunc Spiritum, non a Patre simul et Filio, sed a Patre prodiisse tantummodo; quibus ex ipsius veritatis congruenter possumus occurrere testimoniis.* Mox citatis locis Ioh. XV. 26. et XVI. 9. concludit: *quibus verbis satis aperte demonstratur, Spiritum non tantum a Patre, sed etiam a Filio pariter processisse. Haereticorum per hoc funditus evacuatur perfidia.* Ergo Atto, Photio et Cerulario interiectus, multoque florentino decreto antiquior, haeresim iam appellabat praedictam Graecorum sententiam.

2) Non extat haec homilia neque inter illas in Iohannem T. III, neque item inter illas paucas aeque in Ioh. T. V. Hoc autem fragmentum mihi suppeditabant pariter RR. Brunatus et Brixianus; quod fortasse excidit ex tract. LXV. in Ioh.

sunt quae dedit nobis bona! Factus est ergo dominus noster Iesus Christus filius hominis, manens Deus: factus est homo; non Deus mutatus in hominem, sed manens in semet ipso *a*) Deus perfectus, et nihil inde in deterius commutatus; suscipiens hominem mutandum in se melius, non in illo deterius, et reliqua.

CLXXV. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI IN VIGILIA EPIPHANIAE.

1. Temporalis secundum carnem filii Dei domini nostri nativitas ante saecula praedestinata, in hoc saeculo praesentata, a prophetis praenunciata, ab apostolis praedicata, in veteri testamento figuris congruentibus obvoluta, in novo testamento rebus manifestissimis revelata, patribus promissa, nobis exhibita, Fratres karissimi, commendat Dei in nobis gratuitam caritatem: gratuitam quippe nobis impendit Deus dilectionem, quibus gratis unigeniti sui misit redemptionem, de quo paulo ante sancta cantavit ecclesia: redemptionem misit Dominus populo suo *. Quod de Christo intelligendum esse beatus Paulus apostolus ostendens ait *: qui factus est sapientia nobis a Deo et iustitia et sanctificatio et redemptio. Ista vero nativitas filii Dei, quam celebramus, non est de utero Dei patris, sed de utero virginis matris. Huic nativitati suae praeposuit initium mundi, qui factor est mundi. Nec solum initium mundi praeposuit, sed quod est mirabilius, plenitudinem temporis. Istam nativitatem suam ille filius in tempore servavit, quem aeternus pater sine tempore generavit. Sic namque nascendo dignatur filius a patre mitti, qui numquam potest a patre dimitti. Non est ergo ista eius prima nativitas, sed secunda. Istam nativitatem filii Dei humanitas materna praecessit, cuius primam nativitatem paterna divinitas nullatenus antecessit. Qui ergo non est posterior patre, idem factus est posterior matre.

Cod. veronen. LXXVII. p. 61. Cod. vat. 1276. f. 89. a.

* Ps. CX. 9.

* I. Cor. I. 30.

2. Inde est quod hodie celebramus sanctae virginis partum; illius utique virginis, quam sic veraciter praedicamus et matrem; cuius virginitatem glorificavit vera fecunditas, et cuius veram fecunditatem glorificavit intemerata virginitas 1). Huic enim virgini gratia fecunditatis accessit, sed ab ea virginitatis gratia non recessit. Huius enim virginis talis est foetus, ut ei nullatenus posset ista inesse fecunditas, nisi permaneret eius intemerata virginitas. Sola haec virgo singularem gratiam summae divinitatis accepit: soli donatum est, ut in illa et de illa rerum omnium creator misericorditer crearetur 2); institutor feminarum sine semine conciperetur; et Deus sine initio natus, initialiter 3) nasceretur. Istam filii Dei nativitatem, quae in tempore facta est doctor gentium insinuans ait *: cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut

* Gal. IV. 4.

a) Cod. *ipsum*.

1. Hactenus etiam in Breviario veneto anni 1559. p. 110. Atque hic Augustini tractus sine dubio genuinus, nescio cur in aliis Breviarii sacri editionibus sive antiquioribus sive recentioribus haud facile appareat.

2) Sic Augustinus lib. de sancta virginitate n. 5. *Illum solum virginitas decenter parere posset, qui in sua nativitate parem habere non posset.*

3) Animadverte novum vocabulum *initialiter*.

eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quibus verbis beatissimus Paulus fecit corda nostra ad intelligentiam nostrae salvationis intenta: divinorum namque fidelis conscius arcanorum praedicavit nobis multum mirabile, multum amabile, multum laudabile sacramentum. Quare mirabile? quia sic factum est. Quare amabile? quia pro nobis est factum. Quare laudabile? quia ille, qui natus est verus Deus ex Deo, idem natus est ex homine verus homo. Quid enim tam mirabile, quam ut verus Deus, qui naturaliter Deus natus est de patre, idem servus nasceretur ex virgine, et creator omnium temporum crearetur in tempore? Quare autem nobis hoc amabile sacramentum? quia unigenitus, qui est in sinu patris, ideo nasci dignatus est ex homine verus homo, ut nos nasci fecisset ex Deo.

3. Ut autem id ipsum, quod dicimus, cunctis audientibus plenius atque planius innotescat, ea quae de unigeniti Dei humana nativitate simul audivimus, denuo revolvamus. Cum autem venit, inquit, plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. Ecce qualiter Deus verus, natus est verus homo. Quid autem nobis tam mirabilis Dei humana nativitas contulerit, ostendens apostolus ait: ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Ecce quemadmodum natus Deus homo, fecit ut nos homines nasceremur ex Deo: etenim per gratiam ex Deo nati sumus, quando adoptionem filiorum Dei credendo accepimus. Ex Deo enim nos natos beatus Iohannes ostendens ait*: quicumque autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Hanc adoptionem divinae gratiae recepimus in homine secundo, quam perdideramus in primo. Istam gratiam non habuimus quando in iniquitatibus concepti et in delictis nati sumus; quia prius eam cognoscimus perdidisse, quam nasceremur in carne. In quo omnes peccaverunt, in ipso adoptionis gratiam perdiderunt. Commendat autem suam caritatem Deus in nobis, qua factum est ut unigenitus, per quem facta sunt omnia, fieret inter omnia, in plenitudine temporis factus, per quem factum est tempus.

f. 90. a.

* Ioh. I. 12.

4. Discernendum est autem, Fratres dilectissimi, quomodo potuerit fieri per quem facta sunt omnia; vel qualiter in plenitudine temporis factus asseritur, per quem sunt tempora facta. Utrumque enim sancti prophetae apostolique dixerunt; utrumque nobis veracius ipsius veritatis discipuli tradiderunt. Christus enim, qui huius nativitatis suae testes misit apostolos natus, ipse et prophetas mittere dignatus est nasciturus. Et prophetae igitur, et apostoli a veritate missi venerunt, et ab eadem quod nobis dicerent audierunt: in quorum verbis nihil est falsum, nihil est dubium, sed totum manifestissime verum, totum verissime manifestum. Ecce, Fratres karissimi, prophetia et apostolica doctrina dum Dei filium et factorem dicit et factum, dum creatorem asserit et creatum, dum temporalem praedicat et aeternum,

nullatenus a se ipsa discrepat, nec se ipsam vitio falsitatis obpugnat, sed salubrem fidei veritatem, in utriusque nativitatis vera professione conservat. f. 30. b. Manet enim prorsus in Domino unigenito utraque nativitas vera, in quo vera manet humana divinaque substantia. Hinc est, quod indubitanter catholica ecclesia unum eumdemque Dei filium, creatorem suum redemptoremque omnium cognoscit: creatorem scilicet, quia secundum divinitatem fecit illam: redemptorem vero, quia secundum carnem factus est propter illam. Novit certissime sponsum suum castissima sponsa, quae illi est utriusque naturae plenitudine ac veritate coniuncta. Novit ipsum caput suum non solum ex patre, atque in patre sempiternum manere atque incommutabilem Deum, verum etiam de matre ipsum Deum hominem temporalem extitisse perfectum. Novit in eo unam divinitatis cum patre naturam, novit ét unam cum matre carnis animaeque substantiam. Novit unum eumdemque Christum, qui et esse coepit, et esse non coepit. Unigenitum quippe Dei filium, quem novit ecclesia catholica ex aeterno Deo et aeternum Deum, ipsum novit ex homine temporali temporalem factum. Propter hoc sancta ecclesia unum eumdemque Dei filium, et patri aequalem praedicat et minorem, quia novit unum mediatorem Dei et hominum hominem Christum Iesum, naturae salvatricis et salvatae participem. Naturam quippe nostram, quam ex nobis Deus totam gratuita bonitate salvavit, totam Deus unigenitus ut salvaret accepit. Itaque factum est, ut et Deus pater homini salutem per unigenitum Deum divinitatis suae participem daret, et homo salutem a Deo per eumdem unigenitum Deum participem humanitatis acciperet: atque ita in uno eodemque Dei filio vera salus fidelium permaneret. Haec est vera catholicae fidei regula: haec est divina sanaque doctrina, utramque naturam veram credere in filio Dei, et ex hoc utramque nativitatem unius eiusdemque filii veraciter confiteri. Sit igitur, Fratres, in nostris cordibus certum, sit fixum, sit fidei veritate fundatum, sit caritatis plenitudine radicatum, unigenitum Deum, per quem facta sunt omnia, secundum veritatem natum, semel sine tempore, semel in tempore; semel sine initio, semel accepto initio; semel de Deo patre, semel de virgine matre; de Deo patre sine aliqua matre, de virgine vero matre non omnino sine aliquo patre, sed sine homine patre 1). Deum quippe habet patrem unigenitus Deus, non solum in illa nativitate, qua sine initio Deus natus est de Deo patre, sed etiam in ista qua temporaliter est Deus homo creatus ex virgine.

5. In prima itaque nativitate Deus pater Deum Verbum eructavit ex corde, in secunda vero nativitate ipsum carnem factum peperit virgo mater ex corpore: in illa Deus excelsus patris est natus ex utero, in ista idem sponsus humilis virgineo processit ex thalamo. Illa ergo nativitas nos fecit, quos ista reficeret: illa creavit, quos ista redimeret: illa homines condidit, quos ista Deo in filios adoptaret. Per illam sumus factura creatoris, per istam sumus hereditas redemptoris. Per illam Dei

1) Hactenus cum veronensi codex vaticanus. Reliqua in solo veronensi.

filius creavit homines, per istam dignatus est facere coheredes. Per illam omnis homo creatur in mundo per istam est iustus omnis regnaturus in caelo. Illa temporalem donavit creatis hominibus vitam, ista redemptis beatitudinem contulit sempiternam. Attende igitur hoc quod tibi praestitit unigenitus Deus, cum esses indignus. Tu erraveras, ille te quaesivit: tu perieras, ille invenit: tu te vendideras, ille te redemit: tu te occideras, ille te suscitavit. Haec autem omnia gratis faciens venit, quando in te nec meritum boni operis, nec aliquod initium bonae voluntatis invenit. Cum ergo divina beneficia cogitamus, solam Dei gratiam cessantibus bonis meritis invenimus.

6. Quid enim boni fecimus, dilectissimi Fratres, ut tantam nobis beneficium praestaretur, ut Deus verus homo fieri dignaretur? ut unigenitus patris naturaliter coaeternus, de virgine temporaliter nasceretur? ut Altissimus humiliaretur? ut indeficiens angelorum panis femineis uberibus lactaretur? ut inmensus praesepi brevissimo poneretur? ut rex omnium sanctorum, contumeliis afficeretur? ut iustificans, iniusto iudicio damnaretur? ut ille, in quo non est iniquitas, inter iniquos deputaretur? ut auctor vitae, ad mortem cum latronibus duceretur; nec solum cum impiis, sed pro impiis moreretur? Testatur enim apostolus *, quia Christus pro impiis mortuus est. Quomodo autem pro iustis poterat nasci, qui pro impiis dignatus est mori? Unus est ergo idemque Christus, verus in utraque natura: verus in divinitate, verus in humanitate: verus de patre, verus de matre: verus in aeternitate, verus in tempore: verus in inmortalitate, verus in morte, verus in resurrectione. Hoc est magnum pietatis sacramentum, quod unigenitus secundum carnem natus est de natura nostra: secundum carnem traditus est propter delicta nostra: secundum carnem resurrexit propter iustificationem nostram. Quia vero Dei filius opus redemptionis nostrae, quod sua nativitate coepit, sua resurrectione perfecit, ideo non in die, qua nativitatem Domini celebramus, diem quoque resurrectionis eius vobis omnibus nuntiamus; praestante domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

* Rom. v. 6.

CLXXVI. INFRA OCTAVAM DOMINI SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI.

In codice veronensi LXXVII. p. 69. *sermo incipit.* Praedicamus vobis, Fratres karissimi, Salvatorem nuper de virgine natum *(ut etiam in maur. append. CXXI.* 1. *) usque ad* reverentiam sanctis testibus praebeamus. *Hinc:* peperit virgo, qui Deo filios faceret, qui sententiam praevaricationis excluderet; *usque ad n.* 4. *med.* qui venerat sanare corrupta. *Postea sequitur pars inedita sic.*

Deus ab angelis proditur, et agnus pastoribus demonstratur. Nulla parienti matri ex humanitatis officiositate solatia. Stat exonerata felici onere Maria, et matrem se laeta cognoscit, quae se nescit uxorem. Sed infantis genus foeta miratur, Spiritum sanctum se suscepisse congaudet: Cod. veronen. LXXVII. p. 69.

nec quia peperit innupta, terretur; sed quem genuerit, confisa laetatur. Ergo magna credimus, quae magna virtute generantur. Recte in eius adventu caelestia veneramur, quem de caelo venisse cognoscimus; quem creatum Dei patris et Spiritus sancti virtute comperimus; ut firmaretur Trinitas in utero castitatis. Quae ést virgo tam sancta, nisi ista, per quam Deus venire dignatur? Quae tam speciosa, ut Deum quaerat sponsum? Quae tam fortis, ut tantam possit generare virtutem? Quae tam casta, ut sit virgo post partum 1)? Nonne in figura Mariae habitum vidimus ecclesiae? Haec parit non dolorem, sed gaudium: haec nutrit non corporis ubere, sed lacte doctoris. Vident primi pastores nostrae lucis auctorem; atque omniúm credentium redemptorem obvolutum pannis, humanae conversationis mirantur tolerare iacturam. Oportuerat hoc in nativitatibus pati, qui se per hominem passus est nasci. Probant omnes angelorum nuntii, inoffensam fidem publicant, cunctis clamant non solum esse quod cernitur, sed esse magis quod Deus in homine non videretur. Currit passim ista fama per populos, et universorum aures ostensae nativitatis fidelis penetrat sermo. Locuntur *a*) omnes testimonium veritatis: nec ambiguum ducitur, quod pastorali innocentia divulgatur; et novum domini nostri Iesu Christi venturae nativitatis miraculum in saeculo primum est pastoribus nuntiatum. Ad hoc autem, dilectissimi, Dei filius humanae fragilitatis dignatus est corpus assumere, ut de eadem carne, quam superaverat diabolus, vinceret Deus. Nihil ergo tua profuerunt, inimice, consilia: ecce sumus liberi, ecce manemus in Christo securi. Captivitas tua nobis attulit dominatum. Dum quaeris nos perdere, dignatus est Deus sua nos divinitate salvare: quos sic defendit, ut redderet fratres; sic amavit, ut faceret coheredes, Christus dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto in saecula saeculórum. Amen.

CLXXVII. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE NATALE DOMINI 2).

Cod. veronen. LXXVII. p. 71.

Christus nascitur, exultat mens hominum: creator mundi procedit ex utero puellari, et viscera complexu carnis inmunia filium hominis pertulerunt, cuius patrem hominem non pertulerunt. Implentur in femina partus sui tempora, nihil de lege nascentium mutat processura maiestas. Sic nasci debuit, qui pro generis liberatione non recusabat occidi. Christus nascitur, Deus de patre, homo de matre: de patre principium vitae, de matre finis mortis: patris revelator, matris creator: ante omnia tempora Verbum, opportuno *b*) tempore caro. Sub sole conditus, conditor so-

a) Ita cod. vetere orthographia. — *b*) Cod. *oport.* ut in aliis codicibus.

1) Imitabatur in his locutionibus Augustinum S. Ildephonsus toletanus in sermone septimo de assumptione B. Mariae PP. Tolet. T. I. p. 370, ubi is Ildephonsi sermo tamquam dubius habetur; idemque occurrit anonymus in cod. vat. 3828. f. 232. b.

2) Exhibetur a nobis hic sermo, quia modica sunt prorsus, quae huic quadrant in serm. edit. maur. CXCII. 1. nec non in appendice S. Maximi ed. rom. ult. col. 25.

lis: sempiternus cum patre, hodiernus ex matre: sine quo numquam pater fuit, sine quo mater numquam mater fuisset. Quae peperit, et mater et virgo est: quem peperit, et infans et Verbum est. Homo factus est, hominis fabricator; genitus ex matre, quam genuit; et ubera, quae implevit, expressit. Homo factus est, qui Deus erat; nec amittendo, quod erat, fieri voluit ipse quod fecit. Etenim hominem Deo addidit, non in homine Deum perdidit. Nec enim quando nostra humana suscepit, opera divina deseruit; sed ita virginali utero receptus est, nec inclusus, ut nec angelis subtraheretur sapientiae cibus, et nos gustaremus quam suavis est Dominus. Merito locuti sunt caeli, gratulati sunt angeli, pastores laetati, Magi in meliora mutati, turbati reges, parvuli coronati. Lacta, Maria, cibum nostrum 1), lacta panem caeli arce venientem, et pone in praesepi velut piorum cibaria iumentorum. Lacta eum qui talem fecit te, ut ipse fieret in te; qui sibi prius quam nasceretur, et uterum de quo nasceretur, et diem in quo nasceretur, elegit: et ipse condidit quod elegit, ut velut sponsus de thalamo suo inde procederet, et sponsam suam amplecteretur ecclesiam. Vides quae nascentem Dominum signa praecesserint? Prophetae multo ante testantur conditorem caeli et terrae in terris adorandum. Angelus nuntiat creatorem carnis in carne venturum. Salutat Iohannes ex utero in utero Salvatorem; Simeon senex Deum agnoscit infantem; Anna vidua virginem matrem. Haec sunt testimonia nativitatis tuae, domine Deus noster; ante quam tibi fluctus substerneretur, ante quam ventus te imperante siluisset, mortuus te vocante vixisset, sol te moriente subito palluisset, terra te resurgente tremuisset, caelum te ascendente patuisset. Ecce Magi ab ipso solis ortu stella duce ad fidei primicias excitati, per immensa terrarum spacia cucurrerunt, quaerentes regem cui capita curva submitterent. Sed, o Magi, cur istum potissimum, si vere regem Iudaeorum putastis, adorare voluistis? Nonne per multa saecula plurimi reges nati sunt Iudaeorum? David eximius imperator, Salomon rex potentissimus? Ad nullius exordium, ad nullius imperium cucurristis. Sed nullus antea dignitatis suae caelum habuit delatorem. Nunc vero regum omnium regem, nunc opificem suum stella demonstrat. Sic Deus agnoscitur, qui caelo indice, ut nemo de ipsius deitate dubitet, nuntiatur 2).

CLXXVIII. SERMO SANCTI AUGUSTINI IN NATALI SANCTI IOHANNIS BAPTISTAE.

Fratres karissimi. Antiquitus duo erant abscondita ab oculis et mente hominum, aeterna mala et aeterna bona. Non enim poterat homo cog- Cod. vat. 479. f. 256. b.

1) Rursus Ildephonsus loc. cit. imitatur aliquot Augustini locutiones. Immo nonnulli versus seqq. leguntur ad litteram in Augustini sermone edito CCCLXIX. 1.

2) Post hunc sermonem sequebatur in apographo veronensi, tamquam Augustini, alius qui incipit: *Hodie, fratres karissimi, hesternum debemus reddhibere sermonem.* Idcirco autem omisimus, quia inter editos Chrysologi invenimus n. CXLVIII, quamquam etiam auctor Milleloquii T. II. col. 1126. iure meritoque tribuit Augustino. Alium ergo ex vaticano codice substituimus, vel potius eius priorem partem, ut lectores diiudicare queant; etenim nobis quidem hic sermo dubius est, ut dicemus infra p. 440.

noscere mala ut caveret, nec bona ut requireret. Ad sola enim praesentia oculos apertos habebat; ideo non videbat quid cavendum, et quid tenendum esset. Ideo Deus pater cupiens nos illuminare, duos grandaevos homines ad nos misit; quorum primus, homo purus; sed secundus, Deus et homo fuit: primus fuit servus, sed secundus dominus extitit: primum denique servum ut minaretur, misit; postea filium ut consolaretur, destinavit. Servus attulit timorem, sed filius obtulit amorem. Servus nunciavit, ut timeremus; filius revelavit, ut amaremus. Servus clamavit: genimina viperarum, quis vobis demonstravit fugere a ventura ira? agite fructus dignos paenitentiae. Ecce servus Iohannes nunciat periculum, suadet cautelam, ostendit consilium: bonus servus, bonus nuncius: percutit servus, ut sanet dominus. Videte duos nuncios: venit Iohannes non manducans non bibens, ut homo: venit propheta et super omnes prophetas maior. Cui prophetarum sic datum est in cunctis noscere mysteria regni Dei, ut Iohanni? Cui Salvator caput inclinavit prophetarum? Quis ut Iohannes Christum agnovit et salutavit in utero? Est ergo propheta, et non solum propheta, sed prophetarum caput. Est et apostolus, et non solum apostolus, sed apostolorum magister venerabilis. Venit ergo Iohannes martyr, et non solum martyr, sed martyrum via, caput et exemplum. Venit Iohannes confessor, et non solum confessor, sed confessorum forma. Venit Iohannes virgo, et non solum virgo, sed virginum exemplum. Venit Iohannes eremita, et non solum eremita sed eremitarum virga et auriga. Venit hodie ad nos Iohannes, nascitur lumen fidei nostrae, nascitur caput gratiae, nascitur sanctitatis spectaculum, in cuius ortu congratulantur vicini. Sed in Christi nativitate non turba hominum, sed pastorum. Nunciatur Christus, nunciatur et Iohannes: non tamen ut Christus in thalamo, sed in templo: non solum in templo, sed in sancta sanctorum. Solam invenit angelus Mariam, solus et invenitur Zacharias: orabat Maria, orabat et Zacharias: in thalamo Maria, sed in sancta sanctorum Zacharias, ubi lex et manna abscondita erant. Nascitur Iohannes laetitia Israhel et honorificentia populorum Dei. Nascitur praedicator veritatis, et a matre Domini de terra levatur. Nascitur Iohannes sanctus sanctorum, et nomen gratiae miraculose ei imponitur. Nascitur Iohannes, qui super omnes ex femina natos a Salvatore commendatur, et prophetarum propheta ab eodem proclamatur, et angelus non natura sed gratia appellatur. Nascitur Iohannes, qui cum esset creatura, creator reputaretur a multis; cum esset homo, velut Deus adoraretur; cum esset Domini servus cunctorum dominus diceretur. Et quid mirum, Fratres? Nam et Messiam expectabant, et Iohannem miraculose conceptum et natum audiebant: ipsum puerum in deserto annorum septem habitare videbant: mel silvestre, et locustarum 1) herbarum radices comedebat etc.

1) Notum est aequivocum vocabulum ἀκρίς, *locusta* vel *summitas herbarum*. Atque hinc variant prisci interpretes ad Matth. III. 4. Marc. I. 6. Noster nescio quomodo utramque notionem permiscere videtur.

In apographo veronensi, ex codice LXXVII. p. 80, inveniebam sermonem Augustini qui incipit: Quid est, fratres karissimi, quod octava die circumciditur puer? *Porro hunc ego sermonem iam edideram sub num. CXII, ex duobus codicibus vaticanis. Igitur nunc moneo, primum huius sermonis brevem articulum extare iamdiu inter lectiones liturgicas, postea mutatas, in breviario veneto anni* 1559. *p.* 101, *quae res veritatem augustiniani sermonis confirmat. Deinde quia codex veronensis praestantes habet varietates, proderit eas heic accurate recitare.*

P. 236. v. 17. Vat. *sed dicet aliquis*—Ver. *si dicat aliquis.*
v. 21. Vat. *non se excusarent*—Ver. *non excusarentur.*
v. 25. Vat. *replete*—Ver. *implete.*
v. 26. Vat. *tamquam*—Ver. *quasi.*
v. 29. Vat. *utique*—Ver. *itaque.*
v. 31. Vat. *a nobis*—Ver. *ex nobis.*
v. 37. Vat. *et animam tuam*—Ver. *et non carnem tuam.*
P. 237. v. 1. Vat. *in diem*—Ver. *in diem ambulare debemus.*
v. 3. Vat. *ille*—Ver. *Christus.*
v. 3. Vat. *et ipse ambulare*—Ver. *ita ambulare debemus.*
v. 7. Vat. *regno Dei*—Ver. *regno caelorum.*
v. 8. Vat. *thesauros*—Ver. *thesaurum.*
v. 10. Vat. *ubi*—Ver. *et ubi.*
v. 20. Vat. *ipsum*—Ver. *eum.*
v. 23. Vat. *in illum, et eum*—Ver. *in illum, et mandata eius servat.*
v. 29. Vat. *victus*—Ver. *victus autem est cibus modicus.*
v. 34. Vat. *Domino*—Ver. *Deo.*
v. 35. Vat. *dicentem*—Ver. *qui dixit.*
v. 40. Vat. *scriptum est*—Ver. *sicut scriptum est.*
v. 44. Vat. *et sabbatorum*—Ver. *et sabbata observare.*
P. 238. v. 9. Vat. *quorum opera*—Ver. *quoniam opera quae praediximus.*
v. 18. Vat. *et duos pullos*—Ver. *aut duos pullos.*
v. 19. Vat. *quod*—Ver. *quia.*
v. 20. Vat. *in servitute*—Ver. *in servitutem.*
v. 20. Vat. ed. mendose *Paulo*—Ver. *cum Paulo.*
v. 20. Vat. *macero*— Ver. *lacero.*
v. 23. Vat. *idem*—Ver. *idem hoc.*
v. 29. In ver. post *debere*, scribitur: *quoniam non potest Deus assumere in alio negligente, in alio laborante; sed utriusque laboris sacrificium Deo offeramus. Et dicamus.*
v. 28. Vat. *et illud*—Ver. *et illud quod est.*
v. 33. Vat. (*pro*) Ver. *pro.*
v. 36. Vat. *passionibus*—Ver. *concupiscentiis.*
v. 40. Vat. *de illo*—Ver. *de eo.*
v. 41. Vat. *dicit*—Ver. *dicitur.*
v. 42. Vat. *Iesus*—Ver. addit *in Hierusalem.*
P. 239. v. 2. Vat. *Christus*—Ver. *Iesus.*
v. 4. Vat. *dies*—Ver. *vero.*
v. 5. Vat. *nisi*—Ver. *nisi ut.*
v. 6. Vat. *monstraret*—Ver. *non staret.*
v. 10. Vat. *diluvio*—Ver. *diluvium supergressae*
v. 11. Vat. *factae*—Ver. *factae sunt.*
v. 11. Vat. *nisi per sanctam ecclesiam*—Ver. *nisi sanctam ecclesiam perfectum numerum sanctorum salvandum atque liberandum.*
v. 14. Vat. *refrigerium*—Ver. addit. *Diluvium enim figuram baptismi obtinebat, Noë autem figuram Christi, arca sanctae ecclesiae ostendit figuram. Sicut enim Noë etc.*
v. 15. Vat. *necatis gentibus.*—Ver. *segregatus a gentibus.*
v. 20. Vat *sempiternum*—Ver. *sed plenitudo.*
v. 22. Vat. *ipso auxiliante*—Ver. *praestante D. N. I. Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.*

CLXXIX. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE BAPTISMO DOMINI 1).

1. En iterum Deus beneficiorum caelestium gradus circa humanum genus dignatur augere: nec contentus pro nobis in membra humana descendere, baptismo etiam gratiam suam dum baptizatur infundit, et in Iordanis alveum mersit, non ut se se, sed ut flumina purgaret. Quid enim de eo poterat esse purgandum, de quo dictum est *: peccatum non fecit, nec dolus in ore eius inventus est? Quur igitur baptismo opus fuit? Pri- Cod. veronen. LXXVII. p. 121. I. Petr. II. 22.

1) In apographo veronensi ante hunc sermonem inveniebamus alium qui incipit: *post miraculum virginei partus.* Sed quia editum totum comperimus in Milleloquio T. I. col. 737. seq., ideo praetermisimus.

mum, ut legem humanae conditionis impleret: deinde, ut Spiritui sancto iter aperiret in terris. Tunc enim primum Spiritus sanctus descendit e caelo, et columbae similis Dei filium, super quem sedit, ostendit. O quam manifesta fidei pignora Deus noster a principio suae nativitatis ostendit! Primum, conceptum virgini vox designat angelica: deinde, natum longinquis stella denuntiat: et adhuc populis ignoratum Spiritus sanctus eum cum voce Dei declarat, ut caeli dominus caelestibus testimoniis approbetur. Ergo columba iterum nobis apparuit, indulgentiae semper et pacis nuntia. Columba prius sedatum diluvium nunciavit; nunc Spiritus sanctus in columbae specie, sedatae nobis ingerit tempestatis indicium: et post humanae vitae fluctus impios, post procellas, portum nobis inter aquas, quas Salvator sanctificabat, ostendit.

2. Nos ergo animum erigamus in gaudia, et exultemus universi, quia noster particeps Deus esse dignatus est. Exultate virgines Christi: consors vestra mater est Christi: immo ex vobis natus est, qui vobis natus est.
* Matth. XII. 50. Ex vobis natus est, quia patris eius facitis voluntatem. Ipse enim dixit *: quicumque enim facit voluntatem patris mei, ipse mihi frater et soror et mater est 1) Exultate viduae Christi, quia illi vovistis continentiae sanctitatem, qui virginitatem fecit esse fecundam. Exulta et tu, castitas nuptialis, quia fideliter vivere cum marito, quaedam est conscientiae pura virginitas. Nam ipsa quoque ecclesia et mater et virgo est; mater visceribus caritatis, virgo integritate pietatis. Omnis pia professio ad Christi perfectionem recurrit. In Maria Christum pia virginitas peperit: in Anna Christum viduitas circumspecta cognovit: in Helisabeth Christo coniugalis castitas et anilis fecunditas militavit. Exultemus festivitate praesenti, quae species est futurae. Geminus est enim epiphaniorum dies, quia in utroque Dei apparitio demonstratur; id est unus qui nunc adest, alter quem spes nostra iam parturit. Audi de utroque verba divina. De praesenti quidem: « illuxit enim gratia Dei salvatoris nostri, quae docet nos ut abnegantes
* Tit. II. 12. » impietatem et saeculares cupiditates, sobrie et iuste et pie vivamus *. De » futuro autem: sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, ante
* Act. II. 20. » quam veniat dies Domini magna et luminosa *. » Sed illam luminis maiestatem tunc oculis iam incorruptis merebimur intueri, si nos ad hanc capacitatem praesens vita formaverit.

CLXXX. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI. DE INIMICIS DILIGENDIS.

Cod. veronen. LXXVII. p. 169. 1. Karissimi, diligamus nos hoc animo in ecclesia fratres nostros, quo Christus in cruce positus dilexit inimicos suos. Ait enim eadem veritas:

1) Sic idem Augustinus, secum consentiens, in libro de sancta virginitate n. 5. *Et ipsae (virgines) cum Maria matres Christi sunt, si patris eius faciunt voluntatem. Hinc enim et Maria laudabilius atque beatius Christi mater est secundum supra memoratam sententiam: quicumque facit voluntatem patris mei qui in caelis est, ipse mihi frater et soror et mater est.*

orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri qui in caelis est *. Sed quod peius est, aliquotiens non solum inimicos non diligimus, sed nec amicis quidem fidem integram custodimus. Sed dicit aliquis: non possum diligere inimicum meum, quem cotidie velut hostem patior crudelissimum. O quicumque ille es, attendis quid tibi fecerit homo, et non consideras quid tu feceris Deo? Cum enim tu multo graviora peccata in Deum commiseris, quare non dimittas homini parum, ut tibi Deus dignetur dimittere multum? Recole quid tibi in evangelio veritas ipsa promiserit, et quam tibi modo cautionem fecerit. Si enim, inquit, dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis pater vester caelestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis, nec pater dimittet vobis debita vestra.

* Matth. V. 44.

2. Videte, Fratres, quia cum Dei gratia in potestate nostra positum est, qualiter a Domino iudicemur. Si, inquit, dimiseritis, dimittetur vobis *. Nam saepe dixi, Fratres, et frequentius dicere debeo, nemo se circumveniat, nemo se seducat: qui vel unum hominem in hoc mundo odio habet, quicquid Deo in operibus obtulerit bonis, totum perdet. Quia non mentitur Paulus apostolus dicens *: « si dedero omnes facultates meas » in cibos pauperum; et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; cari- » tatem autem non habuero, nihil mihi prodest. » Quam rem etiam beatus Iohannes confirmat dicens *: « ecce omnis qui non diligit fratrem suum, » vadit in mortem. Et iterum *: qui fratrem suum odit, homicida est. » Hoc loco fratrem omnem hominem oportet intelligi; omnes enim in Christo fratres sumus. Nemo enim sine caritate de virginitate praesumat, nemo de eleemosynis, nemo de ieiuniis, nemo de orationibus confidat: quia quamdiu inimicitiam in corde tenuerit, neque istis neque aliis quibuslibet bonis operibus placare Dominum sibi poterit. Sed si vult habere propitium Deum, non dedignetur audire consilium meum. Audiat non me, sed ipsum Dominum suum. « Si offers munus tuum ad altare, et recor- » datus ibi fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi » munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc » veniens offeres munus tuum *. » Et nos pugnas habentes intrinsecus, et dolos in corde versantes, et quasi qui bonam conscientiam habeamus, ad altare praesumimus accedere? non timentes quod scriptum est *: qui manducat et bibit corpus Domini indigne, iudicium sibi manducat et bibit.

* Matth. VI. 14. * I Cor. XIII. 3. * I. Ioh III. 14. v. 15. * Matth. V. 23. * I. Cor XI. 29.

3. Sed dicit aliquis: grandis labor est inimicos diligere, pro peccatoribus supplicare. Nec nos negamus, Fratres: non parvus quidem labor est in hoc saeculo, sed grande erit praemium in futuro. Per amorem enim hominis inimici, efficeris amicus Dei, sicut ipse Dominus dixit *: « diligite » inimicos vestros, bene facite his qui vos oderunt, ut sitis filii patris ve- » stri qui in caelis est. » Si te aliquis homo dives in hoc saeculo vellet adoptivum filium facere, quomodo servares ei dignitates * etiam, servorum eius servitia durissima, et aliquotiens etiam turpissima sustineres convitia.

* Matth. V. 44. * ita cod

ut ad caducam et fragilem hereditatem illius pervenires? Quod ergo sustinet alius propter substantiam terrenam, sustine tu propter vitam aeternam. Convincimur enim certissima ratione, quia propter Deum possumus quidem, sed nolumus iniuriam sustinere. Denique si nobis aliqua potens persona iniuriam faciat, si nos etiam in facie maledicat, nec respondere aliquid a spiritu *, non dicam vicem reddere ausi sumus. Quare hoc? ne ab illa potente persona adhuc maiora quam pertulimus patiamur. Quod igitur a vobis extorquet hominis timor, debet a vobis exigere Christi amor. Si ergo potens persona contra nos saeviat, tacemus, et nihil dicere ausi sumus. Si vero aequalis aut forte inferior vel levem nobis contumeliam fecerit, quasi ferae bestiae sine ulla patientia ac sine aliqua Dei contemplatione consurgimus; et aut in praesenti nostram iniuriam vindicamus, aut certe ad maiorem vicem reddendam nostrum animum praeparamus. Quid est hoc, quod quando potens persona nobis iniuriam intulit, patienter accipimus? quando inferior, nimio furore succendimur? quia ibi timuimus hominem, hic Deum timere noluimus. Unde ergo, Fratres, quantum possumus, cum Dei adiutorio cor nostrum ad patientiam praeparemus; et in omnibus malis hominibus, medicorum vices agere studeamus; et non ipsos homines, sed ipsorum malitiam odio habeamus. Pro bonis oremus, ut semper ad meliora conscendant; pro malis, ut cito ad emendationem vitae per paenitentiae medicamenta confugiant. Quam rem orantibus vobis ipse praestare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

* ita cod.

Edidi olim in Scriptorum veterum tomo tertio p. II. p. 249. *priscum fragmentum, in codice vat. reg. DLVII. saeculi fermc undecimi repertum, quod S. Augustinum habere auctorem tunc suspicabar: neque adhuc opinionis eius me paenitet. Sunt quippe in illo codice membranae duae; quarum priore continetur pars sermonis illius de symbolo contra paganos et Arrianos, quem Maurini in appendice tomi octavi operum S. Augustini collocaverunt; antiquum sine dubio scriptum, in vetustissimis codicibus lectum, et quidem cum titulo « sermo sancti Augustini de symbolo. » In posteriore autem nostri codicis membrana, ab eodem librario exarata, legitur infrascriptum fragmentum item contra Arrianos, quod loci certe proximitas, multoque magis materia, ad unum eundemque auctorem referre videntur: et quidem non unum Augustini adversus Arrianos scriptum periisse scimus; id quod etiam casinense scriptum mox subiungendum confirmat. Sane quo primum tempore hoc fragmentum edidi, non socorditer de eius auctore vestigasse me puto; nunc tamen ulterius indagandi, otium deest. De Arrianorum obiectione circa vocabula* genitus et ingenitus, *quae heic agitatur, agit ipse Augustinus lib. V.* 7. *de Trin. Item S. Ambrosius de incarn. sacr. capp.* 8. *et* 9. *Conferatur idem de fide lib. I.* 13. *et* 16. *et lib. V.* 3. *Item S. Basilius orat. contra Arr. ed. Garn. T. II. p.* 194. *Denique S. Cyrillus in thesauro, assert.* 28. *Dent ergo hanc mihi veniam lectores, ut in praesente volumine, scriptis Augustini referto, fragmentum hoc egregium hercle, priscum, et* θεολογώτατον, *non incommode collocem.*

CLXXXI. CONTRA ARRIANOS.

Cod. vat. reg. DLVII.

1\. . . . non edocti humanae sapientiae verbis, sed docti spiritu. Redde ergo, haeretice, quod docuit spiritus; redde, ut fides non sit in sapientia homi-

num, et haeresis non erit. Et ne diutius immoremur, veniamus ad ea, quae nobis tamquam murum ferreum opponere consuerunt dicentes: ingenitus et genitus idem est, nec ne? ut per id quod dissimilis sonus in nomine est, non videatur patris et filii et spiritus sancti eadem esse substantia. Secundum quam formam et ego interrogo: si differentia est geniti nomen ab ingenito, ne eadem videatur substantia; ergo quodcumque ingenitum dicitur, eiusdem erit substantiae, si geniti ab ingenito discrepat nomen. Dicitur ergo ingenitus pater atque infectus: dicitur et filius genitus atque infectus. Si igitur in eo quod ingenitus *et genitus*, sibi differunt; ergo in eo quod infectus et infectus dicuntur, eiusdem erunt substantiae. Spiritus etiam sanctus, de quo scribitur, quod neque pater sit, neque filius, neque quod factus; quid erit dicendum? Ingenitus erit? sed si ingenitus, eiusdem erit substantiae, cuius et mundus est, vel ea quae ex nihilo sunt. Sed mundus etsi factus est, ingenitus est: non enim filius est, quia factus est; erit ergo quod et pater est, qui est ingenitus: quo genere si et spiritus sanctus factus est, erit et ipse ut mundus ingenitus. Sed diximus filium infectum, non enim factus est: ergo quidquid factum non fuerit eiusdem erit substantiae. Pater factus non est; spiritus sanctus *factus* non est; filius factus non est; ergo eiusdem erit substantiae spiritus sanctus, vel filius, cuius et pater est. Ingenitus pater, ingenitus et spiritus sanctus, ingenitus et mundus (non enim nati sunt) eiusdem erunt substantiae, cuius et pater est: sed mundus factus est, pater autem non est factus, sed neque filius neque spiritus sanctus; ergo solus mundus non erit eiusdem substantiae, cuius pater, vel filius, vel spiritus sanctus.

2. Quid ergo in nominibus et hominum sapientia convenientibus immoramur, et non his quae scriptura signavit dicendo, patrem et filium et spiritum sanctum esse credendum? Quod si nominibus *fides* adhibenda est, ut quicquid vel ingenitum sonat vel infectum, necesse est ut quicquid fuerit ingenitum vel infectum, eiusdem sit *a*) substantiae: et hac ratione quicquid illud fuerit, quod immortale dicatur, vel incorruptum, vel incorporeum, vel infectum, ut eiusdem videatur esse substantiae. Mundus factus est, vel ea quae in mundo sunt: numquid quae facta sunt, eiusdem erunt substantiae, id est caelum, terra, aër, aqua? Si igitur quae facta sunt, non sunt eiusdem substantiae, quia nata non sunt; ergo ingenitus et ge. nitus, qui facti non sunt, eiusdem erunt substantiae, quia aliud sit natum et aliud factum: ea enim quae fiunt voluntate facientis, substantiae diversitate consistunt: ea vero quae nascuntur, etiam ex factis, eiusdem naturae semper obtinent veritatem. Respice arborum, seminum, pecudum, ferarum, volucrum, hominumque naturas; respice et earum opera, aut hominum habitacula, aut cubilia ferarum, aut nidos avium, aut apium cellas, aut promptuaria formicarum, aut antra aranearum, vel omnium generum secreta, atque in his, quae dixi, earum opera considera. Num-

a) Cod. *esse*.

quid similis *a*) substantiae sunt? quorum quae vel generant, vel generantur, ita procul opera *b*) omnium sunt a natura generantium. Sola nativitas substantiae se generantis indicium est.

3. Factae sunt etiam dominationes, virtutes, potestates, throni, principatus: numquid quia factae sunt, et genitae dicuntur? Sed si genitae non dicuntur, quia factae sunt, erunt utique ingenitae: si ingenitae sunt, eiusdem erunt substantiae, cuius et pater est qui est ingenitus? Dicuntur ergo throni, potestates, principatus, dominationes, virtutes: numquid eiusdem erunt substantiae, licet nominum videatur esse diversitas? quia nominum diversitas honoris significatio est, et non earum substantiae. Nam *quod* dicuntur virtutes, dominationes, sedes, potestates, honorum expressio est, non substantiae demonstratio, quae vel quales intellegi debeant. Et utique haec omnia et incorporea et incorrupta et immortalia et ingenita dicuntur; non enim filii sunt, quia unicus filius est, qui sinum patris exposuit *c*). Denique de angelis quid ait apostolus *? « Cui enim an-
* Hebr. I. 5.
» gelorum aliquando dixit Dominus: filius meus es tu »? Negando ergo filios, negavit in eis nativitatem, non negavit creationem. Sic apostolus
* Coloss. I. 16.
» ait *: « sive dominationes, sive principatus, sive virtutes, sive potestates, omnia per ipsum facta sunt. » Facta autem dixit omnia, non tamen nata. Numquid ergo ex eo quod dicuntur vel incorporea vel incorrupta vel immortalia, substantiae eorum confessio est, quae vel quales sint, et non magis negatio passionum? Nam cum dicimus incorporeum aliquid, negamus corpus, non vero substantiam confitemur. Vel cum dicimus incorruptum atque immortale, non quid sit, sed quid non patiatur edicimus: non enim patitur vel mortem, vel corruptionem quod immortale dicitur vel incorruptum; unde ne quis nominibus tot, tantisque, tam multis, aut eiusdem dicat omnia esse substantiae, aut iterum conpo . . .

Primum quod ex casinensibus codicibus prodiit contra Arrianos documentum, Ferrandi diaconi fuit dogmatica epistola (seu vet. orth. epistula) quam mecum olim communicavit R. P. Octavius Frangipanius ὁ ἀοίδιμος, *et in tertio Scriptorum veterum volumine edidi. Nuperius alia item dogmatica accessit sancti Augustini contra Arrianos epistola, ex vetere casinensi codice aeque sumpta per virum cl. R. P. Aloysium Tostium, inclyti illius coenobii monachum, et olim antistitem, qui eam in praestantem suam monasterii historiam T. I. p.* 269. *seqq. inseruit. Hanc ergo lubentissime lectam, et plenis Augustini editionibus nondum adiunctam, operae pretium existimavi, annuente humanissime R. Tostio, in horum novorum sermonum calce, nobilissimi instar ornatus, appingere. Porro utile theologis erit cum hac comparare praedictam Ferrandi epistolam, multoque magis Augustini collationem et libros contra Maximinum, et sermonem Arrianorum, et eidem Augustini responsionem, et libros de Trinitate, nec non eiusdem sermones in editione maur.* 117. 126. 135. 139. 140. 183. 244. 341. 380. 384. *et vat.* 119; *denique copiosa illa Arrianorum fragmenta in tertio nostro Scriptorum vet. volumine, cum adnotationibus, in quibus causam fidei catholicae cum Arrianis nos abunde tractavimus. De mysterio autem Trinitatis legantur Augustini epistolae* 11. 120 169. 170. 232. 238. 239. 241. 242.

a) Cod. [illegible] — b) Ita cod. — c) Ita cod.

CLXXXII. INCIPIT EPISTOLA SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI CONTRA ARRIANOS DE MYSTERIO SANCTAE TRINITATIS.

1. Solent homines alterius religionis simplices quosque catholicos subtilissima et non simplici interrogatione provocare, ut cum eis aliquid de Trinitatis mysterio colloquantur, proponentes eis tortuosissimas quaestiones. At cum illi qui interrogantur, aut propter simplicitatem aut propter imperitiam, non sicut oportet, potuerint respondere; illi, qui interrogaverunt, quasi victores sibi videntur existere: pro qua re etiam illi, qui periti vel docti sunt, oportet ut aut parvum aut prope nullum cum eis debeant de catholica religione conferre sermonem. Cum enim apud illos definitissimum sit, ut etiam si convicti fuerint, non consentiant; et nos, Deo propitio, deliberatum habeamus, ut si forte per aliquam calliditatem videantur aliquid verisimile dicere, nunquam ad ea quae illi credere videntur, nostrum animum declinemus; quae ratio est, ut per contentionem inter nos odium nasci videatur? Tamen ne nos credant magis per diffidentiam rectae fidei, quam per imperitiam ac simplicitatem, versutiis eorum propositionibusque respondere non velle, simplicibus sed tamen fortibus scripturae sanctae testimoniis constringendi sunt, quibus non potuerint respondere. Si id, quod verum est, declinantes ad aliquas difficiles ac tortuosas quaestiones recurrere, et ad ipsas nos per contentionem voluerint provocare, consideremus, et implere studeamus illud quod apostolus dixit *: *contentiosum* 1) *hominem, post primam et secundam correptionem, devita.* Et illud *: *noli verbis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.*

Cod. casin. 19

* Tit. III. 10.

* II. Tim. II. 14.

2. Cum enim se primum callidus quisque contentiosus ingesserit, interrogandus est, utrum Deus pater perfectus fuerit semper, an imperfectus? et utrum ei aliquid addi aut minui, aut potuerit aliquando aut possit? Et cum non ausus fuerit aliud *a*) dicere, nisi quod vere perfectus sit, et nec augmentum nec detrimentum pati ullatenus possit; iterum interrogandus est, utrum filius semper cum patre fuerit? Si dixerit, semper cum eo; dicatur ei: si semper cum eo fuit, ergo sempiternus et aequalis est illi. Si vero negaverit cum patre semper fuisse filium, quomodo eum supra perfectum esse confessus est, cui postea filius natus est, et per filium nomen patris additum est? Ac sic ante quam filium gigneret, non fuit perfectus; aut postquam genuit, plus quam perfectus. Iterum interrogandus est, utrum credit illud quod apostolus dixit *: *Dei virtutem et Dei sapientiam Christum esse?* Cum hoc negare nulla ratione potuerit, dicendum est illi: si Christus Dei virtus et Dei sapientia est, sine dubio, si secundum te fuit tempus quando pater sine filio fuit, nec virtutem nec sapien-

* I. Cor. I. 24.

a) Ed. *aliquid*, sed infra *aliud*.

1) Animadverte pro *haereticum*, vocabulum *contentiosum*, quae lectio neque in latinis neque in graecis exemplaribus videtur extare; nisi forte Augustinus liberius sacra verba recitat.

tiam habuit. Tu qui dicis fuisse tempus, quando filius cum patre non fuerit, recordare quid superius dixeris. Professus es enim Deum patrem ita perfectum esse, ut ei nec addi aliquid nec minui possit: nunc autem dum dicis quia fuerit tempus quando cum patre non fuerit filius, sicut iam dictum est, et nomen paternitatis ei datum, et ipsum filium patri postea profiteris adiunctum. Ecce iam secundum professionem tuam pater non est perfectus, cui et filius, et *a*) per filium nomen patris est additum. Et quia te de hac quaestione expedire non potuisti, et manifestissime veritati contradicere nullatenus valuisti *b*), crede filium et aequalem patri, et semper cum patre fuisse: quia si ille semper pater, sine dubio et ille semper filius fuit.

3. Iterum interrogo, quid de aequalitate patris et filii credas? Scio enim, quod non solum inperite, sed etiam iuxta consuetudinem generationis humanae dicturus es, quod filius minor sit patre. Sed volo ut mihi respondeas, utrum pater et *c*) bonus sit et omnipotens? Sine dubio non potes respondere aliud, nisi quia et bonus et omnipotens sit. Itemque interrogo: iste *d*), quem et bonum et omnipotentem professus es, voluit sibi filium similem gignere, aut non voluit? Si non voluit, quomodo est bonus? Si vere voluit et non potuit, quomodo est omnipotens? Agnosce ergo, quod si persistis adserere filium esse minorem, et bonum et omnipotentem negas patrem. Cum enim Deus pater pro ineffabili pietate tantam bonitatem hominibus dederit, ut etiam maiores et meliores, quam ipsi sunt, filios habere vellent; quomodo ipse non solum non bonus, sed etiam invidus credendus est, si bonitatem quam hominibus dedit, sibi negavit, et unicum filium aequalem sibi esse non voluit? Sed absit ab illa ineffabili pietate ista tam crudelis impietas: et ideo certissime ac definitissime credendum est, quia pater, pro eo quod bonus est, voluit sibi filium similem esse; et pro eo quod omnipotens est, sic *e*) et omnipotentem genuit et aequalem.

4. Adhuc interrogo, ut mihi respondeas qualiter accipias illud quod
Is. XLIII. 10. scriptum est *: *ante me non est Deus, et post me non erit?* Dic mihi, utrum patris an filii vox est? Si credis quod hoc pater dixerit, post ipsum non erit filius: si filius hoc dixit, ante ipsum non est pater: et quia nec solum patrem hoc dixisse, nec solum filium probare poteris, agnosce
* Exod. III. 14. quod ad totam Trinitatem vox ista pertineat, sicut et illa *f*) *: *ego sum qui sum: et qui est, misit me.* Quomodo ergo filius non est aequalis patri?
* Ioh. XIV. 9 X. 30. de quo in evangelio scriptum est *: *qui me videt, videt et patrem. Et ego*
* Ioh. V. 18. *et pater unum sumus.* Et illud *: *propterea persequebantur eum Iudaei, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.* Cum ergo se ipse aequalem dixerit patri, quid de se cogitat ille qui praesumit adserere, non esse verum quod veritas dicit? Iterum quaero a te, qui non acquiescis ut filius patri aequalis esse

a) Ed. sine *et.* — *b*) Ed. *voluisti.* — *c*) Ed. *aut.* — *d*) Ed. *istum.* — *e*) Ed. *ac sic.* — *f*) Ed. *illam.*

credatur, ut mihi respondeas, utrum ipse Dei filius, ante quam nasceretur de Maria virgine, erat aut non erat? Sine dubio aliud respondere non potes, nisi quia erat. Sed iterum te interrogo: Deus erat, an non? Et hic non potes aliud dicere, nisi quia Deus erat, dicente Iohanne evangelista *: *ipse est Deus verus, et vita aeterna.* Responde mihi: iste, qui est verus Deus et vita aeterna, ante quam carnem adsumeret, ubique erat? Neque enim hoc negare poteris, cum audias ipsum Dominum dicentem *: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Et illud *: *ubicumque fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et cum ipse dicat *: *ego in patre et pater in me est:* sine dubio ille qui in patre est, quomodo pater ubique est, ita et filius qui in ipso est, ubique esse credendus est.

* I Ioh. V. 20.
* Matth. XXVIII. 20.
* Matth. XVIII. 20.
* Ioh. X. 11.

5. Si ergo ante quam nasceretur de beata Maria, ubique erat, interrogo, quomodo accipias illud *: *qui me misit, maior me est?* Si secundum carnem hoc credis, nulla est inter nostram et vestram fidem diversitas: si vero secundum divinitatem eum credis missum, responde mihi, ubi mitti potuit, qui ubique est? Ille enim alio loco mitti solet, qui ubique esse non potest. Dei enim filius quomodo ubique non est, per quem, dicente apostolo *, omnia facta sunt, non solum caelum et terram, sed et angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus, et potestates? Unde iterum atque iterum quaero a te, ut mihi reddas rationem, quomodo mittitur qui ubique est? Quia ergo secundum divinitatem eum missum nulla argumentatione probare poteris, crede cum catholicis, non esse missum nisi secundum carnem. Nam si secundum divinitatem dixeris missum, ergo ad patrem de loco ad locum transisse crediturus es, quem secum venisse Christus ipse testatus est, dicens *: *qui me misit, mecum est.* Agnosce ergo, filium secundum deitatem minorem nec fuisse nec esse, nec mitti nisi per incarnationis mysterium, quod etiam apostolus evidenter ostendit dicens *: *misit Deus filium suum factum ex muliere factum sub lege.* Diligenter adtende, quia secundum hoc et missus et minor dictus est, iuxta quod non solum ex muliere, sed etiam sub lege factus est, qui semet ipsum humilians formam servi accepit.

* Ioh. XIV. 28.
* Hebr. I. 2.
* Ioh. VIII. 29.
* Gal. IV. 4.

6. De missione etiam spiritus sancti volo ut mihi dicas quid sentias: vos enim, quia frequenter missus dicitur spiritus sanctus, non solum minorem, sed etiam creaturam eum creditis esse [1]. Quod autem non solum minor *non* sit, sed vere Deus sit, apostolus Petrus evidenter ostendit, ubi Ananiae et Saphirae dixit *: *cur tentavit satanas cor vestrum mentiri vos spiritui sancto? itaque non estis mentiti hominibus, sed Deo.* Cum tantus ac talis testis beatus apostolus Petrus, cui claves regni caelorum dare dignatus est Dominus, Deum dixerit spiritum sanctum; considerent in quo periculo se mittant, qui cum grandi impietate creaturam eum conantur adse-

* Act. V. 3.

1 De Spiritus sancti dignitate proderit apprime legere pretiosum Nicetae aquileiensis scriptum quod nos edidimus in tomo septimo Scriptorum veterum. ex vaticano codice sumptum.

* II. Cor. III. 17. * I Cor. XII. 11. rere. Dicit etiam apostolus *: *ubi spiritus Domini, ibi libertas.* Iterum *:
dividit singulis spiritus prout vult; non dixit, quomodo iussus fuerit,
* Ioh. III. 8. sed ut vult. Et Iohannes evangelista *: *spiritus ubi vult spirat.* In eo au-
tem quod dicitur, prout vult, per potestatem voluntatis aequalis patri et
filio evidenter ostenditur. Et illud ad eius deitatem pertinet, quod dictum
* Ioh. IV. 24. * Act. XX. 28. est: *spiritus Deus est* *. Similiter et illud, quod idem apostolus Paulus dixit *:
*attendite vobis et universo gregi, in quo vos posuit spiritus sanctus epi-
scopos.* Quod autem dicitur missus, sicut iam dictum est, hoc de ipso
* Sap. I. 7. quod etiam de filio intelligendum est. Cum enim propheta 1) dicat *: *spiritus
Domini replevit orbem terrarum.* Ubi mittitur, qui orbem terrarum implere
cognoscitur? Qua conscientia dicitur mitti, qui ubique est, non adverto.
Spiritus, inquit, Domini replevit orbem terrarum. Cum vero totum mun-
dum impleat, et nullo loco absens esse probetur, quomodo intelligendum
est illud quod toties missus dicitur? hoc utique modo. Quomodo enim
filii missio incarnatio eius intelligitur, ita spiritus sancti missio, apparitio
mirabilium operum ipsius declaratur: tunc enim missus dicitur, quando
per operum magnitudinem praesentia eius agnoscitur. Denique quando in
pentecosten *a*) missus legitur, dum beati apostoli repleti eius gratia linguis
alienis loquebantur magnalia Dei, praesentem eum esse monstrabant 2). Cum
haec ita sint, missio spiritus sancti non aliter potest intelligi, nisi appa-
ritio vel declaratio operum eius. Quomodo enim quando *in* aliquo periculo
fuerint homines, si eis misericordia divina subvenerit, dicitur, quia prae-
sens fuerit Dominus, cum utique absens esse nullatenus possit; ita et
quando spiritus sancti missio dicitur, non aliud quam magnitudo operum
eius ostenditur. Quod autem, quomodo pater, ita et filius et spiritus sanctus
ubique sunt, et mitti de loco ad locum omnino non possunt, etiam psal-
* Ps. CXXXVIII. mista evidenter ostendit dicens *: *quo ibo a spiritu tuo, et a facie tua
quo fugiam?* Dum haec psalmista ad patrem loquitur in faciem, filium
intelligi voluit: in spiritu, ipsum spiritum sanctum designavit: ac sic totius
Trinitatis mysterium ubique esse, in nullo contineri loco, manifestissime
* Ps. L. 13. declaravit. Sicut et ibi *: *ne proicias me a facie tua, et spiritum sanctum
tuum ne auferas a me.*

7. Et hoc interrogo, ut mihi respondeas: quomodo credas illud quod
* Deut. VI. 4. scriptum est *: *audi, Israhel, dominus Deus tuus, dominus unus est.* De
patre an de filio, an de spiritu sancto, an de tota Trinitate hoc accipias
dictum? Si dixeris de solo patre, dicitur tibi: ergo filium et Deum et do-
* Rom. IX. 5. minum negas? Si hoc dicere praesumseris, clamat tibi apostolus Paulus *:
*quorum patres, ex quibus Christus, secundum carnem, qui est super
omnia Deus benedictus in saecula.* Quod et dominus sit, ipse apostolus
* I. Cor. VIII. 6. dixit *: *unus Deus, ex quo omnia; et unus dominus Iesus Christus, per*

a) Malim *in pentecoste*.

1) En Augustinus librum Sapientiae, ut videtur, appellat propheticum, id est canonicum. Namque apud Isaiam VI. 3. alia sunt verba.

2) Sic fere de missione Spiritus sancti loquitur Augustinus etiam in libro de quaestionibus octoginta sex, quaest. 62.

quem omnia. Ecce apostolus eum et Deum et dominum esse profitetur. Si tibi parum est unius apostoli testimonium, audi quid *a*) beatus Thomas dixerit quando in eius latere manum misit *: *Deus*, inquit, *meus*, *et dominus meus!* Considera quia Paulus apostolus et beatus Thomas et Deum et dominum eum dixerunt. Si tibi tam praeclara et tam fortia duorum apostolorum testimonia non sufficiunt, audi ipsum Dominum discipulis suis dicentem *: *vos vocatis me magister et domine, bene facitis; sum etenim.* Ecce ipse Christus dominum se esse professus est. Agnosce ergo, quia ubi dicitur: *dominus Deus tuus, dominus unus est,* non solus pater nec solus filius nec solus spiritus sanctus, sed tota Trinitas, quae est verus et unus Deus, intelligenda est. Hoc etiam Iacobus apostolus demonstrat dicens *: *tu credis quia unus est Deus? bene facis.* Similiter et Paulus apostolus *: *unus, inquit, Deus, una fides, unum baptisma.* Quod autem, sicut iam dictum est, in uno Deo tota Trinitas intelligenda sit *b*), etiam in initio genesis *c*) manifestissime declaratur ubi dictum est *: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* In eo enim quod dixit pluraliter faciamus, propter tres personas intellige; in eo vero quod dixit ad imaginem nostram, propter unam imaginem unum Deum in Trinitate esse cognosce.

* Ioh. XX. 28.

* Ioh. XIII. 13.

* Iac. II. 19.

* Ephes. IV. 5.

* Gen. I. 26.

8. Quod autem Dei filius non sit minor a patre 1), sed cum patre et spiritu sancto unus et verus et perfectus sit Deus, audi et crede idoneo testimonio Iohannis evangelistae: cum enim de Domino et de Salvatore loqueretur, sicut iam supra diximus, *ipse* est, inquit, *Deus verus et vita aeterna.* Cum tantus ac talis apostolus Dei filium verum Deum esse testetur, quis erit ita temerarius, qui eum aut minorem esse patri, aut quod est crudelius, creaturam praesumat adserere? Adhuc quaero a te, quomodo accipias illud, quod scriptum est *: *dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies?* Si hoc de solo patre dictum accipias, solus pater Deus adorandus est, et ipsi soli est serviendum; quare de Christo dictum est *: *adorabunt eum omnes reges terrae, et omnes gentes servient ei?* In ipso enim psalmo hoc de illo prophetatum est, ubi ex persona filii dictum est *: *Deus iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis.* Si solus pater adorandus est, quare ipsum filium post resurrectionem sancta Maria et sanctus Ioseph 2) cum undecim apostolis adoraverint? Si Dei filio serviendum non est, quare dictum est: *omnes gentes servient ei* *? et quare apo-

* Matth. IV. 10.

* Ps. LXXI. 11.

* Ps. LXXI. 2.

v. 11.

a) Ed. *quod.* — *b*) Ed. *est.* — *c*) Ed. *generis.*

1) In sermone CXVIII. apud nos p. 249. vidimus *a matre altior*, pro *matre altior* (sic enim intelligendum iudicamus) ibique hunc ipsum augustinianae epistolae locum citavimus. Est autem ille codex unde sermonem praedictum sumpsimus, sessorianorum antiquitate facile princeps. Syntaxim hanc non defendimus, cuius tamen duo iam exempla (nisi potius menda sunt) comperimus.

2) In sermone etiam XIII. 4. appendicis augustinianae sanctus Iosephus pariter dicitur Christo supervixisse. *Quando post resurrectionem sancta Maria, et beatus Ioseph velut sol, cum undecim stellis id est beatis apostolis, incurvati et prostrati sunt ante eum (Iesum).* Controversiam quidem de mortis beatissimi Iosephi tempore videsis tractatam apud Sandinium in sacrae familiae historia. Ibi doctus Serry sic ait: *non desunt ecclesiae patres, qui Iosephum Christo moriente adhuc in vivis fuisse putent* etc. citatque Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, et Auctorem sermonis de passione Domini apud Cyprianum.

* Rom. I. 1. stolus Paulus servum Christi [se dixerit] *? Ecce his probatum est, quia
non de solo patre sed de tota Trinitate est hoc dictum: *dominum Deum*
tuum adorabis, et ipsi soli servies. Credo tamen, quod etiam vos, qui
eum minorem esse dicitis, quod non sitis ausi dicere, quod illum nec
I Tim. I. 17. adorare nec ei servire debeatis. Nam et illud quod ait apostolus *: *immortali invisibili soli Deo honor et gloria,* quod vos de solo patre dictum
accipitis, de tota Trinitate hoc apostolum dixisse manifestum est. Cum enim
etiam anima hominis et immortalis et invisibilis sit, qua conscientia Dei
filius secundum divinitatem aut mortalis aut visibilis esse credendus est?
* Ioh. XIV. 6. Et cum ipse dixerit *: *ego sum via et veritas et vita,* quis erit ita sacrilegus, ut vitam, quae est Dei filius, mortalem praesumat adserere? Intellige
ergo quia mortalis aut visibilis non *in* forma Dei, sed in forma servi esse
potuit Dei filius.

9. Rogo tamen te, ut tibi non sit ingrata frequens interrogatio mea: de
re enim grandi agitur, et ideo non est transitorie requirendum, praecipue
ubi salus humani generis esse cognoscitur. Dic mihi, rogo te, utrum
unum Deum esse credas? Si dixeris non unum, vincet te supra dicta sen-
* Deut. VI. 4. tentia, per quam dictum est *: *audi, Israhel, dominus Deus tuus, dominus unus est.* Iterum precor, ut sine commotione quod dico suscipias. Si
Deus unus, immo quia vere unus est unus, cui maior aut minor non est;
ubi enim unus et solus creditur, ibi maior et minor excluditur; ubi unitas
est, diversitas esse non potest. Et quia superioribus sententiis probatum
est, quod et pater et filius et spiritus sanctus unus et verus sit Deus,
iterum atque iterum interrogo: iste unus, cui minor esse possit? Sed dicis:
filius Deus quidem est, sed minor patri. Si Deus est, minor non est. Ipse
est enim verus Deus, cui nec addi nec minui aliquid potest; filius enim
si minor est, qui habet ubi crescat, Deus non est; ac sic non erit verum
* I. Cor. VIII. 6. * Iac. II. 19. quod scriptum est *: *Deus unus ex quo omnia.* Et illud quod Iacobus ait *:
tu credis quia Deus unus est? bene facis. Ubi enim unus maior est, et
alter minor, sicut iam dictum est, non unus sed duo esse videntur. Iam
enim rogo te, ut idola quae tibi in corde de Deo maiore et minore incautius fabricasti, Deo auxiliante, confringas, et credas de uno Deo, qui
* Exod. III. 14. * Is. XLIV. 6. est Trinitas, scriptura dicente *: *ego sum qui sum.* Et iterum *: *absque me*
* Ps. LXXVI. 15. *non est.* Et illud *: *tu es Deus qui facis mirabilia solus.* Si de solo patre
hoc credis, ergo Christus non facit mirabilia. Et quia hoc negare nulla
ratione poteris, Deum, qui solus facit mirabilia, totam Trinitatem intellige. Cum te interrogo, quare filium minorem patri credas, non habes
* Ioh. XIV. 28. quid mihi respondeas, nisi illud quod in evangelio scriptum est *: *quia*
pater maior me est 1). Si semper scripturae dicerent, maiorem filio patrem,
et nunquam dicerent aequalem, etiam sic ad iniuriam patris pertinere
videbatur, si unicus filius eius aut minor, aut degener, aut ex alia sub-

1) Graecae ecclesiae concilium hoc super dicto celebratum, habes in nostro Scriptorum veterum quarto volumine. Et quidem hoc est famigeratum Arrianorum argumentum.

stantia esse crederetur. Cum vero in ipsis scripturis ubi invenis secundum humanitatem minorem esse filium, ibi invenis secundum divinitatem etiam aequalem; quomodo ego tibi adquiesco? At ubicumque minor dicitur filius propter incarnationis mysterium, verum esse profiteor; quare tu mecum non vis credere, ubi filius patri aequalis esse scribitur? Ego enim et ubi minor dicitur, credo; et ubi aequalis dicitur, credo. Novi enim quid secundum divinitatem, et quid secundum humanitatem fuerit dictum: quia minor non dicitur, nisi propter carnis adsumptionem. Tu vero qui in ipso evangelio et minorem et aequalem frequentius legis, quare unum credis, et aliud credere non adquiescis?

10. Sed dum similitudinem generationis humanae consideras, et putas quomodo carnalis pater maior est filio suo, sic Deus pater unigenito suo maior debeat credi; ideo erras. Pro qua re rogo, ut iam de tanto periculo te liberare contendas. Apud homines enim ideo homo pater maior, et homo filius minor, quia et pater et filius initium et finem habent. Quando nascuntur, ambo parvi nascuntur, et postquam natus fuerit filius, ille crescit et pater senescit. Apud Deum autem patrem et apud Deum filium noli aetatis tempus facere, ubi nec initium nec finem poteris invenire. Et tamen cum in ipsa generatione humana frequentius videamus aliquos patres, et sapientia et virtute et honoribus et divitiis multo maiores, quam ipsi erant, filios habuisse et habere; si homo maiorem et meliorem filium, quam ipse est, generare solet; Deo patri non credis, ut aequalem sibi filium generasset? Et qui hominibus legitimos dedit habere, in suo hoc sibi unigenito denegavit? Noli, rogo te, per iniuriam filii, patrem velle honorare *a*). Cum enim etiam apud homines patri probetur iniuriam facere, qui de nativitate filii sui voluerit derogare; et non sine grandi dolore audit pater, si filius eius minor quam pater suus aut sapiens aut prudens esse *b*) dicatur, quanto magis Deo patri cognoscitur iniuriam facere, qui unicum filium eius 1)

. . . .

a) Ed. *non orare.* — *b*) Ed. *se*, pro *esse.*

1) Mutila desinit haec epistola seu tractatus, sed non multum, ut puto, deest. Utique Augustinus neminem fortasse nominatim hac epistola impetit; suspicabar tamen de Pascentio aut Maximino, quos Arrianorum veluti antesignanos aliis scriptis refutavit. Porro aequum est ut Casinensi coenobio iterum plaudam, ex quo praeter hoc insigne a cl. Tostio editum documentum, tot Augustini sermones novi prodierunt, ut iam alibi dixi; decem scilicet a R. P. Frangipanio Romae editi; atque ab eodem detecti alii multi, quos parisiensibus typis impressos legimus. Neque illam adhuc exhaustam puto celeberrimam sapientiae fodinam. Quamobrem pergant doctissimi monachi de omni genere bonarum litterarum bene mereri, et ecclesiae aream novis opimisque frugibus locupletare.

DE SANCTI AUGUSTINI OPERIBUS ALIQUOT

IN GRAECAM LINGUAM CONVERSIS.

Possidius episcopus, sancti Augustini contubernalis et biographus, narrat in illius vita cap. XI. libros divi doctoris iam tum in graecum sermonem fuisse translatos, atque ita in transmarinis etiam regionibus doctrinam eiusdem innotuisse. Revera, ut Gregorius patriarcha constantinopolitanus testatur apud Allatium in Graecia orthodoxa T. I. p. 429, *a quinto, sexto, septimoque oecumenicis conciliis apud Graecos celebratis, declaratus fuit sapientissimus, eximius, magnusque ecclesiae doctor sanctus et beatus Augustinus:* σοφώτατος, καὶ ἐξοχώτατος, καὶ μέγας διδάσκαλος τῆς ἐκκλησίας, ὁ ἅγιος καὶ μακάριος Αὐγουστῖνος. *Nos quoque in quarto Scriptorum veterum tomo byzantinam synodum anno* 1166. *celebratam edidimus, ubi p.* 16. *citatur inter sacrorum dogmatum testes Augustinus; quam rem adnotavit in sua graeca panoplia etiam Nicetas choniates, ut diximus in Spic. rom. T. VI. praef. p.* 30. *Quum ergo me ad vestigandum in graecis quoque codicibus Augustinum convertissem, sane multa scripta eius in vaticana bibliotheca observavi, quorum praecipua, vel potius quae olim mihi adnotavi, breviter indicabo.* 1. *De Trinitate libri XV. Maximo Planude monacho, doctissimo ut omnes scimus interprete.* 2. *Liber de vera religione, Prochoro monacho cydonio interprete.* 3. *De libero arbitrio,* περὶ αὐτεξουσιότητος, *ab eodem Prochoro cydonio.* 4. *Epistolae ad Volusianum, ad Italicam, et ad Marcellinum.* 5. *De gratia et libero arbitrio, graecae translationis auctore Iohanne Cosimato medico, qui propter haeresim lutheranam obiit in carcere anno* 1571. *Venetiis.* 6. *In alio codice,* ἐκ τῶν δογματικῶν Αὐγουστίνου. 7. *In alio,* περὶ τοῦ καθαρτηρίου πυρὸς, *de igne purgatorio.* 8. *In alio, de Spiritu sancto.* 9. Αὐγουστίνου ἁγίου εὐχὴ ὑπὲρ τῆς καθολικῆς πίστεως, *quae incipit:* δὸς ἡμῖν, κύριε, ἐν τῇ ὁδῷ ταύτῃ. 10. *Capita* 388, *ex operibus Augustini excerpta a Demetrio cydonio,* κεφάλαια τπη ἐκ τῶν μακαρίου Αὐγουστίνου λόγων παρεκβληθέντα, ἑρμηνευθέντα δὲ ἐκ τοῦ λατινικοῦ παρ' ἐμοῦ Δημητρίου. 11. *Soliloquia, eodem Demetrio interprete.* 12. *Homilia prolixa ex tractatibus in Iohannem a* 94. *ad* 100. *contexta, per eundem Demetrium.* 13. Περὶ γνώσεως, *id est* de cognitione verae vitae, *quod opusculum est inter supposititia in T. VI. p.* 649. *ed. Antuerp.* 14. *De fide ad Petrum, eodem translatore Demetrio.* 15. *Enchiridium, factum graecum a Neophyto Rhodino cyprio, iamdiu typis graece vulgatum.* 16. *Soliloquia aeque impressa ab eodem Rhodino.* 17 *In graecis quoque mss. catenis fragmenta Augustini videbam. Aliae quoque fortasse sunt in vaticanis codd. graecae scriptorum Augustini interpretationes, quarum in praesenti non memini. Ex supra dictis tria selegimus typis nostris vulganda, nimirum Demetrii cydonii longam illam lucubrationem, quam* 12. *numero diximus. Deinde ex Planudae operis de Trinitate interpretatione loca tria, in quibus Augustinus Spiritus sancti a Filio quoque processionem tuetur. Nempe agnoscent lectores, Planudem, contrarii licet dogmatis hominem, fidelissimi tamen interpretis partes egisse. Postremo praestantissimi operis de vera religione, quod adhuc laicus Augustinus edidit, quodque utinam cuncti legerent, specimen graecae interpretationis attexemus ex Prochoro monacho cydonio.*

Εἰς τὸ, ὑπάγω πρὸς τὸν πέμψαντά με, καὶ οὐδεὶς ἐξ ὑμῶν ἐρωτᾷ με ποῦ ὑπάγεις*; * Ioh. XVI. 5.
Τοῦτο ἡρμηνεύεται παρὰ Δημητρίου τοῦ κυδωνίου.

α΄. Ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐδήλωσεν ἑαυτὸν οὕτως ἐπελευσόμενον, ὡς μηδένα αὐτὸν ἐρωτῆσαι ποῦ ὑπάγεις, ὅπερ τῇ τοῦ σώματος ὄψει φανερῶς ἔμελλον ὄψεσθαι· ἀνωτέρω γὰρ ἠρωτήκεσαν αὐτὸν ποῦ ὑπάγει· οἷς ἀπεκρίθη ἐκεῖ μέλλειν ἀποδημήσειν, ὅποι νῦν ἐκεῖνοι ἀπελθεῖν οὐχ οἷοί τε ἦσαν· νῦν δὲ ἑαυτὸν οὕτως ἀπελευσόμενον προλέγει, ὡς μηδένα ἐκείνων ἐρωτήσειν ποῦ ὑπάγεις· νεφέλη γὰρ ὑπελάμβανεν αὐτὸν, ὅτ᾽ ἂν ἀπ᾽ αὐτῶν διϊστάμενος ἀνῄει· καὶ τότε τοῦτον εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνιόντα, οὐ λόγοις ἐρώτων, ἀλλὰ τοῖς ὀφθαλμοῖς ἐθεώρουν· ἀλλ᾽ ὅτι ταῦτα ἐλάλησα ὑμῖν, φησιν, ἡ λύπη πεπλήρωκεν ὑμῶν τὴν καρδίαν· ἑώρα γάρ τί ποτε τὰ ῥήματα ταῦτα ἔδρων ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν· οὔπω γὰρ τὴν πνευματικὴν παράκλησιν ἔχοντες, ἣν διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔμελλον ἕξειν, ὅπερ ἔξωθεν ἑώρων ἐν τῷ Χριστῷ, τοῦτ᾽ ἀποβαλεῖν ἐδεδίεσαν· καὶ ἐπειδήπερ ἀναμφίβολον ἦν ἡ ἀποβολὴ, τοῦ Χριστοῦ προλέγοντος τούτοις τὰ ἀληθῆ, ἀναγκαῖον ἦν ἀλγεῖν τὴν ἀνθρωπίνην διάθεσιν, ἀνενεργήτου τῆς ἀνθρωπίνης ὄψεως καταλειπομένης· ἀλλ᾽ ἐκεῖνος ᾔδει τί μᾶλλον ἐκείνοις ἐλυσιτέλει· ἡ γὰρ ἔνδον ὄψις βελτίων ἐστὶν, ἣ ἔμελλε παραμυθήσεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐκ ἀνθρώπινον σῶμα εἰς τὰς τῶν ὁρώντων ὄψεις εἰσάγον, ἀλλ᾽ αὐτὸν ἐνιὲν ταῖς τῶν πιστευόντων καρδίαις. f. 84. a. Ἀμέλει τούτοις συνάπτει· ἀλλ᾽ ἐγὼ τὴν ἀλήθειαν λέγω ὑμῖν· συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω· ἐὰν γὰρ ἐγὼ μὴ ἀπέλθω, παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς· ὡσανεὶ λέγων· συμφέρει ὑμῖν, ὑμῶν ἀφαιρεθῆναι τὴν μορφὴν ταύτην τοῦ δούλου· νῦν μὲν γὰρ σὰρξ γεγονὼς ὁ λόγος ὑμῖν ἐνοικῶ· ἀλλ᾽ οὐ βούλομαι ἔτι σαρκικῶς ὑμᾶς ἀγαπᾶν· ἀρκουμένους τε τῷ γάλακτι τούτῳ νηπίους ἐπιθυμεῖν εἶναι διὰ παντός· συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω· ἐὰν γὰρ ἐγὼ μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς· ἂν μὴ τὴν ἁπαλὴν τροφὴν, ἣν ὑμᾶς μέχρι τοῦ νῦν ἔθρεψα μὴ ἀφελῶμαι, τῆς στερεᾶς τροφῆς οὐκ ἐπιθυμήσετε· εἰ σαρκικῶς ἀνθέξεσθε τῆς σαρκὸς, οὐκ ἔσεσθε τοῦ πνεύματος δεκτικοί· τί γὰρ βούλεται, ἐὰν μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς; ἐὰν δὲ ἀπέλθω, πέμψω τοῦτον πρὸς ὑμᾶς; μὴ γὰρ ἐνταῦθα ὢν, τοῦτον οὐκ ἠδυνάμην πέμψαι; τίς τοῦτ᾽ ἂν εἴποι; οὐδὲ γὰρ ὅπου ἦν οὗτος, ἐκεῖνος ἀπῆν· ἢ παρὰ τοῦ πατρὸς οὕτως ἦλθεν, ὡς μὴ μένειν ἐν τῷ πατρί; εἶτα καὶ πῶς ἐκεῖνον κἀνταῦθα διατρίβων οὐκ ἠδύνατο πέμψαι, ὃν ἴσμεν καὶ ἐλθεῖν πρὸς αὐτὸν βαπτιζόμενον καὶ μεῖναι; μᾶλλον μὲν οὖν ὃν ἴσμεν τούτου διὰ παντὸς ἀχώριστον ὄντα.

Cod. vat. gr. 1115. f. 83. b. Tract. in Iohan. XCIV.

β΄. Τί τοίνυν ἐστὶν, ἐὰν μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς, ἢ πάντως οὐχ οἷοί τε ἔσεσθε δέξασθαι τὸ πνεῦμα ἐφ᾽ ὅσον τὸν Χρι-

στὸν κατὰ σάρκα γινώσκειν σπουδάζετε; ὅθεν ἐκεῖνος ὁ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἤδη δεξάμενος, εἰ καὶ ᾔδειμεν τὸν Χριστὸν κατὰ σάρκα, φησὶν, ἀλλὰ νῦν οὐκ οἴδαμεν· καὶ αὐτὴν γὰρ τοῦ Χριστοῦ σάρκα οὐ κατὰ σάρκα γινώσκει ὁ πνευματικῶς τὸν σάρκα γεγονότα λόγον εἰδώς· τοῦτο πάντως ὁ ἀγαθὸς διδάσκαλος δηλοῦν ἐβούλετο, λέγων· ἐὰν ἐγὼ μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς· ἐὰν δὲ ἀπέλθω, πέμψω τοῦτον ὑμῖν· τοῦ Χριστοῦ δὲ σωματικῶς διαστάντος, οὐ μόνον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλὰ καὶ ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς ἐκείνοις πνευματικῶς παραγένετο· εἰ γὰρ οὕτως ὁ Χριστὸς ἐκείνων διέστη, ὡς ἀντ' ἐκείνου ἀλλ' οὐ μετ' ἐκείνου τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκείνοις παρεῖναι, ποῦ ἡ ἐπαγγελία τούτου λέγοντος, ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος; καὶ πάλιν, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν· ἀλλὰ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὕτως αὐτοῖς ἐπηγγείλατο πέμψειν, ἵνα μετ' αὐτῶν ᾖ εἰς τὸν αἰῶνα· καὶ διὰ ταῦτα ἀπὸ σαρκικῶν γεγονότες πνευματικοὶ, ἀναγκαίως καὶ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔμελλον ἔσεσθαι δεκτικώτεροι· ἐν οὐδενὶ γὰρ πιστευτέον εἶναι τὸν πατέρα ἄνευ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· ἢ τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν ἄνευ τοῦ ἁγίου πνεύματος· ἢ τὸν υἱὸν ἄνευ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· ἢ χωρὶς τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ τὸ ἅγιον πνεῦμα· ἢ τὸν πατέρα καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἄνευ τοῦ υἱοῦ· ὅπου γὰρ εἷς τις τούτων ἐστὶν, ἐκεῖ καὶ ὁ εἷς θεὸς ἡ τριάς· ἔδει δ' οὕτως τὴν τριάδα παραδεχθῆναι, ὥστ' εἰ καὶ μηδεμία ἦν ἐν τῇ οὐσίᾳ διαφορὰ, ὅμως παραδεχθῆναι τὴν διάκρισιν τῶν προσώπων ἰδίως· καὶ οὕτως τοῖς νοοῦσιν ὀρθῶς, χωρισμὸν φύσεως οὐδαμῶς θεωρεῖσθαι. Τί δὲ βούλεται τὸ ἑπόμενον; ἐλθὼν δὲ ἐκεῖνος ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας καὶ περὶ δικαιοσύνης καὶ περὶ κρίσεως· μὴ γὰρ ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς οὐκ ἤλεγξε τὸν κόσμον περὶ ἁμαρ-
f. 84. b. τίας, ὅτ' ἂν λέγῃ, εἰ μὴ ἦλθον καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς, ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον· νῦν δὲ πρόφασιν οὐκ ἔχουσι περὶ τῆς ἁμαρτίας αὐτῶν· ἀλλ' ἵνα μή τις εἴπῃ, οὐ περὶ τοῦ κόσμου, ἀλλὰ περὶ τῶν Ἰουδαίων μόνων ἰδίως εἰρῆσθαι, ἀλλαχοῦ φησίν· εἰ ἐκ τοῦ κόσμου ἦτε, ὁ κόσμος ἂν τὸ ἴδιον ἐφίλει.

Tract. XCV. γ'. Μὴ οὐκ ἤλεγξε καὶ περὶ δικαιοσύνης ὅπου φησί· πάτερ δίκαιε, καὶ ὁ κόσμος σε οὐκ ἔγνω; ἀλλὰ καὶ περὶ κρίσεως ἤλεγξεν, ὅπου ἑαυτόν φησιν ἐρεῖν τοῖς ἐξ εὐωνύμων, πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι εἰς τὸ πῦρ τὸν αἰώνιον τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ· πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα εὕροι τις ἂν ἐν τῷ ἁγίῳ εὐαγγελίῳ, ὅπου περὶ τούτων τὸν κόσμον ὁ κύριος ἤλεγξε· πῶς τοίνυν ὥσπερ ἰδίως τοῦτ' ἀπένειμε τῷ ἁγίῳ πνεύματι; ἢ τάχα ὅτι ὁ Χριστὸς τῷ τῶν Ἰουδαίων μόνον ἔθνει διαλεχθεὶς, οὐκ ἂν δόξειεν αὐτὸς τὸν κόσμον ἐλέγξαι, ἀλλὰ τὸν ἀκούσαντα τῶν ἐλέγχων, ἐκεῖνον μόνον ἐλεγχθῆναι; τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν τοῖς ἀποστόλοις κατὰ τὴν οἰκουμένην πᾶσαν διασπαρεῖσιν, οὐχ ἓν μόνον ἔθνος ἀλλὰ τὸν κόσμον ὅλον ἐλέγξαι δοκεῖ· τοῦτο γὰρ εἶπεν αὐτοῖς μέλλων εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβαίνειν· οὐκ

ἔστιν ὑμῶν γνῶναι χρόνους ἢ καιροὺς οὓς ὁ πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ· ἀλλὰ λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς· καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες ἔν τε Ἱερουσαλὴμ καὶ πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Σαμαρείᾳ καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς· ὅπερ ἐστὶ τὸ τὸν κόσμον ἐλέγξαι. Ἀλλὰ τίς τολμήσει καὶ μόνον εἰπεῖν, οὐκ αὐτὸν τὸν Χριστὸν ἐλέγξαι τὸν κόσμον, ἀλλὰ μόνον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, διὰ τῶν ἀποστόλων τοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἀποστόλου βοῶντος, ἢ ζητεῖτε πεῖραν λαβεῖν τοῦ ἐν ἐμοὶ λαλοῦντος Χριστοῦ; Ἀλλ' ἵνα τὸ ἐμοὶ δοκοῦν εἴπω, τούτου χάριν εἴρηκε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐλέγξαι τὸν κόσμον, ἐπεὶ διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκχεῖσθαι ἔμελλεν ἡ ἀγάπη ἐν ταῖς καρδίαις τῶν μαθητῶν, ἡ τὸν φόβον ἔξω βάλλουσα· ᾧ δυνατὸν ἦν κωλύεσθαι τοῦ τολμᾶν τὸν κόσμον ἐλέγχειν, τοῖς κατ' αὐτῶν διωγμοῖς φρυαττόμενον· ὡσανεὶ λέγων· ἐκεῖνο ἐκχεῖν μέλλει τὴν ἀγάπην ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, καὶ οὕτω δέους ἐξελθόντος, μετ' ἀδείας τὸν κόσμον ἐλέγξειε· πολλάκις δὲ εἴπομεν, τὰ τῆς τριάδος ἔργα ἀχώριστα εἶναι· ἐχρῆν δὲ καὶ τὰ πρόσωπα ἰδίως παραδοθῆναι, ἵνα μὴ μόνον ἀδιαίρετος ἡ μονὰς, ἀλλ' ἀσύγχυτος νοῆται καὶ ἡ Τριάς.

δ'. Ἐφεξῆς δὲ ἑρμηνεύει ὅπως ἐλέγξει, περὶ ἁμαρτίας λέγων καὶ περὶ δικαιοσύνης καὶ περὶ κρίσεως· περὶ ἁμαρτίας μέν φησιν, ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ· ταύτην γὰρ ὥσπερ μόνην οὖσαν παρὰ τὰς ἄλλας ἁμαρτίαν τίθησιν, ἐπεὶ ταύτης μενούσης καὶ τὰ ἄλλα κεκράτηνται· καὶ ταύτης ἀποχωρούσης, καὶ τὰ ἄλλα ἀφίενται. Περὶ δὲ δικαιοσύνης φησὶν, ὅτι πρὸς τὸν πατέρα μου πορεύομαι, καὶ οὐκέτι με θεωρεῖτε· ἐνταῦθα πρῶτον θεωρητέον, εἴ τις ὀρθῶς περὶ ἁμαρτίας ἐλέγχεται, πῶς ἂν καὶ περὶ δικαιοσύνης ὀρθῶς ἐλεγχθείη; εἰ γάρ τις τὸν ἁμαρτωλὸν ἢ ἁμαρτωλὸν ἔλεγχοι, μὴ καὶ τὸν δίκαιον ἔξεστιν ἢ δίκαιον; f. 85. a.
μὴ γένοιτο· εἰ γάρ ποτε καὶ τὸν δίκαιον δεῖν ἐλέγχειν συγχωρηθείη, διὰ τοῦτ' ἂν εἰκότως ἐλέγχοιτο· ἐπεὶ καθὼς γέγραπται, οὐκ ἔστι δίκαιος ἐπὶ γῆς, ὃς ποιήσει ἀγαθὸν, καὶ οὐχ ἁμαρτήσει· ὥστ' εἰ κἀκεῖνος ἐλέγχοιτο περὶ ἁμαρτίας, ἀλλ' οὐ περὶ δικαιοσύνης ἐλέγχοιτο ἄν· ἐπεὶ καὶ τὸ θεῖον λόγιον, μὴ γίνου κατὰ πολὺ δίκαιος φάσκον, οὐ τῆς τοῦ σοφοῦ δικαιοσύνης ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ τὴν δι' ἀπόνοιαν ὑπερηφανίαν κολάζει· καὶ γὰρ λίαν γινόμενος δίκαιος, ἄδικος αὐτῇ γίνεται τῇ ὑπερβολῇ· κατὰ πολὺ γὰρ ἑαυτὸν ποιεῖ δίκαιον, ὁ λέγων ἑαυτὸν ἁμαρτίαν μὴ ἔχειν· ἢ ὁ μὴ τῇ τοῦ θεοῦ χάριτι, ἀλλὰ τῇ ἰδίᾳ βουλήσει, τὴν ἑαυτοῦ δικαιοσύνην ἀνατιθείς· οὐ τῇ ὀρθότητι τοῦ βίου δίκαιος ὢν, ἀλλὰ μᾶλλον πεφυσιωμένος, οἰόμενος ἑαυτὸν εἶναι ὅπερ οὐκ ἔστι· ποίῳ τοίνυν λόγῳ ἔδει τὸν κόσμον ἐλεγχθῆναι περὶ δικαιοσύνης; πάντως ἐκ τῆς τῶν πιστευόντων δικαιοσύνης· ἐλέγχεται τοίνυν περὶ ἁμαρτίας ὁ κόσμος, ὅτι μὴ ἐπίστευσεν εἰς Χριστόν· ἐλέγχεται καὶ περὶ δικαιοσύνης, ἐκ τῆς τῶν πιστευόντων δικαιοσύνης· αὐτὴ γὰρ ἡ τῶν πιστῶν πρὸς τοὺς ἀπίστους παράθεσις, αὐτῶν τῶν ἀπίστων ἐστὶν ὄνειδος· τοῦτο δὲ ἱκανῶς δηλοῖ καὶ τὸ ἐπαγόμενον· βουλόμενος γὰρ διανοῖξαι τὸ εἰρημένον, περὶ δὲ δικαιοσύνης

φησὶν, ὅτι πρὸς τὸν πατέρα πορεύομαι, καὶ οὐκέτι με θεωρεῖτε· οὐκ ἔφησεν οὐκέτι με θεωροῦσι· περὶ ὧν εἶπεν ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ· ἀλλὰ τὴν μὲν ἁμαρτίαν τί ἐκάλεσεν; ἐξηγούμενος περὶ ἐκείνων, λέγων φησὶν ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ· ἣν δὲ ἔφησε δικαιοσύνην ἐξηγούμενος, περὶ ἧς ἐλεγχθήσεσθαι τὸν κόσμον εἰρήκει.

έ. Ἀπ' ἐκείνων πρὸς τοὺς προσδιαλεγομένους στρέφεται καὶ φησὶν, ὅτι πρὸς τὸν πατέρα μου ὑπάγω, καὶ οὐκέτι με θεωρεῖτε· ὅθεν δῆλον ὡς περὶ ἁμαρτίας μὲν ἐκ τῆς ἰδίας ἁμαρτίας ὁ κόσμος ἐλέγχεται· περὶ δὲ δικαιοσύνης, ἐκ τῆς ἀλλοτρίας δικαιοσύνης· ὥσπερ ἐκ τοῦ φωτὸς τὸ σκότος ἐλέγχεται· τὰ γὰρ ἐλεγχόμενα, φησὶν ἀπόστολος, ὑπὸ τοῦ φωτὸς φανεροῦται· ὅσον γάρ ἐστι τὸ τῶν ἀπίστων κακὸν, οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ τῶν πιστευόντων ἀγαθοῦ δυνατὸν δῆλον γίνεσθαι· καὶ ἐπεὶ ταύτην εἰώθασιν οἱ ἄπιστοι τὴν φωνὴν ἀφιέναι, πῶς ἂν ὅπερ οὐχ ὁρῶμεν πιστεύομεν; τούτου χάριν ἐδέησε τὴν τῶν πιστῶν δικαιοσύνην ὁρίσασθαι, τῷ πρὸς τὸν πατέρα τοῦτον πορεύεσθαι, καὶ μηκέτι ὑπ' αὐτῶν θεωρεῖσθαι· μακάριοι γὰρ οἱ μὴ ἰδόντες καὶ πιστεύσαντες· καὶ γὰρ καὶ τῶν τὸν Χριστὸν ἰδόντων ἡ πίστις οὐ τούτου χάριν ἐγκωμιάζεται, ὅτι τοῦθ' ὅπερ ἑωράκασι πεπιστεύκασι, τουτέστι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἀλλ' ὅτι πεπιστεύκασιν ὅπερ οὐκ ἔβλεπον, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ δηλονότι· ἐπεὶ δὲ καὶ αὐτὴ ἡ τοῦ δούλου μορφὴ τῆς ὄψεως αὐτῶν ἀφηρέθη· τότε πανταχόθεν πεπλήρωται τὸ, ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται·
1. 85. b. ἔστι γὰρ ἡ πίστις, ὡς αὐτὴν ὁ ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ὁρίζεται, ἐλπιζομένων πραγμάτων ὑπόστασις, ἔλεγχος μὴ βλεπομένων.

ς'. Τί δέ ἐστιν, οὐκέτι με θεωρήσετε; οὐ γὰρ οὕτως ἔφησε πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα, καὶ οὐκέτι με θεωρήσετε· ὡς δηλῶσαι καὶ διάστημα χρόνου, εἴτε μετὰ μήκους, εἴτε συνεσταλμένον, πλὴν ἑκατέρωθεν ὡρισμένον ἐν ᾧ οὐκ ὀφθήσεται· ἀλλ' εἰπὼν οὐκέτι με θεωρήσετε, ὡς ἂν μηδαμῶς τοῦ λοιποῦ τὸν Χριστὸν ὀψομένους ἡ ἀλήθεια προηγόρευσεν· αὕτη ὁμολογουμένως ἀδικία ἐστὶ, πιστεύειν μὲν εἰς Χριστὸν, μή ποτε δὲ αὐτὸν ὄψεσθαι· διὰ τοῦτο γὰρ ἐπαινεῖται ἡ πίστις ἐξ ἧς ὁ δίκαιος ζήσεται, ὅτι ὃν νῦν οὐ βλέπει Χριστὸν, τοῦτον ὄψεσθαι πιστεύει ποτέ· εἶτα κατὰ ταύτην τὴν δικαιοσύνην οὐδὲ τὸν ἀπόστολον Παῦλον δίκαιον ἐροῦμεν γενέσθαι, λέγοντα τὸν Χριστὸν ἰδεῖν μετὰ τὴν εἰς οὐρανοὺς ἀνάβασιν· καί τοι περὶ τοῦ καιροῦ τούτου εἰρηκότα, οὐκέτι με ὄψεσθε· μὴ κατὰ ταύτην τὴν δικαιοσύνην οὐκ ἦν δίκαιος καὶ ὁ ἐνδοξότατος Στέφανος, ὃς λιθαζόμενος ἔφησεν, ὁρῶ τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγμένον, καὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἑστῶτα ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ; Τί τοίνυν ἐστὶ πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα, καὶ οὐκέτι με θεωρήσετε, ἢ ὥσπερ νῦν εἰμὶ μεθ' ὑμῶν; τότε γὰρ ἔτι θνητὸς ἦν ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, καὶ πεινῆν ἠδύνατο καὶ διψῆν καὶ πονεῖν καὶ καθεύδειν· τοῦτον τοίνυν τὸν Χριστὸν τουτέστι τοιοῦτον, οὐκέτι ἔμελλον ὄψεσθ[illegible] τὸν κόσμον ἀφεῖναι· καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ τῆς πίστεως δικαιοσύνη.

ἀπόστολος, εἰ καὶ ᾔδειμεν τὸν Χριστὸν κατὰ σάρκα, ἀλλὰ νῦν οὐκέτι γινώσκομεν· ἔσται τοίνυν φησὶν ὑμετέρα δικαιοσύνη δι' ἧς ὁ κόσμος ἐξελεγχθήσεται, τὸ πορεύεσθαί με πρὸς τὸν πατέρα, καὶ οὐκέτι με θεωρεῖν ὑμᾶς, ὅτι εἰς ὃν οὐκ ὄψεσθέ με πιστεύετε· ὅτ' ἂν δὲ ἴδητέ με ὅπερ ἔσομαι, τότε οὐκ ὄψεσθε ὃ νῦν εἰμὶ μεθ' ὑμῶν· οὐκ ὄψεσθέ με ταπεινὸν, ἀλλ' ὑψηλόν· οὐκ ὄψεσθέ με θνητὸν, ἀλλ' αἰώνιον· οὐκ ὄψεσθέ με κρινόμενον, ἀλλὰ δικαστήν· ἐκ τῆς ὑμετέρας τοίνυν ταύτης πίστεως, τουτέστι τῆς δικαιοσύνης ὑμῶν, τὸν ἄπιστον κόσμον ἐλέγξει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

ζ'. Ἐλέγξει δὲ τοῦτον καὶ περὶ κρίσεως, ὅτι ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου κέκριται· τίς ἐστιν οὗτος ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου; ἐκεῖνος περὶ οὗ ἔφησεν ἀλλαχοῦ, ἔρχεται ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου, καὶ ἐν ἐμοὶ εὑρήσει οὐδέν· τουτέστι οὐδὲν τῶν αὐτοῦ, οὐδὲν ἁμάρτημα δηλονότι· κατὰ γὰρ τὴν ἁμαρτίαν ὁ διάβολος, καθ' ἣν σημασίαν τοῦ κόσμου [ἄρχων] λέγεται, ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο· ἀλλ' ἐκείνου τοῦ κόσμου ἄρχων ἐστὶν ὁ διάβολος, περὶ οὗ φησὶν ἐφεξῆς, καὶ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω, τουτέστιν οἱ ἄπιστοι ἄνθρωποι· ὧν καθ' ὅλον ἑαυτὸν πλήρης ἐστὶν ὁ κόσμος· ὧν μεταξὺ ὁ πιστὸς κόσμος στένει· ὃν ἐκ τοῦ κόσμου ἐξελέγξατο ἐκεῖνος, δι' οὗ γέγονεν ὁ κόσμος· περὶ οὗ φησιν ὁ αὐτὸς, οὐκ ἦλθεν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἵνα κρίνῃ τὸν κόσμον, ἀλλ' ἵνα ὁ f. 86. a.
κόσμος σωθῇ δι' αὐτοῦ· ὁ κόσμος τούτου κρίνοντος καταχρίνεται· ὁ κόσμος τούτου βοηθοῦντος σώζεται· ὥσπερ γὰρ τὸ δένδρον καὶ φύλλων καὶ μήλων, καὶ ἡ ἅλως καὶ ἀχύρων καὶ σίτου, οὕτως ὁ κόσμος καὶ πιστῶν καὶ ἀπίστων ἐστὶ πλήρης. Ὁ ἄρχων τοίνυν τοῦ κόσμου, τουτέστι τοῦ σκότους τούτου, ἤγουν τῶν ἀπίστων, ὧν ἀπαλλάττεται ὁ κόσμος· περὶ οὗ φησιν, ἦτε ποτὲ σκότος, νῦν δὲ φῶς ἐν κυρίῳ· περὶ οὗ φησιν ἀλλαχοῦ, νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω, ἤδη κέκριται, ἐπείπερ ἀνεπίστροφος ὢν, ὥρισται κρίσει πυρὸς αἰωνίου· περὶ ταύτης τοίνυν τῆς κρίσεως, καθ' ἣν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου κέκριται, ἐλέγχει τὸν κόσμον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὅτι μετὰ τοῦ ἰδίου ἄρχοντος ὃν ὑπερήφανος ὢν καὶ ἀσεβὴς ζηλοῖ, κρίνεται· εἰ γὰρ ὁ θεὸς, καθώς φησιν ἀπόστολος Πέτρος, ἀγγέλων ἁμαρτανόντων οὐκ ἐφείσατο, ἀλλ' εἱρκταῖς ζόφου ᾅδου ταρταρώσας παρέδωκεν εἰς κρίσιν τηρουμένους, πῶς οὐκ ὑπὸ πνεύματος τοῦ ἁγίου περὶ ταύτης τῆς κρίσεως ὁ κόσμος ἐλέγχεται ἐν ἁγίῳ πνεύματι, τοῦ ἀποστόλου ταῦτα λαλήσαντος; πιστευέτωσαν οὖν οἱ ἄνθρωποι τῷ Χριστῷ, ἵνα μὴ αὐτοὺς ἐλέγξῃ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον περὶ τῆς αὐτῶν ἀπιστίας ἁμαρτήματος· ἐν ᾧ ἁμαρτήματι πάντα τὰ ἄλλα κεκράτηνται· συναριθμείσθωσαν τοῖς πιστοῖς, ἵνα μὴ ἐλεγχθῶσιν ἀπὸ τῆς ἐκείνων δικαιοσύνης· φυλαττέσθωσαν τὴν μέλλουσαν κρίσιν, ἵνα μὴ σὺν τῷ ἄρχοντι τοῦ κόσμου κριθῶσιν, ὃν ἤδη κεκριμένον μιμοῦνται· ἵνα γὰρ μὴ ἡ σκληρὰ τῶν θνητῶν ὑπερηφανία φείσασθαι ταύτης οἴηται τὸν θεὸν, ταῖς ποιναῖς τῶν ὑπερηφάνων ἀγγέλων κατασειέσθω.

η'. Ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι· ἴσως Tract. XCVI.

ἐπιθυμεῖτε γινώσκειν, ἅπερ οἱ ἀπόστολοι τότε βαστάζειν οὐχ οἷοί τε ἦσαν· ἀλλὰ τίς ἂν ἡμῶν τολμήσειε τούτων χωρητικὸν ἑαυτὸν ἤδη λέγειν, ἅπερ ἐκεῖνοι τότε γινώσκειν οὐκ ἴσχυον; ὅθεν οὐδὲ παρ' ἐμοῦ ταῦτα ἀναμένειν μαθησομένους προσήκει, ἅπερ ἴσως οὐδὲ παρ' ἄλλου λεγόμενα δυνατός εἰμι δέξασθαι· ἀλλ' οὐδ' ὑμεῖς ἂν δύναισθε ταῦτα βαστάζειν, εἰ κἀγὼ τοσοῦτος ἦν, εἰ παρ' ἐμοῦ τὰ τὴν διάνοιαν ὑπερβαίνοντα τὴν ὑμέτεραν ἠκούετε· δυνατὸν μὲν οὖν ἐν ὑμῖν εἶναι τινὰς ἱκανοὺς ἄλλων μᾶλλον πρὸς ὑποδοχὴν, εἰ καὶ μὴ πάντων ἐκείνων, περὶ ὧν ἔλεγεν ὁ διδάσκαλος καὶ θεὸς, ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ὅμως τινῶν ἐξ ἐκείνων· ἀλλὰ τίνα ἂν εἶεν ἐκεῖνα, περὶ ὧν ἐκεῖνος οὐκ ἔφησεν αὔθαδες τολμᾶν λέγειν ἐπιχειρεῖν· καὶ γὰρ καὶ πρὸς τὸν ὑπὲρ Χριστοῦ θάνατον, οὔπω τότ' ἦσαν οἱ ἀπόστολοι ἱκανοὶ, οἷς ἔλεγεν, οὐ δύνασθέ μοι νῦν ἀκολουθῆσαι· καὶ ὅ γε πρῶτος αὐτῶν ὁ Πέτρος, ὃς ἱκανῶς ᾤετο πρὸς τοῦτο παρασκευάσθαι, ἑτέρου πεπείραται ἤπερ ᾤετο· ἀλλ' ὅμως ὕστερον καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες καὶ παῖδες καὶ μείρακες καὶ
f. 86. b. παρθένοι καὶ νέοι καὶ πρεσβύτεροι μετὰ νεωτέρων ἀναρίθμητοι δῆμοι ὑπὲρ αὐτοῦ μαρτυροῦντες ἐστεφανοῦντο· καὶ μετὰ ταῦτα εὑρέθησαν δυνάμενα βαστάζειν τὰ πρόβατα, ἅπερ ὅτε ταῦτ' ἔλεγεν ὁ σωτὴρ βαστάζειν οἱ ποιμένες οὐκ οἷοί τε ἦσαν.

θ'. Ἆρα τοίνυν ἐχρῆν τοῖς προβάτοις ἐκείνοις ῥηθῆναι ἐπηρτημένου τοῦ πειρασμοῦ, ἐν ᾧπερ ἔδει μέχρι θανάτου πρὸς τὴν ἁμαρτίαν ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἀντικαθίστασθαι, καὶ ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς ἐκείνου διδασκαλίας τὸ αἷμα προΐεσθαι· ἆρα τοίνυν, ὅπερ ἔφην, ἐχρῆν ἐκείνοις εἰρῆσθαι, τίς ὑμῶν πρὸς τὸ μαρτύριον ἱκανὸν ἑαυτὸν λέγειν τολμήσειε, πρὸς ὁπότερον ὁ Πέτρος οὐκ ἤρκει, ὅτε στόμα πρὸς στόμα πρὸς τοῦτ' αὐτὸν ὁ Χριστὸς ἤλειφεν; οὐδαμῶς οὕτω τοίνυν καὶ νῦν εἴποι τις ἂν, μὴ δεῖν τοῖς τῶν χριστιανῶν λέγεσθαι δήμοις ἐπιθυμοῦσιν ἀκοῦσαι τίνα ἦν περὶ ὧν ὁ κύριος ἔλεγε τότε, πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι· εἰ ταῦτα οἱ ἀπόστολοι τότε βαστάζειν οὐκ ἴσχυον, πολλῷ τοῦθ' ἧττον ὑμεῖς δύνασθε· ἐπεὶ τυχὸν οὕτω πολλοὶ δύνανται νῦν ἀκούειν ἅπερ πολλοὶ δύνανται νῦν μαρτυρίῳ στεφανωθῆναι, ὅπερ τότε ὁ Πέτρος οὐκ ἴσχυε· μάλιστα καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου πεμφθέντος νῦν, ὅπερ οὔπω τότε ἐπεσταλμένον ἦν.

ι'. Περὶ οὗ συνάπτων ἐφεξῆς λέγει· ὅτ' ἂν ἔλθῃ ἐκεῖνο τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, διδάξει ὑμᾶς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν· ἐντεῦθεν δηλαδὴ δεικνὺς διὰ τοῦτ' ἐκείνους μὴ δυναμένους βαστάζειν τὰ παρ' ἐκείνου ῥηθησόμενα, ὅτι μήπω τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον παρεγένετο· πλὴν ἀλλὰ καὶ συγχωρηθέντος πολλοὺς εἶναι τοὺς νῦν δυναμένους βαστάζειν, οὐχ οἷοί τε ἦσαν, μὴ παρὰ τοῦτο ἴσμεν, τίνα ἂν εἴη ἅπερ τότε ἠκούομεν ἢ ἀναγινώσκομεν; ἕτερον γάρ ἐστιν εἰδέναι, πότερον παρ' ἡμῶν ἢ παρ' ὑμῶν ἐκεῖνα δυνατὸν βασταχθῆναι, ἕτερον εἰδέναι τίνα ἦσαν εἴτε δυνατὰ βαστάζεσθαι, εἴτε μή· ἅπερ ἐπείπερ ἐκεῖνος ἐσί-

γησε, τίς ἡμῶν ἐρεῖ ἐκεῖνα εἶναι ἢ ταῦτα; εἰ δὲ καὶ λέγειν τολμήσειε, πῶς τοῦτ' ἀποδείξει; τίς γὰρ οὕτω μάταιος ἢ αὐθάδης, ὃς καὶ τυχὸν εἰπόντος τινὸς ἅπερ βεβούληται, διϊσχυρίσαιτο ταῦτα εἶναι ἅπερ ὁ κύριος τότε παρῃτήσατο λέγειν, ἄνευ θείας τινὸς μαρτυρίας; τίς ἡμῶν τοῦτο ποιήσας, οὐ μεγίστῳ περιπεσεῖται αὐθαδείας ἐγκλήματι, οὕτως εὐκόλως συντιθέμενος, μήτε προφητικῆς μήτε ἀποστολικῆς αὐθεντίας ἡγουμένης τῶν λόγων; πάντως γὰρ εἰ καί τούτων ἐτύχομεν ἀναγνόντες ἐν τοῖς κανονικοῖς καὶ ἀξιώματι βεβαιωθεῖσι βιβλίοις, καὶ μετὰ τὴν εἰς οὐρανοὺς ἀνάβασιν τοῦ Χριστοῦ γραφεῖσιν, εἰ μὴ καὶ τοῦτ' αὐτόθι πρὸς τοῖς ἄλλοις ἀνεγινώσκομεν, ἐκείνων εἶναι ἅπερ ὁ κύριος τότε τοῖς μαθηταῖς εἰπεῖν οὐκ ἠθέλησεν, ὅτι μὴ δὲ ἠδύναντο βαστάζειν ἐκεῖνα.

ια'. Ὅθεν ἀγαπητοὶ, μὴ παρ' ἡμῶν ἀναμένητε ταῦτ' ἀκοῦσαι, ἅπερ ὁ κύριος τότε τοῖς μαθηταῖς εἰπεῖν παρῃτήσατο, ἀλλὰ μᾶλλον ἐν τῇ ἀγάπῃ προκόπτετε τῇ διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος τοῦ δοθέντος ἡμῖν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν χεομένῃ· ἵνα τῷ πνεύματι ζέοντες, καὶ τῶν πνευματικῶν ἐρῶντες, πνευματικῆς τε ὑγείας καὶ πνευματικῆς διδασκαλίας, δυνηθῆτε γνῶναι τὰ παρὰ τῶν ψυχικῶν ἀνθρώπων βαστάζεσθαι μὴ δυνάμενα· οὐ σημείοις ἔξωθεν τοῖς σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς φαινόμενα, οὐδέ τισιν ἤχοις τοῖς σωματικοῖς ὠσὶν ἐνηχούμενα, ἀλλὰ τῇ ἔνδον ὄψει καὶ ἀκοῇ· οὐ γὰρ ἂν φιληθείη τὸ παντελῶς ἀγνοούμενον· ἀλλ' ὅταν ἀμηγέπη γινώσκηται τὸ φιλούμενον αὐτῇ τῇ ἀγάπῃ, συμβαίνει καὶ πλέον ἐκεῖνο καὶ βελτιον ἀγαπᾶσθαι· ἂν τοίνυν, ὅπερ ἔφην, ἐν τῇ ἀγάπῃ προκόπτητε, ἣν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν ἐκχεῖ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, αὐτὸ διδάξει ὑμᾶς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν· ἢ καθὼς ἐν ἄλλοις βιβλίοις εὑρίσκεται, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν· ὅθεν εἴρηται, ὁδήγησόν με κύριε ἐν τῇ ὁδῷ σου· καὶ πορεύσομαι ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου· καὶ οὕτως ὑμῖν συμβήσεται οὐ παρὰ τῶν ἔξωθεν διδασκάλων ὑμᾶς ἐκεῖνα μαθεῖν, ἅπερ ὁ κύριος εἰπεῖν οὐκ ἠθέλησεν, ἀλλὰ γενέσθαι διδακτοὺς θεοῦ· ἵν' ἅπερ δι' ἀναγνώσεως καὶ λόγων ἔξωθεν πρόσενεχθέντων ἐμάθετε καὶ πεπιστεύκατε περὶ τῆς ἀσωμάτου φύσεως τοῦ θεοῦ, καὶ μηδενὶ τύπῳ περιεχομένης, μήτ' ἀπείροις διαστήμασι τόπων ὥσπέρ τι μέγεθος διατεταμένης, ἀλλὰ πανταχοῦ ὅλης καὶ τελείας καὶ ἀπείρου, ἄνευ χρωμάτων αὐγῆς, ἄνευ σχημάτων γραμμικῶν, ἄνευ σημείων γραμμάτων, ἄνευ ὑφῆς συλλαβῶν, αὐτῇ τῇ διανοίᾳ κατοπτεύειν καὶ νοεῖν δυνηθῆτε. f. 87. a.

ιβ'. Ἰδοὺ εἶπον ὑμῖν τί, ἴσως ἐκεῖθεν ὄν· καὶ ὅμως τοῦτο δεξάμενοι, οὐ μόνον βαστάζειν δεδύνησθε· ἀλλ' εἴπερ ὁ ἔνδον ἐκεῖνος διδάσκαλος, ὃς τοῖς μαθηταῖς ἔξωθεν ἔτι διαλεγόμενος, πολλὰ εἶπεν ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι, ἠθέλησεν ἡμῖν ἔνδοθεν οὕτω διαλεχθῆναι περὶ ἧς εἶπον ἀσωμάτου φύσεως τοῦ θεοῦ, ὥσπερ τοῖς ἁγίοις ἀγγέλοις φησὶν, οἱ διαπαντὸς βλέπουσιν τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς, οὐκ ἂν ἠδυνήθημεν τὴν ἐκείνου διδασκαλίαν βαστάσαι· ὅθεν ὅ, φησι, διδάξει ὑμᾶς πᾶσαν τὴν

ἀλήθειαν, ἣ ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, ἥκιστα νομίζω κατὰ τὸν παρόντα βίον ἐν διανοίᾳ τινὸς δύνασθαι πληρωθῆναι· τίς γὰρ ἐν τῷ φθαρτῷ τούτῳ σώματι ζῶν καὶ βαρύνοντι τὴν ψυχὴν, πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν δυνήσεται γνῶναι; τοῦ ἀποστόλου λέγοντος, ἐκ μέρους γινώσκομεν· ἀλλὰ τοῦτ' εἴρηται ὅτι διὰ πνεύματος ἁγίου γίνεται, οὗ νῦν τὸν ἀῤῥαβῶνα λαμβάνομεν, ὡς καὶ ἐπ' αὐτήν ποτε τὴν τελειότητα ἀφικέσθαι· περὶ ἧς ὁ αὐτὸς ἀπόστολος λέγει. τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον· καὶ νῦν γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ
f. 87. b. ἐπιγνώσομαι, καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην· οὐκ ἐν τῇ παρούσῃ τοσοῦτον ζωῇ, ἀλλ' ἐν τῇ μελλούσῃ τελειότητι, ἣν ὁ κύριος ὑπέσχετο· δι' ἀγάπης τοῦ πνεύματος, λέγων, διδάξει ὑμᾶς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, ἣ ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν.

ιγ΄. Ἅπερ ἐπείπερ οὕτως ἔχει, φίλτατοι, ὑμῖν ἐν τῇ ἀγάπῃ τοῦ Χριστοῦ παραινῶ τοὺς ἀκαθάρτους ἀπατεῶνας φυλάττεσθαι, καὶ τῆς αἰσχύνης αἱρέσεις, περὶ ὧν φησιν ὁ ἀπόστολος, τὰ γὰρ κρυφῇ ὑπ' αὐτῶν γινόμενα, αἰσχρόν ἐστι καὶ λέγειν· ἵνα μὴ τὰς ἀποτροπαίους ἀκαθαρσίας διδάσκειν ἀρχόμενοι, ὡς ἀνθρώπιναι ἀκοαὶ οἷαι ἂν ὦσι βαστάζειν ἀδυνατοῦσι, λέγωσι ταῦτα εἶναι ἐκεῖνα περὶ ὧν ὁ κύριος ἔφησε πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι· καὶ πνεύματι ἁγίῳ διϊσχυρίζωνται γίνεσθαι, μὴ δυνατὸν εἶναι τὰ ἀνόσια ἐκεῖνα βαστάζεσθαι καὶ ἀκάθαρτα· εἰσὶ μὲν γάρ τινα κακὰ, ἃ φέρειν ἀδυνατεῖ καὶ ἡ τυχοῦσα τῶν ἀνθρώπων αἰδώς· εἰσὶ δέ τινα ἀγαθὰ, ἅπερ ἀνθρωπίνη γνῶσις μικρὰ φέρειν οὐ δύναται· ἐκεῖνα ἐν τοῖς ἀναιδέσι σώμασι γίνονται· ταῦτα πόῤῥω πάντων σωμάτων εἰσί· ταῦτα ἐν μόνῃ τελεῖται τῇ σαρκί· ἐκεῖνα μόλις ὁρᾶται καὶ καθαρᾷ διανοίᾳ· ἀνακαινίζεσθε τοίνυν τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς ὑμῶν, καὶ κατανοεῖτε τί τὸ θεῖον θέλημα τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον· ἵνα ἐν τῇ ἀγάπῃ ἐῤῥιζωμένοι καὶ τεθεμελιωμένοι, δύνησθε καταλαβεῖν μετὰ πάντων τῶν ἁγίων τί τὸ μῆκος καὶ ὕψος καὶ πλάτος καὶ βάθος, γνῶναι τὲ τὸ ὑπερέχον τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ· ἵνα πληρωθῆτε παντὶ πληρώματι τοῦ θεοῦ· οὕτω γὰρ ὑμᾶς διδάξει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν· ὅτ' ἂν μᾶλλον καὶ μᾶλλον ἐκχέῃ τὴν ἀγάπην ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν.

Tract. XCIX. ιδ΄. Οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ λαλήσει, ἐπεὶ τοίνυν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐδεμιᾷ προσλήψει φύσεως ἀνθρωπίνης γέγονεν ἄνθρωπος, οὐδεμιᾷ προσλήψει κτίσματος γέγονεν κτίσμα, πῶς περὶ ἐκείνου τὸ παρὰ τοῦ κυρίου ῥηθὲν νοηθήσεται, οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ λαλήσει; μέγα τὸ ζήτημα, καὶ πάνυ μέγα· αὐτὸ παρείη τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἵνα τοὐλάχιστον οὕτως εἰπεῖν αὐτὸ δυνηθῶμεν, ὃν τρόπον λογίσασθαι δεδυνήμεθα· καὶ οὕτω κατὰ τὴν ἐμὴν εὐτελῆ ταύτην δύναμιν ἐπὶ τὴν ὑμετέραν νόησιν δυνηθῆναι διαβιβάσαι· πρῶτον τοίνυν γινώσκειν ὀφείλετε καὶ νοεῖν οἱ δυνάμενοι, πιστεύειν δὲ οἱ νοεῖν οὐχ οἷόν τε ὄντες· ἐν τῇ οὐσίᾳ ἐκείνῃ ἥτις ἐστὶν ὁ θεὸς,

οὐχ ὥσπερ ἐν μεγέθει σώματος αἰσθήσεις ἰδίοις τόποις διανενεμημένας, ὥσπερ ἐν τοῖς τῶν ζώων σώμασιν, ἀλλαχοῦ μέν ἐστιν ὄψις, ἀλλαχοῦ δ' ἀκοὴ, ὡσαύτως δὲ καὶ γεῦσις καὶ ὄσφρησις, πανταχοῦ δὲ ἁφὴ, μὴ γένοιτο τοῦτο πιστεῦσαι τινὰ περὶ τὴν ἀσώματον φύσιν ἐκείνην καὶ ἀμετάβλητον· ἐκεῖ τοίνυν τὸ ὁρᾷν καὶ ἀκούειν ἕν ἐστι καὶ ταυτόν· λέγεται καὶ ὄσφρησις ἐπὶ θεοῦ, ὥς φησιν ὁ ἀπόστολος· ὥσπερ καὶ ὁ Χριστὸς ἠγάπησεν ἡμᾶς, καὶ παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας· ἀλλὰ καὶ γεῦσιν ἐκεῖ νοεῖν δυνατὸν, καθ' ἣν ὁ θεὸς μισεῖ τοὺς παραπικραίνοντας f. 88. a. καὶ τοὺς μήτε ψυχροὺς μήτε θερμοὺς ἐξεμεῖ τοῦ στόματος αὐτοῦ· καὶ ὁ σωτὴρ φησίν· ἐμὸν βρῶμα ἐστὶν ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με· ἔστι καὶ ἁφὴ θεία· ὅθεν ἡ νύμφη περὶ τοῦ νυμφίου φησίν· ἡ ἀριστερὰ αὐτοῦ ὑπὲρ τὴν κεφαλήν μου, καὶ τῇ δεξιᾷ περιλαμβάνει με· ἀλλ' αὐτὰ πάντα οὐκ εἰσὶν ἐν τῷ θεῷ ἐν διαφόροις τοῦ σώματος χώραις· ὅτ' ἂν γὰρ λέγηται γινώσκειν αὐτὸν, ἐκεῖ ταῦτα πάντα εἰσὶ, καὶ τὸ ὁρᾷν, καὶ τὸ ἀκούειν, καὶ ὀσφραίνεσθαι, καὶ γεύεσθαι καὶ ἅπτεσθαι, ἄνευ τινὸς μεταβολῆς τῆς οὐσίας ἐκείνης, ἄνευ μεγέθους· ὅπερ ἄλλοθι μὲν μεῖζον, ἄλλοθι δὲ ἔλαττον, κἂν ταῖς αἰσθήσεσι παιδικῇ διανοίᾳ νοῆται, ὅτ' ἂν οὕτω τις λογίζηται περὶ θεοῦ.

ιε'. Μὴ θαυμάσῃς δὲ εἰ διαφόροις τρόποις ἀνθρωπίνης φωνῆς ἡ ἄῤῥητος τοῦ θεοῦ ἐπιστήμη ᾗ πάντα οἶδε, πᾶσι τοῖς τῶν ἀνθρωπίνων αἰσθήσεων τρόποις κατανομάζεται, ἐπεὶ καὶ αὐτὴ ἡ ἡμετέρα διάνοια, ὁ ἐντὸς ἄνθρωπος δηλονότι, ᾧ μονοειδῶς ἐπισταμένῳ, διὰ τῶν πέντε τούτων αἰσθήσεων ὀνόμασιν ὀνομάζεται, οὐκ ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ ἀλλὰ μιᾷ νοήσει, ὅτ' ἂν τὴν ἀμετάβλητον ἀλήθειαν ἐκείνην ὁρᾷ, αἱρεῖται, ἀγαπᾷ· ὁρᾷ τὸ φῶς περὶ οὗ λέγεται, ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν· ἀκούῃ τὸν λόγον, περὶ οὗ εἴρηται ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος· δέχηται τὴν ὀσμὴν, περὶ ἧς εἴρηται, ὀπίσω τῆς ὀσμῆς τῶν μύρων σου δραμούμεθα· πίνῃ τῆς πηγῆς, περὶ ἧς γέγραπται, παρὰ σοὶ πηγὴ ζωῆς· ἀπολαύῃ τῆς ἁφῆς, περὶ ἧς λέγεται, ἐμοὶ δὲ τὸ προσκολλᾶσθαι τῷ θεῷ, ἀγαθόν ἐστιν· Ὅτ' ἂν τοίνυν περὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου λέγηται· οὐ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν, πολλῷ μᾶλλον ἐκεῖ δεῖν νοεῖν ἁπλῆν φύσιν, ὅπου ἀληθέστατα ἁπλῆν ἢ νοεῖν ἢ πιστεύειν χρὴ ἐπ' ἄπειρον μῆκος καὶ πλάτος τὴν τῆς ἡμετέρας διανοίας ὑπερβαίνουσαν φύσιν· μεταβλητὴ γάρ ἐστιν ἡ ἡμετέρα διάνοια, ἐπεὶ μανθάνουσα δέχεται ὃ ἠγνόει, καὶ τῇ τοῦ ἀληθοῦς ὁμοιότητι σφάλλεται, ὡς ἀντὶ τῶν ἀληθῶν τοῖς ψευδέσι συντίθεσθαι, καὶ τῇ ἑαυτῆς ἀμαυρότητι ὥσπερ τινι σκότει πρὸς τὸ ἀληθὲς ἀφικέσθαι κωλυομένη· ὅθεν ἀληθέστατα οὐκ ἔστιν ἁπλῆ οὐσία ἐκείνη, ᾗ μὴ ἔστιν ὅπερ τὸ εἶναι τοῦτο καὶ τὸ γινώσκειν· δύναται γὰρ εἶναι καὶ μὴ νοεῖν· τὴν δὲ θείαν ἐκείνην ἀδύνατον οὕτως εἶναι· ὃ γὰρ ἔχει, τοῦτο καὶ ἔστι· κἀντεῦθεν οὐχ οὕτως ἔχει τὴν ἐπιστήμην ὥσθ' ἕτερον ἐκείνη τὴν ἐπιστήμην ᾗ ἐπίσταται εἶναι· καὶ ἕτερον τὴν οὐσίαν ᾗ ἐστιν, ἀλλ' ἑκάτερον ἐκεῖ ἕν· μᾶλλον δὲ οὐδὲν ἑκάτερον αὐτόθι λέ-

γεσθαι δεῖ, ἔνθα ἁϖλῶς ἕν ἐστιν· ὥσπερ τοίνυν ὁ ϖατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, καὶ οὐχ ἕτερόν ἐστιν αὐτὸς ἢ ἡ ἐν αὐτῷ οὖσα ζωὴ, οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ· τουτέστι γεγέννηκεν υἱὸν καὶ αὐτὸν ὄντα ζωήν.

ιϛ'. Οὕτω τοίνυν ὀφείλομεν λαμβάνειν καὶ τὸ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος εἰρημένον· οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ λαλήσει· ἵν' ἐκεῖνο νοῶμεν μὴ ἀφ' ἑαυτοῦ εἶναι· ὁ μὲν γὰρ ϖατὴρ μόνος, οὐκ ἔστι παρ' ἄλλου· καὶ γὰρ καὶ ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς γεγέννηται, καὶ τὸ πνεῦμα
f. 88. b. τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ ϖατρὸς ἐκϖορεύεται· ὁ δὲ ϖατὴρ οὔτ' ἄλλον ἔσχε γεννήτορα, οὔτ' ἐκϖορεύεται ϖαρ' ἑτέρου· οὐ μὴν διὰ τοῦτο τίς ἀνισότης ἐν τῇ ἄκρᾳ ἐκείνῃ τριάδι τοῖς ἀνθρωϖίνοις λογισμοῖς συναντάτω· καὶ γὰρ καὶ ὁ υἱὸς τῷ ἐξ οὗ γεγέννηται, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τῷ παρ' οὗ ἐκπορεύεται ἴσοι εἰσί. Τί δ' ἐκεῖ διαφέρει τὸ γεννᾶσθαι καὶ ἐκπορεύεσθαι, καὶ μακρόν ἐστι ζητοῦντα σαφηνίζειν, καὶ προπετὲς διορίζεσθαι· τοῦτο γὰρ καὶ τῇ διανοίᾳ καταλαβεῖν ἀμηγέπη, καὶ εἴ τί ποτ' ἴσως ἡ διάνοια ἔγνω, δυσχερέστον ἀνελίττειν τῇ γλώττῃ, κἂν ἐφοσοονῦν τῆς περὶ ταῦτα τριβῆς ἢ ὁ διδιδάσκαλος προῆλθεν, ἢ ὁ ἀκροατὴς ἕπηται. Οὐ τοίνυν ἀφ' ἑαυτοῦ λαλεῖ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ λαλήσει, τουτέστι παρ' ἐκείνου ἀκούει ϖαρ' οὗ ἐκϖορεύεται, ϖαρ' οὗ ἐστιν ἐκείνῳ ἡ ὕπαρξις, παρ' ἐκείνου καὶ ἡ γνῶσις· παρ' ἐκείνου τοίνυν καὶ ἡ ἀκρόασις, ἥτις οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν ἢ ἡ γνῶσις.

ιζ'. Μὴ ταραττέτω δὲ ἡμᾶς ὅτι περ ἐνταῦθα οὐ κεῖται ῥῆμα παρῳχημένου χρόνου· οὐ γὰρ εἴρηται ὅσα ἤκουσεν, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει· ἐκείνη γὰρ ἡ ἀκρόασις αἰωνία ἐστίν· ἐπεὶ καὶ ἡ γνῶσις αἰωνία· ἐν δὲ τῷ ἄνευ ἀρχῆς καὶ τέλους αἰωνίῳ, ὅπερ ἂν ῥῆμα χρόνου κατηγορηθείη, εἴτε παρῳχημένου, εἴτ' ἐνεστῶτος, εἴτε καὶ μέλλοντος, οὐ ψευδῶς τοῦτ' εἰρήσεται· εἰ γὰρ ἡ ἀμετάβλητος καὶ ἄρρητος ἐκείνη φύσις οὐ δέχεται τὸ ἦν καὶ τὸ ἔσται, ἀλλὰ μόνον τὸ ἔστιν, αὕτη γὰρ ἀληθῶς ἐστί· καὶ διὰ τοῦτο ἐκείνῃ μόνῃ λέγειν ἁρμόζει, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν· καὶ τάδε ἐρεῖς καὶ τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ· ὁ ὢν ἀπέσταλκέ με πρὸς ὑμᾶς· ἀλλ' ὅμως διὰ τὴν τῶν χρόνων μεταβολὴν, οὐ ψευδῶς λέγομεν καὶ τὸ ἦν, καὶ ἔστι, καὶ ἔσται· ἦν ἐν τοῖς παρελθοῦσιν αἰῶσιν· ἔστιν ἐν τοῖς παροῦσιν· ἔσται ἐν τοῖς μέλλουσιν· ἦν, ὅτι μηδέποτ' ἀπῆν· ἔσται, ὅτι μηδέϖοτ' ἀϖέσται· ἔστιν, ὅτι ἀεί ἐστιν· οὐδὲ γὰρ ὡς ἂν ἤδη μὴ ὢν, μετὰ τῶν ϖαρῳχημένων λήγει, ἢ μετὰ τῶν ϖαρόντων ὡς ἂν μὴ μένων ῥεῖ, ἢ μετὰ τῶν μελλόντων ὡς ἂν μὴ πρότερον ὢν ἀνίσχει· ὅθεν ἐπεὶ κατὰ τὰς τῶν χρόνων περιδρομὰς ἡ ἀνθρωπίνη ποικίλλεται διάλεξις, ὁ κατὰ μηδένα χρόνον ἢ δεδυνημένος ἢ δυνάμενος ἢ δυνησόμενος ἀπεῖναι, ἀληθῶς ἔχει κατηγορούμενα πάντων τῶν χρόνων τὰ ῥήματα· ἀεὶ τοίνυν ἀκούει τὸ ϖνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀεὶ γὰρ οἶδεν· ὥστε καὶ οἶδε, καὶ ᾔδει, καὶ εἴσεται· καὶ διὰ τοῦτο ἀκήκοε, καὶ ἀκούει, καὶ ἀκούσεται· ἐπεὶ καθὼς ἔφαμεν ἤδη, τοῦτ' ἐστὶν ἐκείνῳ τὸ ἀκούειν ὅπερ τὸ εἰδέναι, καὶ τὸ εἰδέναι ὅϖερ τὸ εἶναι· ϖαρ' ἐκεί-

νου τοίνυν ἀκήκοεν, ἀκούει, ἀκούσεται, παρ' οὗ ἐστί· παρ' ἐκείνου ἐστὶ, παρ' οὗ ἐκπορεύεται.

ιη'. Ἐνταῦθα τοίνυν ἴσως ζητεῖ τις, πότερον καὶ παρὰ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον 1)· ὁ γὰρ υἱὸς μόνον τοῦ πατρός ἐστιν υἱός· καὶ ὁ πατὴρ μόνον τοῦ υἱοῦ πατήρ ἐστι· τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐ θατέρου τούτων μόνον ἐστὶ πνεῦμα, ἀλλ' ἀμφοτέρων· ἔχεις αὐτὸν τὸν κύριον λέγοντα· οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστὲ οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν· ἔχεις καὶ τὸν ἀπόστολον· ἀπέστειλεν ὁ θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας ἡμῶν· ἀλλ' ἆρα μὴ δύο εἰσὶν, ἕτερον τὸ τοῦ πατρὸς πνεῦμα, καὶ ἕτερον τὸ τοῦ υἱοῦ; μὴ γένοιτο· ἓν γὰρ εἰπὼν σῶμα ὅτε τὴν ἐκκλησίαν ἐδήλου, εὐθὺς προστίθησι καὶ ἓν πνεῦμα· καὶ θεάσασθε πῶς ἐκεῖ συμπληροῖ τὴν τριάδα· ὥσπερ ἐκλήθητε φησὶν ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ὑμῶν, εἷς κύριος· ἐνταῦθα σαφῶς τὸν Χριστὸν νοεῖσθαι ἠθέλησε· λείπεται λοιπὸν ὀνομάσαι καὶ τὸ πνεῦμα· ἐπάγει τοίνυν· μία πίστις, ἓν βάπτισμα. εἷς θεὸς καὶ πατὴρ πάντων, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ ἐν πᾶσιν· ἐπεὶ τοίνυν ὥσπερ εἷς πατὴρ, καὶ εἷς κύριος, τουτέστιν υἱὸς, οὕτως ἐστὶ καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον, ἀναμφιβόλως ἀμφοτέρων ἐστίν· ὅτ' ἂν αὐτὸς μὲν ὁ Χριστὸς Ἰησοῦς λέγῃ, τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν· ὁ δὲ ἀπόστολος λέγῃ, ἀπέστειλεν ὁ θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας ἡμῶν· ἔχεις ἑτέρωθι τὸν αὐτὸν ἀπόστολον λέγοντα· εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν οὐκ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν· ἐνταῦθα πάντως τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς νοεῖσθαι ἠθέλησεν· ἀλλ' ὅμως ἐν ἑτέρῳ τόπῳ περὶ τούτου φησίν· εἰ δέ τις πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει, οὗτος οὐκ ἔστιν αὐτοῦ· πολλαὶ δὲ καὶ ἕτεραι εἰσὶ μαρτυρίαι, δι' ὧν ἀριδήλως δείκνυται τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ εἶναι τὸ πνεῦμα, ὅπερ ἐν τῇ τριάδι λέγεται πνεῦμα ἅγιον. (f. 89. a.)

ιθ'. Καὶ οὐ δι' ἕτερον δὲ νομίζω πνεῦμα ἅγιον τοῦτο κεκλῆσθαι, ὅπερ καὶ ἐφ' ἑκάστου ἐρωτώμενοι, οὐ δυνησόμεθα μὴ καὶ τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν εἰπεῖν πνεῦμα· πνεῦμα γάρ ἐστιν ὁ θεὸς, τουτέστιν οὐ σῶμα ἐστὶν ὁ θεὸς ἀλλα πνεῦμα· ὃ τοίνυν κοινῶς καὶ ἑκάτερος καλοῦνται, ἰδίως τοῦτο ἔδει καλεῖσθαι ἐκεῖνο ὅπερ οὐ θατέρου τούτων ἐστὶν, ἀλλ' ἐν ᾧ φαίνεται τὸ κοινὸν ἀμφοτέρων· διὰ τί τοίνυν μὴ πιστεύσομεν καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐπεὶ καὶ τοῦ υἱοῦ ἐστιν αὐτὸ πνεῦμα; εἰ γὰρ μὴ παρ' αὐτοῦ ἐξεπορεύετο οὐκ ἂν μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἑαυτὸν ἐμφανίζων τοῖς μαθηταῖς ἐνεφύσησεν λέγων, λάβετε πνεῦμα ἅγιον· τί γὰρ ἕτερον ἐδηλοῦτο δι' ἐκείνου τοῦ ἐμφυσήματος, εἰ μὴ ὅτι καὶ παρ' ἐκείνου τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται; πρὸς τοῦτο δ' ἀνήκει κἀκεῖνο ὅπερ φησὶ περὶ τῆς αἱμοῤῥούσης γυναικός· ἥψατό μου τίς· ἐγὼ γὰρ ἔγνων δύναμιν ἐξελθοῦσαν ἐξ ἐμοῦ· τὸ γὰρ τῷ ὀνόματι

1) Sequitur iam Augustini de processione Spiritus sancti etiam a Filio nobilissimus tractus, quem ab ore quoque graeco, et quidem schismatico Planude monacho, recitatum delectat audire. Immo et eiusmodi alii paris ponderis tractus in sequentibus proferentur.

τῆς δυνάμεως καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καλεῖσθαι, δῆλον ἐξ ὧν ὁ ἄγγελος τῇ Μαρίᾳ λεγούσῃ, κατὰ τί γνώσομαι τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω, ἀπεκρίνατο· πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπί σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι· ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὁ κύριος ὑπισχνούμενος αὐτὸ τοῖς μαθηταῖς φησίν· ὑμεῖς δὲ καθίσατε ἐν τῇ πόλει Ἱερουσαλὴμ, ἕως ἂν ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους· καὶ πάλιν, λήψεσθε φησὶ δύναμιν ἐπέλθοντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ᾽ ὑμᾶς, καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες· περὶ ταύτης τοίνυν τῆς δυνάμεως πιστευτέον τὸν εὐαγγελιστὴν λέγειν· δύναμις παρ᾽ αὐτοῦ ἐξήρχετο, καὶ ἰᾶτο πάντας.

l. 89. b. κ΄. Εἰ τοίνυν καὶ παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ παρὰ τοῦ υἱοῦ τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται πνεῦμα, τίνος χάριν ὁ υἱὸς εἴρηκε, παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται; πάντως ὃν τρόπον εἴωθεν ἀναφέρειν πρὸς τὸν πατέρα καὶ τὰ ἑαυτοῦ, παρ᾽ οὗ καὶ αὐτός ἐστιν· ὅθεν κἀκεῖνό ἐστιν ὅ φησιν· ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἔστιν ἐμὴ, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρός· εἰ τοίνυν κἀνταῦθα νοεῖται καὶ αὐτοῦ ἡ διδασκαλία, καί τοι ταύτην οὐχ ἑαυτοῦ ἀλλὰ τοῦ πατρὸς εἶναι φήσαντος, πῶς οὐ μᾶλλον κἀκεῖ δεῖ νοεῖν καὶ παρ᾽ αὐτοῦ ἐκπορεύεσθαι, ὡς μὴ λέγειν καὶ παρ᾽ ἐμοῦ μὴ ἐκπορεύεσθαι, παρ᾽ οὗ δὲ ἔχει ὁ υἱὸς τὸ εἶναι θεός; ἔστι γὰρ θεὸς ἐκ θεοῦ, παρ᾽ αὐτοῦ ἔχει πάντως τὸ καὶ παρ᾽ αὐτοῦ ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

κα΄. Ἐνταῦθα ὁπωσοῦν κἀκεῖνο νοεῖται, ὡς δυνατὸν παρὰ τῶν οἷοι ἡμεῖς νοεῖσθαι, πῶς οὐ μᾶλλον γεννᾶσθαι, ἀλλ᾽ ἐκπορεύεσθαι λέγεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· εἰ γὰρ καὶ τοῦτο υἱὸς ἐλέγετο, ἀμφοτέρων ἂν υἱὸς ἐλέγετο, ὅπερ ἀνοήτατόν ἐστιν· ὁ γὰρ υἱὸς δύο οὐκ ἂν εἴη τινῶν πλὴν τοῦ πατρὸς καὶ τῆς μητρός· ἀπείη δὲ τοιοῦτόν τι μεταξὺ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, καὶ τοῦ θεοῦ καὶ υἱοῦ ἡμᾶς ὑποπτεύειν· ἐπεὶ καὶ ὁ υἱὸς τῶν ἀνθρώπων οὐχ ἅμα ἐκ τοῦ πατρὸς πρόεισι καὶ τῆς μητρός· ἀλλ᾽ ὅτ᾽ ἂν εἰς τὴν μητέρα προΐῃ ἐκ τοῦ πατρὸς, οὔπω πρόεισιν ἐκ τῆς μητρός· καὶ ὅτ᾽ ἂν εἰς τοῦτο φῶς ἐκ τῆς μητρὸς προέρχηται, οὐ τότε προέρχεται καὶ ἐκ τοῦ πατρός· τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται εἰς τὸν υἱὸν 1), κἂν τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται πρὸς τὸ ἁγιάζειν τὴν κτίσιν, ἀλλ᾽ ὁμοῦ ἐξ ἀμφοτέρων ἐκπορεύεται, εἰ καὶ ὁ πατὴρ τοῦτο δέδωκε τῷ υἱῷ, ἵν᾽ ὥσπερ ἐξ αὐτοῦ, οὕτω καὶ ἐξ ἐκείνου ἐκπορεύηται· οὐδὲ γὰρ δυνάμεθα λέγειν, μὴ εἶναι ζωὴν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐπεὶ καὶ ὁ πατὴρ ζωή ἐστι, καὶ ὁ υἱός· καὶ διὰ τοῦτο ὥσπερ ὁ πατὴρ ζωὴν ἔχων ἐν ἑαυτῷ, ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκε ζωὴν ἐκπορεύεσθαι καὶ ἐξ ἐκείνου, ὥσπερ ἐκπορεύεται καὶ ἐξ αὐτοῦ.

Tract. X. κβ΄. Ἐφεξῆς εἰσὶ ῥήματα τοῦ κυρίου λέγοντος, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν· ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν· ἐκεῖνος με δοξάσει· οὕτω δυνατὸν τοῦτο νοεῖσθαι· ὅτι καθημέραν τὴν ἀγάπην

1) Hinc vides illud Graecorum *a patre per filium*, non ita esse intelligendum, ut spiritus a patre in filium, moxque ex hoc etiam procedat; sed simul ex utroque procedere, tamquam ex uno principio, credendum esse cum Augustino. Et sic definitum cum Graecis in oecumenico florentino fuit.

ἐν ταῖς τῶν πιστευόντων καρδίαις ἐκχέον, πνευματικοὺς τε ποιοῦν, φανερὰν τούτοις ποιήσει τὴν τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα ἰσότητα· ὃν κατὰ τὴν σάρκα καὶ μόνον ᾔδεσαν πρότερον, καὶ ἄνθρωπον μόνον, ὡς ἂν ἄνθρωποι ἐλογίζοντο· ἢ καὶ τοῦτ' ἀληθῶς, ὅτι διὰ τῆς ἀγάπης παῤῥησίας πλησθέντες, καὶ τὸν φόβον ἀπωσάμενοι, τοῖς ἀνθρώποις ἀνάγγειλαν τὸν Χριστόν· καὶ οὕτως ἡ ἐκείνου φήμη εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐκκέχυται· καὶ οὕτω λέγων, ἐκεῖνος με δοξάσει, ὅμοιον φησὶν ὥσπερ ἂν εἰ ἔλεγεν· ἐκεῖνος ἀφελῶν τὸν φόβον, παρέξεται τὴν ἀγάπην, δι' ἣν με θερμότερον κηρύττοντες, καθ' ὅλον τὸν κόσμον τῆς ἐμῆς δόξης διαδώσετε τὴν ὀσμὴν, βεβαιώσετε τὴν τιμήν· ὃ γὰρ ἐκεῖνοι πράττειν ἔμελλον ἐν ἁγίῳ πνεύματι, τοῦτο φησὶν ὅτι πράξει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· οἷον ἐστὶ κἀκεῖνο· οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν· τὸ γὰρ ἑλληνικὸν ῥῆμα, τὸ, δοξάσει οἱ f. 90. a.
μὲν τῶν λατίνων ἑρμηνέων κλαριφικάμπιτ, οἱ δὲ γλοριφικάμπιτ ἐν ταῖς ἑαυτῶν ἑρμηνείαις ἐξέδωκαν· ὃ γὰρ ἑλληνικῶς λέγεται δόξα, ὅθεν καὶ τὸ δοξάσει λέγεται ῥῆμα, καὶ κλάριτας καὶ γλόρια ἑρμηνεύεται· καὶ γὰρ τῇ τε γλορίᾳ γίνεταί τις κλάρους, καὶ τῇ κλαριτάτε γλοριόσους· κἀντεῦθεν ταυτὸ δι' ἑκατέρου δηλοῦται ῥήματος· καὶ γὰρ ὥσπερ καὶ οἱ ἀρχαῖοι τῆς λατινικῆς γλώσσης λαμπρότεροι ἡγεμόνες ὡρίσαντο, γλόρια ἐστὶ συνεχὴς μετ' ἐπαίνου περί τινος φήμη· ἥτις ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ περὶ τοῦ Χριστοῦ κηρυχθεῖσα, δῆλον ὡς οὐ μέγά τι συνεισήνεγκε τῷ Χριστῷ, ἀλλὰ τῷ κόσμῳ· τὸ γὰρ ἐπαινεῖν τἀγαθὸν, οὐ τῷ ἐπαινουμένῳ, ἀλλὰ τοῖς ἐπαινοῦσι λυσιτελεῖ.

κγ'. Ἐν τούτῳ δὲ τῷ τόπῳ οὐδὲν δεῖ λέγειν περὶ τὸν Χριστὸν ὑβριζόντων ἢ βλασφημούντων, ἐπεὶ περὶ τῆς ἐκείνου δόξης διαλεγόμεθα, καθ' ἣν δεδόξασται ἐν τῷ κόσμῳ· οὐ γὰρ ἐδόξασε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸν Χριστὸν ἀληθεῖ δόξῃ, εἰ μὴ ἐν μόνῃ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ· ἀλλαχοῦ γὰρ, ἤτοι παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς, ἢ παρά τισι τῶν ἀσεβῶν, ἀληθῆ δόξαν εἶναι περὶ ἐκείνου ἀδύνατον, ἢ συνεχῆ εἶναι περὶ ἐκείνου φήμην μετὰ ἐπαίνου· ἀληθὴς δὲ ἐκείνου δόξα ἐν τῇ καθολικῇ ἐστὶν ἐκκλησίᾳ· οὕτω δὲ καὶ ὁ προφήτης ψάλλει· ὑψώθητι ἐπὶ τοὺς οὐρανοὺς ὁ θεὸς, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν ἡ δόξα σου· ἐπεὶ τοίνυν μετὰ τὴν ὕψωσιν αὐτοῦ ἔμελλεν ἥξειν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ τοῦτον δοξάσειν, καὶ ὁ ἱερὸς ψαλμὸς καὶ αὐτὸς ὁ μονογενὴς προεῖπεν ἐσόμενον, ὃ πεπληρωμένον ὁρῶμεν· ὃ δὲ εἴρηκεν, ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν, ὀρθοδόξοις ὠσὶν ἀκούετε, ὀρθοδόξοις διανοίαις νοεῖτε· οὐ γὰρ ὥσπέρ τινες ᾠήθησαν τῶν αἱρετικῶν, ἔλαττόν ἐστι τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὡς ἂν τοῦ μὲν υἱοῦ λαμβάνοντος παρὰ τοῦ πατρὸς, τοῦ δὲ ἁγίου πνεύματος παρὰ τοῦ υἱοῦ, βαθμοῖς τε φύσεων· ἀπείη τοῦτο λέγειν· ἀπείη χριστιανῶν καρδίας τοιαῦτα λογίζεσθαι.

Sequebatur in codice graeca interpretatio homiliae XXVI. S. Gregorii PP. usque ad n. 7. Atque hinc cognoscimus, sicut per Zachariam papam dialogos Gregorii, ita per alios postea alia eiusdem scripta in graecum conversa fuisse sermonem.

CLXXXIV. *Sancti Augustini testimonia de processione Spiritus sancti etiam a Filio, in libris de Trinitate, fideliter a Planude monacho graece expressa.*

Ex lat. libro III. de Trinitate n. 29, sic Planudes in codice vat. XXVI. fol. 60. b.

α'. Οὐ μέντοι δυνάμεθα λέγειν ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐχὶ καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται· οὐδὲ γὰρ μάτην τὸ αὐτὸ πνεῦμα καὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ πνεῦμα λέγεται· οὔτε μὴν συνορῶ τί ποτε ἕτερον σημάναι ἠβούλετο ἡνίκα ἐμφυσήσας εἰς τὸ πρόσωπον τῶν μαθητῶν εἶπε· λάβετε πνεῦμα ἅγιον· οὐδὲ γὰρ τὸ σωματικὸν ἐκεῖνο ἐμφύσημα σὺν αἰσθήσει τοῦ σωματικῶς θυγγάνειν προϊὸν ἐκ τοῦ στόματος, ἡ οὐσία τοῦ ἁγίου πνεύματος ἦν, ἀλλ' ἔνδειξις διὰ καταλλήλου δηλώσεως, μὴ μόνον ἐκ τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· τίς γὰρ ἂν ἀτοπώτατος φήσειεν, ἕτερον μὲν εἶναι ὅπερ ἐμφυσήσας δέδωκεν, ἕτερον δὲ ὁ μετὰ τὴν ἀνάληψιν αὐτοῦ πέπομφεν; ἓν γὰρ πνεῦμα ἐστὶ τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ, τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ ἐνεργοῦν πάντα ἐν ἡμῖν· ἀλλὰ τὸ δὶς δοθῆναι, οἰκονομίας ὡς ἀληθῶς δήλωσις γέγονε περὶ ἧς ἐν οἰκείῳ τόπῳ, ὅσον ἂν ὁ θεὸς δοίη διασαφήσομεν. Καὶ ὅπερ φησὶν ὁ κύριος· ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρὸς, δείκνυσι τὸ πνεῦμα καὶ τοῦ πατρὸς ὂν καὶ τοῦ υἱοῦ· καὶ γὰρ καὶ εἰπὼν, ὃν πέμψει ὁ πατὴρ, προσέθηκεν ἐν τῷ ὀνόματί μου· οὐ μέντοι εἶπεν ὃν πέμψει ὁ πατὴρ παρ' ἐμοῦ· ὃν τρόπον εἶπεν ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρός· δεικνὺς δηλαδὴ ὡς ὅλης τῆς θειότητος, ἢ εἰ βέλτιον φᾶναι, τῆς θεότητος, ὁ πατήρ ἐστιν ἀρχή· τὸ τοίνυν ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ τοῦ υἱοῦ, πρὸς ἐκεῖνον ἀναφέρεται ἐξ οὗ ἐγεννήθη ὁ υἱός.

Ex libro V. n. 15. sic Planudes in eodem codice vaticano f. 69. b.

β'. Εἰ τοίνυν καὶ τὸ διδόμενον, ἀρχὴν ἔχει τὸν παρ' οὗ δίδοται, οὐδὲ γὰρ ἀλλαχόθεν ἔλαβεν τὸ ἐξ αὐτοῦ ἐκπορευόμενον, ὁμολογητέον τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν ἀρχὴν εἶναι τοῦ ἁγίου πνεύματος· οὐ δύο ἀρχὰς, ἀλλ' ὡς ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς εἷς θεὸς, οὕτως ἀναφορικῶς πρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον μία ἀρχή· ὥσπερ εἷς δημιουργὸς, καὶ εἷς κύριος.

Ex libro XV. n. 45. sic idem Planudes in eodem codice f. 192. b.

γ'. Πολλαῖς τῶν θείων λογίων μαρτυρίαις ἀποδείκνυται τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ εἶναι τὸ πνεῦμα, τὸ κυρίως ἐν τῇ τριάδι λεγόμενον πνεῦμα ἅγιον· περὶ οὗ ἔτι ὁ αὐτός φησιν υἱὸς, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρός· καὶ ἀλλαχοῦ· ὃν πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου· ἐξ ἑκατέρου δὲ προϊέναι αὐτὸ, οὕτως διδασκόμεθα, ὅτι αὐτὸς ὁ υἱός φησιν, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται.

Ex eodem libro n. 47. Cod. fol. 193. b.

δ'. Ἆρ' οὖν δυνάμεθα ζητεῖν, πότερον ἤδη προεληλύθει ἐκ τοῦ πατρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἡνίκα ἐγεννήθη ὁ υἱός; ἢ μήπω προεληλύθει, κἀκείνου γεννηθέντος, ἐξ ἀμφοῖν προελήλυθεν, ἔνθα μηδείς ἐστι χρόνος;—Ἔνθέν τοι

ὁ δυνάμενος νοεῖν δίχα χρόνου καὶ τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐξ ἀμφοῖν πρόοδον. - Νοείτω καὶ ὡς ὁ πατὴρ ἔχει ἐν ἑαυτῷ ὡς ἐξ ἐκείνου προϊέναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὕτω δεδωκέναι καὶ τῷ υἱῷ ὡς ἐξ ἐκείνου προϊέναι τὸ αὐτῷ πνεῦμα ἅγιον· καὶ ἑκάτερον ἀχρόνως· καὶ οὕτως εἰρῆσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς προϊέναι, ὡς νοεῖσθαι τὸ προϊὸν καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ, ἐκ τοῦ πατρὸς εἶναι καὶ τοῦ υἱοῦ· εἰ γὰρ ὅτί ποτε ἔχει, ἐκ τοῦ πατρὸς ἔχει ὁ υἱὸς, ἐκ τοῦ πατρὸς ἔχει πάντως καὶ τὸ ἐξ ἐκείνου προϊέναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. - Τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ τὸ εἶναι παρέχεται, δίχα τινὸς ἀρχῆς χρόνου, δίχα τι- f. 191. a
νος μεταβολῆς φύσεως ἡ ἐξ ἀμφοῖν πρόοδος. - Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς ἀρχικῶς· καὶ αὐτὸ δίχα τινος διαστήματος χρόνου, κοινῶς ἐξ ἀμφοῖν πρόεισιν. - Οὐκ ἄρα ἐξ ἑκατέρου γεγέννηται, ἀλλὰ πρόεισιν ἐξ ἑκατέρου ἀμφοῖν τὸ πνεῦμα. - Περὶ τοῦδε τοῦ πράγματος ἔν τινι λόγῳ (tract. 99. in Ioh.) πρὸς τὰς ἀκοὰς τοῦ χριστωνύμου λαοῦ προφέροντες ἔφημεν· πρὸς γὰρ τοῖς ἄλλοις διὰ τῆς τῶν ἱερῶν γραφῶν μαρτυρίας διδάξας ἐξ ἑκατέρου προϊέναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τί δήποτε ὁ υἱὸς εἶπεν, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται; τί δήποτε; εἰ μὴ ὃν τρόπον εἴωθε πρὸς αὐτὸν ἀναφέρειν καὶ ὅπερ αὐτοῦ ἐστι, καὶ παρ' οὗ αὐτός ἐστιν· ὅθεν κακεῖνο ἐστιν· ὅπερ εἴρηκεν· ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἔστιν ἐμὴ, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με· εἰ τοίνυν ἐνταῦθα νοεῖται αὐτοῦ ἡ διδαχὴ, ἣν οὐχ ἑαυτοῦ φησιν ἀλλὰ τοῦ πατρὸς, πολλῷ μᾶλλον κἀκεῖ νοητέον καὶ ἐξ αὐτοῦ προϊέναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἔνθα οὕτω φησὶν ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, ὡς μὴ λέγειν ἐξ ἐμοῦ δὲ οὐκ ἐκπορεύεται· παρ' οὗ δὲ ἔχει ὁ υἱὸς τὸ εἶναι θεὸς, ἐκ θεοῦ γὰρ θεὸς, παρ' ἐκείνου ἔχει πάντως καὶ τὸ ἐξ ἐκείνου προϊέναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· διὰ ταῦτα δὲ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὡς καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ προΐεται, ὥσπερ ἐκ τοῦ πατρὸς πρόεισιν, ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς ἔχει. - Τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὔκουν ἐκ τοῦ πατρὸς πρόεισιν εἰς τὸν υἱὸν, κἀκ τοῦ υἱοῦ πρόεισιν ἐπὶ τὸ ἁγιάζειν τὴν κτίσιν, ἀλλ' ὁμοῦ ἐξ ἑκατέρου πρόεισιν· εἰ καὶ τοῦτο ὁ πατὴρ δέδωκε τῷ υἱῷ, ἵνα ὥσπερ ἐξ αὐτοῦ, οὕτω καὶ ἐξ ἐκείνου προέρχοιτο· καὶ διὰ ταῦτα ὥσπερ ὁ πατὴρ ἔχων ζωὴν ἐν αὐτῷ, δέδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως αὐτῷ δέδωκε ζωὴν προϊέναι ἐξ ἐκείνου, καθάπερ πρόεισιν ἐξ αὐτοῦ. Τοῦτ' ἐξ ἐκείνου τοῦ λόγου πρὸς τόδε τὸ βιβλίον μετήνεγκον.

CLXXXV. Ex libro de vera religione, specimen interpretationis Prochori monachi cydonii, in codice vat. 1906. f. 149. (Text. lat. n. 1. et 2.)

έ. Ἐπειδὴ πᾶσα ζωῆς ἀγαθῆς καὶ μακαρίας ὁδὸς ἐν τῇ ἀληθινῇ θρησκείᾳ καθέστηκεν, ἐν ᾗ θεὸς εἷς λατρεύεται, καὶ καθαρωτάτῃ εὐσεβείᾳ διαγινώσκεται πασῶν ἀρχὴ φύσεων, ἀφ' οὗ πᾶσα ὁλότης τήν τε ἀρχὴν ἴσχει καὶ τελειοῦται καὶ συνέχεται, διὰ τοῦτο ἐναργέστερον ἡ πλάνη κατάφορος γίνεται τῶν ἑλομένων δήμων πολλοὺς νομίζειν θεοὺς, ἢ θεὸν ἕνα ἀληθῆ καὶ

κύριον πάντων· ὅτι περ οἱ κατ' αὐτοὺς σοφοὶ, οὓς φιλοσόφους καλοῦσι, τὰς μὲν σχολὰς εἶχον ἀσυμφώνους τοῖς ἱερεῦσι, κοινὰ δὲ τὰ ἱερά· οὐδὲ γὰρ ἢ τοὺς φιλοσόφους ἢ τοὺς ἱερέας ἐλελήθει, ὅτι τῆς τῶν ἰδίων περὶ θεῶν φύσεως διάφορα φρονοῖεν, ἑκάστου τὴν ἰδίαν δόξαν ὁμολογεῖν οὐκ ἀποδειλιῶντος μετὰ παῤῥησίας, ἀλλὰ καὶ πάντας ἐπιχειροῦντος πείθειν εἰ οἷον τε· καὶ ὅμως πάντες μετὰ τῶν σφετέρων αἱρεσιωτῶν διάφορα φρονούντων τοῖς ἱερεῦσιν, εἰς τὰ δημόσια ἐφοίτων ἱερὰ, οὐδενὸς εἴργοντος. Τούτων οὕτως ἐχόντων, οὐ τίς ἐκείνων ἀληθέστερον ἐφρόνησεν, ἄρτι τὴν πραγματείαν ποιούμεθα· ἅλις δὲ βέβαιον καταφαίνεται, τό γε μοι δοκοῦν, ἄλλο μὲν ἐκείνους μετὰ τοῦ δήμου δέξασθαι εἰς θρησκείαν, ἄλλο δὲ προΐστασθαι ἰδίᾳ, αὐτοῦ τοῦ δήμου πολλάκις ἀκροωμένου. Ὁ γοῦν δὲ Σωκράτης αὐθαδέστερος τῶν ἄλλων γενέσθαι μαρτυρεῖται, κατὰ κυνὸς ὀμνὺς ὁτουοῦν καὶ λίθου παντὸς καὶ ὅ τί ποτε ὀμώσοντι σχέδιον ἀπήντα καὶ πρόχειρον· οἶμαι τῆς φύσεως ἅττα δήποτε ἔργα, τῆς θείας συναιρομένης προνοίας γινόμενα, νομίζων κρείττω τῶν ἀνθρωπείων καὶ τῶν ὑφ' ἑκάστου δημιουργουμένων· διὸ καὶ θείας ἀξιώτατα τιμῆς τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς θρησκευομένων κ. τ. λ.

Text. lat. n. 12. In eodem codice f. 154. b.

ϛ'. Δι' ἣν αἰτίαν, ἐπειδὴ πρὸ ὀλίγων ἐτῶν ἐπηγγειλάμην σοι γράφειν, ἀγαπητὲ Ῥωμανιανὲ, περὶ τῆς ἀληθοῦς θρησκείας τί δήποτε φρονοίην, καιρὸν εἶναι νῦν οἰηθεὶς ἀποκρίνασθαι, μετὰ τὸ σὰς δρυμιτάτας ἐρωτήσεις ῥοθίων δίκην ἀενάως φέρεσθαι, σὺν τῇ αὐτῇ ἀγάπῃ ᾗ σοι συντέτηκα, περατέρω κατέχειν ἐμαυτὸν μὴ δυνάμενος, ἐρῶ πᾶν ὅ τι φρονεῖν παρίσταταί μοι· χαίρειν τοίνυν ἐωμένων πάντων τῶν ἢ ἐν τοῖς ἱεροῖς μὴ φιλοσοφούντων, ἢ ἐν τῇ φιλοσοφίᾳ μὴ συμφρονούντων, καὶ τῶν ἢ διεστραμμένῃ δόξῃ, ἢ τινὶ ἀπλοϊκότητι ὑπερηφανευομένων, καὶ τῶν ἱερῶν παρατρεπομένων κανόνων, καὶ τῆς κοινωνίας τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν τὸ φῶς τῶν ἰδίων γραφῶν, τὴν χάριν τοῦ πνευματικοῦ λαοῦ, ὃ καινὴ διαθήκη καλεῖται, ἔχειν μὴ θελησάντων, οὓς ὅση δύναμις συνελὼν ἔφην, ἀνθεκτέον τῆς χριστιανικῆς θρησκείας, καὶ τῆς κοινωνίας τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας, ἥτις ἐστί τε καὶ ὀνομάζεται καθολικὴ, οὐ μόνον παρὰ τῶν ἰδίων, ἀλλὰ καὶ παρὰ τῶν ἐχθρῶν· ἑκόντες γὰρ καὶ ἄκοντες αὐτοί τε οἱ αἱρετικοὶ οὕτω προσαγορεύουσιν, ἐπειδὰν οὐ μετὰ τῶν ἰδίων, ἀλλὰ μετὰ τῶν ἀλλοτρίων διαλέγονται· καὶ οἱ τῶν σχισμάτων τροφεῖς τὴν καθολικὴν, οὐδὲν ἄλλο καθολικὴν καλοῦντες· οὐ γὰρ ἑτέρως δύνανται νοεῖσθαι, εἰ μὴ τῷδε τῷ ὀνόματι διακρίνοιεν, ᾧ παρὰ πάσης τῆς οἰκουμένης ὀνομάζεται. κ. τ. λ.

DE COLLECTORIO SERMONUM SANCTI AUGUSTINI

AUCTORE

ROBERTO DE BARDIS.

1. *Inter eos qui paulo ante typographicam artem inventam, de divo Augustino bene meriti sunt, principem sine dubio locum tenent itali duo, Robertus de Bardis florentinus, ac Bartholomaeus urbinas civis et episcopus. Sed de Bartholomaeo in praefatione diximus; nunc de Roberto loquendum est, saeculo quarto decimo academiae parisiensis cancellario, a quo sermonum beatissimi patris ingens illa congeries coacervata fuit, et in quinque partes distributa, quam Collectorii nomine inscripsit. Servatur illa in codice regio parisiensi* 2030. *(catalog. part.* 3. *tom.* 3.*) ibidemque in proximis codicibus* 2031. 2032. *prostat index alphabeticus ad idem sermonum Collectorium, auctore Iohanne Faytio abbate. Operis partitionem dabimus infra in titulo ab ipsomet Roberto scripto. (Atque haud scio an ille sit ipse codex regius, quem sub numeris* 182. *et* 428. *designat Labbeus in nova bibliotheca mss. p.* 28. *et p.* 272.*) Et quidem parisiensis ille a nobis relatus codex integrum Roberti opus continere videretur, cuius quinque partes singillatim enumerat; verumtamen ne hinc quidem res satis probatur, quandoquidem etiam vaticanus, de quo nos infra, de quinque in titulo propositis partibus duas tantum habet priores. Et praeterea mox citanda Sirmondi ac Maurinorum verba, persimilem vaticano parisiensem codicem esse demonstrant.*

2. *Primus, qui tam lauti thesauri notitiam paulo disertius vulgaverit, Iacobus Sirmondus videtur, qui in praefatione ad ·XL· novos ab se editos Augustini sermones, dum variis eos auctoritatibus ac testimoniis adprobare studet, ita scribit. « Accessit et Roberti de Bardis, cancellarii olim parisiensis, non antiquissimum quidem, sed minime contemnendum suffragium, qui annis abhinc trecentis Collectorium sermonum sancti Augustini, sic enim appellavit, singulari studio et industria condidit, universosque pro diversa ratione argumenti, quinque in partes tamquam in classes distribuit. Cuius operis cum partes duas priores in bibliotheca regia, singularum deinde omnium indicem amici operâ nactus essem ex cancellaria parisiensi, gratulatus sum ab auctore, perpaucis exceptis, qui in eius fortasse manus non pervenerant, nostros omnes in augustinianis sine controversia numerari. » Ergo omnium, id est, quinque partium nonnisi indicem ex cancellaria Sirmondus impetravit, in qua demum codicem operis integrum conservatum apparet: qui utinam vel in Sirmondi vel in alicuius φιλαυγουςίνου potestatem venisset! Utinam ipse Sirmondus indicem saltem cum erudito orbe communicasset! Nunc quinam quotve Augustini sermones tribus illis, quae sunt reliquae, partibus comprehendantur, magno sane desiderio adhuc requireremus, nisi Bartholomaeus urbinas in Milleloquio (ed. Brix.* 1734.*) T. II. col.* 1126-1149. *catalogum nobis plenum universi Collectorii exhibuisset, quem nec ipse Sirmondus apud Urbinatem agnovit, quandoquidem illum ex cancellaria parisiensi sibi accersivit. Ergo Urbinas, ut cuique Milleloquium citato in loco observanti patebit, quingentos circiter supra viginti sermones in Roberti Collectorio legebat. Interim tamen suprascriptum magni Sirmondi testimonium perhonorificum Roberto est, dum ait se ·XL· illos sermones, qui utique genuini sunt, et a Maurinis admissi, in eiusdem plerosque Collectorio comperisse descriptos. Et quidem in adnotationibus etiam praedictum utiliter Collectorium saepe memorat: repetens simul in adn. ad sermonem ·XX· se tertiae partis et sequentium Collectorii nonnisi indicem nactum fuisse; totum tamen, namque idem ad serm.* 357. *ait hunc sermonem in parte quinta Collectorii extitisse, teste indice. (Opp. S. Aug. ed. Antuerp. T. XII. p.* 553.*)*

3. *Sed enim de Roberti Collectorio aliter iudicarunt primum quidem Hieronymus Vignerius praef. ad Supplem. August. p.* 6, *qui (praeter genuinos) ὑποβολιμαίους quoque et centones in illo observabat, tum disertius Maurini patres in praef. ad T. V. operum Augustini ita scribunt*

» *Robertus de Bardis parisiensis cancellarius aliam pulchriorem ac magis ingeniosam instituerat distributionem in Collectorio, ut vocat, sermonum Augustini, numquam vulgato, quod trecentis annis abhinc retro elapsis excogitavit, iisdem sermonibus in quinque partes discretis etc. Servatur in bibliotheca regia manuscriptus unus, quo primae duae istius collectionis partes continentur, et in Colbertina codices duo, in quibus index sermonum illarum quinque partium repraesentatur. Ceterum licet Sirmondus in praefatione suorum quadraginta sermonum affirmet, in censendis approbandisque Augustini operibus minime contemnendum Roberti suffragium; tamen adulterinos sermones prope innumeros admisit, ut qui in prima Collectorii parte solos legitimos relinqueret, illam tantum non ad nihilum reduceret.* » *Ex his Maurinorum verbis cognoscimus primo, eos nonnisi priores duas Collectorii partes vidisse, id quod in elencho codicum ab se collatorum confirmant T. V. ed. Paris. part.* 2. *col.* 1525. *Quare et valde dubitandum est, num reapse tres aliae partes in Gallia supersint, quas nec ipsi nec Sirmondus viderunt, nec vaticana bibliotheca tenet. Deinde ad iudicium quod adtinet, reprehensionem suam severius mihi exaggerasse videntur, dum prope innumeros adulterinos abs Roberto admissos sermones pronunciant.*

4. *Nolo equidem pro Roberti gloria meritisque acrius certare; nam et ille infra mortuos iamdiu est, et defensio eius ad incolumitatem meam nihil pertinet. Sed tamen, considerata quam nos postea exponemus Collectorii vaticani continentia, rigidior iusto, ut puto, Vignerii et Maurinorum sententia videbitur. Esto enim quod prima pars suspectis vel non legitimis scriptis abundet; attamen haec longe brevior sequente est, quippe ultra ·XLII· sermones non assurgens; quamquam in cod. vat. aliquot pura folia in fine huius partis relicta sunt. Nihilominus in hoc numero quindecim certe sermones inter Maurinorum genuinos censentur; totidem autem inter suspectos vel reiiculos: decem denique, plus minusve, ad ineditorum vel considerandorum classem pertinent. Quo iure igitur, vel quo veritatis suffragio dici potuit, partem hanc, illegitimis scriptis subductis, tantum non ad nihilum redactum iri? Sed enim iam generaliter de codice universo loquamur. En quippe in utraque simul parte trecentos ac quadraginta circitér Augustino inscriptos sermones habemus; quorum paulo minus ducenti secundum ipsos Maurinos genuini, nonnullis dubiis exceptis, habentur; quinquaginta circiter in appendicis classe ab iis reponuntur; septuaginta denique, plus minus, ineditorum numerum constituunt; quos inter nothi complures sine dubio sunt, alii tamen auctoritatis ambiguae qui criticorum iudicio ventilandi erunt; atque ex his certus numerus inter genuinos transferendus iure meritoque videbitur. Reliqui fere ad diversos auctores ab editoribus translati fuerunt.*

5. *Severissimos se Maurinos gessisse in iudicandis discernendisque Augustini sermonibus, et ipsi aiunt, et re effectum in ipsorum celebri editione videmus, in qua (ut de solo tomo quinto loquar) ex CCCXVII. sermonibus, quos tamquam plerumque supposititios minoribus formis impresserunt, ducentos fere a se primum in appendice collocari dicunt. Censura hercle gravissima! quam nec ipsi tamen infallibilem esse fatentur, quaeque sermones interdum eventilat a nobilissimis codicibus adsertos, et antiquis ecclesiarum lectionibus paene consecratos. De re tamen tanta meum ego interponere iudicium non ausim; quamquam alibi a Maurinis sermones nonnullos graecis quoque patribus vi quasi ereptos ostendi, pro quibus vetera testimonia in medium attuli. In his ergo iudiciis, medio tutissimus ibis: namque ut amor augendi auctorum opera, ad facilem nimis indulgentiam trahit; ita praeconceptum aliquando propositum acerbioris iusto ac morosioris critices, fastidio nos implet, cribrum nimis exagitat, et plura ventis immerito transferenda permittit. Sed de his satis.*

6. *Nos ut ex hoc Collectorio fructum aliquem, qui non immerito sperandus erat, decerperemus; duarum quidem quae solae, ut diximus, in vaticano codice supersunt, partium accuratum sermonum omnium indicem scripsimus; nec levi sane labore cum maurina editione eos contulimus, ut quid certum, quid dubium, quid reiiculum essset, iuxta Maurinorum saltem auctoritatem, cognosceremus.*

Cumque ordo maurinus a vetere dispositione prorsus differat, non parum temporis ea nobis comparatio et locorum conquisitio eripuit, ut codicis sermones ad impressum librum toto caelo diversum exigeremus, ac lectoribus intento digito demonstraremus. Cuncti, ut iam monuimus, codicis 479. *sermones Augustino inscribuntur; etiam paucissimi illi, qui vel ad Maximum vel ad Alcuinum, ab horum postea editoribus temere partim, ut autumo, translati fuerunt; singuli denique ad Ambrosium, Hieronymum, atque Fulgentium. Porro ex tam ubere penu copiolas aliquot sermonum nos quoque deprompsimus, partim in superioribus tomi nostri paginis, partim vero in hac quasi tomi appendice, prout dignum fuerit, ponemus: iis tamen praetermissis sermonibus qui se nullo ferme merito commendabant.*

7. *Sed quia tam benemeriti collectoris Roberti notitiam multi ut puto requirent, en in primis verba Bartholomaei urbinatis in Milleloquio T. II. col.* 1126. « *De Augustini sermonibus dicit » venerabilis meus pater et dominus, dominus Robertus, qui nunc est cancellarius parisiensis, » et horum sermonum amator ac curiosus investigator, quod in eis et epistolis continetur maxima » theologia, et speculativa et moralis, quos ipse ad ordinem redegit valde pulchrum et utilem. » Sed ego non tot vidi quot habet ipse. Et credo sermonum eius numerum ab aliquo non haberi. » Et propterea ab Isidoro (immo a Gennadio cap.* 38.) *dicitur, quod tanta scripsit, quantà nec » inveniri possunt.* » *Hactenus Urbinas. Nunc nos subiungemus Roberti vitam brevissime a celebri historico Philippo Villanio inter alias illustrium florentinorum scriptam, et cl. I. M. Mazzuchellio cum lautis scholiis impressam* 1).

8. « *Roberto della stirpe de' Bardi tanto pienamente imparò la disciplina della naturale e morale » filosofia, che tutti i dottori di questa arte del suo tempo ha avanzati. Ultimamente rivolto alla » cognizione della teologia, trasferì il suo studio a Parigi, dove avendo già acquistato il colmo » di quella scienza, e essendo tenuto grandissimo e sottilissimo dottore, fu promosso alla cancel» leria dello studio parigino, quasi adoperandosi ciascuno, la quale governò circa anni ·XL· Fu » questo uomo memorabile di tanta perspicacia, che dopo il Maestro delle sentenze, dannò Al» berto di Cologna e Tommaso di Aquino nelle sacre lettere di trentotto erronee conclusioni, le » quali insino nel presente dì durano: e fu di tanta autorità che questa erronea dannazione » nessuno poi ha ardito in alcun passo riprovare* 2). *Questo uomo senza abito di religione, come » religioso menando vita purgatissima, e di santa vita specchio ed esempio, e nessuna cosa gli » mancò, la quale a giusto e buono uomo s' appartenga. Morì a Parigi: e quivi è seppellito » nell' anno . . .* »

9. *Lacunam videmus in Villanii textu. Dicit autem Mazzuchellius mortuum esse Robertum necessario ante annum* 1405, *quo biographus Villanius scribebat. Vir autem cl. Alfredus Reumontius Tab. chron., et synchr. hist. flor. ponit coniecturaliter Roberti obitum circa annum* 1400. *Sed reapse dimidio saeculo ante Robertus obiit. Etenim Caesar Bulaeus in parisiensis academiae historia, Parisiis anno* 1668. *edita T. IV. p.* 986. *sic ait* « *Robertus de Bardis, doctor in theo» logia, subscripsit an.* 1332. *determinationi facultatis theologiae contra sententiam Iohannis XXII. » de tarda visione beatifica. Idem anno* 1336. *factus cancellarius Universitatis. Obiit anno* 1349. *Hac authentica Bulaei narratione prorsus concidunt praedictae aliorum adfirmationes de seriore Roberti obitu. Corruit pariter Villanii, et mox Vespasiani, fabula de quadragenario Roberti cancellarii munere, quod haud ultra ·XIII· vel ·XIV· annos ab eo gestum apparet. Moritur ergo*

1) Latine scripsisse biographum Villanium, narrant Mazzuchellius praef. p. 7. sq. nec non Bandinius catalog. cod. lat. laurent. T. III. p. 347. in adn. Sed amisso latino textu, superfuit prisca italica translatio. Nuper autem anno 1826. editae sunt Florentiae a cl. Moreno latine scriptae a Villanio nostro Dantis, Petrarchae, atque Boccaccii vitae.

2) Nullâ repertâ huius rei apud historicos vel tractatores probatione, aegre huiusmodi narrationi Villanii credit Mazzuchellius; quae tamen fingi vix potuit.

Robertus anno uno ante amicum suum, et in exornando Augustino socium, Bartholomaeum urbinatem, quem anne 1350. *rebus humanis excessisse, alibi diximus.*

10. *Ex Villanio aliisve notitiam Roberti hausit cum varietate aliqua Vespasianus accuratus biographus florentinus, a nobis editus, qui in prooemio ad vitam Alexandrae de Bardis, moecenatem suum Iohannem de gente Bardorum sic alloquitur. (Spicil. rom. T. IX. p.* 594.*) «Trovasi ancora circa a' tempi di santo Tommaso d' Aquino e d' Alberto magno, che fu uno di casa vostra chiamato Ruberto de' Bardi, che fiorì nello studio di Parigi, e fu grandissimo filosofo e teologo, e fu di tanta autorità, che gli bastò la vista* 1) *per la sua maravigliosa dottrina, impugnare certi articoli di santo Tomaso e d' Alberto magno. Si prova, che chi ne fa menzione, ne dice: impugnò articoli di Tommaso d' Aquino e d' Alberto di Cologna. Che si vede che santo Tommaso non era canonizzato, ed Alberto magno non aveva ancora il titolo di magno, che l' ebbe dipoi dopo la morte sua. Venne questo Ruberto de' Bardi in tanta reputazione in detto studio di Parigi, che fu fatto cancelliere di detto studio, e resse quella cancelleria anni quaranta: e sempre è suto usanza in quello studio di fare i più singulari uomini che vi sono. Aggiunse alla sua dottrina la santità della vita, che non sendo religioso, tenne vita santissima e di maravigliosi costumi. Morì a Parigi santissimamente, e quivi è sepolto, ed ancora dura la fama sua infino al presente dì.*

11. *Codex vaticanus* 479, *in quo est Roberti Collectorium, ante medium ·XV· scriptus apparet, exactissimis litterarum formis, in membranis puris, folio maiore. Florida quaedam in fronte pictura est, cuiusmodi in sacris horis vulgo gothicis, quae in Gallia temporibus illis abundabant, cernitur. Namque et codicem in Gallia fuisse confectum, cognosco ex f.* 108, *ubi similis illi, quae sermones scripsit, manus sic in margine adnotat:* iste sermo intitulatur beato Maximo secundum librum antiquum sanctae Genovefae. *Picturae autem continentia est haec. Papa (secundum illam imaginem quam Galli Paparum avenionensium memoriâ tenebant) in sella liturgica residens, rotunda mitra ornatus in acutum desinente absque coronis. Circa Papam Cardinales cum rubris galeris tunicisque alii rubris, alii caeruleis. Adstat post Cardinales Episcoporum chorus; item clericus crucifer totus albatus, cum nobili milite seu apparitore honorariam clavam tenente. Coram concionator episcopus in suggestu. Pictura haec breviore forma repetitur ante Collectorii partem secundam.*

12. *Nunc quia in hominibus Augustino devotis versamur, patiantur quaeso lectores ut obiter litterariae historiae controversiam quandam attingam. Mabillonius in analectis T. I. p.* 12. *ed. vet. tres dicit priscos homines fecisse excerpta ex Augustini scriptis ob illustrandas Pauli apostoli epistolas, nimirum Petrum tripolitanum, Bedam, et Florum lugdunensem. Iam vero Bedam apud se latere ms. ait (sed diutius non latebit, sic spondente nunc apud Gallos doctissimo Pitra); illum vero qui editus est inter opera Bedae, contendit esse Florum; sed immerito, ut reor; est enim reapse Petrus tripolitanae in Africa provinciae abbas, prout Cassiodorus div. lit. inst. cap.* 8. *dixerat, quem Baronius, Bellarminus aliique sequuntur; et nunc duo vetusti a me observati codices vaticani* 4950, *et* 5730, *nominatim Petro tripolitano, hunc quem impressum apud Bedam legimus commentarium tribuunt; quam rem ipse conferens comperi. Si ergo qui impressus est commentarius, Petri est; et si Beda reapse apud Mabillonium ms. latebât, quid fiet de Floro? Certe iam non tres, sed duo commentatores sunt, impressus unus, latens alius. Utrum vero ex duorum numero, Petrus ne, an Beda, an Florus, eximendus sit, quaerant curiosius alii. Petrus quidem et Cassiodoro teste, et duobus codicibus vaticanis, atque uno gallicano (apud Odinum T. I. p.* 992.*) innititur. Quotquot autem Augustini excerpta sub nominibus Bedae vel Flori leguntur in maurina editione T. V. post sermones, ea ipsa sub Petri tripolitani nomine in praedictis codicibus recitantur.*

1) Locutio Vespasiano familiaris, pro *ausus est*, ut in nostra huius biographi editione videre est.

ROBERTI DE BARDIS COLLECTORIUM.

Incipit Collectorium sermonum sancti Augustini hipponensis episcopi per Robertum de Bardis cancellarium parisiensem, et sacrae paginae humilem professorem, ordinatum et compilatum ex sermonibus, quos eiusdem Sancti nomine insignitos invenit in diversis ac vetustis codicibus, in quibus erant pro magna parte dispersi. Habet autem Collectorium istud quinque partes principales.

In prima parte collecti sunt sermones de quibusdam gestis et sanctis veteris Testamenti.

In secunda de sollempnitatibus et sanctis novi Testamenti.

In tertia de verbis et scriptis veteris Testamenti.

In quarta de verbis et scriptis novi Testamenti.

In quinta de ornamentis et impedimentis ecclesiae sive fidelium, et de retributionibus ultimis bonorum et malorum.

PARS I.

f. 1. Tanta dignitas. *Est pars libri de spiritu et anima in tomo VI. editionis Antuerp. maurinae col.* 529.

f. 2. Nemo qui nesciat. *Editus in homiliario Alcuini.* f. 70. b.

f. 3. a. Sicut dixit evangelista. *Extat totus in Milleloquio T. II. col.* 560.

f. 3. b. Quid enim retribuemus Domino? *Est in margine codicis. Noster* 186.

f. 3. b. Retulit divina. *Est noster* 135.

f. 3. b. *Est in margine.* Quanta gratia Dei. *Noster* 187.

f. 4. a. Modo cum divina. *In maurina editione append.* n. 28.

f. 4. b. *marg.* Testamentum. *Fragmentum est sermonis* 3. *maurini.*

f. 4. b. Lectionis illius. *Append. maur.* 6.

f. 5. a. Notissima pietas. *Maurinus.* 2.

f. 6. b. Isaac, inquit scriptura. *Append.* 9.

f. 7. b. Expositiones sanctarum. *App.* 10.

f. 8. b. *marg.* Hesternae lectionis. *Maurinus* 4. *Ergo non omnes supposititii sunt, qui in codicis marginibus.*

f. 8. b. Quid est. *Maurinus* 4. *cap.* 13.

f. 11. b. Haec maxime. *Maurinus* 5.

f. 13. b. Quotiens vobis. *Append.* 13.

f. 14. b. In beato Iacob. *Append.* 15.

f. 15. a. De beato patriarcha. *Noster* 136. *Est etiam in cod. pal.* 430. f. 1.

f. 16. a. Audivimus in lectione. *App.* 16.

f. 16. b. Quamvis omni. *Append.* 17.

f. 17. a. Dum sacrae lectiones. *Maurinus* 6.

f. 18. b. In lectionibus. *Append.* 24.

f. 18. b. Quia sermo. *Append.* 21.

f. 19. b. Prius in fundamento. *Maurinus* 8.

f. 22. a. Quotiens lectio. *Append.* 22.

f. 23. a. Sensum nostrum. *Maurinus* 363.

f. 24. a. Hesterna die. *Append.* 25.

f. 25. a. Dominus et Deus. *Maurinus* 9.

f. 30. b. Sicut in lectione. *Est homilia octava Origenis in librum Numerorum.*

f. 31. a. Samson. *Maur. gen.*364. *Item in Milleloquio T. II. col.* 691.

f. 32. b. In scripturis divinis. *Append.* 37.

f. 33. b. Golias unus. *Est pars sermonis maurini* 32.

f. 34. a. Quotienscumque. *Est pars enarrationis in psalmum* 50.

f. 35. b. Solet fidem. *Editus tamquam Fulgentii* 75.

f. 36. a. Modo cum regnorum. *Append.* 38.

f. 36. a. Bonum est. *Noster* 188.

f. 37. a. Inter duas mulieres. *Maurinus* 10.

f. 38. b. Dominus Deus. *Maurinus* 11.

f. 39. b. De sancto Helia. *Noster* 137.

f. 40. b. Frequenter. *Append.* 44.

f. 41. a. Modo cum divina. *Append.* 45.

f. 41. b. Istum diem. *Maurinus* 300.

f. 43. a. Magnum spectaculum positum est. *Maurinus* 30.

PARS II.

Incipit secunda pars Collectorii sermonum sancti Augustini hipponensis episcopi de sanctis et sollempnitatibus novi Testamenti, et de quibusdam aliis tangentibus diversos status et personas fidelium, a primo adventu Domini usque ad consummationem saeculi.

f. 49. a. Laetitia quanta. *S. Maximi homilia I. ut placuit Maximi editoribus.*

f. 49. b. Confortamini pusillanimes. *Est in margine. Supposititius apparet.*

f. 49. b. Satis abundeque. *S. Maximi sermo I. ut placuit Maximi editoribus.*

f. 50. a. Vos inquam. *In Alcuini homiliario f.* 304. *b.*

f. 51. a. Accingimini. *Ad fratres in eremo* 19. *Est in margine.*

f. 51. b. Beatus ap. Paulus. *Est in T. VIII. ed. maur. col.* 21. *contra Iudaeos.*

f. 55. a. Debitor sum. *Contra quinque haereses T. VIII. in append. col.* 1.

f. 61. b. Legimus sanctum Moysen populo Dei. *Append.* 245.

f. 62. b. Ubique et in omni. *T. VIII. Append. col.* 53.

f. 65. a. Castissimum Mariae virginis uterum. *Append.* 195.

f. 66. a. Audivimus prophetam de nativitate. *Noster* 138.

f. 67. a. Legimus primum parentem nostrum Adam. *Noster* 186.

f. 67. b. ss. Creator et conditor noster. *Noster* 190.

f. 67. b. Homo non solum per sapientiam. *Ad fratres in eremo* 20.

f. 69. a. Clementissimus pater. *Noster* 76.

f. 69. b. Anniversaria Domini. incarnatio *Append.* 129.

f. 70. a. Verbum Patris. *Maurinus* 191.

f. 70. b. Salvator noster. *Maurinus* 369.

f. 71. a. Hodie verus sol. *S. Maximi sermo* 7, *ut huius editoribus placuit.*

f. 71. b. Hodiernus dies nativitatis Domini. *Maurinus* 196.

f. 72. a. Audite filii lucis. *Maurinus* 194.

f. 73. a. Primus homo, quo cadente omnes cecidimus. *Noster* 116.

f. 73. b. Hodie veritas de terra. *Maurin.* 92.

f. 74. a. Gaudeamus FF. *Maurinus* 186.

f. 74. b. Dominus noster Iesus qui erat. *Maurinus* 90.

f. 75. b. Natalis Domini dicitur quando. *Maurinus* 185.

f. 76. a. Natalis Domini et Salvatoris. *Maurinus* 84.

f. 76. b. Angelorum vocem. *Maurinus* 193.

f. 76. b. Quid est quod audivimus dicentem Dominum. *Maurinus* 140.

f. 77. b. Omnes qui multa verba quaeritis. *Maurinus* 118.

f. 78. a. Consulte et salubriter. *Noster* 117.

f. 78. b. Audistis FF. quemadmodum. *Append.* 128.

f. 79. b. Laudem Domini. *Maurinus* 187.

f. 80. b. Rogo vos, Fratres, ut libenti animo sermones. *Append.* 117.

f. 81. b. Filium Dei. *Maurinus* 188.

f. 82. b. Expectationem caritatis vestrae. *Maurinus* 51.

f. 89. b. D. N. I. Christus quantum animadvertere. *Maurinus* 341.

f. 9. b. Omnis qui baptismum. *Maurinus T. VI. p.* 437.

f. 94. a. Cum in sacrarum voluminibus litterarum. *Suspecti auctoris libellus in tomo VII. p.* 633. *editionis parisiensis anni* 1614.

f. 98. b. Lectionibus, canticis sermonibusque divinis. *Maurinus* 168.

f. 99. b. In omnibus scripturis Christianorum tempora. *Append.* 315.

f. 100. b. Sicut audivimus, et cantando respondimus. *Maurinus* 306.

f. 102. b. Hesterna die FF. kk. audivimus. *Prolixus, dubius.*

f. 103. a. Martyr Stephanus beatus et primus. *Maurinus* 317.

f. 103. b. Hesterno die natalem habuimus Domini. *Append.* 210.

f. 103. b. Hesterna die celebravimus natalem. *Append.* 215.

f. 104. b. Donet mihi Dominus pauca dicere. *Append.* 212.

f. 104. b. Beatissimus Stephanus quomodo fuerit. *Maurinus* 315.

f. 106. b. Gloriosissimus et in Christo beatissimus. *Maurinus* 316.

f. 107. b. Iesus filius Nave in eremo. *Maurinus.* 382.

f. 108. a. Lectio actuum ap. *Inter homilias S. Maximi* 64. *Revera in margine sic adnotatur :* iste sermo intitulatur beato Maximo secundum librum antiquum S. Genovefae.

f. 109. a. Quoniam video. *Append.* 217.

f. 110. a. Quotiens, venerandi FF. caritatem vestram. *Noster* 191.

f. 110. a. Sanctus Iohannes apostolus. *Noster* 192.

f. 110. b. Tempore quo Dominus et Salvator noster. *Noster* 193.

f. 110. b. Hodie FF. natalem illorum infantium. *Append.* 220.

f. 111. a. Credimus Iudaeis. *Append.* 219.

f. 111. b. Deceptor itaque Herodes rex illusus a Magis. *Noster* 139.

f. 112. Dies kalendarum. *Append.* 129.

f. 113. b. Quid est hoc ut octava die circumcideretur puer. *Noster* 112.

f. 114. b. Salvator noster FF. natus de patre. *Maur. dub.* 369. *Repet. ex f.* 70. *b.*

f. 115. a. Omnium quidem aures et mentes. *Maurinus* 353.

f. 115. b. Ante paucissimos dies natalem Domini. *Maurinus* 201.

f. 116. b. *In marg.* Audistis FF. kk. sanctissimos reges. *Suppositius videtur, sed non malus.*

f. 116. b. Nuper celebravimus. diem quo ex Iudaeis. *Maurinus* 199.

f. 117. a. Proxime FF. kk. *Append.* 136.

f. 118. a. Epiphaniam id est apparitionem. *Noster* 140.

118. a. Dies epiphaniorum. *Append.* 137.

f. 119. a. Post miraculum virginei. *Extat totus in Milleloquio T. I. col.* 737.

f. 119. b. Ad partum virginis adorandum *Maurinus* 200.

f. 120. b. Intelligere possumus quantam gratiam. *Append.* 135.

f. 121. a. Exultandum nobis est. *Translatus fuit ad S. Maximum serm.* 9.

f. 121. b. Meminit sanctitas vestra. *Est S. Maximi homilia.* 24.

f. 122. Sicut dies hodiernus. *Append.* 131.

f. 113. a. Sollempnitas quam hodie celebramus. *Maurinus* 373.

f. 113. b. Ante paucos dies natalem Domini. *Maurinus* 204.

f. 114. b. Domini et Salvatoris N. I. Ch. adventus. *Append.* 132.

f. 115. a. Hodierni diei per universum mundum. *Maurinus* 202.

f. 125. b. Epiphania latine manifestatio est. *Maurinus* 375.

f. 126. a. Anniversaria celebratio diei huius. *Maurinus* 374.

f. 126. b. Aperiatur hodie. *Append.* 138.

f. 127. a. Illud FF. kk. quod die tertia. *Append.* 90.

f. 127. b. Miracula quae fecit Dominus. *In Iohannem tractatus* 24.

f. 119. a. Gaudium quod mihi Dominus. *Append.* 284.

f. 119. b. Supplico FF. kk. *Append.* 285.

f. 130. a. Illa evangelica tuba quando ait Dominus. *Maurinus* 331.

f. 130. b. Modo FF. cum divina lectio. *Append.* 28.

f. 131. b. Dominus Iesus martyres suos. *Maurinus* 273.

f. 133. a. Magnum spectaculum. *Maurinus* 274. *Repetitus ex f.* 43.

f. 133. b. Oculis fidei. *Maurinus* 277.

f. 137. a. Magnum et multum mirandum spectaculum. *Maurinus* 275.

f. 137. b. In passione beati Vincentii. *Maurinus* 276.

f. 138. Verba apostoli. *Maurinus* 279.

f. 140. Exultent virgines. *Est in Alcuini homiliario f.* 296; *et post diversum initium apud nos p.* 244.

f. 140. b. Postquam impleti sunt. *Extat partim in Milleloquio T. II. col.* 556. *seq. Praeterea conferatur parisiensis editio anni* 1614. *T. X. p.* 220; *itemque in maurina editione sermo* 369. *Nobis videbatur supposititius.*

f. 141. b. Institutio sollempnitatis hodiernae. *Append.* 190.

f. 142. a. Quamvis sollempnitas festivitatis hodiernae. *Append.* 191.

f. 142. a. Cum praeclara beati Matthiae. *Editus totus in Milleloquio T. II. col.* 57.

f. 143. a. Hodiernus dies anniversaria replicatione. *Maurinus* 280.

f. 144. a. Refulget et praeminet. *Noster* 66.

f. 144. a. 142. Duarum ss. martyrum. *Maurinus* 282.

f. 144. b. Sacratissimorum dierum qui nunc venturi sunt. *Noster* 141.

f. 145. a. Observationem quadragesimae. *Maurinus* 205.

f. 145. b. Inspicienda nobis. *Maurinus* 78.

f. 146. b. Anniversario reditu quadragesimae. *Maurinus* 206.

f. 147. a. Moyses ·XL· diebus. *Append.* 144.

f. 147. a. Quoniam ieiuniorum tempus est. *Append.* 175.

f. 147. b. Rogo vos et admoneo ut in isto. *Append.* 142.

f. 148. b. In adiutorium. *Maurinus* 207.

f. 149. a. Sollempne tempus advenit, quo vestram commoneamus. *Maurinus* 208.

f. 150. 152. Sollempne tempus advenit quo de anima. *Maurinus* 209.

—— Sollempne tempus advenit quod amplius. *Maurinus* 210.

f. 151. b. Superiore dominica diximus. *Append.* 146.

f. 152. a. Dies ieiunii. *Append.* 83.

f. 152. b. Quam sit utilis. *Maurinus* 351.

f. 157. a. Paenitentes. *Maurinus* 393.

f. 157. b. Dies isti sancti sunt quos agimus. *Maurinus* 211.

f. 259. a. Hodie FF. specialiter ad competentes. *Append.* 267.

f. 159. b. *in marg.* Sunt qui existimant. *Maurinus T. VI. col.* 779.

f. 159. b. Advertit sanctitas vestra. *Inter Maximi sermones* 98.

f. 160. a. Ad eleemosynas. *Maurinus* 390.

f. 160. *in marg.* Admonet nos Dominus. *Maurinus* 389.

f. 160. b. Propitia divinitate. *Append.* 115.

f. 161. a. Tempus est ut symbolum. *Maurinus* 212.

f. 161. b. 166. Sacrosancti mysterii symbolum. *Maurinus* 215.

f. 162. b. Lectio FF. quam modo audivimus. *Maurinus* 388.

f. 163. a. Accipite regulam fidei quod symbolum dicitur. *Maurinus T. VI. col.* 399.

f. 165. b. Sacramentorum rationem. *Maurinus T. VI. col.* 405.

f. 172. a. Sacramentum symboli, quod accepistis. *Maurinus T. VI. col.* 418.

f. 175. a. Cum per sacratissimum crucis signum. *Maurinus T. VI. col.* 424.

f. 180. a. Beatus apostolus. *Maurinus* 56.

f. 182. b. Reddidistis quod. *Maurinus.* 59.

f. 183. a. Symbolum reddidistis quo breviter comprehensa. *Maurinus* 58.

f. 185. a. Ordo est aedificationis vestrae ut discatis. *Maurinus* 57.

f. 187. b. Quo studio et quo affectu. *Prolixus et praeclarus sermo de oratione, Augustino inscriptus, et in Milleloquio T. II. col.* 281. *et* 1103. *laudatus; qui tamen Augustino abiudicandus prorsus videtur. Novit particulamque dedit etiam Vignerius T. II. p.* 587. *Nos in calce sermonum posuimus n.* 201.

f. 190. a. Caelesti gratiae et spirituali pluviae. *Maurinus Tom. VI. col.* 443.

f. 192. b. Quoniam in proximo est dies. *Maurinus T. VI. col.* 448.

f. 195. a. Multa quidem dominus et Salvator. *Noster* 142.

f. 195. b. Quia hodie DD. *Noster* 143.

f. 198. a. Thalamos Mariae. *Citatur hoc initium in Milleloquio T. II. col.* 1131. *Noster autem* 168. *diversus est. Hic quidem Collectorii suppositius videtur.*
f. 198. b. Inter omnia DD. *Noster* 144.
f. 199. a. Passio Domini et Salvatoris nostri. *Noster.* 145.
f. 99. a. Cuius sanguine. *Maurinus* 218.
f. 100. a. Quis enim cognovit. *Est pars maurini* 53. *circa finem.*
f. 201. b. Passionem vel resurrectionem *Append.* 160.
f. 202. a. Merito ergo. *Noster* 146.
f. 202. b. B. Paulus ap. *Maurinus* 219.
f. 203. a. Scimus FF. et fide firmissima retinemus. *Maurinus* 220.
f. 203. a. Dicendum est cur tanta celebritate. *Maurinus* 221.
f. 203. b. Dum vos, dilectissimi, ad vigilandum. *Maurinus* 222.
f. 204. a. In libro qui. *Maurinus* 223.
f. 204. b. Sic audistis. *Maurinus* 226.
f. 204. b. Evangelii Iohannis principium. *Maurinus* 120.
f. 205. b. D. N. I. Christum factum esse hominem. *Maurinus* 119.
f. 206. a. Mundus per Dominum factus est. *Maurinus* 121.
f. 206. b. Audistis lectionem sancti evangelii. *Maurinus* 233.
f. 207. b. Resurrectio Domini nostri Iesu Christi. *Maurinus* 231.
f. 208. b. Haec est dies quam. *Noster* 88.
f. 208. b. Post laborem. *Maurinus* 228.
f. 209. a. Hodiernus dies magno sacramento. *Maurinus* 259.
f. 210. b. Resurrectionis dominicae. *Noster.* 93.
f. 212. a. *Repetitur sermo ex folio* 201. *b.* Passionem *etc.*
f. 212. b. Lux hodie clara refulsit. *Est casin. paris.* 21.
f. 213. a. Sapientissimus Salomon. *Noster* 81.
f. 213. b. Non queo FF. *Append.* 159.
f. 214. a. Gaudete FF. kk. *Append.* 163.
f. 214. b. Pascha Christi. *Append.* 168.
f. 215. a. Non minus etiam. *Noster.* 114.
f. 215. b. Sacratissimum hodie. *Noster.* 115.
f. 216. a. Hodie diem celeberrimum. *Noster.* 155.
f. 216. a. Per hos dies sicut recolit caritas vestra. *Maurinus* 240.
f. 217. a. Propria fides est. *Maurinus* 241.
f. 219. a. Resurrectio D. N. est hodie. *Maurinus* 245.
f. 220. a. Resurrectio Domini secundum omnes. *Maurinus* 234.
f. 221. a. Hesterno die lecta est ex evangelio. *Maurinus* 235.
f. 221. b. D. N. I. Ch. sicut apostolus dicit. *Maurinus* 236.
f. 222. a. Diebus hiis sanctis resurrectioni Domini dedicatis. *Maurinus* 242.
f. 223. b. Apparuit Dominus post resurctionem. *Maurinus* 116.
f. 225. a. De resurrectione Domini. *Maurinus* 237.
f. 225. b. Multis et variis modis. *Maurinus* 252.
f. 228. b. Multis modis dominus Iesus. *Maurinus* 246.
f. 229. a. Ex evangelio secundum Iohannem. *Maurinus* 244.
f. 230. a. Liberatoris nostri. *Maurinus* 251.
f. 231. b. Narratio resurrectionis Domini. nostri. *Maurinus* 243.
f. 233. a. Sicut Domino nostro cantavimus. *Maurinus* 230.
f. 233. a. Quoniam placuit. *Maurinus* 256.
f. 233. b. Animadvertimus cum apostoli epistola. *Maurinus* 361.
f. 236. b. In horto voluptatis. *Append.* 170.
f. 237. a. Audivimus evangelium quemadmodum. *Maurinus* 249.
f. 238. a. Dominus Iesus infirma mundi. *Maurinus* 250.
f. 239. a. Evangelium sancti Iohannis. *Maurinus* 253.
f. 240. a. Ne moras faciamus acturi multa. *Maurinus* 260.
f. 240. a. Digne FF. piis studiis *Append.* 161.

f. 241. a. Omnium quidem aures *Maurinus. Repetitur in codice ex fol.* 115. *Est autem Maurinus* 353.

f. 241. b. Ad omnes quidem pertinet sermo. *Noster* 89.

f. 242. a. Paschalis sollempnitas hodierna festivitate. *Append.* 172.

f. 244. a. Quaeris quae causa sit. *Est Augustini epistola* 55. *usque ad n.* 33.

f. 248. b. Huius ergo opportunitate. *Noster* 156.

f. 248. b. Ecce FF. DD. dies. *Append.* 173.

f. 249. a. Sollempnitate huius diei. *Maurinus* 265.

f. 249. a. *In marg.* D. N. I. Christus post redemptionem. *Noster* 157.

f. 250. b. Glorificatio D. N. *Noster* 44.

f. 251. a. FF. kk. hodierna die. *Est octavus inter genuinos S. Fulgentii.*

f. 251. b. Quoniam sanctam sollempnitatem *Maurinus* 270.

f. 254. a. Grata est ideo sollempnitas. *Maurinus* 378.

f. 254. a. Propter adventum Spiritus sancti. *Maurinus* 268.

f. 255. a. Adventum Spiritus sancti. *Maurinus* 269.

f. 255. b. *in marg.* FF. DD. Quadragesimum. *Est casin. paris.* 44.

f. 256. a. Martyres nomen est. *Maurinus* 286.

f. 256. b. *In marg.* Fratres kk. antiquitus. *De sancto Iohanne Baptista. Videtur supposititius* 1).

f. 257. a. Diei hodiernae festivitas. *Maurinus* 288.

f. 258. b. Diei hodiernae sollempnitas. *Maurinus* 292.

f. 261. a. Quietis et parva vox sufficit. *Maurinus* 380.

f. 264. a. Causa hodiernae. *Maurinus* 289.

f. 265. b. Quem diem celebramus hodiernum. *Maurinus* 291.

f. 266. b. Sanctus Iohan. *Maurinus* 290.

f. 267. b. Beatus Iohannes FF. kk. cuius hodie nativitatem. *Maurinus* 379.

f. 268. a. Sancti Iohannis cuius nativitatem. *Maurinus* 293.

f. 270. a. Omnibus sanum sapientibus liquet. *Maurinus* 379.

1) Dicet aliquis: nondum finis priscorum de S. Iohanne Baptista panegyricorum? Nondum, inquam; quum enim post Christum nemo maior inter homines Iohanne extiterit, nemoque idcirco pluribus et quidem annuis laudationibus in christiana ecclesia commendatus fuerit, id quod graecorum latinorumque patrum homiliae, quae tanto numero extant, demonstrant; consequens est, ut in vaticanis quoque codicibus permulta Praecursoris encomia legantur, quorum nova aliquot a sancto Augustino recitata nos quoque protulimus. Nunc vero, praeter vulgatos item a nobis in hac bibliotheca T. V. graecos duos Theodori Studitae de S. Praecursore sermones, postulat locus, ut copiosam memoremus, duobus comprehensam voluminibus mss. collectionem monumentorum de eodem S. Praecursore, quae a magno Leone Allatio (qui praeivit Paciaudio in colligendis divi eiusdem antiquitatibus) ex vaticanis plerumque codicibus hausta, conservatur adhuc in schedis vallicellianis. Ibi ergo, ut sermones praecipue nominem, extant de laudibus Praecursoris 1. Macarii philadelphiensis de illius nativitate sermo. 2. Eiusdem Macarii de eiusdem decollatione. 3. Theoduli magistri de eodem Iohanne encomium. 4. Leonis sapientis de nativitate S. Iohannis sermo. 5. Eiusdem Leonis de illiusmet decollatione sermo alius. 6. Metaphrastae de exportatione manus Praecursoris sermo. 7. Leontii presbyteri constantinopolitani de eodem S. Iohanne encomium. 8. Iohannis presbyteri Simeonaci item Praecursoris encomium. 9. Philippi Ceramitae de eiusdem divi decollatione sermo. 10. Ioh. Chrysostomi de eodem S. Iohanne sermo. 11. Eiusdem alius de eodem. 12. Theodori Studitae de Praecursoris nativitate sermo. 13. Eiusdem alius de decollatione. 14. Antipatri bostrensis de Zachariae patris silentio. 15. Metaphrastae de inventione capitis S. Iohannis. 16. Alius sermo Theodori Studitae de eadem re. 17. S. Petri Damiani laudes in S. Praecursorem, qui est sermo XXIII. in illius operum editione. 18. Andreae cretensis de Praecursoris decollatione sermo. 19. S. Sophronii encomium Praecursoris, quod nos ipsi edidimus in Spicilegii romani tomo quarto. 20. Timothei, qui in sede byzantina praecessit Cyrillo Lucari, schediasma mittentis Praecursoris et aliorum reliquias ad Italiae regem. 21. Antonii Mureti hymnus in S. Iohannem Baptistam. Mitto, ut iam dixi, liturgias, ac narrationes varias de S. Iohanne, a praedicto Allatio ibidem congestas, quarum una longissima archaico Italorum sermone scripta, vel potius exscripta, anno 1463. in pontificatu Pii II, ex codice vat. capponiano 250. Alia item narratio prolixa italice ex codice monasterii rom. S. Silvestri in capite.

f. 273. a. Cum et patriarchas. *Noster* 46.
f. 274. b. Beati Iohannis Baptistae merita. *Est* 54. *inter adscriptos S. Fulgentio.*
f. 274. b. Vox Domini in virtute. *Noster* 48.
f. 275. a. Persuasum habet. *Noster* 49.
f. 275. b. Piscatoris et persecutoris. *Append.* 205.
f. 278. a. Istum nobis diem. *Maurinus* 295.
f. 279. b. Festivitatem sanctorum patrum. *De SS. Petro et Paulo. Videtur supposititius.*
f. 280. a. Hodiernum nobis. *Maurinus* 297.
f. 281. b. Petri et Pauli. *Maurinus* 381.
f. 282. a. Debuimus quidem tantorum martyrum. *Maurinus* 298.
f. 282. b. *in marg.* FF. kk. Festum vinculae. *Videtur supposititius. Tamen dictus fuit in primordiis festi huius, ideoque priscus. Incipit ita.* Festum vinculae Petri apostoli, ut multi vestrum viderunt et audierunt, temporibus vestris inceptum est ab ecclesia celebrari etc.
f. 282. b. Expectat sanctitas vestra. *Maurinus* 318.
f. 283. a. Donet mihi D. *Maurinus* 319.
f. 283. b. *in marg.* Audistis FF. kk. quod dum produceretur venerabilis senex Sixtus ad passionem. *Videtur supposititius.*
f. 284. a. B. Laurentii M. *Maurinus* 302.
f. 286. b. Agnoscit fides vestra granum quod. *Maurinus* 305.
f. 287. a. Beati Laurentii triumphalem. *Maurinus* 304.
f. 288. a. Inter laurigeros. *Noster* 56.
f. 288. b. Adest nobis. *De assumptione B. Mariae. Supposititius. Est apud Combefisium B. C. T. VII. p.* 659.
f. 290. b. Ad interrogata. *Est pseudo-Hieronymi de assumptione B. M. editus.*
f. 290. b. Quia profundissime. *Est Fulberti apud Combefisium bibl. conc. T. VII. p.* 662. *Est item apud S. Augustinum T. VI. p.* 729.
f. 290. b. *In marg.* Ego pulvis. *De assumptione B. Mariae, ad eremitas. Videtur plane supposititius. Noster* 194.
f. 291. b. *In marg.* Hodierna festivitas. *De dormitione beatae Mariae. Videtur supposititius.*
f. 292. b. Cum sanctum evangelium legeretur. *Maurinus* 307.
f. 293. a. Propter hunc locum, quem hodie audivimus. *Maurinus* 308.
f. 293. b. *in marg.* Diximus superiore dominica. *Est inter illos qui nomen gerunt Ambrosii* 52.
f. 293. b. Adest nobis DD. optatus dies. *Append.* 194.
f. 294. b. Spiritus sanctus doceat nos. *Maurinus* 310.
f. 295. a. Sermonem a nobis debitum. *Maurinus* 309.
f. 295. b. Istum nobis festum diem. *Maurinus* 311.
f. 297. b. Sanctissimus et sollempnissimus. *Maurinus* 313.
f. 298. b. Diei tam grati. *Maurinus* 312.
f. 299. a. Admonet nos beatus apostolus. *Maurinus* 172.
f. 299. b. Quando celebramus dies fratrum defunctorum. *Maurinus* 173.
f. 300. b. Hodiernus dies, Fratres, admonet me. *Casin. rom.* 2. Item in codice vaticano 1277. *fol.* 169.
f. 301. a. Die quidem omni. *Maurinus* 383.
f. 301. b. Semper quidem me ex quo humeris *Maurinus* 340, *et casin.* 2.
f. 302. b. Deo gratias FF. *Maurinus* 360.
f. 302. b. Die sollempni sanctorum. *Maurinus* 325.
f. 303. a. Refulget. *Repetitur sermo ex folio* 144, *nempe est noster* 66.
f. 304. a. *In marg.* Audistis iam FF. kk. quod Salomon. *Noster* 195.
f. 304. a. Bona opera fidelium de sua temporali. *Maurinus* 337.
f. 305. b. Celebritas huius congregationis. *Maurinus* 336.
f. 306. a. Quando bona opera etiam quae. *Maurinus* 338.

Exposuimus laboriose ac fideliter universam codicis vaticani 479. *continentiam, id est partem primam atque secundam augustiniani Collectorii a Roberto de Bardis concinnati. Atque hinc vident lectores qualis quantusque numerus etiam illorum insit sermonum, qui in maurina editione ut certi legitimique leguntur. Non itaque tam rigido supercilio ab editoribus illis despiciendus pedibusque trahendus Robertus fuit, immo ut verius dicam, dignus profecto is erat accuratiore consideratione ac usu critico, quia non paenitendos ut puto fructus peperisset. Quidquid ergo de Roberti merito sit, quod nunc evidentissime agnoscimus, nos ipsi tamen Collectorio eius parce admodum in superioribus usi sumus. Quotiescumque enim codicem vat.* 479. *cum aliis vatt. codicibus in editionis nostrae marginibus laudamus, sciant lectores, nos sermones illos non ex Roberto, sed ex aliis sumpsisse codicibus, nec nisi tamquam adstipulantem comitisque loco codicem* 479. *appellavisse. Nam neque Sirmondus augustinianos suos ex Roberti codice, quo carebat, sumpsit; sed postea comperto eius indiculo, laetanter agnovit, suos illos apud Robertum plerosque haberi: ideoque arbitror Maurinos quoque gratulaturos fuisse, tantum sermonum a se editorum numerum apud*

eundem extare, si codicis eius evolvendi copia vel otium fuisset. Item quoties nos in suprascripto Collectorii conspectu ac tabula scribimus NOSTER, *nonnisi eo sensu dicimus, quod ille sermo in nostra nunc editione sit; quamquam saepe ex aliis per nos codicibus derivatus. Sermones autem quos ex uno Collectorio hausimus sunt a* 135. *ad* 157, *praetereaque* 109. 115. 161. *Nunc tamen nonnullos alios ex Roberto mutuari placet, iisque reliquas paginas quasi coronide occupare.*

CLXXXVI. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE PECCATO PRIMI HOMINIS.

1. Quid enim retribuemus Domino pro omnibus bonis quae retribuit nobis? Ille nos per ineffabilem clementiam suam fecit aeternaliter bene vivere, absque ullius miseriae cognitione, si tamen praecepta eius primus homo observasset in paradiso. Sed quia suadente diabolo protoplastus transgredi praesumpsit, reddidit mala pro bonis Deo, et nos omnes post eum serviendo peccatis. Unde et in primo parente nostro nos omnes peccasse apostolus intimavit *: per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt; hoc est eodem peccato primi parentis nostri omnes homines qui nascebantur, vel qui nati fuerunt, obnoxii tenebantur, et quotidie debiti tenentur usque ad baptismum. Et quia nos prima nativitas, qua nascimur ex viro et femina, coinquinat; gratia iterum secundae nativitatis, hoc est baptismi, emundat ab omni peccato. In quo tamen peccato retribuentes Deo mala intulimus, sed etiam nobis. Nam Deo quidem peccavimus, sed nobis plagam inflximus. Non ergo Deo sed nobis nocemus, quando peccamus; quia iniquitas hominis Deum quidem offendit, sed sibimet ipsi etiam et aliis laedit 1). Christus autem qui est vera medicina, salus, et vita, plagam humanae infirmitatis gratis sine peccato accepit, ut nos curaret; et infirmitatem nostram gratis portavit, qua nos sanaret; et mortem nostram gratis pertulit qua nos vivificaret.

Cod. Vat. 479. f. 3. b.

* Rom. v. 12.

2. Haec autem omnia et innumera humana dispendia unigenitus Deus vere pertulit, vere fecit, quia naturam nostram sine peccato totam veramque suscepit. Magnum sane beneficium, Fratres, quod nobis contulit Christus, quandoquidem pro nobis dignatus est homo fieri, quem nullum potuit inquinare peccatum; ut nos qui per culpam nostram fuimus homines iniqui, ipsius iustificante gratia, essemus homines iusti et sancti. Christus igitur vita nostra, salus nostra vera, iustificatio nostra, in quo occisa est mors nostra, sanata est infirmitas nostra, deleta est iniquitas nostra, iustificata est anima nostra, ut aeterna et beata sit vita nostra. Quapropter, dilectissimi, laqueos infirmitatis et mortis sollicite caveamus, et vitae salutisque nostrae praecepta servemus. Sunt enim laquei infirmitatis nostrae desideria prava, opera mala, concupiscentia carnis, et dilectio saecularis, amor temporalium et transeuntium rerum, quo trahitur animus ad omne peccatum. Diligamus Christum, quia ipse prior dilexit nos:

1) *Laedo* cum tertio casu certe est inusitatum.

et diligentes eum, vincamus infirmitatem et mortem; ut ipse nobis una cum omnibus sanctis aeternam vitam, gloriam tribuat, et salutem, Deus Dei filius, qui vivit et regnat simul cum Patre et Spiritu sancto per omnia saecula saeculorum. Amen.

CLXXXVII. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE HOC QUOD DICITUR: FECIT DEUS ADAE ET MULIERI EIUS TUNICAS PELLICEAS.

Cod. Vat. 479. f. 3. b.

1. Quanta gratia Dei circa hominem fuerit etiam post praevaricationem mandati, audivimus in lectione divina cum legeretur. Et fecit, inquit, Deus Adae et mulieri eius tunicas pelliceas, et induit eos; erant enim ambo nudi post peccatum; quia indumenta pudoris amiserant, ut diabolo per serpentem loquenti magis obedirent quam iussioni Domini. Ideo nudi erant, spoliati tunica gratiae Dei, et veste pietatis eius. Qui enim Dei gratia indutus non est, etiamsi multas tunicas habeat, nudus est omni bono. Unde non immerito Adae et mulieri eius Deus tunicas pelliceas fecit et induit eos, ut passionis Christi gratiam demonstraret; quia aliter humanum genus nudatum gratia Dei vestiri non poterat, nisi Christi domini passione, unde totus mundus redemptus et liberatus est ab aeterna dampnatione et morte. Illud quoque addidit scriptura: quia dimisit Deus Adam de paradiso, ne extenderet manum ad arborem vitae, et ederet inde, et viveret in aeternum.

2. Non sine mysterio vetuit Deus hominem, ne in aeternum viveret, qui praecepta salutis aeternae sibi tradita contempserat; sed idcirco prohibuit ei Deus de arbore vitae contingere, ne viveret ad poenam aeternam. Si enim redemptus homo non fuisset a peccato, et gustasset de arbore vitae, viveret quidem in aeternum, non quidem ad gloriam sed ad poenam aeternam. Unde oportuit homines pro praevaricatione mandati ante mortis poena multari, et sic revocari ad gratiam. Denique quod praestare homini tunc non potuit arbor vitae in paradiso, praestitit Christi passio; et recepit amissam gratiam per arborem crucis, quam tunc per arborem vitae recuperare non potuit. Erigite ergo, dilectissimi, animos vestros ad illam iuvantem et redimentem nos misericordiam Dei: et impensa humanae saluti sacramenta venerantes, studium vestrum ad observanda quae pro nobis gesta sunt adhibete. Castimoniam diligite, obedientes Deo in omnibus ad salutem vestram estote, humilitatem contra superbiam tenete, a carnalibus vos desideriis abstinete, virtutem pacis in qua animas vestras acquiritis possidete, pro terrenis caelestia, pro caducis aeterna, pro poenis gloriam, pro miseria beatitudinem aeternam adipisci satagite: per viam veritatis et vitae incedite, et bonis operibus semper insistite, ut simul cum Domino et sanctis eius ad aeterna mereamini gaudia pervenire. Quod ipse nobis praestare in nobisque perficere dignetur Deus omnipotens, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE SALOMONE 1).

1. Bonum est semper orare, et numquam deficere. Ecce Salomon orat in supercilio montis *; dum milia mactaret agnorum, praesens erat exercitus angelorum, sicut *ad* pingue sacrificium. Admonetur piger ut postulet a vigilante datore bonorum: pete a me quod desideras, dicit Dominus. Et Salomon dicit: Domine, iube mihi sapientiam donari. Non dicit aurum, non argentum. Et Dominus ait: quia hoc petisti, et non divitias mundi, nec mortem inimicorum tuorum, vade esto sapiens super sapientes Aegypti, et divitiae quas non petisti superhabundabunt tibi. Ascendit minus instructus, pariter imperitus, et descendit iudex, caelestis magistri discipulus. Assunt * enim duae nihilominus mulieres, et quod magis attinet publicanae 2), quae significant personas synagogae et ecclesiae, Mariae et Evae. Maria portabat viventem, Eva portabat lugentem: synagoga aspiciebat in sepulchro iacentem; ecclesia laetata portabat resurgentem. Quid tamen una istarum asserit mulierum? Domine, inquit, ego et mulier haec in unius habitaculi coitionem fuimus. Cum ergo ambae declinaremus in somno, nova de me excogitat furta, ut non mutaret natura quod admittit et conscientia. Filium suum importuno pondere praegravabat, et usque ad ultimum spiritum praefocavit, et vult tollere quod non generavit. Surgit ista facere fraudem quae dormiebat contra pietatem: invenit parvulum suum ruina lateris oppressum, et latus meum voluit facere exosum sepulcrum. Expergefacta porrigo ubera, et non offert labia sua: sensi mortuum, sed fraudis non intellexi commercium. Lux affuit mihi, affuit natura; est ipsa latrix 3). Haec * fuit inter nos domestica controversia. Dum ergo mortuum non cognosco, vivum filium repeto. Etiam illa dicit suum, et meum esse defunctum. Ades, Domine; testis est natura; iube inter nos istam proferri sententiam.

Cod. vat. f. 36. a.

* III. Reg. III

* ita cod.

* cod. hoc.

2. Continuo Dominus qui visitaverat, qui sapientiam repromiserat, ingreditur in arcana Salomonis, et posuit illic sedem suam, et coepit de illo tamquam de templo suo iniecta nube corporis iudicare, ut posset talis natura esse ante quaestionem. Quid, inquit, dicitis? Tuus est unius filius? Et illa dicit: non, sed meus est; nam ipsius est mortuus. Hoc altercantes, duram reddebant quaestionis caliginem mulieres. Lux de Salomone coruscans coepit illam nebulam dissipare. Taliter prorumpens in

1) Quin hic sermo Augustini genuinus sit, dubitare vix queo (quamquam aliquos scrupulos stilus iniicit.) Ecce enim Possidius in indiculo cap. 3. ponit titulum tractatus Augustini diserte: *de duabus mulieribus de parvulo disceptantibus*. Ibi vero Maurini hunc nostrum ignorantes, indicant in margine sermonem suum decimum, qui incipit: *inter duas mulieres*. Sed falli eos, demonstrat codex noster, cuius pagina sequens continet etiam praedictum maurinum. Fuerunt ergo duo Possidio agniti sermones Augustini de argumento eodem. Et quidem maurinus a Possidio non cap. 3, sed cap. 8. indicatur cum titulo: *de iudicio Salomonis inter duas mulieres meretrices*. Mihi vero hinc etiam Indubitatum apparet, Maurinos haud inspexisse Roberti collectionem; secus enim prope illum suum decimum, nostrum hunc vidissent, neque omisissent, vel de eo certe non reticuissent. Diversus denique a nostro, est etiam ille 39. appendicis maurinae, qui incipit: *de duabus meretricibus*.

2) Animadverte voc. *publicanus* sensu meretricio.

3) Nota vocabulum *latrix*.

voce intonans regiam potestatem: afferte, inquit, gladium ex utraque parte acutum, hoc est Spiritum sanctum, qui inter synagogam falsam et ecclesiam veram terminum constituit. Fit magnum spectaculum spirituali theatro. Expectate chori angelorum ex alto culmine, quid de unico in terris filio geretur. Commovebantur viscera, dum armatur machaera. Exclamat ecce matris affectus: parce, parce, domine rex; noli dividere filium meum, sic non dividatur regnum tuum. Interpellavi pro lucro, non pro dispendio; usa sum *a*) querela ut peccatricem non facias parricidam. Domine meus, pater tuus David numquam gavisus est de morte latronis, et tu quare iubes secare membra infantis? Si quaesivi alienum, vindica; quia propriam *b*) meam possideam pietatem. Reddatur integer possidendus, et ad me non transeat mediatus. Noli oculos meos innocuo sanguine funestare. Ne incipiat synagoga de mea orbitate gaudere: habeat integrum alienum; ero illi saltem nutrix. Quaeso vera mater: permitte me illi dare mercenarium lac; suum accipiat *c*) nutrimentum; aspiciam ingredientem, crescentem, aliquando per plateam currentem; tenebo amplexibus furtive vera mater transeuntem.

3. Et illa quoniam non commovebat natura, nec interpellabant viscera; verum, inquit, iudicasti, domine rex, dividatur. Quomodo, inquit, potuit amare viventem, quem non est consolata in cruce pendentem? Cui Salomon increpans dixit: crudelis mulier, quid clamas dividatur, cum divisa gemma nullum faciat ornamentum? Num vides leaenam vel tigrem post catulos suos forte venatu ablatos sequi cum rugitu et impetu murmurioso 1) usque ad tactam fimbriam filiorum suorum? Et tua viscera non contremiscunt, si filius tuus dividitur? Si tamen est proprius; sed hic apparet alienus. Haec est vera mater, quae non dividendum proclamat innocentem. Accepit pia mater palmis patentibus parvulum, et caeleste coepit laudare iudicium. Clamabat et dicebat: secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae iocundaverunt animum meum; quoniam iusta mihi praebuisti iudicia tua, et quia inter me et synagogam falsam sancta crux tua divisit; qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas. Explicit de Salomone.

CLXXXIX. SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI DE NATALE DOMINI.

Cod. Vat. 570. f. 67 a.

1. Legimus primum parentem nostrum Adam ita ab omnipotenti Deo procreatum, ut aeternis paradisi gaudiis angelorumque consortio perpetualiter 2) frueretur, si iussa observaret divina. Sed quia diabolica fraude deceptus divinis iussionibus obsecundare noluit, protinus perpetuae felicitatis munere privatus, angelicam dignitatem amisit; et in huius vitae, in qua

a) Cod. *opus suum.* — *b*) In cod. videtur *proprium.* — *c*) Cod. *et inficiat.*

1) Est hoc vocabulum in glossis Philoxeni.

2) Vocabuli huius nos exemplum protulimus ex Remigio in nostro glossario. Sed et alia in lexico habet Cangius.

nos vivimus, peregrinationem, iusto divinae ultionis est iudicio exiliatus 1), nullusque hominum post eum usque ad Christum ab huius sceleris mole collum suum excutere valuit, sed omnis diabolicae tyrannidi et aeternae mortis imperio succumbebat. Unde omnipotens Deus solita suae pietatis clementia unicum filium suum huic mundo transmisit, ut idem fieret liberator hominum qui fuit et creator: qui quidem per virgineum uterum assumpta nostrae fragilitatis carne nasci dignatus est: cuius nativitatis tempora praesentia celebramus; qui in humanitate, quam pro nobis sumpserat, conversatus in mundo, innumerabilibus documentis et signis filium Dei se fore 2) monstravit, caecos illuminans, claudis gressum restituens, surdis auditum, mutis loquellam 3) praebens, leprosos mundans, omnesque infirmos et languidos curans, daemoniacos liberans, mortuos suscitans; talibusque et multis eximiae virtutis miraculis omnipotentis Dei se sobolem liquidissime demonstravit: multa iniuriarum probra a perfido Iudaeorum populo patientissime toleravit, nobis patientiae ac mansuetudinis exempla declaravit. Ad extremum vero a Iudaeis crucifixus, mortuus et sepultus, ad inferni claustra descendens, aeternae mortis ianuam minutatim confregit, sanctorum animas inde sumens ad paternam sedem provexit, atque a mortuis cum multitudine magna surrexit; et die postea quadragesimo in eadem humanitate caelos ascendit, et caelestis regni ianuas omnibus sua iussa facientibus patefecit.

2. Huius igitur nativitatis tempora sincera devotione colentes, ipsum omnes unanimiter deprecemur, ut nobis fidem rectam tribuat, et eam bonis operibus custodire faciat, spem firmissimam in sua nobis bonitate concedat, et perfectam veramque nobis suam caritatem infundat; omnes hic a pravitate in bonum convertat, et in sanctis moribus iustisque actibus universos confirmet, et secum ad caeleste regnum perducat Deus Dei filius, manens cum patre et Spiritu sancto in aeternis saeculis. Amen.

CXC. EIUSDEM DE EODEM.

1. Creator et conditor noster Dei virtus et Dei sapientia, filius Dei Cod. vat. 17[illegible] f. 67. b
consubstantialis et coaeternus, atque per omnia coaequalis Deo patri, cum in sublimi sede paterna sederet, nostrae salutis atque liberationis causa descendit ad terras; et in tanta humilitate venit, ut servilem formam assumeret; et qui in pugillo suo continet orbem terrarum, pannis obvolutus et in praesepio reclinatus est; et qui caelum palmo metitur, in terra locum non habebat ubi vel caput reclinaret; et qui in sua potestate continet omnia quae sunt caelestia vel terrestria, visibilia et invisibilia, propter nos pauper factus est in terra, ut nos ditaremur regni caelestis glo-

1) Cod. *exultatus*. Scripsi *exiliatus*, ut legitur infra serm. CXCII, atque ut habet Remigius in glossario nostro, et alii apud Cangium. Ceterum si malimus scribere *exulatus*, extat melioris frugis exemplum apud Hyginum. 2) *Fore* pro *esse*.
3) Ita aliâs in codicibus *medella*, *querella* etc.

ria; et qui in potestate magna ac maiestate venturus est iudicare orbem terrarum, et reddere unicuique secundum opera sua, ipse sine peccato iudicium mortis pertulit. Et ut nos, qui per cibum ligni vetiti, temptante nos atque seducente diabolo, eiecti fuimus de paradiso, ipse pro nobis esuriem ·XL· dierum pertulit: et a diabolo temptatus: temptationem nostram per suam abstinentiam superavit: et cui similiter cum patre angeli serviunt in caelo, ipse pro nostra salute ministrare dignatus est hominibus in terra. Et manus eius, per quas virtutes plurimas, operatus est, clavis confixae sunt. Et qui nulli umquam nocuit, nullumque laesit, alapis caesus, spinis coronatus, flagellatus, sputatus, felle potatus, multisque ac diversis est iniuriis affectatus *. Et qui sua virtute mortuos coram hominibus suscitavit, cuiusque nutu omnes mortui resuscitantur, spontanea voluntate pro nobis mortem crucis sustinuit. Et ideo haec omnia et alia quam plurima dignatus est sustinere, ut nos ad libertatem propriam revocaret, et vitam nobis aeternam donaret.

* ita cod. pro *affectus*.

2. Quapropter, karissimi nobis, nihil condignum Deo pro tanta sua pietate vel pro tantis beneficiis suis retribuere possumus, nisi ipse et dederit, ut aliquid boni operis agere valeamus 1). Tantum voluntatem nostram et intentionem mentis ad eius sanctam gratiam convertamus, orantes iugiter et humiliter postulantes, ut secundum sanctissimam suam voluntatem dirigat corda nostra, nobisque rectae operationis studium investigabile largiatur; ut si boni aliquid cogitemus, ipse donet ut perficiamus; et quicquid in nobis boni operis coeperit, perficiat, nobisque perseverantem in sua voluntate famulatum tribuat. Tunc enim a Domino impetramus quod poscimus, si ea quae iussit, operibus implere contendimus. Si ergo nos intenti sumus iugiter in eius voluntate, si castitatem cordis et corporis continuatam habemus, ipse in nobis omne bonum perfecit, ipse in nobis manere dignatur, ipseque nos pariter ad vitam aeternam perducit. Quod ipse agere dignetur omnipotens Deus, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

CXCI. INCIPIT SERMO EIUSDEM DE BEATO MARTYRE STEPHANO.

Cod. vat. 479. f. 110. a.

1. Quotiens, venerandi Fratres, caritatem vestram secundum praeceptum Domini ad diligendos pro Domino inimicos provocare debemus? Sed timemus ne aliqui cogitent et dicant, se hoc nullatenus agere posse: forte etiam dicant, se Christum dominum imitari non posse. Ecce tibi loquor, o homo, quicumque dicis, quod in amore inimicorum non possis imitari dominum tuum. Nam beatus Stephanus, cuius hodie festa colimus, homo erat sicut et tu, et bonum quod fecit, illo donante fecit, quem rogas et tu. Ille in incredulos Iudaeos arguendo saeviebat dicens: dura cervice et incircumcisi corde, vos semper restitistis * Spiritui sancto. Quem propheta-

* ita cod.

1) Vides familiarem Augustino de gratia et auxilio Dei sententiam.

rum non occiderunt patres vestri? Illi autem graviter irati, mala illi pro bono reddentes, lapidibus eum obruerunt. Tunc beatus Stephanus aspiciens in illum qui in ligno pendebat pro ipso, eius imitatus est vicem, a quo sperabat mercedem. Christus pro suis crucifixoribus oravit dicens: pater, ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Stephanus * pro suis lapidatoribus genu flexo rogavit dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Pro se ipso itaque stans oravit; quia qui pro iusto orat, non laborat. Et lapidibus irretitus occubuit: et pro suis inimicis genua flexit, quia eorum impietatem nimiam esse prospexit, quos difficile donari posse perpendit.

* Conf. fragm. p. 216.

2. Imitemur ergo, Fratres karissimi, in quantum Deus donaverit, beatum Stephanum, et diligamus non solum amicos, sed etiam inimicos; quia nihil est, unde sic et peccata redimere, et diabolum vincere, et Dominum placare valeamus. Unde et ipse Dominus dixit *: diligite inimicos vestros, bene facite hiis qui oderunt vos. Et iterum *: date, et dabitur vobis; dimittite, et dimittetur vobis. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater vester peccata vestra. Videte, Fratres, misericordiam Domini: in nostra potestate posuit qualiter in die iudicii iudicemur. Si enim dimittimus, dimittetur nobis; si non dimittimus, nec nobis dimittetur. Ideoque si ad indulgentiam volumus pervenire, non solum amicos, sed etiam inimicos debemus diligere. Quod si facimus, ante tribunal etiam iudicis securi veniamus, atque aeterna cum sanctis Dei praemia mereamur; per dominum nostrum Iesum Christum viventem et regnantem simul cum Patre et Spiritu sancto per aeterna saecula. Amen.

* Matth. V. 44.
* Luc. VII. 37. et 38.

CXCII. INCIPIT SERMO SIVE HOMILIA SANCTI AUGUSTINI DE IOHANNE EVANGELISTA.

1. Sanctus Iohannes apostolus et evangelista, cuius natalem hodie celebramus, Fratres karissimi, magnam apud dominum Iesum Christum, ut legimus in evangelio, habuit peculiarem gratiam, quoniam spiritaliter a Domino dilectus est. Hic, ut legimus in apocalypsi, post Domini passionem, in insula Pathmos propter nomen Christi exsulatus 1), et compedibus est alligatus; sed compedes illi honoris erant non oneris. Honor enim est hominibus pro Christo iniurias sustinere, quia omnis poena vel iniuria passa 2) pro Christo elevat hominem ad coronam. Denique Iohannes cum in eadem insula ligatus esset compedibus, levatum se in spiritu et in caelo ostium sibi apertum testatus est, ubi vidit thronum Dei, vidit filium Dei in humanitate sedentem ad dexteram patris, vidit choros angelorum, vidit ·XXIIII· seniores, et quatuor animalia plena oculis ante et retro, incessabili voce in laudem Domini clamantia et dicentia: sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus sabaoth; pleni sunt caeli et terra gloria tua, osanna in excelsis. Ad quorum similitudinem id ipsum quotidie omnium fidelium turba in laudem

Cod. vat. 479. f. 110. a.

1) De hoc vocabulo diximus ad serm. CLXXXIX. 2) *Passus* sensu passivo certe insolitum est.

Dei clamat in ecclesia. Vidit etiam multa et innumera divina mysteria, quae ei Dominus propter munditiam castitatis et virginitatis suae revelare dignatus est, et quia plus eum ceteris dilexit discipulis. Postquam autem dimissus est atque solutus, scripsit evangelium, quod nunc praedicatur per universum mundum. Tempore etiam quo pro salute mundi filius Dei pendebat in cruce, Mariam sanctissimam matrem suam Dominus ei commendavit dicens: ecce mater tua. Et Mariae dixit: ecce filius tuus; ut pietatis suae affectum circa eum demonstraret, et eius integritatem comprobaret, cum virgini virginem commendaret.

2. Post multas autem tribulationes et angustias passionesque, quas pro nomine Christi sustinuit, cum iam valde senex * esset, ad Dominum de hoc mundo migravit. Dixeratque de eo Dominus in evangelio, sicut legimus: sic eum volo manere donec veniam *. Quod non ideirco ei dixerat, quod non esset moriturus, sed quod mortem sine dolore suscipere debuisset. Venit enim Dominus ad unumquemque sanctorum suorum, cum eum vocat e corpore. Iohannes ergo cum iam aetate nimia gravaretur, ait discipulis suis, ut facerent ei fossam. Dictum ei erat a Domino qua die esset recessurus. Facta itaque fossa, proiecit se in eam, et sine dolore aliquo reddidit spiritum in pace 1). Quia ergo tanti ac talis apostoli natalem hodie celebramus, dignum est ut eum quantum possumus omni veneratione in castitate et sanctitate vitae imitemur, ut precibus eius adiuti ad aeternam simul cum illo gloriam possidendam pervenire mereamur; per dominum nostrum Iesum Christum, sine initio et sine fine regnantem et permanentem in saecula saeculorum. Amen.

* I. m. *senis*.

* Ioh. XXI. 22.

CXCIII. INCIPIT SERMO SIVE HOMILIA SANCTI AUGUSTINI DE INNOCENTIBUS.

Cod. vat. 479. f. 110. b.

1. Tempore quo dominus et Salvator noster in hoc mundo pro redemptione hominum nasci dignatus est, Fratres karissimi, Herodes externi generis vir, qui propter peccata Iudaeorum, alienigena eorum suscepit principatum, qui etiam pecunia a Romanis regnum adeptus est Iudaeorum; cum audisset autem a Magis qui ab oriente Hierosolymam venerunt, natum esse in carne regem Iudaeorum, veritus ne status sui regno privaretur, misit et occidit omnes infantes qui erant in Bethleem ubi Dominus nascebatur, similiterque et in omnibus finibus regni sui a bimatu et infra, sicut in evangelio legimus, ut posset simul cum eis dominum Christum iugulare. Sed insidias regis praevenit angelus Domini, monens in somnis Ioseph, dicens: surge, et accipe puerum et matrem eius, et fuge in Aegyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi; futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum. Hic Herodes qui in adventu Domini occidit parvulos istos ob necem Domini, pater erat illius Herodis sub quo Dominus

1) S. Augustini opinionem de genere obitus S. Iohannis evangelistae habes a nobis expositam in monito ante sermonem CLXIX; et in ipso sermone pag. 379. disertis verbis res narratur.

passus est. Sed istum Herodem pro interfectore parvulorum statim ultio divina prosecuta est; nam a vertice capitis usque ad pedes intus et extra morbo percussus est pestifero, et verenda eius putredine corrupta sunt, et oculi eius a propriis evulsi sunt sedibus, donec nefariam vitam, propriis se manibus interficiens, confuse 1) finivit.

2. Infantes autem isti figuram omnium sanctorum tenent: ipsi enim sunt primitiae martyrum, qui statim post adventum Domini coronam martyrii et victoriam meruerunt, ante Petrum scilicet apostolum et ante omnes martyres. Hoc fortassis ideo factum est, quia Dominus innocentia parvulorum delectari videtur cum dicit *: sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum caelorum. Parvulus enim simplex est et innocens. Non delectatur pulcrae matris aspectu, non est ambitiosus, nulli invidet, nec iracundiam tenet, quia iniuriae non recordatur, nullique insidiatur. Ad quorum nos exempla provocat Dominus dicens *: quia nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum. Similiterque apostolus hortatur, ut in malitia parvulis similes simus *; sensibus autem et iustis operibus, ut perfecti simus; ut simus simplices, sine dolo, sine odio, sine invidia, sine pollutione libidinis, sine concupiscentia mala, sine avaritia, sine ira et disceptatione, omne malum penitus abicientes: et simus in omni bono prudentes, et totum quod bonum est semper diligenti studio operantes; praestante et adiuvante domino Deo nostro Iesu Christo, manente et regnante ante omnia et in omnia per omnia, simul cum Patre et Spiritu sancto Deo vero in saecula saeculorum. Amen.

* Matth. XIX. 14.
* Matth. XVIII 3.
* I. Cor. XIV. 20.

In sequente sermone non unum indicium insertum fuit ab auctore, ut suaderet esse Augustini. Nempe 1. aetas tricenaria Augustini, quando a libidine ad Deum conversus est. 2. Commemoratio libri ab eodem editi de natura et gratia. 3. Commemoratio item episcopatus Augustini (quem adiit anno aetatis ·XL·, adeoque non sibi repugnat cum sub sermonis initium iuvenem se dicit.) Narratio dicti cuiusdam quod a S. Ambrosio audiverat. Attamen haec omnia indicia a simulato sermonis auctore, fuci faciendi causa, obtrusa videntur: nam similia sunt etiam in aliis nothis sermonibus ad eremitas, puta in 4. 5. 14. 21. 23. 25. 26. 37. 47. 48. 55. *(Neque melioris fortasse generis est sermo apud nos CLXI. de S. Thoma.) Vetare tamen omnino videtur stilus, ut hoc Augustini scriptum esse credamus; stilus, inquam, non titulus* ad eremitas; *nam etsi plerique huius tituli sermones inter spurios Augustini relati fuerunt, non tamen omnes; duo enim ab ipsis Maurinis sunt in classem germanorum recepti, videlicet* 355. *et* 356. *Ergo hic sermo, quem ex Roberti collectorio sumimus, addatur illis* ad fratres in eremo, *qui sunt in sexto maurinae editionis tomo.*

CXCIV. SERMO SANCTI AUGUSTINI DE ASSUMPTIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS, AD EREMITAS.

1. Ego pulvis et cinis, qui loquor vobis; propterea erubesco de virgine aliquid dicere. Nam postquam virginitatem amisisse cognovi, numquam tanto fervore virginitatem gentibus praedicavi, ne mihi dicatur: medice, primo cura te ipsum. Et

Cod. vat. 479. f. 290. b.

1) Nempe cum ignominia, quae confusionis vocabulo in ss. bibliis denotari solet.

quid mirum, si mihi hoc cotidie diceretur? Nonne 1) tamquam iumentum annis triginta et amplius computrui in stercoribus peccatorum meorum? Quid ergo loquar vobis, quorum etiam conversatio in caelis est? Nonne ego tamquam pulvis et cinis, quem proicit ventus a facie terrae? Cuius vita hactenus contemptibilis et miserabilis fuit, etiam sermo contempnendus efficitur. Nonne vos eremi cultores estis, caelorum cives et domestici Dei, qui vere sapitis quae Dei sunt, et non quae super terram? Nonne ego etiam puer inter vos spiritu et sapientia? Unde ergo tam superba praesumptio, ut indoctus inter sapientes, iuvenis inter senes, filius inter patres, levita 2) inter sacerdotes, audeat proferre sermonem? Contremisco de tanto elationis supercilio; ut lutum de figulo, opus de opifice, creatura de matre creatoris, infimus de summo, peccator de illa quae peccatum nescivit, praesumat aliquid fabulari? Verum contra hanc praesumptionis arrogantiam, duplicem adinveni excusationis viam, quarum prima est caritas vestrae dilectionis, altera est immensitas divinae bonitatis. Potens est enim Dominus, ut loquatur in servo suo peccatore immundo, qui locutus est in iumento; et qui aperuit os asinae ad loquendum, adaperiat cor et os meum per gratiam suam, ut digne narrare possim nomen suum et vobis fratribus et presbyteris meis.

2. Festivitas hodierna, Fratres dilectissimi, tanto nobis debet esse devotior,
* Ita cod. quanto illa, cuius memoriam agimus, cunctis gentibus fuit fecundior *, cunctis apparuit sanctior, cunctis intus et foris pulcrior, cunctis sapientior, cunctis gratiosior, omnibusque creaturis perfectior; non solum in vita, sed in ventre materno sanctificata 3), et super omnes alias creaturas, morte iam per eam devicta, nobis attulit vitam sempiternam. Haec est enim illa gemma gloriosa paradisi, de qua supra diximus, in libello, quem nuper edidimus de natura et gratia 4), quia propter ho-
* cod. *habere*. norem Domini cum de peccatis agitur, nullam prorsus de Maria volo haberi * quaestionem. Unde enim scimus quod ei plus collatum fuit gratiae ad vincendum ex omni parte peccatum, quam alicui de femina nato 5)? Et miraris si hoc audis? nequaquam mirari, Fratres, debemus quia concipere et parere meruit illum, quem constat nullum habuisse peccatum. Virgine igitur ista excepta, si omnes sanctos et sanctas cum hic viverent contestari et interrogare possemus, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, nisi quod ait sanctus ille Iohannes: si dixe-
* I. Ioh. I. 8. rimus quoniam peccatum non habemus, mentimur, et veritas in nobis non est? Haec est illa angelorum domina, cunctis felicior, cunctis beatior creaturis, quae prius Christum fide concepit quam carne 6). Nam materna eius propinquitas nihil ei profuisset, nisi prius ipsum felicius fide quam carne gestasset. Beatus igitur dicitur ven-

1) Cod. heic et infra *numquid*, pro *nonne*. In his quoque emendandus interdum codex fuit.

2) Infra dicit se *episcopum* auctor. Ergo heic *levita*, humilitatis vel aetatis gratia dici videtur.

3) Augustinus op. imperf. contra Iulianum lib. IV. 122. *Non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi; sed ideo, quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi.* Quamobrem hoc loco puto dici *sanctificata* pro *sancta*, ut suadet ipse contextus; nempe, sicut fuit *sancta*, non *sanctificata*, in vita, sic etiam in ventre materno. Attamen infra Baptista quoque dicitur *sanctificatus* in utero. Immaculatae B. Virginis conceptioni favet etiam Gregorius narekiensis saeculi X. scriptor armenus dicens; Mariam *primae Evae mulieris filiam inculpatam.* Insuper: *carentem peccati fomite.* Idem cum hymnario, Mariam adfirmat *maledictione humani generis liberam;* ad quae verba commentans Vardanus item armenus saec. XIII, dicit Mariam fuisse *immunem crimine Evae.*

4) Nimirum cap. XLII.

5) Haec sunt ab ore adversariorum vel dubitantium.

6) Augustinus serm. ed. CCXV. 4: *beata Maria, quem credendo peperit, credendo concepit.* Et contra Faustum lib. XXIX. 4: *Maria Christi carnem fide concepit.* Denique de s. virginitate cap. 3: *beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.*

ter Mariae, non tam quia in eo Verbum caro factum est, sed quia Verbum Dei super omnes operando custodivit.

3. Quid igitur, Fratres, nobilius Dei matre 1)? quid splendidius ea quam splendor patris elegit? quid castius ea quae corpus sine contagione corporis, Deum et hominem, generavit? Virgo quippe supra omnes virgines fuit non solum corpore sed et mente, corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum sed in prece pauperum et viduarum spem reponens, intenta operi, verecunda sermone, arbitrum meriti solita non hominem, sed Deum quaerere: nullum verbo vel facto laedere, omnibus bene velle, maioribus assurgere, aequalibus non invidere, iactantiam fugere, rationem sequi, virtutem amare. Haec enim fuit sanctae virginis vita, haec fuit mirum in cunctis documentum et doctrina, haec extitit tota fiducia peccatorum et gloria, haec eius plena omni . . . Dicite mihi Fratres, dicant et Iudaei, qui Mariam audiebant libenter, ut angelum Dei esse crederent. Dicant et ipsi qui viderunt vel audire potuerunt, quando Maria fastidivit humilem, quando contemsit debilem, quando despexit inopem? Verum, Fratres mei, quod nec in oculo, nec in gestu, nec in progressu, nec in auditu, nec in olfactu aliquid nisi sanctum et iustum inveniri potuerit in Maria: ut digne talis appareret hominibus in corporis specie, sicut intus erat simulacrum sanctitatis in mente. Talem hanc evangelista monstravit, talem angelus caelorum maior reperit, talem spiritus sanctus, pater, et filius elegit et praelegit ante mundi constitutionem, ut mater Dei aeterni, plena omni gratia et veritate esset, ut nemo sit qui se abscondat a calore sanctitatis et misericordiae eius.

4. Quid ergo, Fratres, de Maria dicemus? Talis denique fuit, ut eius vita omnis sit disciplina. Merito omnes generationes te laudant et magnificant. O virgo prudentissima, inquam! Tu virgo gloriosa, omnibus generationibus vitam et gloriam genuisti. In caelo angelis laetitiam, iustis gloriam, peccatoribus veniam. Merito super omnes generationes hodie sublimaris, et a cunctis creaturis hodie magnificaris: quia in te, et per te, et de te, quicquid boni recepimus, et recepturi sumus, per te recipere vere cognoscimus. Tu ergo Maria sola patrona humani generis, tu afflictis medica singularis, tu desolatis mater et refugium, tu navigantibus salus et remedium, tu viduarum maritus et refugium, tu latronum dulce receptaculum, tu desperatorum lux et sustentaculum, tu clericorum forma et solatium, tu defunctorum advocata et pabulum, tu patriarcharum et prophetarum suave convivium, tu apostolorum vita et spectaculum, tu martyrum patientia et receptaculum, tu confessorum magistra, et ab aestu umbraculum, tu virginum domina et earum sustentaculum. Merito ergo, virgo prudentissima, hodie benedicta et venerabilis praedicaris. In tua mirabili assumptione anima tua sanctissima, simul unita cum venerabili corpore, ab omnibus generationibus et super omnes generationes in aeternum et ultra.

5. Nos vero, dilectissimi Fratres, qui nomen et habitum sanctae religionis patenter portamus: qui et vitam apostolicam Deo servare sponte promisimus, videamus quomodo caute ambulemus. Nam totus mundus in maligno positus est, et adversarius noster diabolus iam regnare in mundo videtur, cupiens nos seducere et trahere ad se: nunc superbiendo, nunc luxuriando, nunc invidendo, nunc co-

1) Sequentes beatae Mariae laudes sumuntur ad litteram ex Ambrosio de virginibus lib. II. 2. Non negamus ipsum Augustinum in suis operibus interdum uti solitum dictis Ambrosii; heic tamen de simulato potius sermonis auctore cogitandum est, qui modo ex Ambrosio, modo ex Augustino, modo etiam aliunde, ut arbitror, centonem suum tacite consarcinat.

gitando, nunc consentiendo, nunc operando, subvertere nos conatur. Nos vero dum haec omnia patimur, ad Mariam revertere non differamus. Habet enim gladium bis acutum, ut nos tam cito defendat ab hoste maligno. Cavere denique summe debemus, ne occasionem peccandi diabolo demus. Nam ideo mundum reliquimus, et habitamus in hac vasta solitudine, ut peccata fortius vitare possimus. Non enim sufficit tantum feminam non videre, sed feminarum memoriam a corde penitus eradicare debemus. Sanctum denique illum Iohannem in utero matris sanctificatum, matrem sanctissimam habuisse non dubitamus. Nonne et magni sacerdotis et Zachariae filius extitit, et tamen nec patris opibus, nec matris blandiciis et affectibus, in domo parentum diu remanere voluit, sed in tenerrimis annis, opibus cunctis dimissis, perrexit ad eremum, ne florem suae virginitatis per diabolum posset amittere. Sampson virorum fortissimus leonem suffocavit, sed feminas videndo, amorem suum suffocare non potuit: vincula fregit inimicorum, sed non solvit nexum carnalium cupiditatum: messes incendit alienas, sed incendium suae libidinis extinguere noluit, et sic messem suae virtutis amisit.

6. O Fratres, si (*Deo*) placere debemus, feminas omnes despiciamus. Nam de carbonibus scintillae exeunt, de ferro rubigo nutritur, de aspide venenum mortiferum; sic et de muliere luxuria nunc videndo nunc loquendo progreditur. Nam feminam super cuncta psallere delectat, cuius cantum audire, magis est mortiferum, quam basiliscum sibilantem. Mementote etiam, Fratres, quod Thamar ab Amon fratre suo corrupta sit, propter diuturnam et frequentem insimul mansionem. Nihil denique, Fratres mei, esse sentio quod magis animum virilem deiciat et succumbere faciat, quam feminarum bladimenta et conversatio. Quanto religiosiores videntur, tanto citius alliciunt, et sub habitu sanctitatis et pietatis latet venenum libidinis. Experto, Fratres mei, credite. Episcopus loquor coram Deo, et novi quia non mentior: longas cedros Libani, magnos duces gregum famosissimosque, omni sanctitate ornatos, sub hac peste cecidisse conspexi; de quorum casu non magis suspicabar, quam de Ambrosii vel Hieronymi impudica turpitudine. Numquam enim mulieres videre frequenter debemus; et si possibile est, numquam de talibus loqui vel disputare, utrum pulcra ista vel illa, debemus, si Mariae placere intendimus. Denique, Fratres mei, attendite quod dixit magnus ille Cato de feminis: si abque femina esset mundus, conversatio nostra absque diis non esset. Non ergo licet clericis feminarum conversationem habere. Nonne ipsa diaboli ianua est? nonne via iniquitatis est? Nonne scorpionis percussio est? nonne omnium malorum genus est et caput? Dum appropinquat, stimulat; mox ignem visu accendit, flammigero igne lumbos comburit, conscientiam intuentis destruit, et fundamenta sanctitatis evertit in brevi. Quid enim, Fratres, venerabilis pater Ambrosius mihi dixerit, audite: matrem tuam ita videas, ne per illam alias feminas videre coneris. Ancillulas, quae illi in obsequio sunt, ne tibi facias esse insidiosas: quanto vilior est earum condicio, tanto faciliorem agnosce tuam esse ruinam. Pulcra denique cito adamatur, et foetida raro despicitur. Quis ergo castum gloriabitur se habere cor? Haec enim fuit inter cetera venerabilis patris Ambrosii doctrina, quam omnes nos usque ad mortem tenere debemus. Adiuvet autem nos et interpellet pro nobis Dei mater et alma, quae meruit hodierna die super omnes choros angelorum exaltari, ut destructis vitiis, et bravio salutis accepto, pervenire valeamus ad gloriam. Amen.

CXCV. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI DE CONSECRATIONE ECCLESIARUM 1).

1. Audistis iam, Fratres karissimi, quod Salomon aedificaverit domum Domini in Hierusalem annis septem, et dedicaverint eam in octavo rex et filii Israhel sacerdotes. Et fecit Salomon festivitatem celebrem, et cum eo multitudo magna, et oravit rex ad Dominum dicens: exaudias, Domine, orationem servi tui in loco isto; parce ei Domine. Et ait Dominus ad Salomonem: exaudivi orationem tuam et fiet, si me in loco isto invocaverint. Omnia enim Fratres, quae sunt in antiqua lege, figura novae fuerunt; quando templum Domini ab antiquis factum est, ut nostrae dedicationis exemplum sit. Si enim domus Domini vocata erat, ubi bestiae immolabantur, multo magis ecclesia nostra, ubi carnis et sanguinis Domini celebrantur sacramenta 2). Et si in illa se exauditurum Dominus repromisit, quanto magis et nos in ista exaudiet? Et si magna festivitas celebrata est tunc, et nos quantum gaudium facere ibidem debemus? Attamen in octavo anno dedicationem celebrasse dicitur, quia in die nostrae resurrectionis, quae dicitur octava, post tempus huius vitae, quod per septem annos designatur, summa festivitas supernae caelestis civitatis celebrabitur. Et ideo in consecratione nostrarum ecclesiarum convenire in unum debemus casti, sobrii, humiles, misericordes, benigni, et orantes, non loquentes sicut mulierculae nostrae faciunt; sed ut flentes sentiamus auxilium.

Cod. vat. 4 f. 304. a.

* III. Reg. VI

2. Hanc festivitatem Dominus sua praesentia dignatus est visitare, hanc et honorare. Hinc etiam Iacob dum fugeret relicto patre a facie fratris sui Esau, et iret ad Laban petiturus uxorem, in itinere tulit de lapidibus, et subposuit capiti suo, et dum dormiret vidit scalam usque ad caelum directam, et surgens attulit lapidem, et erexit altare ad modum tituli, et effundens oleum dixit: vere locus iste sanctus est! Iacob, Christus est, qui relinquens patrem, carnem assumendo, fugiens a facie fratrum suorum, dum pergeret in mundum, condormivit in cruce: et tulit lapidem et sub capite posuit, dum humanitatem subiugavit divinitati. Divinitas caput est Christi, quia caput Christi Deus. Scala ad caelum est ascensio, et via graduum virtutum. Angeli ascendentes et descendentes, sunt praedicatores qui denunciant regnum Dei. Ascendit inter ceteros Iohannes qui dixit: Verbum caro factum est. Descendit Paulus dum dixit: praedicamus Christum et hunc crucifixum; et ipse ascendit, dum arcana Dei vidit et audivit.

3. Eia ergo, Fratres dilectissimi, in hac sacra ecclesiarum sollempnitate quilibet confiteri debet, prius tamen culpam nostram recognoscere, sed postea sacerdoti ostendere, et ultimo medicinam manducare. Sicut denique diversae herbae diversis infirmitatibus conveniunt, sic diversae medicinae morbo peccatorum, ut alius maceretur ieiunio, alius oratione, alius itinere, alius lacrymis, alius eleemosynis, alius in tumultu mundi contra mundum, alius extra mundi strepitum fugiens. Et sic in virtutibus abundantes, in sanctam ecclesiam intrantes, petamus, et indubitanter dabitur nobis quod petimus. O sancta ecclesia veneranda! o dulcissima mater fidelium astringenda! o sponsa Christi diligenda! In te perfectio omnis adquiritur: in te peccator, angelus efficitur: in te paradisus aperitur: in te omnis petitio exauditur. Tu in latere Christi nata es: tu ab initio mundi in Adam figurata es: misit enim Dominus soporem in Adam, et tulit unam de costis eius, et fecit mulie-

1) Ne hic quidem sermo sapere videtur Augustini elocutionem. Pars tamen extrema ad Augustinum paulo verisimilius accedit.

2) Adhuc testimonium pro ss. Eucharistia.

rem. Dormitio Adae mortem Christi figurat, quo in cruce pendente sanguis et aqua de latere eius fluxerunt, quae duo sacramenta sunt ortus ecclesiae. Noë etiam arcam fabricavit, ut in ea salvarentur omnes. Nam Iosias templum etiam Dei construxit, et in capite templi altare lapideum fieri iussit, columpnas per medium posuit, fenestras fabricavit, et in liminaribus ostiorum XII. panes posuit. Altare, Christus est; columpnae, sancti apostoli et doctores; parietes, duo populi; fenestrae, vulnera Christi; XII. panes, XII. articuli fidei sunt, quos in sancta ecclesia masticare et ruminare debemus.

4. Ad hanc igitur ecclesiam, Fratres karissimi, fugiamus; hanc persequamur, quia in hac salvamur, in hac erudimur, in hac cum Deo loquimur, et sanctis angelis pares efficimur. Quaerite igitur in ecclesia faciem eius semper. Sed si semper quaeritur, quando invenitur? An semper dixit in tota vita, quod hic vivitur, ex quo hic debere nos facere cognoscimus? Vel etiam, quando inventus est, quaerendus est? Iamdiu invenit fides, sed adhuc quaerit eum spes: caritas autem et invenit eum per fidem, et eum quaerit habere per spem; ubi tunc sic invenitur, ut ultra non quaeratur 1). Forte et cum facie ad faciem videbimus eum sicuti est, adhuc perquirendus erit et sine fine amandus. Quaeramus ergo inveniendum, quaeramus inventum, ut inveniendus quaeratur: occultus et inventus quaeratur immensus. Quaeramus ergo et inveniemus. Et si non cito, ut cupimus, nolite tamen, Fratres mei, diffidere; quia quod difficilius et longius quaeritur, dulcius invenitur, fortius stringitur, carius possidetur. Quaerite ergo Deum, dum inveniri potest. Sed modo non potest videri Dominus sicuti est; et tamen nobis prope est. In iudicio tunc videbitur, sed prope non erit. Quaeramus ergo eum, dum prope est. Invocemus eum, quia ipse est dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo, qui est benedictus in saecula. Amen.

CXCVI. SERMO EIUSDEM DE COMMUNI MARTYRUM.

Cod. vat. 479. f. 311. b.

1. Sanctorum martyrum, Fratres karissimi, sollempnia celebramus, qui non solum pretiosum sanguinem suum pro Domino effuderunt, sed etiam mentis dolorem in necessitate proximi portaverunt. O quam gloriosum sanctorum supplicium! nam illos examinat, ut nos erudiat; illos conterit, ut nos acquirat: illorum etiam cruciaciatus, nostros vult esse profectus; quia martyrum merita, nostra vult esse suffragia. Quid pretiosius namque, Fratres, quam mors sanctorum martyrum, propter quam dimittuntur delicta, destruuntur impii, confunduntur tyranni, denique infideles convertuntur, et eorum merita cumulantur cum nostris? O mors sanctorum martyrum, delictorum finis, periculorum terminus, dux salutis, patientiae magisterium, aeternae vitae domus! O martyres, fiducia fidei meae, quibus laudibus vos praedicem, quibusque vocibus vos exornem, ignoro. O martyres leonibus fortiores, aquilisque velociores, voce libera menteque incorrupta, non armis saeculorum armatos sed fidei, audivimus vos stetisse pro nomine Iesu tortos, sed tortoribus fortiores. Et *contra* pulsantes ac laniantes et frangentes membra, ungulasque vellentes, immobiles vos audivimus permansisse, quamvis diu plaga repetita in vobis fuerit. Licet ignes, et verbera illata nobis fuerint, licet compages undique

1) Haec et partim sequentia dicit Augustinus etiam in enarratione psalmi CIV. n. 3, nec non de Trinitate lib. XV. 2.

retorta fuerit, licet flammarum incendia passi fueritis pro Christi nomine, glorioso tamen triumpho hodierna die ad regnum caelorum decantamus collocatos.

2. Isti denique sunt, Fratres karissimi, triumphatores veraces, QUOS ALIQUANDO VIDISSE IN AFRICA OPTIME RECORDAMUR 1), catenis religatos, vestibus spoliatos, non tamen culpa sed fide praeclara. Pedes religatos habebant, qui non a fabro sed a solo Christo expectabant resolvi, et esse in pace cum eo. O pedes in saeculo religati, sed celeriter cito liberi, ad Christum glorioso itinere praecursuri! Isti sunt vere sancti fortissimi, terrorem domantes, spiritum roborantes, virtutibus coruscantes, terrena despicientes, caelestia appetentes. Isti sunt, qui caedi possunt, et flecti nequaquam: nec sustinere flagra per infirmitatem metuunt, nec laesi umquam a veritate conticescunt. Stultus enim frequenter sicut luna mutatur: non extolluntur in prosperis, non tristibus demerguntur. Haec est enim vita sapientum, ut fortes sint in cunctis: non enim augentur dum honorantur, non mutantur nisi in melius, non ut parvuli fluctuant vento honoris vel sapientiae; et semper idem, animo in Christo fundati, in caritate et fide radicati. O vera beataque fraternitas, quae fratrem veneraris devotum! O vera sanctaque firmitas quae corripis dissolutum, quae praesenti dulciter servis, quae absentem non rodis, quae sano applaudis, quae infirmum non deseris, quae placatum non provocas ad furorem, quae iratum tyrannum in nullo metuis! O vera sanctorum martyrum fraternitas, quae nullis umquam casibus scinderis, quam non solum dissociare vel delere locorum vel temporum intervalla non praevalent, sed nec mors quidem ipsa divellere audet! Haec est enim vera et indirupta fraternitas, quae geminata amicorum perfectione ac virtute semper crescit, cuius ictum foedus nec desideriorum varietas, nec contentiosa dirumpit contrarietas voluntatum.

3. Sed dicet: quis habeat sanctorum martyrum firmitatem? Tenere non possum eos, sequi non valeo, martyrium modo non invenio, quia in tempore pacis sum constitutus. O tu homo, qui loqueris, attende, quod omni tempore diligit, qui amicus est: omni tempore martyrium est. Nam mori a persequente in aperto, martyrium est; et forte quod hoc martyrium nobis abest: sed ferre contumelias, odientem diligere, orare pro persequentibus, verba susurronum patienter portare, o quam grande martyrium est! Nam qui gladio occiditur, cito forsitan moritur: sed qui haec in tota vita portat, quamdiu, quam longe, quam poenose * martyrium portat! Eia igitur, Fratres, adiuvante domino Deo nostro, si patientiam in tribulationibus portaverimus, omnino martyrii palmam tenemus. Sine ferro et sanguine esse martyres possumus, si patientiam in animo custodiamus. Quamvis enim occasio persecutionis desit, habet tamen sancta ecclesia semper martyrium; quia etsi carnis colla ferro non subdamus, spiritali tamen gladio desideria in mente trucidamus; et sic martyribus sociati semper cum Domino erimus.

* ita cod.

CXCVII. SERMO EIUSDEM DE COMMUNI CONFESSORUM.

1. Fratres karissimi. Scire vultis, ut audio, quanta sit virtus paenitentiae 2): attendite et dicam, auxiliante Domino, quod potero. Fructus namque paenitentiae — Cod. vat. 470. f. 319. b.

1) Verba haec africanum certe auctorem sermonis suadent.

2) De paenitentia extat alia admonitio S. Augustini in B. PP. Lugd. T. VIII. p. 859. Item sermo LXVI. ad fratres in eremo. Item LXV. in ed. casin. paris. Ceteroqui hic noster vix sapit Augustinum.

aufert quod minatur dampnatio, sed totum confert quod promittit salus. O fructus paenitentiae! Mala aeterna aufers, et bona aeterna confers. Si ergo fructum fecerimus in ea, fructum capiemus ex ea: fructus quos faciemus in ea, meritum est; fructus quos capiemus ex ea, praemium est. Si facimus fructus dignos in mundo, capiemus ex eo fructus aeternos in praemio. Quid est ergo paenitentia, nisi dolor praeteritorum? Quid est fructus dignus paenitentiae, nisi delictorum satisfactio? Attendite ergo paenitentiae fructum et dignitatem. Attendite paenitentiam, habentes primo cordis dolorem. Attendite fructum per carnis macerationem, et per oris confessionem. Attendite dignitatem, caelestem mansionem. Tria autem sunt, dolor praeteriti, cave de praesenti, cave futura. Corrige praeterita et age paenitentiam. Sacramentum denique paenitentiae, Fratres, quid aliud est quam exterior exhibitio operis? Sed res sacramenti, vera cordis contritio. Si ergo sacramentum suscipis, opera paenitentiae facias, et habeas rem sacramenti in vera contritione. Tantà est enim paenitentia tua, quanta est contritio tua, quanta est devotio tua: contritio pro malo quod fecisti, devotio pro recuperando bono quod amisisti.

2. Nolite, Fratres mei, dicere: ego ieiunavi, tantum vigilavi, tanta opera misericordiae feci. Tantum in his omnibus fecisti, quantum in his omnibus perfecisti. Nolite, Fratres mei, nolite folia arborum numerare, sed fructus: nolite pensare paleam, sed grana: opus sine contritione, flos sine fructu: et contritio sine fructu, o quam modicum est! Non ergo pensare debemus bona quae fecimus, quia incerti sumus utrum perseverare possimus. Agamus igitur paenitentiam, ut non solum confessores, sed et martyres Christo efficiamur. Matrem sanctitatis abstinentiam ferventer capiamus, ut in caelis cum Domino gloriemur. Mater sanctitatis est abstinentia, sed mater aegritudinis voluptas. Abstinere enim debemus ab aliquibus ne comedamus, non quod mala, sed quod non bona sunt. Per abstinentiam corporis vitia extinguuntur; et caro non tamen occidetur: nam si chorda in cithara nimis extenditur, facile rumpitur. Sed quid prodest nobis corpus attenuari abstinentia et ieiunio, si animus intumescit superbia? Quid virtutis, vinum non bibere, si ira et odio cotidie inebriamur? Molestum est carere assuetis voluptatibus, et valde abstinere cibo, sitire, esurire. Sed attendite, Fratres, miraculum; videte spectaculum; audite dulce praeconium. Hi de mundo triumphantes sine vinculis tenentur, solo Dei timore confisi, in omni paenitentia perseverant. Nonne sicut et ipsi, Deo favente, poterimus, Fratres? Numquid Deus deficit nobis? Radicis amaritudinem, dulcedo pomi compensat: maris pericula, spes lucri delectat: medicinae dolorem, spes salutis mitigat. Nonne qui nucleum desiderat, nucem frangit? Paenitentiam ergo agat, qui aeterno bono vult adhaerere. Praeconia Christi narrare possunt, qui ad palmam indulgentiae meruerunt pervenire.

3. O paenitentia! tu languores sanas, leprosos curas, mortuos suscitas, sanitatem auges, gratiam conservas, claudis gressum, aridis copiam, caecis visum tribuis, vitia fugas, virtutes exornas, et mentes tuorum corroboras. Eia ergo, o peccator, non sufficit confessorem esse tantum ore vel nomine, sed opere et veritate. Non enim desperes, non diffidas. Ecce peccavit David, et solo verbo contritionis indulgentiam meruit. Nonne et Petrus felicior factus est, postquam Christum negavit et flevit? Nonne fortior? Nonne constantior? Quia flendo doluit, maiorem gratiam repperit post peccatum quam amisit. Nam nihil peccare, solius Dei est. Sed mala semper agere, omnino vestrum est. Quis in saeculo peccavit enor-

mius Paulo? Quis in religione gravius Petro? et tamen meruerunt per paenitentiam assequi non solum ministerium, sed et magisterium sanctitatis. Recordare etiam misericordiae, quam filio prodigo revertenti pater evangelicus legitur impendisse. Non ergo diffidere debemus, nec aliquem iudicare viventem. Nam multa sunt de iudicio Dei, quae homines ignorant: et fortasse quae laudamus, Deus reprehendit; et quae nos reprehendimus, ipse in fine laudabit. Quid ergo, Fratres, cum carne? Quid in saeculo isto maligno? Fugiamus, obsecro, de medio Babylonis, ut salvare possimus animas nostras: transmigremus ad loca deserti, fugiamus urbes, intremus solitudinem, ut possimus de praeteritis agere paenitentiam, et in praesenti obtinere gratiam, et futuram gloriam fiducialiter praestolari. Non vos retardet conscientia; quia ubi peccata abundaverunt, superabundare consuevit et gratia. Nec paenitentiae austeritas vos deterreat, quia non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, et ad praeteritam culpam quae remittitur.

4. Sed si verbo non creditis, operibus credite, exemplis adquiescite plurimorum. Currunt undique peccatores ad paenitentiam: nil credentibus impossibile, nil amantibus difficile, nil asperum mitibus, nil humilibus arduum repperitur: quibus et gratia fiet in auxilium, et obediendi devotio leniet imperium. Sic, Fratres mei, sanctissimi confessores Dei fecerunt, sic et speraverunt, sic et in saeculo fortiores Abraham comparuerunt. Nam Abraham sua divisit, alios dimisit, et sancti viri sua pauperibus donaverunt. Abraham Deo filium obtulit, et sancti viri se ipsos Deo obtulerunt. Abraham ignem parat, filium ligat, gladium evaginat, sed angelum audit prohibentem ne perficiat. Sed sancti viri ad ignem positi tribulationum, temptationum, calamitatum, Christum praedicant, Christum magnificant, Christum glorificant, dicentes: quis nos separabit a caritate Christi? ignis, vel gladius? Sic efficiuntur holocaustum Domino incensi igne caritatis, et exterius fere combusti flamma martyrii et tribulationis. Quod enim martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter divitias paupertatem tenere, inter flagella patientiam habere, inter maledicentes benedicere? Haec omnia donat mundus amicis Dei propterea pauperibus pariter et patientibus. *Paenitentiâ luxuriosus* filius cum meretricibus regnum caelorum emit. Sed in passione pro Christo, absque dilatione percipitur. Et tunc mundo moriuntur, et capiunt quod promittitur.

5. O pretiosa mors sanctorum! O pretiosa plane tamquam finis laborum, tamquam victoriae consummatio, tamquam vitae ianua, et perfectae securitatis ingressus! O Fratres mei, numquid isti mori timebant, dum in carne vivebant? Numquid mortem corporis timebant, quibus etiam vita iam promittebatur? Quis labores mortis timere debet, cum se in perpetua requie noverit collocandum? Eia ergo, Fratres, discamus amodo bene facere, quiescamus perverse agere: distinguamus * qualibet oculi vertentur obscurissimi in capite, qualiter venae corrumpentur in corpore, qualiter cor in morte scindetur dolore. Bene ergo vivamus, ut mori non timeamus; sed laete moriendo, mereamur cum sanctis omnibus collocari. Amen.

* ita cod.

CXCVIII. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI AD VIRGINES MONASTERII SUI 1). DE COMMUNI VIRGINUM.

1. Decet virgines christianas non solum corporis sed et mentis virginitatem servare. Quid enim prodest integra caro, mente corrupta? Melius est humile coniu- Cod. vat. 479. f. [illegible]

1 Sermo S. Augustini *de sanctimonialibus* fuit in codice prisco laureshamensi (Spic. rom. T. V.

iugium, quam superba virginitas. Quae est integritas mentis vel virginitas, nisi integram fidem, solidam spem, et sinceram caritatem servare? Decet igitur virgines christianas agnoscere, quibus praeceptis conveniat insistere, a quantis vitiis debeant abstinere, si volunt et in saeculo positae cum Deo esse, et cum eodem post vitae resolutionem in claritate caelesti regnare. Decet virgines christianas publicos primo aspectus vitare, platearumque frequentiam summe odire, sed in domo stricte reclusas Deum orare, et postmodum operi lanifico insistere. Decet virgines christianas nec ornatu capitis, nec habitu comae, nec oculis erectis, sed ad terram vultu deposito procedere, ne in se viriles inducant amores. Decet virgines christianas ab omni in conversando sermone vel risu penitus abstinere, et cum silentio et disciplina totam earum vitam ornare. Non decet virgines christianas, vel viduas, garrulas esse vel verbosas vel curiositate superfluas. Non decet virgines christianas se pulchritudine iactare, nec divitiis, nec generis nobilitate, sed in omni humilitate et paupertate spiritus Christo acceptae debent, quamdiu vixerint, permanere.

2. O quanta virginitatis gratia! o quanta sanctorum et sanctarum virginum constantia! o quam magna earum perseverantia! Supergreditur virginitas omnem conditionem humanae naturae, per quam virgines angelis maiores existimantur, salva sanctorum angelorum reverentia. Maior est victoria virginum quam angelorum: angeli sine carne vivunt, sed virgines in carne triumphant: angeli Dominum vident,
* ita cod. sed virgines Dominum, videndo semper ipsum, secuntur *: angeli comburi nec laedi in aliquo possunt, sed virgines ad ignem conductae non laeduntur in aliquo. Super angelos Deus sedet, sed super virgines Deus recumbit. Fortes sunt angeli, fortiores sunt virgines: pulchri sunt angeli, sed pulchriores sunt virgines: virtutes angeli et mirabilia operantur, sed maiora per virgines ostenduntur: mirabiles sunt angeli, sed mirabiliores in sexu fragili appellamus virgines. O sancta et immaculata virginitas, quae a Christo eligi meruisti, ut esses corporale Dei templum in quo corporaliter habitavit plenitudo deitatis! O virginitas, quae mundi salutem genuisti, quae universorum Deum et hominem rapuisti!

3. Amate hanc virtutem, o virgines Deo sacratae, ut sponsae Dei mereamini effici. Claudatis vasa vestra, ne perdatis odorem unguentorum vestrorum: claudatis oculos, ne videant vanitatem: claudatis aures, ne audiant vanitatem: claudatis singula corporis membra, servateque ea cui servare illaesa promisistis. Fugite non solum alienorum consortium, sed et cum parentibus nolite multum loqui. Quid enim loqui saeculares possunt, nisi quae saeculorum sunt? Cavete igitur ab eis. Audenter demum loquor: cum omnia possit Deus, sed suscitare virginem post ruinam,
* ita cod. omnino mihi credere forte est. Vigilate et custodite montem * virginitatis vestrae: parate lampades vestras, accendite eas, emite oleum humilitatis, ardete in caritate: estote virgines mente, quia virgo carne non mente numquid praemium habet? Amate fortiter, astringite florem ecclesiastici germinis decus, et ornamentum gratiae, portionem gregum Christi, angelorum sororem, libidinum victoriam, virtutum reginam, et possessionem cunctorum bonorum; quod nobis concedat ille etc. Amen.

p. 463.) Sermo eiusdem *de regula monasterii*, in codice bobiensi apud cl. Peyronium in catalogo. Ceteroqui hic noster fortasse est cento ex variis Augustini scriptis confectus.

Sequens sermo in codice bobiensi vat. antiquissimo 5751. *praeponitur illi Augustini, qui est* 123. *in appendice editionis maurinae. Quamvis igitur est anonymus, tamen propter praedicti propinquitatem, multoque magis ob codicis magnam antiquitatem, is a nobis heic collocatur, quamquam et aegre interdum in codice corrupto legebatur, nec mendis scripturae caret, et suboscurus est, atque Augustino vix dignus videtur.*

CXCIX. SERMO DE NATALI DOMINI.

1. Praeclara hodie Salvatoris et domini nostri gloriosa nativitas omnimodis splendida est et desiderabilis, dilectissimi Christiani, in eo quod communis effecta est ad omnium salutem. Praeclara itaque propter incarnationem luminis, quae exorta est: hodie nativitas Christi ex utero virginis: sicut ipse unigenitus prona devotione patris, adveniens tenebrosum mundum splendere clare quaesisset, in suo lucis adventu tale de se ipso legis protulit testimonium dicens: ego lumen in hunc mundum veni. Et quia ipse lucis sator rerum omnium auctor et conditor, verba sanctificationis enuntians, armavit propheticum os, qualiter patris *voluntatem* adimpleret, ut pro nobis ex virgine genitus esset in nobis, et caelorum faber nostro se plasmate * plasmavit. Quare ut eloquia Iudaeorum falsa contereret, doctrinam vitae fidelibus tribueret, verissimam scientiae vitam hodie in sua generatione omnibus nobis notam fecit, sinceram fidem annuntiavit, et elationem haeresum labefaciens, evitandam Iudaeorum insaniam destruxit, et prophetali voce intonuit, quod et omnis pariter ecclesia decantavit dicens: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.

Cod. vat. 5751. f. 76. a.

* Cod. *nostra plasma.*

2. Propter quod, dilectissimi Fratres, digne celebrantes Domini nativitatem, quae de caelo ad terras hodie facta est, propter nostram salutem, spem habeamus, et ad incapabilem 1) et ingenitum genitorem, unigeniti patrem; hoc scrutantes, quia si suum filium Christum esse non diceret pater, qualiter ipse filius diceret: « Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te?» Hodie enim per virginem creatus est homo animatus, atque lutea carne vestitus, ille qui ante principia mundi unigenitus et primogenitus eius filius annuntiatus est Deus. Hodie fons, qui ex virginea ortus est vulva, cunctas irrigavit quas * sataverat 2) creaturas, canente psalmista in alleluia 3): « et descendit sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.» Hodie unigenitus factus est, quod non fuit; permanens *in* natura deitatis, quod fuit. Hodie rerum omnium dominator propter servilem afflictionem *, servilem induit vestem; ita ut ingenuitatem signif . . . omnem dissolveret servitutem: immutavit enim generationis suae figuram, ut affligeret iniquissimum Belial. Patitur in accessu carnis per virginem, illam primi hominis iniuriam ab homicida conpescere, dum libertatis san-

* cod. *quod.*

* ita cod.

1) Forcellinus in lexico sic aiebat: *Arriani, apud Augustinum ep.* 174. (nunc 238.) *dicebant credere se Deum patrem invisibilem, ingenitum, incapabilem.* Glossae item Philoxeni: *incapabilis, ἀχώρητος.*

2) Observemus verbum *sato, as.*

3) Ps. LXXI. 6. Quod vero heic dicitur *alleluia*, id fortasse ad liturgiae locum aliquem rationemve pertinet.

ctae gratia natus, servili se induit veste. Videns enim homicida virginem, et habitu scandalizatus est, et offendens cecidit; quia inoboediens paradisi cultor dum per mulierem cecidit, ab ipsa et unigenitus Deus vitam exortus, omnium redemptio factus est animarum. Quoniam ergo patris voluntate in hoc mundo, mundi parens natus est, omnem mundum salvum facere; ideo et prophetico ore hodie ipse filius de patre intonuit dicens: « Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. » Sic enim expleta est carnalis Christi generatio, ut quod in principio nullus affuit mediator, novissime illa, quae ex virgine, generatio facta est. Gabrihel nuntius de caelo ad virginem missus est, dicens: « ave gratia plena, Dominus tecum, » Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: » quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. »

3. Nato igitur hodie ipso, cui et dicitur a patre, filius meus es tu . . ante incarnationem nullo manifestante; nunc vero in carne . . . Pastores igitur videntes stellam cuncta sidera superantem, ilico vigili *oculo* intuentes, conspexerunt regnantis esse stellam, quae pretio* venerat in ara . . . propheta legis, Spiritus sanctus exclamans dicit*: accipiet, inquit, ex virtute . . . spolia Samariae adversus regem Assyriorum. Et quia naturae nostrae plantatio... Qui natus est ex ingenito, hodie natus in hoc mundo perflagrabit* homi . . . intra corporeum vas dum resideret, nullam invenit sordiculam 1), trifaria . . munera quadruplex evangelium fidelibus condonavit per gratiam. Ipse enim qui reparator extitit saeculi, hodie natus in nobis, vita et resurrectio ostensus est. Cuius resurrectionis sanctum paschae diem nuntiamus vobis, dilectissimi Fratres, quod occurrit a die isto, luna illa: dies quoque sanctorum ieiuniorum similiter 2); quos digne celebrantes, conlaudemus ingenitum patrem per Christum eius et nunc, et in aeterna saecula saeculorum. Amen.

* ita cod. * Is. VIII. * ita cod.

Extat sequens fidei catholicae expositio in calce insignis codicis vaticani 5755, *saeculi ferme XI, post libros S. Augustini de Trinitate. Codex quidem nobilissimae originis est; dicitur enim bis sub initium tertioque in fine:* liber monasterii sancti Columbani de Bobio; *qui locus certe mihi est carissimus ac memorabilis, propterea quod multos studiis meis fructus obtulit. Iam vero a quonam auctore haec expositio sit, et utrum cognita an secus, non queo nunc accurate disquirere. Utique codicis saltem scriptor fortasse putabat esse ipsius Augustini, quia illam fini subtexuit postremi libri; immo partem eius quodammodo esse iudicavit, quia finita expositione, pergit dicere:* explicitunt libri beati Augustini de Trinitate. *Sane multae eiusmodi professiones fidei in antiquis libris leguntur, quas inter illa palmaris anonyma quam cl. Levis in anecdotis taurinensibus edidit, sed tamen temere Eusebio vercellensi attribuit; quamque nos etiam aeque anonymam in vaticanis codicibus vidimus. Nonnullas in operibus habet ipse Augustinus, itemque Hilarius de Trin. lib. IV.* 12. *VI.* 5, *et de synod. n.* 11. *Adde illas quae sunt apud nos in fragmentis Arianorum alio tempore editis. Verum haec nostra operi augustiniano de Trinitate apprime congruit. Igitur cum favore, sin minus, saltem cum venia, legentium eam heic exhibemus.*

1) Adde hoc exemplum unico Forcellini.

2) Haec ieiunii quadragesimalis et paschalis solemnitatis denuntiatio fit more graecorum Athanasii, Theophili, Cyrilli, in epistolis festalibus.

CC. INCIPIT EXPOSITIO FIDEI.

1. Profitemur nos credere indivisibilem et inseparabilem sanctam Trinitatem, hoc est patrem et filium et spiritum sanctum, unum Deum; ita unum et trinum, et ita trinum et unum: Trinitatem in distinctis atque discretis personis, hoc est patrem, ex quo omnia; filium, per quem omnia; spiritum sanctum, in quo omnia: unius tamen deitatis, unius essentiae, uniusque substantiae: in tribus quidem subsistentiis seu personis: ut pater, pater sit; filius, filius sit; spiritus sanctus, spiritus sanctus sit, in una natura, unaque substantia. Ut Deus unus et solus et summus credatur: non tres naturas introducentes, ut Arrius blasphemat, qui tres Deos praedicavit, excellentiorem, minorem, et inferiorem. Nos vero sanctam Trinitatem in unitate, et unitatem in sancta Trinitate confitemur. Nam cum dicimus omnipotentem patrem, appellatio huius paterni nominis ad filii personam adtenditur. Et cum dicimus aeternum filium, ad aeterni patris personam refertur. Et cum nominamus spiritum sanctum, ab aeterni patris persona procedere * demonstramus. Cum autem dicimus Deum patrem omnipotentem, non potest huius nominis evacuari sacramentum: quia cum dicimus patrem, filium demonstramus: et cum dicimus filium, patrem declaramus: et cum dicimus aeternum patrem, aeternum filium demonstramus. Nam si non invenimus initium vocabuli huius paterni nominis quando pater sit dictus, consequenter ostenditur, quia nec initium geniti repperiemus. Obsecramus ut detur nobis ratio, quando pater hoc vocabulum, ut pater vocitaretur sortitus est: si in tempore, si extra tempus, dicat nobis aliquis, quando primitus coeperit appellari: et si potuerit hoc adprobari, nulla erit dubietas, ex illo initio paterni nominis filium initium accepisse, quo pater nominatus est. Et si defecerit, immo quia et defecit, nec poterit adprobari, nec dari initium paterni nominis, quando pater esse coeperit.

Cod. vat. 5755.

* cod. *et cred. n.*

2. Profiteamur ergo sanctam Trinitatem coëssentialem atque consubstantialem, nec patrem ante filium, nec filium post patrem, aut spiritum sanctum inferiorem fuisse: quia dum initium paterni nominis non invenitur, nescimus qua ratione filio initium adscribatur: quia cum dicimus sempiternum Deum patrem, sempiternum Dei filium ostendimus. Ideo sanctam Trinitatem in una natura unaque essentia atque substantia in tribus subsistentiis sive personis profitemur. Credimus autem ipsum Dei Verbum, hoc est filium patris, sine initio genitum, eundem unum ex tribus subsistentiis de sancta Trinitate, aeternum filium, dispensatione facta, pro nobis et nostra salute descendisse incarnatum Verbum Dei, et hominem factum, intra virginis uterum veniens, sibi nostrae naturae virtutem ex sancta gloriosa Dei genitrice Maria virgine *sumpsisse*, perfectum Deum et perfectum hominem, in duabus naturis divinitatis scilicet atque humanitatis: consubstantialem item ipsum nobis secundum humanitatem; non in duos filios divisum, sed unum et eundem Dei et hominis filium, in veritate duarum na-

turarum, in una subsistentia sive persona, divinitatis videlicet et humanitatis, unione facta, ut ex duabus perfectis naturis non duo filii sed unus, idem Dei et hominis filius, permanens quod erat, coepit esse quod non erat: dum sine initio aeterni patris filius, factus est hominis filius. Ideo et unus est dominus.

Sequentem de oratione *tractatum, quamquam in collectorio Roberti insignitum sancti Augustini nomine, nemo tamen genuinum Hipponensis scriptum credere volet. Hunc Bartholomaeus urbinas in Milleloquio T. II. (ed. Brix.) col.* 1103. *ita describebat.* « *Liber* de orando Deum *non annumeratur in libro Retractationum; tamen magnus et utilis est ac delectabilis, eo maxime quod modos omnes persuadendi, et animum iudicis inclinandi, secundum artem rhetoricam, reducit ad modum orandi Daum. Incipit: quo studio et quo affectu.* « *Huius tractatus particulas aliquot recitat idem Urbinas. T. I. col.* 587. *T. II. col.* 279. 281. 438. *Nos quidem contenti vero Augustini* de orando Deo *tractatu, qui epistola CXXX. ad Probam continetur, omittendum hunc nothum omnino censueramus. Mox tamen reputantes multa in eo bonae frugis esse, nec fere alibi occurrere quam apud ms. Robertum, hunc ei voluminis nostri angulum occupare concessimus.*

CCI. INCIPIT SERMO SANCTI AUGUSTINI DE ORATIONE.

Cod. vat. 47. 187. b.

1. Quo studio et quo affectu a nobis orandus sit Deus, ex nostra miseria simul et ex conditoris misericordia considerare possumus. Quid enim affectius *a*) hominem ad orandi studium excitaret, quam miseria et captivitas vel calamitas tantorum malorum, quibus addictus *b*) premitur? Aut quid iucundius ad affectum traheret, quam misericordia conditoris, quam totiens inter sua mala experitur? Ne ergo mens humana ad orandum sit pigra, illinc ex una parte sua necessitate compellitur. Ne diffidens oret aut trepidans, illic Dei misericordia provocatur. Istis ergo duabus *alis*, scilicet miseria hominis, et misericordia conditoris, oratio sublevatur, quia dum mens alterna harum consideratione se incessanter ad devotionem excitat, quodam spiritualis desiderii impetu sursum levata volat. Sic ergo orationi sancta meditatio necessaria est, ut omnino oratio perfecta esse nequeat, si non eam sancta mens comitetur atque praecedat. Nam qui mala sua considerare negligunt, aut certe nihil petendo, facile per ignorantiam falluntur; aut minus digne quam opus sit, per desidiam tepescunt.

2. Primum ergo necesse est si prudenter et utiliter Deum orare volumus, iugi meditatione animum nostrum exercere, ut ex malorum nostrorum circumspectione discamus quid necesse sit petere, et ex consideratione misericordiae Dei, quo desiderio debeamus postulare. Cogitemus quam brevis sit vita nostra, quam lubrica sit via, quam incerta sit mors nostra. Cogitemus quod lugentes hanc vitam intramus, cum labore in illa vivimus, et cum gemitu exituri sumus. Cogitemus quantis amaritudinibus admixtum sit, si quid dulce etiam atque iucundum in huius vitae via occursu suo nobis alludit: quam fallax, quam spurcum, quam instabile, quam transitorium sit quicquid amator mundi percupit *c*), quicquid species et pulchritudo temporis promittit. Alia namque sunt mala in quibus nascimur; sed processu temporis occulta Dei gratia, sive per eandem gratiam, manifesta industria liberamur. Alia sunt quae nobiscum in hanc vitam veniunt, sed ante mortem non re-

a) Ita cod. — *b*) Cod. *adinctus*, quasi ab *adigo*, pro *adactus*. — *c*) Cod. *percurrit*.

cedunt. Alia sunt, quae cum tempore adveniunt, sed recedunt eo recedente. Alia sunt quae post nativitatem contrahuntur, sed ante mortem non evacuamus. Et quis omnia mala huius vitae enumerare potest? Ut enim praetermittamus ea mala quae omnes homines communiter opprimunt, quanta putamus secreta singulorum pericula 1) quique sibi conscii sunt. Siquis enim cogitaverit quae ab ineunte aetate mala fecerit . . . ponatque ante oculos tempora praeterita vitae suae consideretque diligenter quae et quot . . . labores inaniter pertulerit, quotiens ad huius vitae amores frustra desudaverit, quotiens in laboriosis conatibus fallaces exitus invenerit, profecto sciet quid de hac vita iudicet. Unde Salomon *: qui addit scientiam, addit dolorem. Quanto enim homo plus se ipsum intelligit, tanto plus suspirat et gemit. Postremo autem superest, ut in malorum consideratione nostrorum, etiam multae misericordiae Domini recordemur; quia tanto fiducialibus miserationes eius in fervore quaeremus, si quemadmodum nostri in praeterito misertus sit cogitemus, ad memoriam *revocemus* bona quae tribuit, quod in periculis constitutos saepe clementer eripuit, quod peccatis nostris numquam vinci potuit quominus misereretur, oblitos sui de se monuit, aversos a se revocavit, venientes benigne suscepit, petentibus indulsit, perseverantes costodivit, stantes tenuit, lapsos erexit, noxias delectationes in amaritudines commutavit. Rursus salubriter amaricatis suas consolationes tribuit, potremo a tribulatione purgatis pacem et quietém perfectam restituit: qui nec peccatoribus umquam defuit ut corrigeret, nec iustis ut custodiret.

* Eccli I. 18.

3. Quisquis animum suum his meditationibus ante orationis tempus exercuit, nec inprovidus fortassis nec trepidus ad orationem venit. Sancta namque meditatio assidua scientiam parit, scientia parta ignorationem expellit vel compunctionem ingerit, compunctio ingesta desidiam fugat et devotionem generat, devotio perficit orationem. Scientia est, quando homo illuminatur ad agnitionem sui: compunctio est, quando ex malorum suorum consideratione interno dolore tangitur animus: devotio est pius et humilis in Deum affectus in compunctione generatus. Humanus itaque animus malorum suorum magnitudine territus, propriis diffidens viribus, se ad Deum convertit, et eo ardentius eius patrocinium expetit, quo nihil extra ipsum sibi rectum videt in quo confidere possit. Est ergo devotio mentis conversio in Deum pio et humili affectu, humili quantum ad considerationem propriae infirmitatis, pio quantum ad dulcedinem divinae clementiae. Habet autem tres principales species et virtutes, quibus innititur, fidem spem caritatem. Numquam enim homo se ad Deum per devotionem converteret, nisi se crederet ab illo posse salvari, et eum velle misereri. Nisi Deum plus quam mala sua diligeret, nequaquam illa fugeret si in eo refugium eligeret. Credit ergo homo et sperat et amat: credit potentiam, sperat misericordiam, amat custodiam. Nihil est ergo oratio aliud, quam devotio, id est pio et humili affectu mentis in Deum conversio, fide et spe et caritate subnixa. Sed mens in oratione diversis modis per devotionem tangitur. Rursumque devotio mentis variis modis voce depromitur. Exigit mens aliquas orationis species distinguere, ut eius vires valeamus apertius demirari.

4. Tres sunt orationis species, supplicatio, postulatio, insinuatio. Supplicatio est quando vehementior necessitas nos cogit insistere precibus, devota et humilis precatio. Postulatio est, determinata petitione inserta narratio. Insinuatio est, sine aliqua

1) Hae et subsequentes lacunae sponte fiunt in codice relictis spatiis; quae res demonstrat, amanuensem ex antiquiore et evanido codice exscripsisse, et quae legi nequibant omisisse.

petitione per solam narrationem voluntatis facta manifestatio. Tria sunt supplicationum genera, captatio, et exactio, pura obiectio. Captatio est quae fit ante postulationem ad praeparandum et ad inclinandum animum auditoris, quod fit tribus modis. Primus enim modus captationis est, cum miseriam nostram indicando, vel meritum nostrum commemorando, aliquid dicimus quod nos commendare valeat in animo eius quem petimus. Secundus modus captationis est, quando aliquid in conditoris laudem dicimus, quo eum carum in animo nostro ostendamus, ut nostra caritate vicissim eius dilectionem mereamur. Tertius modus captationis est, quando adversarium accusando, eum potius odio quam amore dignum demonstramus. In hiis tribus modis fit captatio. His generibus supplicationum frequentissime utitur sacra scriptura. Hoc fit quotiens laudem dicimus, quotiens miseriam nostram commemoramus, quotiens adversariorum nostrorum malitiam accusamus. Hoc fit cum ad aures Dei, quicquid nostrae necessitati congruum, ante vocis petitionem eloquimur. Exactio est quae fit post factam postulationem, quando auditorem ne apud eius animum nostra petitio in oblivionem veniat, quadam ut ita dicam importunitate atque instantia memorem facimus. Quae memoria fit tribus modis; quando nos scilicet, vel petitionem nostram, vel utrumque in eius animo renovamus. Hoc genus supplicationis quamvis apud homines importunum videtur atque dampnabile, tamen apud Deum gratum habetur et laudabile.

5. Pura oratio est quando ex habundantia devotionis mens ita accenditur, ut cum postulatura se ad Deum convertit, amoris eius magnitudine etiam petitionis suae obliviscatur: et dum eius, quem videt, frui amore desiderat, eius pro quo venit libenter curam postponat. Hoc genus supplicationis uniforme est; et quanto prae ceteris omnibus est unicum, tanto prae ceteris omnibus est Deo gratum. Habent tria haec species suas; captatio, timorem; exactio, fiduciam; pura vero oratio habet perfectum amorem. Notandum quod genus aliquod supplicationis est, quod fit per sola nomina, ut: misericordia mea et refugium meum, susceptor meus et liberator meus, Deus meus et adiutor meus. Fit autem per sola verba, ut: respice, attende, miserere, et fac. Quandoque per nomina et verba, ut: verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum. Illud autem supplicationis genus, quod fit per sola nomina, quanto magis est exterius significatione perfectum, tanto magis est interius habundantia dilectionis plenum. Hoc enim habet quilibet affectus proprium, quod quanto ferventior est interius, tanto minus explicari voce videatur exterius. Illud autem genus supplicationis, quod fit per sola verba ad captationem. Quod vero per sola nomina, ad puram pertinet orationem; ut pura oratio magis nunc attendat, magis in iubilum convertatur, magisque Deo propinquet et efficacius optineat. Postulatio est magis determinatae petitionis inserta narratio. Et fit tribus modis, obsecrando, rogando, similiter postulando. Obsecratio est, quando vehementior necessitas nos cogit devotius insistere precibus. Rogamus autem in rebus mediocribus, in minimis autem postulamus simpliciter. Distinguitur et haec suis speciebus; quia supremum et excellentissimum est obsecrare, medium rogare, minimum vero simpliciter postulare.

6. Insinuatio est sine aliqua petitione per solam narrationem voluntatis facta manifestatio; et fit tribus modis, timore, fiducia, et contemptu. Timorata insinuatio est, quando gravis est causa quam agimus, vel grandis persona quam rogamus, ut est illud in evangelio: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset

mortuus. Voluit enim Deum rogare ut fratrem suum suscitaret; sed quia pro magnitudine et auctoritate personae timuit, insinuare potius quam rogare elegit dicens: Domine si fuisses hic etc. Dixit sic, ut intelligeretur voluntas, nec reprehenderetur temeritas; ut vel non exaudita, voluntatis suae consequeretur effectum. Fiducialiter insinuamus, quando de facilitate causae et benivolentia personae confidimus; et ideo petitionem nostram exprimere non curamus, sperantes nos sola insinuatione optinere quod volumus. Ut in evangelio mater sua dixit Domino: vinum non habent. Non dixit, peto ut defectum suppleas poculi, vina creando vel mutando: quoniam hoc maternae reverentiae deberi existimavit, ut quicquid illa se velle insinuasset, nullam a filio pati deberet repulsam. Et hoc utique iustum erat, si aliquid petisset, quod ille ex natura quam ab ea sumptam gerebat, facere potuisset. Nunc autem quodammodo iuste quasi de praesumptione criminatur, cum in natura quam non dederat, obedientiam in miraculo exigebat. Unde et ei * dictum est: quid mihi et tibi, mulier? Miraculum enim facere virtus Dei est, non hominis. Unde Christus 1) . . miraculum facere a matre exigitur, non . . Deus mulierem non matrem de praesumptione . . . enim non ut mater a filio exigere, sed si necesse esset . . . miraculum deberet a Deo postulare. Con . . . fit insinuatio quando vilis causa agitur, et humilis persona rogatur, sed omnino a divina oratione secluditur, apud homines maxime potentes et superbos maximo studio exercetur. Sicut supra dicta, et ista suas habet species; quia insinuare cum timore insipientium est; ex fiducia, perfectorum; ex contemptu, maiorum. * cod. sibi.

7. Iterum de oratione quosdam movere solet, quod cum in orationibus nostris Deum pro salute vivorum, et requie defunctorum precari volumus, nonnumquam quosdam psalmos decantamus, qui illa verba petitionis non habent, vel ad nostram petitionem non pertinent 2). In aliis etiam scripturis eandem movent dubitationem, cum vel petendi formam non explicant; et illa quae nos agimus, esse non concordent. Aiunt enim: quid prodest in oratione verba ponere, quibus nihil vel aliud quam necesse sit invenimur a Deo postulare? Non orat, sed potius ad iram Deum provocat, qui cum se in eius conspectu oraturum constituit, subito se ad alia, quae ad rem non pertinent, replicanda convertit. Ecce pro peccatorum remissione Deum orare volumus; quid ad hoc nobis prodest, si «quare fremuerunt gentes» vel «attendite popule meus etc.» vel alium huiusmodi psalmum decantamus? Nonne ridiculum est, si talia cantantes nos orare credimus? Sunt aliqui fortasse qui hoc credunt, credentes quod nihil proficimus, si talia nostris orationibus admiscemus. Sed qui hoc dicunt, parum credo intelligunt supradictam specierum orationis efficaciam. Hoc enim genus supplicandi multoties ad impetrandum invenitur efficacius, quam illud quo modum et formam petitionis nostrae explicamus. Et licet hoc ex supradictis evidenter intelligi possit, si hoc demonstretur tamen, quid nisi amplius veritas patefiat? Sed hoc interest quando rogamus Deum, et quando rogamus hominem, quod homo necessitatem nostram scire non potest, nisi edoctus fuerit; Deus vero scit ante quam rogetur, quid rogare necesse sit. Homo igitur cum ro-

1) Rursus spatia vacua in codice, id est lacunae sponte relictae.

2) Contra haec argumenta scripserat Augustinus librum nunc deperditum, de quo sic Retractat. lib. II. cap. 11. *Hilarus quidam vir tribunitius laicus catholicus, morem qui tunc esse apud Carthaginem coeperat, ut hymni ad altare dicerentur de psalmorum libro, maledica reprehensione ubicumque poterat lacerabat, asserens fieri non oportere. Huic respondi iubentibus fratribus, et vocatur liber ipse contra Hilarum. Hic liber sic incipit: qui dicunt mentionem veteris testamenti.*

gatur, per narrationem edocetur quid velimus; per supplicationem autem pulsatur ut annuat quod petimus. In illa autem quae ad Deum est oratione, non est opus nostra narratione, nisi ad hoc forte homo narret, ut ipsum sese melius intelligat, et per narrationem suam admonitus, quid petat consideret; et per considerationem petitionis excitatus roget devotius. Non enim Deus habet necesse narratione doceri ut sciat, sed supplicatione pulsandus est, ut annuat. Sane autem numquam Deus citius ad annuendum flectitur, quam dum orantis animus ad eum tota intentione per devotionem convertitur. Sola ergo quantum ad Deum sufficere . . supplicationis devotio, nisi ad hoc formaretur oratio, ut orantis affectus ad maiorem accendatur devotionem. Quaecumque ergo verba orantis si congrue proferri possunt, animum ad Dei amorem excitent; vel, quod amplius est, excitatum iam demonstrent Deum: non, ut eum, quasi nescientem doceant, sed ut in orante devote devotionem augeant; quia, sicut dictum est, Dominus in oratione non docetur, sed orans monetur considerare quid petat, ut devotius oret. Sola autem supplicatio cordis sufficit, quantum ad Deum, cui omne cor et omnis voluntas loquitur. Quantum ad hominem utile est petitionem verbis exprimere, quia solent in devotione orantem attendere. Nequaquam igitur, ut quidam aiunt, ab oratione nostra illa verba excludenda sunt, quae tamen petitionem nostram non explicant, orantis autem affectum ad maiorem devotionem inflammant.

8. Sed quoniam humanus affectus diversis modis per devotionem attenditur, volumus ipsos modos distinguere, et distinctos exemplis demonstrare. Sed prius notandum est quod omne supplicationis genus quibusdam videtur a nostris secludi orationibus ad captationem pertinens; quam videlicet captationem quamvis superius speciem supplicationis diximus, tametsi diffusiorem eius acceptationem non solum supplicando, sed etiam postulando et insinuando captamus. In captatione benivolentia auditoris captatur, quod fit tribus modis, sive quando aliquid in eius laudem dicamus; sive quando nostram miseriam ostendamus; sive quando aliquid quod adversarii depressionem expectat *: proprius dicamus omnes illas scripturas, quas ab orationis usu quorumdam secludit opinio. Idcirco convenienter posse et utiliter debere ad impetrandum quod petitur ab oratoribus reversari *, quia in nobis devotionem augent et cor nostrum; sive laudem Dei dicendo, ad eius amorem excitant; sive memoriam nostram commemorando, nos in conspectu eius humiliant; sive adversariorum nostrorum malitiam accusando, nobis utilem sollicitudinem, et maiorem de Dei misericordia fiduciam praestant. Laudem Dei, in bonitate eius atque potentia agnoscimus; miseriam nostram, in hoc quod fragiles et peccatores sumus; adversariorum malitiam, quaecumque fuit quantumcumque protracta. Quid per haec omnia nisi iustum Dei iudicium in causa nostra et ultionem divinam? De adversariis enim, divino iudicio relinquamus. Quid est quod pro hac humilitate et devotione non debeamus inpetrare a Deo? Quicumque igitur psalmos aut alias quascumque scripturas in orationibus suis decantaverit, consideret diligenter cui affectui deserviat, et pro posse suo cor suum ad illum affectum applicet, ad quem magis pertinere videt. Si enim affectum eorum quae canuntur habuit, per ipsum affectum sic instituta solet oratio optatum consequi effectum.

* id est *spectat*.

* ita cod.

9. Quam sit autem Deo gratus bonus cordis affectus, ipsa etiam consuetudo, quamvis vitiosa sit, quandam tamen virtutis imitationem ostendit. Certe videmus saepe adulatores, quantum illis a quibus aliquid expetunt se devotos simulant; pro-

cedentibus saepe obviant: in turba constitutos pomposis salutationibus honorant: transire volentibus viam praeparant: dominos adventare proclamant: aliis locum dare iubent: in medio cathedras constituunt: pulvinaria substernunt: se pedibus provolvunt: ex antiquis historiis priorum magnalia replicant, et si in eis non inveniunt quid laudent, priorum tamen facta ad filiorum facta retorquent: se devotos esse filios non solum dicunt, sed iurant; et quod esse nolunt, hoc omnino videri volunt; non quod tales essent quales non sunt, sed esse se fingunt. Iuste culpari possent: iuste, si hoc malum esset, quod tales essent, cur tanto opere tales videri se fingerent? Nec ob aliam causam multotiens in petitionibus suis repelluntur, nisi quod tales se esse simulant, quales non esse sciunt. Hoc quidem iuste. Ut ergo quod nos a Deo petimus mereamur optinere, studeamus ei non simulatam devotionem, sed veram caritatem offerre; ostendamus foris, nos intus habere gratiam, vel gratia Domini caritatem devotionis; et non solum ostendamus, sed habeamus; quoniam si solum ostendimus, non veri amatores sed adulatores sumus. Et quia Deum per simulationem decipere non possumus, nos per nosmet ipsos decepti sumus, quemadmodum illi simulatam devotionem praetendunt, ut captent benivolentiam eorum, quos precari intendunt. At nos in vera caritate Deum nostrum praeveniamus, ut ab eo petitionem optineamus. Beatificemus amicos Domini, indulgeamus inimicis eius, laudemus in eo potentiam, admiremur sapientiam, praedicemus bonitatem, approbemus aequitatem, ostendamus ei necessitatem nostram, indicemus ei miseriam nostram, confiteamur ei culpam nostram, offeramus ei obedientiam nostram manifestemus ei adversariorum nostrorum, daemonum scilicet et pravorum hominum, malitiam, iniquitatem, crudelitatem, astutiam, et tyrannidem: quod ei adversantur, qui nos persecuntur: quod nobis hostes sunt, qui ei contradicunt. Malimus nos iram inimicorum perpeti propter eum, quam cum eis abire contra eum. Omnes igitur scripturae vel quae ad captationem faciendam pertinent, sive captatio fiat per supplicationem, sive per postulationem, sive per insinuationem, ab orationis usu alienae non sunt: quia quamvis earum quaedam petitionis non habeant verba, habent piae devotionis efficaciam, per quam orantes citius impetrant, quam per verba quae petitionem explicant.

10. Sed quia ex affectu dilectionis omnis pendet effectus orationis, quamvis non possumus omnes scire, quia infiniti sunt huiusmodi affectus, aliquot tamen enumeremus, et enumeratos exemplis demonstremus, ex quibus possimus convincere, quid in orationibus coram Deo gratum sit atque laudabile. Affectus dilectionis est, quando mens nostra aliquid sibi gratum videns vel reminiscens, subito amoris igne corripitur. Affectus admirationis est, quando mens nostra aliquid novum vel mirabile contemplans, quodam stupore perfunditur. Affectus gratulationis est, quando mens nostra ad quod sibi placet intuens, quadam iucunditate exhilaratur. Affectus humilitatis est, quando mens nostra ex consideratione propriae infirmitatis, sponte sua ab elatione conprimitur. Affectus doloris est, quando mens nostra ex praesentium malorum intuitu conteritur. Affectus timoris est, quando mens nostra ex praevisione imminentium malorum contabescit. Affectus indignationis est, quando mens nostra in adversariorum odium, ob magnitudinem iniquitatis eorum, inflammatur. Affectus zeli est, quando mens nostra ex amore iustitiae ad ultionem tenditur. Affectus bonae praesumptionis est, quando mens nostra ad vindicandum quippiam plus solito maiori fiducia armatur. Ex his enim affectibus, illi qui pre-

cantes * vel praecedentes praecipue pertinent ad illud genus scripturarum, in quo fit laudatio; quia ex commemoratione bonitatis surgit affectus dilectionis: ex commemoratione potentiae et probitatis surgit affectus admirationis: ex commemoratione facti fidelis et prosperi surgit affectus congratulationis. Alii enim tres affectus conveniunt illi modo scripturarum, in quo fit miseriae recordatio et calamitatis. Affectus enim humilitatis consurgit ex recordatione propriae infirmitatis. Affectus doloris, ex praesentium malorum intuitu. Affectus timoris, ex imminentium poenarum praevisione. Isti tres ultimi affectus, ut cum scriptura accusat et invehitur in adversarios, contra iniquitatem eorum: scilicet, indignatio contra iniuriam; zelus contra malitiam; fiducia vel bona praesumptio contra perfidiam. Singulorum exempla sunt haec. Ex affectu dilectionis cantatur psalmus: diligam te. Ex affectu admirationis: Domine, Dominus noster. Ex affectu congratulationis: omnes gentes plaudite. Et in omnibus his fit laudatio. Ex affectu humilitatis cantatur psalmus: in te Domine speravi. Ex effectu doloris: usquequo, Domine, oblivisceris me? Ex affectu timoris: ne in furore tuo arguas me. In his omnibus est infirmitatis commemoratio. Ex affectu indignationis cantatur: quid gloriaris in malitia? Ex affectu zeli: Deus ultionum Deus. Ex affectu bonae praesumptionis: iudica me Domine, quoniam ego. Et in omnibus his] invehitur in adversarios. Et notandum quod non omnis psalmus per unum texitur affectum, sed ab uno in alium trahitur, secundum quod mens diversis modis per devotionem accenditur. Quis autem autem omni psalmo insit affectus, prolixioris operis tractatum expetit. Explicit.

De Gregorio narekiensi, elegante permultorum operum auctore, cuius auctoritates pro B. Mariae privilegio conceptionis immaculatae, nos protulimus p. 452. *n.* 3, *legendus est liber egregius Archiepiscopi Sukias Somal*, Imago historiae litterariae Armeniorum, *praesertim p.* 63. *Preces eius sacrae, quod ab Armeniis dicitur incomparabile opus, extant etiam in codice vaticano IV. armeniaco, cum eiusdem Gregorii vita litteris quadris scripta a Thaddaeo presbytero, ut nos diximus Script. vet. T. V. part. II. p.* 241.

Atque heic finem facimus edendorum S. Augustini ex vaticanis praesertim codicibus sermonum; non ita tamen ut hanc fodinam exhausisse credamus. Etenim nec omnes codices divi doctoris manu tractare, nec ipsos cognitos digno satis otio considerare potuimus; praeter quam quod variae temporum vices et calamitates nostram operam saepe disturbarunt. Ceteroqui secundae huius voluminis parti nobilissimum Augustini Speculum reservavimus, cum aliis bonae frugis scriptis ad augustinianum aes pertinentibus. Nunc nonnullorum ecclesiae patrum pauca scripta, quae inter Augustini explorationem nobis se casu obtulerunt, appendicis loco subtexemus.

DE SUPPLEMENTO QUODAM SANCTI HILARII.

In maurina sancti Hilarii super psalmos commentariorum editione, (ed. repet. Veron. an. 1730.*) sub finem, id est in psalmo* ·CL·, *apparet lacuna cum hac adnotatione:* versus quinque fugientibus ms. litteris legi non potuerunt. *Verba haec scilicet, non tam Maurinorum patrum credenda sunt, quam prisci parisiaci editoris, qui anno* 1605. *vulgavit Hilarii partem ex codice tunc monasterii Miciacensis (in provincia aurelianensi) deinde Reginae svecae, et nunc denique vaticano. Quae cum ita se haberent, spectavimus nos hunc codicem n.* 95, *et incommodum editionis hiatum expleri posse cognovimus. Sic itaque legimus:*

tribuens quod oculus non vidit, nec cor cogitavit, nec auris audivit, vi *a*) magnitudinis suae | etiam laudandus sit. Multitudine, diversas mansiones dignitatibus laudantium deputans,| et caelestium corporum claritatem multifario honore distinguens, qui nobis ut adprehen|dere liceat latitudinis, altitudinis, et profundi infinita, praestiterit. Non leves *b*) autem prophe|tia tantae laudis *c*) patitur esse concentus. Omnigena itaque studia laudis *d*) adquirit, | tubae, psalterii, citharae *e*), et tympani, chori, organi, et cymbali. Laus enim Dei haec omnis| in sanctis est ad laudem (eius. Quoniam) Deus secundum apostolum *etc.*

Prosequitur codex usque ad finem operis cum unica varia lectione depelleret *pro* depulerit. *Deest tamen in editione clausula codicis, quae litteris maioribus ita se habet:* FINIT TRACTATUS DE PSALMIS ·CL· IN CHRISTO DOMINO NOSTRO. AMEN. *Atque haec clausula favet illorum opinioni, qui cum Maurinis totum psalterium, non eius partem, ab Hilario fuisse commentariis illustratum censent. Sed ecce et aliud leviusculum commodum praedictus codex suppeditat. Etenim in extrema codicis et tractatus pagina legitur litteris maximis exarata subscriptio, qua Petrus abbas* 1) *dicitur hunc codicem recensuisse. Extat haec in maurina praefatione, ex parisiensi libro sumpta, sed insigni cum sphalmate: namque ubi editio habet*: quem Petrus abbas scribi iussit, et pilio labore providit atque distinxit. (*quod vocabulum* pilio *in margine explicatur* nestorio, *saltemque dicendum erat* nestoreo) *codex optime habet* et proprio labore providit *etc. Item inferius ubi in editione legitur* aliquando ingenio, *codex emendat* aliquo ingenio.

Quoniam satis diximus de praestante codice commentariorum Hilarii in psalmos, notitiam quoque duorum aliorum largiemur codicum pal. vat. 167, *et reg. vat.* 314. *super Matthaeum. Prior quidem mutilus non pervenit nisi ad cap. XIV.* 7, *eiusque vetus epigraphe est:* sancti Hilarii incipit expositio in evangelium Matthaei, super titulos quatuordecim. *Alter inscribitur:* incipit tractatus sancti Hilarii super Matthaeum, *decurritque integer usque ad operis finem. Apparet igitur triplex huius operis nomen:* expositio, tractatus, *in editione autem* commentarius. *In utroque codice videbam statim in primo verbo varietatem ab editione, nempe* gressus *pro* gradum; *et mox* agnationem *pro* cognationem. *Plura nunc persequi haud vacat. Uterque codex saeculi ferme decimi; et quidem palatinus paulo fortasse vetustior. Regii codicis patria antiqua patet in calce, ubi sic:* Explicit liber beati Hilarii super Matthaeum. Liber sancti Maximini miciacensis. *Igitur ex uno eodemque monasterio Regina sveca tum* 95. *codicem, tum etiam* 314. *obtinuit. Sed iam de Hilario paulo maiora canamus.*

a) Cod *bi.* — *b*) Cod. *levis.* — *c*) Cod. *laudes.* — *d*) Cod. *laudes.* — *e*) Cod. *citharu.*

1) Fuit hic Petrus I, qui praeerat Miciacensi monasterio anno 839, vel 840, regnante Ludovico Pio. (Gall. christ. T. VIII. col. 1529.) Nam de Petro II. cogitare non licet, qui longe recentiore aetate fuit abbas, nempe ab anno 1438, prout in citato loco Galliae christ. narratur. Est autem codicis nostri species vetustissima, et quidem ante dimidium saeculi noni, ut Petri I. abbatis nomen demonstrat.

DE NONNULLIS SANCTI HILARII SERMONIBUS ET DE EIUSDEM HYMNO SEROTINO

DISSERTATIO PRAEVIA.

1. *Iamdiu optaveram sancti Hilarii pictaviensis, catholicae ecclesiae eximii doctoris, scriptum aliquod inter anecdota mea recitare. Et scripta quidem eius* de mysteriis, *et* in epistolas septem canonicas, *dixi iam in Script. vet. tomo III. part. II. p.* 165, *me in catalogo manuscripto (qui est in Bib. vat.) codicum casinensium numerata vidisse, frustra tamen in monasterio illo quaesisse: quamquam prius certe* de mysteriis *inter Hilarii scripta recenset S. Hieronymus de vir. ill. cap.* 100. *Hactenus itaque unicum nos Hilarii novum fragmentum dederamus in spicilegio rom. T. VI. praef. p.* 35, *ex eius ad apostolum Paulum commentariis, et quidem graece a Graecis recitatum. Nunc audio, a redivivis in Gallia Maurinis, viris doctissimis, novos Hilarii parari prelo, vel iam forte prelo subductos, commentarios ad aliquot Pauli epistolas, quam nos editionem cupide expectamus. Missam vero facimus epistolam illam, quam sine nomine auctoris inventam, nonnisi coniecturaliter Hilario inscripsit Trombellius PP. lat. opusc. T. II, ad quem lectores ablegamus. Obiter etiam monemus, fidei formulam, quae sub Alcuini nomine extat in calce hilarianae editionis, quamque Leunclavius cum Hilarii nomine lectam olim ediderat, hanc inquam nos quoque in codice vaticano* 115. *f.* 92. *legisse Hilario inscriptam; sub eodemque nomine laudari observavimus abs Iohanne Plusiadeno graeco apud Allatium in Graecia orthodoxa T. I. p.* 633.

2. *In hac igitur augendi Hilarii, si fieri possit, cogitatione defixus, dum codicem vaticanum* 4222. *magnae molis, litteris langobardicis pervetustis scriptum, qui mihi Augustinum quoque feliciter auxit, accuratius evolverem, duos intersertos Hilarii sermones animadverti, et quidem eius nomini diserte inscriptos; quorum prior de Matthaei, posterior de Iohannis evangeliorum initiis agebat; qui sane meum animum multa hilaritate adfecerunt. Profecto Hilarii homilias varias periisse, certissimum est; et quidem illas omnes ad librum Iobi, quas Hieronymus et Augustinus non semel commemorant. Quodque ad rem nostram propius accedit, prooemium nominatim Hilarii expositionis suae evangelii secundum Matthaeum, legebat Cassianus lib. VII. de incarn. cap.* 24. *(ab eoque exscribebat Alcuinus contra Felic. lib. IV.* 11.*) ex quo fragmenta brevissima habemus in calce veronensis Hilarii editionis T. II. p.* 712. *Atqui ad hoc expositionis in Matthaeum prooemium pertinet prior codicis vaticani homilia seu tractatus; quod in primis, comparata eius clausula cum Catena aurea a divo Thoma aquinate ex ecclesiae patribus texta, confirmare evidenter licet. Ad illa itaque verba Matthaei cap. I.* 25 Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, *haec habentur in Catena.* Hilarius in homilia. Propter sanctissimae Mariae glorificationem a Iosepho cognosci non potuit, donec peperit. Dominum enim gloriae habens in utero, quomodo cognosceretur? Si Moysi cum Deo colloquentis glorificata est facies, ut non possent intendere in eum filii Israël, quanto magis Maria agnosci vel intueri non poterat, quae dominum potentiae in utero habebat? Post partum autem a Iosepho agnita invenitur specie faciei, non tactu libidinis. *Ibi vero P. Nicolaus Thomae adnotator sic ait: « nihil tale in Hilario, cuius nec stilum sapit, cum nec ullas penitus homilias » inveniatur edidisse, nec verbum* intueri *passive (ut hic) usurparet. Cuius autem sit, non oc» currit. »*

3. *Atqui heic multifariam fallitur P. Nicolaus, primo quia nullas extitisse Hilarii* homilias *dicit, quas omnino diserte nominant Augustinus contra Iulianum lib. II. cap.* 8. *n.* 27. *nec non Hieronymus epist. LXI, et adv. Rufinum lib. II.* 14, *itemque de vir. ill. cap.* 100, *quo*

postremo loco easdem homilias dicit tractatus *(Et sic reapse, quam apud divum Thomam vetus Catena, nec non Glossa dicunt* homiliam, *codex noster vaticanus dicit* tractatum. *Iterum fallitur Nicolaus, quia etiam Glossa ordinaria praedictam sententiam Hilario tribuit. Denique frustra idem Nicolaus Hilarii stilum in tam brevi fragmento negare audet, aut de eo iudicare. Verbum autem* intueri *passive usurpatum frustra vellicat. Etenim in fragmentis Arrianorum a nobis editis Script. T. III. part.* 2. *legitur p.* 218. intuere *forma activa, ex qua passiva generari, ut scimus, potest. Porro illi Arriani cum Hilario vivente decertabant, ut patet in citatis fragmentis XVII. et XVIII. Et quidem p.* 233. *contumeliose arrianus ita: « vanissimus Hilarius circumvenit mentes innocentium. » Item Dynamius priscus grammaticus, nondum editus:* contemplamur ea, quae mente sola intuentur. *Adde quod Furlanettus in appendice lexici bis apud Commodianum legit* intuite *pro* intuemini. *Et quidem iam antea Forcellinus legerat apud Ammianum hist. XXIII.* 5*: « contacta loca nec in- « tueri nec calcari debere. » Neque tamen ignorabat Hilarius sensu activo verbum* intueri, *ut apud nos tract. in Ioh. n.* 7.

4. *Iam vero divus Thomas memor ab se editae aureae Catenae, in proprio ad Matthaeum commentario ita scribit. «* non cognoscebat, *alii dicunt quod accipitur pro agnitione sensibili; » et sic est satis probabilis horum opinio. Dicunt enim quod Moyses ex locutione Domini habuit » tantam claritatem in facie, ut filii Israël non possent intendere in faciem eius. Ergo si ex » consortio Dei hoc habuit Moyses, multo magis haec beata Virgo, quae portavit eum in utero, » habuit tantam claritatem in facie, quod Ioseph non cognoscebat eam. » Idem divus Thomas totam immo Hilarii homiliam in codicibus se legisse, satis demonstrat etiam superioribus verbis quae scribit: « si ergo admonitio in somnis tantum valuit, quod non coniungeret se Mariae, » quanto magis angelorum cognitio (id est visiones)? etc. » qui locus reapse paulo retro occurrit n.* 10. *in nostra homilia seu tractatu. Attamen doctus P. Calmetus in suo ad Matth. I.* 25. *commentario haud melius P. Nicolao loquitur, seu potius aeque ac ille alucinari videtur. Sic enim scribit. « S. Hilarius laudatus a S. Thoma hic, et auctor Glossae ordinariae, tradunt Virginem pa- » rentem, quamdiu in utero puerum gessit, vultum habuisse insolita luce adeo micantem, ut fixis » oculis a Iosepho spectari, et oris lineamenta discerni non possent. Id autem totum designari » ab evangelistis verbis illis,* non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogeni- » tum etc. *Indignam plane sancto Hilario opinionem, apud quem frustra illam quaeras! » Sandinius item in sacrae familiae historia, ubi de divo Iosepho agit, relata brevius illa opinione, concludit: « haec pia commentatio nullo sacrarum scripturarum, nullo traditionis testimonio robo- » ratur. » Pedibus itaque trahunt hanc opinionem Nicolaus, Calmetus, Sandinius, atque ante hos Erasmus in commentario, quorum tamen nemo homiliam nostram agnovit; qua item non lecta, reverentius tamen locuti fuerant de Hilarii opinione Maldonatus et Emmanuel Sa in commentariis. Denique Cornelius a Lapide in comm. ad hunc Matthaei locum, ita narrat « S. Hilarius citatus » hic a S. Thoma in Catena, Dionysius carthusianus, et Gagneius, sic exponunt: sicut Iudaei non » potuerunt inspicere et cognoscere faciem Moysis ob radios lucis, quos quasi cornua illi Deus » afflaverat, dum cum eo colloqueretur in Sina; sic nec Ioseph poterat intueri, et cognoscere » B. Virginem, utpote quae Deum habebat in utero, ideoque facie erat radiantissima: nato au- « tem Christo, fulgor hic et gloria faciei desiit, tumque a Ioseph videri, et agnosci potuit. »*

5. *Sed enim mirabilem aut mysticam Hilarii sententiam cum vetustis aliis testimoniis comparare, operae pretium est. In primis Epiphanius haeres. LXXVII.* 20. « Ἀλλ' ὅμως ἔγνω τὴν Μαρίαν » ὁ Ἰωσὴφ, οὐ κατὰ γνῶσίν τινα χρήσεως, οὐ κατὰ γνῶσιν κοινωνίας· ἀλλ' ἔγνω αὐτὴν, τιμῶν » τὴν ἐκ Θεοῦ τετιμημένην· οὐ γὰρ ᾔδει αὐτὴν τοιαύτης δόξης οὖσαν, ἕως ὅτε εἶδε κύριον ἐκ » γυναικὸς γεγεννημένον: *iam vero quod Mariam Iosephus cognovisse dicitur, non ad usum ali- » quem corporis, atque solitae consuetudinis referenda ista cognitio est. Sed ideo cognovit, quod*

» *cui divinitus honorem haberi viderat, eandem honore prosecutus fuerit. Neque enim tanto illam* » *splendore ac gloria praeditam putaverat, donec e muliere natum Dominum animadvertit* ». *Iam vero etiam operis imperfecti in Matthaeum priscus auctor, qui est in tomo VI. Chrysostomi ed. Maur. p.* 260. *ita scribit:* » vere non cognovit *eam ante, cuius fuerat dignitatis, quae unigeniti* » *Dei facta fuerat mater: sed postquam peperit, tunc cognovit eam, quia speciosior et dignior facta* » *fuerat, quam totus mundus etc.* » *Eusebius alexandrinus, perantiquus sine dubio auctor (de cuius aetate nos disseruimus tum in Spic. rom. T. IX. praef., tum etiam in hac bibliotheca T. II. p.* 499.*) in suo decimo sermone a nobis edito Spic. tom. cit. p.* 676. *sic item loquitur.* « Οὐκ » ἔγνω αὐτὴν, τουτέστιν οὐκ ἔγνω φησὶν τὸ ἐν τῇ γαστρὶ πόθεν ἐστὶν τὸ ἀγαθὸν γέννημα, οὐκ » ἐγίνωσκεν τίς καὶ πῆ ὑπῆρχεν· οὐκ ἐγίνωσκεν ὅτι Θεὸς ἐν τῇ μήτρᾳ κατοικεῖ· οὐκ ἐγίνωσκεν ὅτι » ὃν ὁ οὐρανὸς καὶ γῆ οὐκ ἐχώρει, τοῦτον ἐν τῇ κοιλίᾳ ἐβάσταζεν· οὐκ ἐγίνωσκεν τὴν οἰκονομίαν » τὴν γινομένην, ἕως ὅτε εἶδεν τὸν ἀστέρα λάμποντα ὑπὲρ τὸν ἥλιον, καὶ τὴν παρθένον γεννήσασαν καὶ πάλιν μείνασαν παρθένον ἄφθαρτον, τοὺς ποιμένας σὺν ἀγγέλοις ὑμνοῦντας τὸν » γεννηθέντα κύριον, καὶ τοὺς μάγους δῶρα προσφέροντας κ. τ. λ. *Non cognoscebat eam, id est non* » *cognoscebat, inquit, quod in eius ventre erat praeclarum germen, unde esset. Non cognoscebat quae quantaque illa esset. Non cognoscebat, Deum in eius utero habitare. Non cognoscebat,* » *quod quem caelum tellusque non capiebant, hunc illa in suo ventre gestaret. Non cognoscebat* » *factae dispensationis rationem; donec vidit stellam prae sole splendentem, et virginem peperisse,* » *simulque virginem incorruptam mansisse; pastores cum angelis natum Dominum canentes, et* » *magos dona offerentes etc.*» *Postremo Nicetas in catena Corderii ad Matth. loc. cit.* «Ὁ Ἰωσὴφ τῷ μὲν λόγῳ τοῦ ἀγγέλου ἐπίστευσεν εἰπόντος ἐκ πνεύματος ἁγίου συνειληφέναι τὴν παρθένον· οὐκ ἐγίνωσκε δὲ αὐτὴν καὶ τῇ πείρᾳ παρθένον εἶναι, ἕως οὗ ἔτεκε· τότε γὰρ ἰδὼν ἄνευ » ὠδίνων τεκοῦσαν, ἔγνω τῇ πείρᾳ καὶ τῇ καταλήψει, ὅτι ἀληθῶς ἐκ πνεύματος ἁγίου συνέλαβε· » τὸ οὐκ ἔγνω, τὸ οὐκ ἔμαθε δηλοῖ.—Ἕως γὰρ τῆς γεννήσεως, οὐκ ἔμαθε τῇ πείρᾳ ὁ Ἰωσὴφ » ὅτι ἐκ πνεύματος ἁγίου ἡ παρθένος συνέλαβε, καὶ παρθένος μεμένηκε: *Ioseph quidem sermoni* » *angeli crediderat dicentis, ex Spiritu sancto concepisse virginem, non tamen experientia cognoscebat virginem illam esse, donec peperit. Tunc enim videns eam sine dolore parientem, cognovit experientia, deprehenditque eam vere ex Spiritu sancto concepisse.—Non cognoscebat,* » *significat non sciebat.—Usque ad nativitatem non cognoscebat experientia Ioseph de Spiritu sancto virginem concepisse, ac virginem permansisse.* »

6. *Iam ut ad Hilarium redeamus, eius quidem sententia, saltem in postremis verbis, ab allegatorum a nobis patrum expositione discrepat: hi enim, ante partum non cognitam, id est agnitam, qualis esset, Mariam dicunt: post partum autem virgineum, et post miracula, tum demum abs Iosepho dignitatem Mariae cognitam. Verumtamen in hoc praedicti omnes cum Hilario congruunt, ut verbum* cognoscere, *non de notitia et usu carnali, sed de notitia spiritali intelligant: in quo sane sensu cardo omnis nobilissimae interpretationis vertitur. Illa autem paulo admirabilior sententia Hilarii, de lucido quasi velamine Mariam ante partum obvolvente, ab eiusque cognitione Iosephum veluti prohibente, divum certe Thomam, ut alios omittamus, non invitum suffragatorem nacta est; a quo* satis probabilis opinio *appellatur. Atque haud scio, an huc fortasse respiciant Cassiodori de Hilario verba inst. div. litt. cap.* 18. « *Hilarius pictaviensis urbis* » *episcopus, nimia profunditate subtilis, et cautissimus disputator, altasque divinarum scripturarum abyssos in medium reverenter adducens.* »

7. *Reliquum est, ut auctori praefationis maurinae ad Hilarium (quem Petrum Coutantium fuisse scimus) respondeamus, qui cap. III, ubi de operibus eius agit quae exciderunt, ita scribit:* « *Neque magis cum Hilarii locutione consentit homilia in initium Matthaei Hilario in vaticano* » *ms.* 1267. *adscripta cum hoc initio:* Satis anxie satisque trepidanter, cur sanctissimus

» Matthaeus tali usus sit principio, exponere aggredior: *quaeque clauditur his verbis:* qua- » tenus autem excitata sit haec generatio per apostolos, satis ut opinor in quaestione ge- » nerationum discussum est et ostensum. » *Age vero primo quidem fallitur in codicis numero Coutantius; nihil enim prorsus Hilario inscribitur in codice vat.* 1267, *quem inspeximus, sed tantum in codice vat.* 4222, *quo nos utimur. Praeterea diversum citat initium finemque sermonis Coutantius; quamquam reapse verba ab eo laudata, in nostro sermone sunt n.* 3. *et* 7. *Neque puto Coutantium (quem Romam numquam venisse, ex eius vita satis comperio) totum vidisse sermonem; alioqui prolixius accuratiusque de eo locuturus erat. Immo vix dubito, quin saltem in Hilarii appendice (ut solent maurini editores, et ipse Coutantius) scripto huic locum fuisset adsignaturus. Et certe non legit in hoc sermone Coutantius locum a Catena aurea, a Glossa vetere, et a divo Thoma laudatum; fieri enim non potuisset, quin has saltem refutasset aut elevasset auctoritates, si ipse scripti authentiam oppugnandam censebat. Uno nititur argumento stili Coutantius, quem alienum ab hilariano existimat. Atqui hoc est saepe inbecillum, ut scimus, argumentum inter ea quae pro vel contra, in ferendo de libris iudicio adhibentur. Quin adeo si forte Coutantius totum non vidit sermonem, sed ex aliena potius relatione cognovit (puta sodalium suorum religiosorum Romae degentium) sententia quidem Coutantii non est, sed cuiuslibet eum per litteras edocentis. Haec nos necessario doctissimi Coutantii adfirmationi reverenter opposuimus; quamquam ne nos quidem irretractabilem sententiam proferre praesumimus. Eatenus enim Hilario auctori favemus, quatenus id pati videbitur veritas, cui nihil umquam anteponere fas est; cuius mei dicti memores lectores criticos esse rogo* 1).

8. *Superest iam, ut aliud adhuc Hilarii scriptum sane lubenter ex vaticanis codicibus excitemus. A pictaviensi Hilario sacros hymnos fuisse compositos, certissimi testes sunt S. Hieronymus de viris ill. cap.* 100, *nec non in praef. ad lib. II. commentarii in ep. ad Gal. Item S. Isidorus Offic. lib. I. cap.* 6, *cuius verba praecipue merentur referri.* « *Hilarius gallus, episcopus picta-* » *viensis, eloquentia conspicuus, hymnorum carmine floruit primus.* » *Denique quartum Concilium toletanum can.* 13; *quos locos iam recitavit Coutantius praef. ad Hilarium n.* 20. *Sed enim gravis fit reprehensio a Faustino Arevalo in Dissert. de hymnis eccl., quam hispanicae hymnodiae praeposuit, ubi p.* 52. *n.* 6. *sic loquitur.* « *Benedictini editores operum sancti Hilarii ne-* » *gligentiae arguendi sunt, quod hymnos eius ex legitimis monumentis colligere omiserint.* » *Revera benedictinus editor Coutantius unicum posuit circa tomi II. calcem Hilarii hymnum, qui dicitur matutinus. Videlicet genuinam illam, teste Fortunato, ad Apram* 2) *filiam epistolam concludebat Hilarius duplici hymno matutino, et serotino sapphico, ut ait in dictae epistolae fine:* « *interim* » *tibi hymnum matutinum et serotinum misi:* » *quem postremum excidisse adfirmabat Coutantius T. II. col.* 523. *ed. Veron. Attamen idem postea col.* 530. *post meliorem notitiam Roma, ut puto, acceptam sic de serotino hymno scribebat.* « *In ms. aliás Card. Sirleti, tum Altempsensis* » *bibliothecae, nunc Card Ottoboni, hymnum matutinum sequitur alter prolixior, qui serotinus* » *existimari possit, in superiore ad Apram epistola memoratus. Certe in serotinum tempus ap-*

1) In mediolanensi codice bibliothecae ambrosianae litt. S. 59. ord; sup. dubitavi nuper, propter quaedam mihi olim adnotata indicia, numquid esset Hilarii incognitum. Deinde tamen a praeclaro illorum codicum Custode monitus fui, nihil id aliud esse quam librum de synodis, cuius nonnullas varietates mittebat, collato codice cum editione veronensi T. II. ubi col. 512. D. 10. *scandalum*, cod. *scandalo*. Col. 513. A. 2. *Arii*, cod. *ariani*. Ibidem B. 8. *decreverunt*, cod. *decernunt*. Col. 515. B. 2. *dicis*, cod. *dices*. Col. 516. B. 9. *Eustathi*, cod. *Eustasi*. col. 517. A. 9. *quiescentes*, cod. *quiescentes iam*. Ibidem B. *coeperimus*, cod. *ceperimus*. Item 7. *in anathemate*, cod. *anathema*. Ibidem 10. *perturbat religionis*, cod. *perturbet religiosis*. Col. 529. A. 10. *ut-destinarem*, cod. *et-destinare*. Col. 520. Ai 3. *conscientia*, cod. *constantia*. Causa vero mihi dubitandi fuit, quod ibi ad col. 518. insertum erat absurde a bibliopego folium alienum, cuius apographum ad me missum comperi esse fragmentum ex S. Innocentii PP. I. epistola, quae est 183. inter augustinianas.

2) Fretus melioribus auctoritatibus *Apram* malo dicere quam *Abram*.

» *prime convenit. Ab astris enim exordium ducit: estque generalis quaedam confessio animi, qui* » *lasciviae, superbiae, invidiae, discordiae, inanis gloriae, gulae, ac gestientis laetitiae vitiis se impetitum ingemiscens, una Dei misericordia, Christique meritis fretus veniam precatur.* » *Praeterea arianae haeresis tempora in hoc sapit, quod fidelem animum professus, Arium ac* » *Sabellium nominatim detestatur, nec ullum his addit haereticum, nisi forte ad complendos ver-* » *sus Simonem magum. Tamen dictio non videtur Hilario digna. Ubique versuum mensura, syl-* » *labarum potius quam pedum numero terminatur. Et cum sermo deberet esse feminini generis,* » *si a filia canendus esset hic hymnus, ubique est masculini. Ex initio et fine iudicet lector, quid* » *de hymno reliquo sentiendum sit.* » *Scribit deinde Coutantius primas duas hymni strophas, totidemque postremas. Has porro quatuor strophas incaute, tamquam si hymnus totus ex his constaret, in Hilarii editione virceburgensi T. IV. p. 2. Oberthurus posuit; qui etiam cum Alcuino et priscis nonnullis hymnum quoque* gloria in excelsis *partim adscribere vult Hilario.*

9. *Age vero nos hunc serotinum Hilarii hymnum in ottoboniano vat. cod.* 757. *f.* 142. *b. feliciter vestigantes nuper invenimus. Nunc autem post recitatum ingenue de eo Coutantii iudicium, superest ut id ipsum debita cum modestia refutemus.* 1. *Gravissimum hic hymnus serotinus habet ab ipso auctore testimonium, ut suprascripta Hilarii verba declarant.* 2. *In nostro ottob. codice scribitur epistola ad Apram, ibidemque statim hi duo hymni matutinus et serotinus subtexuntur, uti reapse in Hilarii autographo epistolae ad Apram extiterunt.* 3. *Quod dictionem esse Hilario dignam, vix aut ne vix quidem adsentiatur Coutantius, id me magnopere non movet, qui praecedentem matutinum, Coutantio ipsi minime suspectum, haud maiore prorsus cum venustate dictatum video: immo serotini dictionem matutino paene praetulerim.* 4. *Accuratas metri regulas in christianis poëtis non esse exquirendas, docti omnes sciunt; qua super re consulere licet Arevalum de hymn. eccl. cap.* 24. *S. Ambrosius ipse de sacris scriptis in commentario ad Luc. lib. II.* 42. *sic aiebat:* « *negligere verba debemus, spectare mysteria.* » 5. *Nequaquam, ut putat Coutantius, Simonem magum memorat ob complendos versus Hilarius, quod in gravi auctore non est praesumendum; sed in Simone Simonianos intelligit, quorum secta diu lateque perduravit, ut haereseon scriptores narrant. Ceteroqui grunnientem dicit apte Simonem propter libidines, in quibus se tamquam immunda sues volutabat, et propter foeda ab eo instituta mysteria, de quibus in haeresi XXI. Epiphanius.* 6. *Quod demum in serotino hymno utatur masculino genere Hilarius, ea propemodum frivola Coutantii obiectio est. Utique enim mittebat hunc hymnum ad filiam Hilarius, sed tamen eundem, aeque ac ceteros hymnos, christianis omnibus idoneum esse volebat; et ipse in primis eum auctor, pro sua animi dimissione ut puto, recitabat. Nonne et ceteras Ecclesiae preces, quamquam masculino genere expressas, uterque Christianorum sexus quotidiano usu frequentat?*

10. *Igitur ex toto hymnorum Hilarii libro, ut diserte appellat Hieronymus, quatuor saltem nobis reliqui hymni sunt* 1. *Matutinus.* 2. *Serotinus, quem nunc edimus.* 3. *De Christi vita, apud B. Thomasium opp. T. II. in hymnario p.* 405: hymnum dicat turba fratrum, *qui hymnus habet testimonium ab Hincmaro lib. de non trina deitate, quemque insignis criticus Vitus Iuvenatius peculiari dissertatione Hilario vindicaturus erat, teste Arevalo de hymn. eccl. p.* 52. *not. b. Quartus de epiphania apud eundem Thomasium p.* 358: Iesus refulsit omnium, *sumptus ex collectione poetarum christianorum Georgii Fabricii chemnicensis Mitto autem quod hymnum quoque* te Deum laudamus *nonnulli codices, etiam vaticani, Hilario dant. Et quidem Abbo floriacensis (auctor saeculi X.) a nobis editus class. AA. T. V. p.* 346. *ex codice olim pithoeano, postea Reginae svecae, sic scribit:* « *In Dei palinodia, quam composuit Hilarius pictaviensis, non iuxta quorumdam errorem* suscepisti, *sed potius* suscepturus, *legendum est:* tu ad liberandum suscepturus hominem. *Ne quis vero miretur desideratam aliquatenus diligentiam Maurinorum in Hilario, au-*

diamus adhuc Arevalum de maurina quoque S. Ambrosii editione similiter loquentem op. cit. p. 26. « *Maurini, inquit, in hymnis edendis nimium parci ac religiosi fuerunt; et testimonia » Bedae et Hincmari rhemensis, quosdam sancti Ambrosii hymnos laudantium, aut ignorarunt » aut contempserunt.* » *Sic Arevalus. At ego Maurinos facilius putem non habuisse prae oculis ea testimonia, quam tantopere contempsisse, ut ne mentione quidem, nedum refutatione, digna putaverint. Interim moneo, ceteris quos Arevalus ac B. Thomasius nominant Ambrosii hymnos, addendum esse alium de Trinitate incipientem:* omnia terna vigent, *ut docet catalogus codicum casinensium a nobis partim vulgatus in Spicil. rom. T. V. p.* 222. *Nunc in novissima apud Gallos S. Hilarii editione collectos demum, quantum licuit, S. Ambrosii hymnos audio. Quamquam et ante hoc tempus bene de hymnis Ambrosii meritus fuerat in operum suorum tomo secundo B. Thomasius.*

I. TRACTATUS SANCTI HILARII EPISCOPI.

1. A transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quattuordecim dicuntur, et tredecim inveniuntur. Huius rei ratio nobis exponenda est. Quaestio haec generationum iuxta regulae rationem solvitur. Scribitur in lege, ut si defunctus fuerit quis sine filiis, frater aut proximus eius accipiat uxorem ipsius, ut suscitet semen in nomine defuncti. Est ergo Ioseph duorum filius, unius iuxta carnem, id est Iacob; et alterius iuxta legem, id est Heli. Iacob cum esset proximus, accepit uxorem Heli *a*), et generavit Ioseph. Idcirco Matthaeus enumerans generationes, filium dicit Iacob; Lucas eum, iuxta legem scribens evangelium, servans regulae suae rationem, filium dicit Heli; iuxta illud videlicet quod iam dudum in lege fuerat praeceptum, ut in nomine defuncti, qui sine filiis excesserat, suscitaretur semen, deputabatur in nomine defuncti filius; sicut hic Ioseph deputatur filius Heli. Sed veritatis imaginabat lex personam. Ubi ergo completum est, imago percurrens abscessit, et veritas loco suo fixa stetit. Igitur ut plenius ostendatur, nullum in nomine defuncti suscitatum, nisi ei cui res parabatur, Iacob genuit filium; et non eum nominavit Heli, sed Ioseph. Cod. vat. 4222. f. 37. a.

2. Superest nunc ut intellegamus, apostolos omnes quasi unum virum, qui fratres a Domino sunt appellati, iam non dicam vos servos sed fratres, accipientes ecclesiam post mortem Domini, id est post eius passionem. Et vere suscitatus est ab eis filius in nomine defuncti, id est Christi, populus Christianorum, qui vere ex defuncti nomine nominatur. Matthaeus evangelium sic incipit: « liber generationis Iesu Christi filii David, filii » Abraham. » David Christum dicit ob hoc, quia multis in locis idem Christus dictus est David 1): vel quia Maria ex eadem tribu et Ioseph fuerit, id est de tribu Iuda, unde et David. Idcirco et Christus verus et aeternus rex nominatur vel dicitur David. Multi volunt, generationem, quam enumerat Matthaeus, deputari Ioseph; et generationem quam enumerat Lu-

a) Cod. *eius*. Sed *Heli* intelligitur, et ita scribendum fuit.

1) Sic apud S. Cyrillum comm. in ps. XXXII. 1. et XCVI. 1. in hac nostra bibliotheca T. III.

cas, deputari Mariae; ut quia caput mulieris vir dicitur, viro etiam eiusdem generatio nuncupetur. Sed hoc regulae non convenit, vel quaestioni quae est superius: id est, ubi generationum ratio demonstratur, verissime solutum est 1). Ut superius dictum est filium David Christum, sic David, sic Abraham, sic Adam, sic Dei. Quia ab Adam decurrens generatio pervenit ad Abraham; et ab Abraham ad David regem, ut superius dictum est; ostendit verum et aeternum regem Christum, sicuti prophetae dixerunt. Ut autem intellegi manifestius possit, cur Iudas cum esset quarto loco natus, acceperit benedictionem, et non primitivus natus, haec ratio
f. 37. b. fuit. Cum sit mos in lege non alium accipere benedictionem, nisi qui maior natu sit, et qui habeat promogenita, Ruben primogenitus illa ratione non accepit, quia incestaverat concubinam patris. Simeon et Levi illa ratione, quia cum indigne ferrent stuprum Dinae sorori suae illatum ab Emor et Sichem, circumcisos civitatis viros, et in dolore constitutos, gladiis interfecerunt. Quo facto, his non contulit benedictionem, quae datur Iudae, quarto loco nato: propter illum numerum, quo Salvator propter historiam et legem et prophetiam venerat, qui solus benedictionem totam habet: sicuti Iudas, qui quartus fuit, accepit benedictionem, qui leo et catulus leonis est dictus. Iam tunc Christus ob potentiam leo dictus, qui victor et triumphator diaboli, etiam ipsius mortis invenitur.

3. Satis anxie satisque trepidanter 2), cur sanctissimus Matthaeus tali usus sit principio, exponere aggredior 3). Ait namque: « liber generationis » Iesu Chisti filii David, filii Abrahae. » Quaeritur ergo principii istius ratio, quare sic coeperit, cum Lucas praemissa quadam oratione coeperit evangelium conscribere. Sed quia veterum scripturarum series studens novitati, et quaecumque vetus testamentum singulariter continet, novum ipsa veritatis ratione adimplevit; iam dudum enim fuerat per sanctissimum
*Ps. XXXIX. 8. David ita praenuntiatum *: in capite libri scriptum est de me; non inmerito sanctus Matthaeus ita praefatus est dicendo: liber generationis Iesu Christi; hoc est, in capite libri scriptum est de me 4). Quod Spiritus futurum sciens, dicebat librum evangelii, qui nativitatem filii Dei contineret. Vel quia Hebraei Christum venturum manifeste sciunt, vel quia iam venisse non credunt, idcirco tali principio Matthaeus utitur dicendo: liber generationis Iesu Christi, et cetera. Illa igitur ratione filius dicitur David, quia ex prosapia David, per virginem Mariam erat venturus. Hic est quem
* Gen. XLIX. 9. sanctissimus Iacob in benedictione Iudae demonstrans *, leonem et catulum
* Deut. XVIII. 15. leonis dixit. Et Moyses sanctissimus ait *: « Prophetam vobis suscitabit do-

1) Scilicet in parte adhuc amissa aut latente prooemii hilariani in Matthaeum.

2) Similiter Hilarius de Trin. II. 12. ubi de Filii generatione; *aestuo, differor, hebesco, et unde incipiam nescio.* Propterea fortasse in loco superius citato dictus fuit a Cassiodoro Hilarius *càutissimus disputator.*

3) Verba haec a Coutantio relata diximus p.474.fin.

4) Satis longa nec perspicua periodus, ut aliae interdum Itaque merito S. Hieronymus epist. LVIII. 10. aiebat: *sanctus Hilarius longis interdum periodis involvitur, et a lectione fratrum simpliciorum procul est.* Praeterea codex vaticanus, barbarico saeculo scriptus, gravibus mendis non caret.

» minus Deus vester de fratribus vestris. Hunc sicut me audietis. Erit au- » tem, quaecumque anima non audierit prophetam illum, eradicabitur de » populo suo *. Vel quia Esaias Emmanuhelem, id est nobiscum Deus, per » virginem venturum dixerit. Et Hieremias: hic Deus noster, et non repu- » tabitur alius. In terra visus est, et cum hominibus conversatus est. *»

* Is. VII. 14

* Baruch. III. 36.

4. Ideo ergo Hebraeis occurritur, ut quem venire sperant, iam venisse certo certius eis demonstraretur. Et ideo ne sit aliqua excusatio, tali principio sanctissimus Matthaeus utitur: liber generationis Iesu Christi filii David; carnalem scilicet generationem describens, quia sic venturus per prophetas est annuntiatus, id est ex David. Quia virgo Maria per traducem veniens David, non inmerito ait propheta *: virga ex radice Iessae, et flos de radice eius ascendet. Virga, Maria; flos ex virga, Christus dominus, filius Abraham. Prius enim quam circumcideretur, Abraham credidit Deo, sicut scriptura testatur *: credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam. Ergo Abraham iustus, qui credendo, pater fidei invenitur. Denique ad eius contubernium et sinum omnes fideles inveniuntur. Quod autem ait: filii David, filii Abraham; Christus dominus noster, quia per Abraham; ex tribu Iuda, quia per David, decurrentibus generationibus, ex Maria virgine carnem accepit. Idcirco dicitur filius David, ut per prophetas idem filius Dei dicitur David, et David filius Abrahae, a quo generationum propter iustitiam a sanctissimo Matthaeo sumitur principium. Ergo quia iustus est filius Dei, qui iuste iudicat, et iustitiam diligit, et rex est perpetuus, merito generationem secundum carnem sanctissimus Matthaeus ab Abraham exorsus est. Sed quia per traducem, et David regis fecit mentionem, ostendit filium Dei Iesum Christum et regem; merito eius iustitiae, et regalis secundum carnem progenies ascribitur.

* Is. XI. 1.

* Gal. III. 6.

5. Decursis igitur generationibus Matthaeus et ostensis, rursus recapitulat dicendo: « ab Abraham usque ad David generationes quattuordecim. » Et a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quattuor- » decim. Et a transmigratione, Babylonis usque ad Christum, generationes » quattuordecim. » Facit tres ordines ter decusquartus 1), quo fiunt quadraginta duo. Non sine ratione hoc scripsisse invenitur; sed diligentius ratio stili eius requisita, et magna cum sollicitudine discussa 2), ordinum factorum nobis mysterium adiuvante Deo patefiet; testimoniis scilicet ad hanc 3) rem pertinentibus contractis et perquisitis. In parabola enim seminis boni invenimus per eundem Matthaeum enuntiatum, incipientem scilicet a centesimo fructu ad sexagesimum, et a sexagesimo ad tricesimum, qui sunt ordines tres. Qui ordines hactenus simpliciter accipiendi sunt. Centesimus fructus, perfecta fides, ut centenario Abrahae, id est patri fidei,

1) Animadvertamus vocabulum *decusquartus*, quod est evidens in codice, (nisi mendum librarii est) pro *decimus quartus*.

2) Hilarius, teste Cassiodoro ut iam diximus, *nimia profunditate subtilis*.

3) Abhinc ob male compactum codicem, regrediendum nobis fuit ad fol. 24. b. ubi tractatus continuabatur.

natus sit Isaac. Vel quia centum 1) in manu dextera tenentur, quod est dextri lateris, in qua parte agni collocati inveniuntur a pastore. Ideo ergo ab Abraham incipit, qui est pater fidei, generationes enarrare. Sexagesimus autem fructus, secundus ordo est virginum. Ordo enim primus usque ad David: secundus vero ordo a David usque ad transmigrationem. Merito ergo a David ordo virginum declaratur, in sexagesimo scilicet fructu, quia virgo Maria ex David, de qua dominus noster Christus carnem accepit. Tricesimus autem fructus ordini tertio conveniens, a transmigratione Babylonis ad Christum; ideo quia Christus dominus et Deus noster, ut ait Lucas evangelista « et ipse Iesus erat incipiens fere annorum triginta, » ut *a*) putabatur esse filius Ioseph. » Quibus annis passus est dominus noster Iesus Christus.

6. Videmus ergo haec omnia spiritaliter in filio Dei, Deo ac domino nostro, deputari, in quo perfecta iustitia et virtus invenitur consummata. Et quia sanctissimus Matthaeus, descensionem filii Dei nititur insinuare e caelis ad terram, quando dignatus est nostri causa venire, et hominem induere, ideo a centesimo numero ad tricesimum pervenit, id est a maiori summa ad minorem, hoc est de caelis ex illa gloria, ad hominis corpus induendum descendisse filium Dei demonstrat. Et ideo a centesimo ad sexagesimum de caelo veniens ad virginem per quam editus, ad tricenarium numerum veniens annorum, quo tempore passus est. Lucas 2) autem evangelista passionem eius et ascensionem, et ad dexteram patris sessionem, a tricesimo numerans fructu, quot annorum passus est; et ad sexagesimum veniens, quod est caro virginalis incorrupta; quam Dominus ab inferis suscitans, secum pertulit ad caelos. Centesimi autem fructus adimpletio fidelis, et martyrii Christi cum virtute et potentia perfecta, ad dexteram patris consedisse manifestum est. Non immerito et Lucas evangelista, generationes a Christo rursum per Ioseph numerans, id est ab homine usque ad Deum perveniens, verissime eius ascensionem demonstrans, a Ioseph per David et Abraham, et per Adam usque ad Deum *b*) pervenit. Et quem dixerat filium, ut *c*) putabatur esse, Ioseph: hunc dicit filium esse Dei. Igitur quia fides vel martyrium, quod est centesimus fructus; et virginitas, sexagesimus; et tricesimus, virtus; omnia haec per gradus, quos diximus, in filio Dei qui in omnibus, utpote Deus, perfectus invenitur, conveniunt et concurrunt. Quod autem Matthaeus a centesimo ad sexagesimum, et inde ad tricesimum decurrit, descensionem domini nostri Iesu Christi ostendit, quippe qui iuxta carnem nativitatem eius descripserit. Lucas *d*) autem quod a tricesimo ad sexagesimum, et inde ad centesimum percurrit, demonstrat, ut superius dictum est, passionem, id est virtutem qua diabolum vicit per crucem et incontaminatam carnem, quam resuscita-

a) Cod. *quod*. — *b*) Cod. *Christum*. — *c*) Rursus cod. *quod*. — *d*) Cod. *Marcus*.

1) Respicit ad parabolam pastoris boni, qui habebat centum oves.

2) Cod. mendose *Marcus*; et sic rursus inferius *Marcus autem quod a tricesimo* etc. Sed *Lucas* utrubique scribendum fuisse, et amanuensis alucinationem nunc corrigendam, quis dubitet?

tam imposuerit in caelis; et ideo a minori summa, rursum ascendere ad maiorem numerum invenitur; non inmerito, ut supra exposuimus, aquilae gerit imaginem 1), qua eum ad caelum volasse demonstrat. Et quia tres ordines numerantur de fructibus, de quibus breviter demonstravimus, tres etiam ordines in generationibus demonstrantur, et numero certo ascribuntur. Quique tres ordines generationum et seminum, sine dubio trinitatem patris et filii et spiritus sancti demonstrant.

7. Sed quia novissima summa, *quam* a transmigratione Babylonis usque ad Christum dixerat, generationes quattuordecim inveniuntur, scrupulum quoddam legentibus incutit, quasi Matthaeus vel mendacii reus, vel subtractor unius arguatur, cum praescriptus numerus non totus inveniatur. Ideo necesse est hoc quoque omni diligentia exponere ac discutere, et veritatem patefacere. Ergo quia numerus unius generationis facit nobis quaestionem, cum quattuordecim dicuntur, et tredecim inveniuntur, spiritalis intellectus invenit istam generationem, quae in numero non invenitur. Dinumeratis scilicet generationibus iuxta carnem, una inde ad simplicem intellectum invenitur esse subtracta; sed, ut dixi, spiritali intellectu numero conveniente significantur. Et sic incipit veritas evangelistae, cui nec mentiri nec fallere licet, tota luce clarescere. Dicit igitur, usque ad Christum generationes quattuordecim; et tredecim inveniuntur. Sequitur spiritalis generatio, quae licet numeretur inter carnales, non tamen in eo numero inveniatur. Sic enim decet ut ea generatio, quae de saeculo non est 2), cum saeculi generationibus non inveniatur. Quartadecima spiritalis est, de qua sic rettulit dicendo: Christi autem generatio sic erat. Christi autem generatio ecclesia intelligitur. Et merito David ait *: Deus autem in generatione * Ps. XIII. 6.
iusta est. Haec generatio Christi, id est ecclesia, in qua filius Dei permanere invenitur. Igitur quia ecclesia Dei spiritali nativitate renata, in saeculo non est, habens scilicet conversationem caelestem, quam Salomon in nave figurans ait *, inter se naves in pelago natantes non cognoscere; * Sap. V. 10.
id est conversationem vel generationem ecclesiae in saeculo non posse repperiri; siquidem actus eius et nativitas sit spiritalis; et ideo generatio iusta, in qua filius Dei consistit, ecclesia est; de qua dictum est: Christi autem generatio sic erat. Quatenus autem excitata sit haec generatio post apostolos, satis ut opinor, in quaestione generationum discussum est et ostensum *. * n. 2.

8. « Cum esset disponsata * mater eius Maria Ioseph, ante quam conveni- * ita cod. de.

1) De varietate: qua veteres symbolica animalia Evangelistis adsignarunt, insignis est S. Augustini locus de consensu Evangelistarum lib. I. n. 9. *Mihi videntur, qui ex apocalypsi illa quatuor animalia ad intelligendos quatuor evangelistas interpretati sunt, probabilius aliquid adtendisse illi, qui leonem in Matthaeo, hominem in Marco, vitulum in Luca, aquilam in Iohanne intellexerunt; quam illi qui hominem Matthaeo, aquilam Marco, leonem Iohanni tribuerunt* etc. Et quidem Irenaeus, quem alii Graeci sequuntur, de haer. lib. III. cap. 11. Iohanni leonem, Marco aquilam tribuit. Porro heic quoque videmus mutilum esse hunc Hilarii tractatum, seu prooemium in Matth., quia desunt nonnulla, quae se ait supra exposuisse.

2) Sic fere Hilarius comm. in Matth. cap. I. 3. ultimam, seu XIV, generationem dicens illam aeternam Christi.

» rent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. » Hanc igitur conceptionem Mariae futuram sanctissimus Esaias propheta plenissime retulit
* Is. VII. 14. dicendo *: « ipse Dominus dabit signum : concipiet virgo in utero, et pa-
» riet filium, et vocabitur Emmanuhel. Non immerito Lucas evangelista eundem partum describens futurum, angeli Gabrihelis interventum plenissime demonstravit dicens: « eodem tempore missus est Gabrihel angelus
» in civitatem Galilaeae, cui nomen erat Nazareth, ad virginem disponsa-
» tam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis
» Maria. Et ingressus ad eam angelus Domini, benedixit eam, et dixit
* ita cod. h. pro a. » illi: abe *, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres.
» Ipsa autem ut vidit eum, obstupuit in introitu eius, et erat cogitans
» quod sic benedixit eam. Et ait illi angelus Domini: ne timueris, Maria;
» invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries
» filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi
» vocabitur. Et dabit illi dominus Deus sedem David patris eius, et regna-
» bit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis. Dixit au-
» tem Maria ad angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cog-
» novi? Et respondens angelus dixit illi: Spiritus sanctus superveniet in
» te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nascetur sanctum,
» vocabitur filius Dei. » Cogitabat igitur Ioseph quid facere debeat, quoniam nullam adhuc propter hoc monitionem angeli acceperat, sicuti ait:
» Ioseph autem vir eius cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit
» occulte dimittere eam. » Postea quam cogitata sua Ioseph efficere nititur, inhibetur ab angelo. Denique ait: « haec eo cogitante, angelus Domini in
» somnis apparuit ei dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Ma-
» riam coniugem tuam; quod enim ex ea nascetur, de Spiritu sancto est.
» Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum fa-
» ciet populum suum a peccatis eorum. » Iesus enim salvator interpretatur. Ergo quia erat Ioseph iustus, et sciens scriptum esse per prophetas, quia venturus esset salvator filius Dei ex virgine natus, non solum credidit angelo Dei dicenti, sed et iussa mox perfecit.

9. Introducens itaque sanctissimus Matthaeus virginis partum vel conceptum, prophetae Esaiae usus est testimonio. Dixerat enim Deum ipsum signum daturum. Et quasi interrogatus, quod signum? respondit: « ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium, et cetera. Hanc per Ioatham 1), postea quam septuaginta duo interpretes, Ptolemaeo iubente segregati, tamquam uno ore et sermone totam legem ex hebraeo in graecum interpretassent; sed quidam ex Iudaeis adulteratores et interpolatores scripturarum, non virginem sed iuvenculam fecerunt. Quod enim signum futurum diceretur, si iuvencula conciperet ex viro? Hoc, naturae consuetudo est. Sed signum Dominus repromittit, quia virgo parere haberet Emmanuhelem, quod est nobiscum Deus. De hoc Hieremias quoque sic ait: « hic Deus no-

1) Videtur scribendum *Nathan* ut reapse Hilarius initio commentarii in Matthaeum.

» ster, et non reputabitur alius. In terra visus est, et cum hominibus con-
» versatus est *». Hic est igitur Emmanuhel, nobiscum Deus, quem virgo * Baruch. III 37
Maria edidit. De qua re quid cogitaret Ioseph, per angelum sine intermissione docetur, et perficit. Denique ait: « exurgens autem a somno, fecit » sicut praecepit illi angelus Domini. Et accepit coniugem suam, et non » cognovit eam, donec peperit filium, et vocavit nomen eius Iesum. »

10. Quod autem ait, non cognovit eam donec peperit, multis haec verba, sed carnalibus dumtaxat non spiritalibus, scrupulum incutiunt, quasi postea quam natus sit Iesus, cognoverit eam Ioseph, quia dixit, donec. Sed quicumque sanae mentis sunt et spiritales, sic sentire non debent, ut potuisset Ioseph vir iustus, qui et visiones angelorum videbat, et quid ageret angelo monente ediscebat, contingere Mariam, de qua didicerat filium Dei natum; cui etiam ut nomen Iesu imponeret, quod est salvator, ab angelo didicit. Quia fieri non poterat, ut homo iustus Ioseph, qui custos positus Mariae invenitur; qui signum quod per prophetas fuerat dictum, in populo futurum cernebat, ut hic Mariam libidinis causa temptaret. Angelos enim sanctis et pudicis viris semper apparuisse, manifestum est. Igitur nisi Ioseph in sanctimoniae itinere gressus firmos habuisset constitutos, numquam puto eum angelorum visiones videre potuisse, et quid agere deberet eorum insinuatione edidicisse. Quod utique si fuisset verum, numquam profecto diceret Iesus in passione constitutus ad matrem suam de Iohanne discipulo: « ecce filius tuus. Et ad ipsum Iohannem: ecce mater » tua 1). Et recepit eam discipulus ille apud se ex illa die »

11. Constat igitur sanctissimam Mariam post editum Iesum sic permansisse, et ei semper fuisse obsecutam, et postea cum apostolis orationi vacasse, sicuti actus continet apostolorum *. « Hi omnes erant unanimes de- * Act. I. 14.
» servientes orationi, cum mulieribus, et Maria matre Iesu, et fratribus eius. » Videmus etiam hic exceptam personam matris, quae utique si mulier eo genere ut ceterae haberetur, fuisset inter easdem dinumerata. Sed quando dicit cum mulieribus et Maria matre Iesu, videmus Mariam praecellere mulieribus, sicuti apud Moysen et Aaron invenimus: praecedens autem Maria dicebat *: cantemus Domino, et cetera. Illa ratione praece- * Exod. XV. 21
cedebat mulieres, quia virgo erat. Sed et hic Maria, ex partu mulier quidem, quantum autem ad virum expectat 2), virgo, non immerito inter mulieres non numeratur, sed excipitur, et dicitur: cum mulieribus, et Maria matre Iesu. Quantum autem ad Iudaeos attinet, non solum dicebant Iesum fratres et sorores habere, verum etiam Iesum fabri filium dicebant; ut etiam docenti se ingerere non destiterint temptantes illum « ecce fratres » tui foris stant, quaerentes loqui tecum *. » Et alibi cum virtutum ipsius * Matth. XII. 47.
miracula cernerent, quae sine dubio homo facere non posset, admirantes * * cod. *amm*

1) Ita loquitur sanctus Hilarius etiam in commentario ad Matthaeum cap. I. 4. *Si Mariae filii fuissent, numquam in tempore passionis Iohanni apostolo transcripta esset in matrem, Domino ad utrumque dicente: mulier, ecce filius tuus; et Iohanni, ecce mater tua.*

2) Ita cod. pro *spectat*, quod et alibi in mss. saepe vidimus.

*Matth. XIII. 55. dicebant *: « nonne hic est Iesus fabri filius, cuius fratres scimus et sorores? Erant ergo stupentes in mirabilibus, non intellegentes dicta prophetarum, quia filius Dei veniens talia esset facturus.

12. Ut ergo plenius demonstremus de sanctissimae Mariae glorificatione, quae idcirco a Ioseph cognosci non potuit, donec peperit dominum gloriae et totius potentiae, habens in utero non cognoscebatur; sanctissimi Moysis cum Deo colloquentis glorificata est facies, ita ut non possent intendere in eum filii Israhel, sed velamen faciei suae ponens, ad eos loquebatur; quanto magis sanctissima Maria agnosci vel intueri non poterat, quae ut diximus dominum potentiae in utero habebat, id est Emmanuhelem? Sed plenius de hac ipsa re angelus dixit, cum ait ad Mariam: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hanc igitur obumbrationem virtutis Altissimi, non obscuritatem sed infinitam claritatem debemus intellegere 1). Sicuti enim oculis nostris cum radiis solis attentius voluerimus intendere, hebetat * visus, et nimiam ob claritatem fit obscuritas, ut videre omnino nequeamus; sic ergo sanctissima Maria claritate virtutis Altissimi obumbrata cognosci non poterat a Ioseph, donec pareret. Post partum ergo hactenus, ut diximus, a Ioseph cognita invenitur specie faciei, non tactu libidinis 2). Completa est quaestio generationis Iesu Christi domini nostri, cui cum Patre sanctoque Spiritu est gloria in saecula saeculorum. Amen.

* ita cod.

II. TRACTATUS SANCTI HILARII EPISCOPI.

Cod. vat. 4222. f. 46.

1. Iohannes sanctissimus evangelista inter omnes apostolos iunior fuit. Hunc, cum disquirerent apostoli quisnam eorum maior esset, tenuit Dominus dicens *: quicumque non fuerit conversus sicut puer hic, et cetera. Ipse est qui super pectus Domini recumbebat: ipse est quem prae ceteris diligebat Iesus, cui et Mariam matrem, et ipsum Mariae filium tradidit. Cum ergo iam scripta essent evangelia, per Matthaeum quidem et Lucam iuxta humanam nativitatem, qui Lucas fuerat discipulus Pauli; per Marcum, qui fuerat discipulus Petri; et multae haereses existerent propter deitatem Filii 3); alii eum ex Maria tantummodo confitebantur; alii nec natum per Mariam, sed more insolito venisse dicebant. Variis igitur intentionibus de eius nativitate, et variis disputationibus, prout cuique licitum erat, edisserebant. Iohannes igitur novissimus coactus est evangelium conscribere, in quo quid filius Dei ante fuerit, et quomodo carnem acceperit, utraque per Spiritum sanctum diligenti moderatione componens, tali utitur principio, ut omnibus haereticis aeternum silentium imponeret,

*Matth. XVIII. 3.

1) Elegans vocabuli *obumbrare* explicatio!

2) Hilarius in commentario cap. I. 3. *Cognoscitur itaque post partum, id est transit in coniugis nomen. Cognoscitur enim, non admiscetur.* En ut sensum spiritalem, non carnalem, spectat Hilarius.

3) Haereses multas contra Filii Dei incarnationem, inde a primaevis evangelii temporibus, cognoscere licet etiam ex φιλοσοφουμένων Origeni adscriptorum praeclara et summi pretii continuatione, quam a clarissimo Millerio editore nuper accepimus.

utpote secretorum omnium conscius. Nam super pectus recumbere Iesu, hoc est secreta mysteriorum et arcana omnia nosse.

2. Incipit ergo exponere et ostendere nativitatem primordialem filii Dei, in qua de Deo Deus natus est. Quia iam dixerant Matthaeus et Lucas, iuxta condicionem humanam eius nativitatem; Iohannes ergo non tam nativitatem Domini, quam quod ante omnia saecula fuerit filius Dei, enarrat. Nam propheta sanctissimus Esaias ait *: « nativitatem autem eius » quis enarrabit? » Ideo ergo Iohannes ostendit quid fuerit; quia et ipse Dominus dicit ad patrem *: « honorifica me eo honore, quo fui apud te, » prius quam mundus esset » Deus scilicet, per quem facta sunt omnia. Merito ait: « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et » Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. » Deus pater sine principio est, ingenitus, innatus, qui nullo continetur loco, sed potius ipse continet omnia: qui tantum sciri potest, quantum ipse concedere voluerit, invisibilis, inaestimabilis. Ex hoc ergo filius Dei inenarrabiliter genitus est ante omne principium: quem sic natum confitemur, ut sicut semper pater, ita semper et filius dicatur, nulla temporis interposita ratione.

* Is. LIII. 8.

* Ioh. XVII. 5.

3. Quod dixit « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, » et Deus erat Verbum. » Verbum, filius Dei; Deus, apud Deum patrem. « Et Verbum erat Deus. Hoc erat in principio apud Deum. » Principium ante omnia saecula: semper Deus pater, et semper Deus filius. Et ideo semper filius, quia semper pater. In principio erat Verbum, Deus scilicet ex Deo natus. De quo Moyses sic dicit: in principio fecit Deus caelum et terram, et cetera. Videmus igitur eundem spiritum etiam sanctissimum habuisse Iohannem, quem et Moyses. Et merito sermo eorum et sensus in omnibus concordare invenitur 1). Moyses ait: « in principio fecit Deus cae- » lum et terram » et per singulos dies operationem Dei demonstrat. Veniens namque ad hominis fabricationem, sic rettulit dicendo. « Et dixit » Deus: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem Dei. Hic igitur Deus Dei filius, qui fecit hominem; hic est, de quo et Iohannes ait: « in prin- » cipio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Hoc erat in principio apud Deum » filius scilicet Deus apud Deum patrem, per quem facta sunt omnia.

4. Rettulit Moyses: « in principio fecit Deus caelum et terram. » Iohannes ait: « omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. » Unde igitur Moyses fabricam mundi ante milia annorum quattuor poterat enarrare, nisi ut dixi Spiritu divino instruente, singula facta descripserit? Spiritus ergo sanctus indeficiens est, omnes replet, ipse integer permanet. Sicuti lampas cum multae ex illa accenduntur, ipsa autem integro lumine

1) Hilarius etiam de Trin. lib. II. 13. seq. instituit quandam comparationem inter initia geneseos, et evangelii S. Iohannis. Conferatur totus ille locus cum praesenti.

perseverat, sanctus ita Spiritus infundens se unicuique prout vult. Moyses enim populo de accepto iugo sublato, de servitute idolorum, de superstitione saeculi, ubi variis desideriis ad culturam idololatriae deservierant, ad Dei notitiam ex illa superstitione revocans, quia existimabant ab his facta omnia quos coluerant; ideo sanctissimus Moyses populo rudi et inscio, ab idolis exemplo demonstrans Deum Dei filium omnia fecisse, ait: « in principio fecit Deus caelum et terram. » Sicuti ergo Moyses creatorem et factorem mundi insinuans, ab idolis populum ad notitiam Dei adduxit, sic sanctissimus Iohannes haereticos omnes, qui aliter atque aliter de filio Dei disputare inveniuntur, ad veram rationem revocans, ostendit quid ante fuerit, et quomodo veniens hominem induerit nostrae salutis causa. Et ut in omnibus, perversitatibus haereticorum occurreret, tali utitur principio: « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et » Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ip- » sum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Et Verbum caro factum » est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam Dei, gloriam quasi uni- » geniti a patre. »

5. Filius igitur Dei ante omnia saecula ex Deo patre inenarrabiliter genitus, qui principium ex Deo patre habet qui sine principio est, merito interrogatus a Iudaeis quis esset, ait *: « ego principium, qui et » loquor vobis. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est » nihil. » Per Verbum, id est per filium Dei, omnia facta, sanctissimus Iohannes declarat. Verbum autem dici Deum, Dei filium, etiam David cum de fabricatione caeli et terrae ac maris insinuaret, ait *: « ver- » bo Domini caeli firmati sunt, et spiritus * oris eius omnis vita * eorum. » Congregans sicut in utrem aquas maris. » Infinita enim vocabula in filio Dei concurrunt, quae pro loco, pro tempore, pro persona, pro virtutibus ab eo gestis, accipiuntur. Dicitur verbum, sapientia, lumen, manus, brachium, leo, agnus, vitulus, lapis, et cetera, ut diximus, pro potentia et virtutibus in eum concurrentibus 1), ipsum omnia esse intellectum, id est filium Dei, Deum nostrum, Deum verum ex Deo vero, filium ex vero patre genitum, lumen de lumine, natum ex ingenito patre: non factum sicut haeresis arriana 2) nititur asserere, quae dicit illum factum ab eo, non natum; sicut cetera elementa facta conspicimus. Ideo ergo sanctissimus Iohannes talibus iam tunc respondit, sciens futuros in novissimis temporibus homines, quales et apostolus scribens Timotheo meminit *. « In novissimis, inquit, diebus, instabunt tempora molesta: homi-

* Ioh. VIII. 25.
* Ps. XXXII. 6.
* ita cod.
* ita cod.
* II. Tim. III. 1. IV. 3.

1) Mirabiliter Phoebadius, Hilario contemporalis, et contra Arrianos simul pugnator, in tractatu de fide orthodoxa cap. VI. *Filius modo verbum, modo virtus, modo sapientia, modo dextera, modo brachium etc. modo fons, modo lapis, modo agnus, modo vitulus etc. appellatur.* Similiter loquitur Nicetas aquileiensis a nobis editus in opusculo de diversis appellationibus D. N. Iesu Christo convenientibus; nec non S. Damasus PP. carm. XI., et Orientius poëta.

2) Vides Hilarium more solito Arrianos oppugnantem, quorum falsa doctrina de filio Dei perspicue exponitur de Trin. IV. 11, id est eum esse *facturam* perfectam, etsi non similem ceteris facturis.

» nes erunt se ipsos amantes, tumidi, cupidi, superbi, et cetera. Et iterum idem ait: Erit autem tempus, quando sanam doctrinam non sustinebunt, sed secundum desideria sua coacervabunt sibi magistros scalpentes 1) aures suas. Et a veritate quidem auditum suum avertent, ad fabulas se convertentes. »

6. « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus » erat Verbum. » Hoc igitur Verbum, id est filium, qualiter Deus pater genuerit, plenius retulit David ex persona patris dicens *: eructavit cor meum verbum bonum 2), et cetera. Quod verbum? nisi filium, Deum et dominum nostrum, per quem omnia facta esse intellegimus, et esse eum creatorem non creaturam, auctorem scilicet totius creaturae, a quo facta sunt omnia. Sicuti meminit Salomon de filio Dei ex persona sapientiae dicens *: Dominus creavit * me in principio viarum suarum, in opera sua. Non igitur sic accipiendum est, creavit me, quasi creaturam dixerit filium; sed ut videmus creari magistratus ad regendum imperium 3); sic ergo filius ad facienda omnia, opera scilicet perficienda, creatus intellegitur: non quasi tunc natus aut factus. Utique qui creantur magistratus, ipsi creantur qui sunt, qui possunt regere imperium vel administrare *, non qui non sunt. Filius igitur Dei, qui semper apud Deum patrem Deus, in factione mundi creatur, id est ut perficiat praeponitur. Merito omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Dicit et David *: in principio terram autem fundasti, Domine, et opera manuum tuarum sunt caeli. Cum ergo auctor sit totius creaturae et factor, cur velint perversi quidam aliter, quam est, de eo sentire? Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quare cum dixerit, et sine eo factum est nihil, altius et profundius est intellegendum, quid sit hoc nihil, quod sine ipso factum refertur. Sanctissimus Samuhel cum de idolis tractaret, ac populum corriperet, ait: quae sunt nihil *. Videmus ergo idola humano arbitrio effecta, nihil esse. Ideo ait: et sine ipso factum est nihil 4). Idola scilicet significat, quae non Deo auctore in mundo constituta videntur, sed errore humano et vanissima adinventione instituta; et ipsi colendo nihil, deputati sunt.

* Ps. XLIV. 2.

* Prov. VIII. 22.
* cod. *vocavit*; sed mox *creavit*

* Cod. *amm*

* Ps. CI. 26.

* I. Reg. XII 21 οὐθὲν εἰσιν.

7. Merito sequitur. « Quod autem factum est, in ipso vita est. Et vita » est lux hominum, et cetera. » Nec alibi vita, nisi in ipso, et in his quae fecit atque constituit, utpote ipse filius Dei Deus, factor omnium et amator. Denique ait *: « si vis ad vitam venire, fac mandata. » Mandata igitur vel praecepta Dei si efficiantur, faciunt venire ad vitam. Vita ergo est filius Dei. Si quis eius fecerit praecepta, veniet ad vitam, et regnabit in vita perpetua, in qua sancti omnes glorificabuntur. Ut ergo plenius intellegamus vitam filium Dei dici, ait sequenti sermone: « et vita erat

* Matth. XIX. 17

1 Ita idem Hilarius in ms. vat. ad lib. X. 2. de Trinitate, et contra Constantium n. 1., nimirum *scalpentes*, pro *prurientes*, quam lectionem tenebat etiam S. Cyprianus, observante Sabaterio.

2) Sic et magnus Nyssenus in novo sermone contra Arrianos in hac nostra bibliotheca T. IV.

3) Animadverte Hilarium de imperio, scilicet romano, adhuc permanente loquentem.

4) Ingeniosa Hilarii explicatio loci evangelici! Confer dictum Cassiodori apud nos p. 479. n. 2.

» lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non conprae» henderunt. » Veniens igitur Dominus noster, illuminans caecos, mortuos resuscitans, et cuncta adversa de corporibus abstergens, lux erat hominum, quae spiritaliter caeca corda illuminabat, ut oculi cordis aggrederentur spiritaliter intueri, et videre omnia possent. Erat ergo lux hominum vita, et est hodie apud eos qui vera fide in eum credunt. Quod autem ait: « et lux lucet in tenebris, et tenebrae eam non comprahenderunt » lucebat lux, ut diximus, in tenebris, id est apud Iudaeos; cum tanta miracula faceret Dominus; et illi mente obcaecata et obtusa non intellegebant, quia talia homo facere non posset. « Et tenebrae eam non » conpraehenderunt. » Tenebras ipsos Iudaeos dicit, qui in incredulitate permanserunt, et hanc lucem conpraehendere non potuerunt. Indurati scilicet sensum, et oculis cordis caecati, lucem veram perspicere non potuerunt. Et vere hoc est, lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non conpraehenderunt.

8. « Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Iohannes, et cetera. »
* Is. XL. 3. Hic est Iohannes quem Esaias prophetavit dicens *: « vox clamantis in de» serto, parate viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri. « Et ipse
* Ioh. I. 23. interrogatus a sacerdotibus et levitis quis esset, ait *: « ego vox clamantis in
* Matth. XI. 11. » deserto. » De quo Dominus ipse *: « maior Iohanne baptista inter natos » mulierum nullus est. Lex et prophetae usque ad Iohannem. » Lucas autem evangelista plenissime eius nativitatem describens, ostendit filium Zachariae sacerdotis ex repromissione natum, longaevis iam et aetate confectis parentibus, sicuti et Isaac natum geneseos scriptura testatur, ut ostenderentur omnia Deo possibilia. Mulieres igitur effoetae, quibus iam officium solitum sanguinis fuerat denegatum, quippe exhausto et exsiccato fonte, quae steriles ad ultimam usque aetatem pervenerant, partus munere accinguntur. Peperit ergo Helisabeth filium, de quo Zacharias pater eius inter cetera ait: « et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, et ce» tera. In hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus » illum non cognovit. » Licet mundus per ipsum factus referatur, et omnia quae in eo sunt; sed proprie mundum illam terram, id est Iudaeorum dicit, ad quos venerat, a quibus cognitus non est. Ceterae autem gentes velut locustae aut pulvis, vel certe ut gutta situlae aestimatae, in quibus nulla adhuc cognitio Dei habebatur, idola colentes, in nihilum erant deputatae. Proprie mundum illos dicit, ubi lex Dei, ubi notitia, ubi prophetia habebatur.

9. Et merito sequenti sermone ait: «in sua propria venit, et sui eum non » receperunt. » Proprii enim habebantur Iudaei, ut dicit apostolus *: ex
* Rom. IX. 5. quibus est Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in saecula. In sua propria; quippe quos de Aegypto tantis miraculis effectis a servitute liberaverat, quos in deserto manna paverat, quos in terram repromissionis induxerat, ad quos prophetarum ore semper fuerat loquutus. Ipse

veniens iuxta vocem prophetarum, faciens in populo mirabilia, a suis non est receptus; et sui eum, inquit, non receperunt. Ille scilicet populus, qui filii nomine fuerat appellatus, ut ait Esaias *: « filios genui et exaltavi, » ipsi autem spreverunt me. » Merito ergo dicit, in sua propria venit, utpote ad filios. Et sui illum non receperunt, hoc est Iudaei. Et ipsum est: ipsi autem spreverunt me. « Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius. » Videmus hic aliam gentem, id est quae ex omnibus nationibus effici habebat una gens, id est spiritalis credens in eum, spiritalem habens conversationem.

* Is. I. 2

10. Et merito ait: « qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. » De quibus superius iam tractatum est; qui ex repromissione sunt nati, quique de effoetis mulieribus editi inveniuntur, ut Isaac, cuius typus ad populum futurum christianum spiritalem pertinebat. Merito ait: qui non ex sanguinibus, id est de mulieribus, quibus solita mensibus suis veniunt. Neque ex voluntate carnis, id est vulvae conceptione. Neque ex voluntate viri; id illud * seminarium, quo tempore conceptio celebratur. Generatio igitur spiritalis, qua Deo per baptismum renascimur, his rebus et officiis caret. Ecclesia enim, quae iamdudum sterilis erat, effecta est foetosa, filios sine sanguine, sine aliqua concupiscentia viri, pariens; qui Dei filii effecti per lavacrum inveniuntur. Et merito ait: « qui non ex sanguinibus, » neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati » sunt »; per lavacrum scilicet regenerationis Deo renascuntur. De qua nativitate plenius ad Nicodemi interrogationem respondetur *: « amen dico » tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. » Ait Nicodemus: quomodo potest denuo nasci homo? et cetera. » Respondit illi Dominus: « amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua » et spiritu, non potest intrare in regnum Dei. » Et ideo ait: « qui ex aqua » et spiritu fuerint renati, hoc est ex Deo nati sunt. Haec est ergo generatio spiritalis, qua populus Dei spiritaliter cotidie Deo nascitur, sicuti ait idem Iohannes in epistola sua *: « omnis qui credit, quia Iesus est » Christus, de Deo natus est. » Per fidem enim Deo nascimur. « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et cetera. » Iam superius tractatum est de hoc loco, quando filius dicitur Deus. Qui in principio erat Verbum, dignatus sit hominem de Maria virgine nostrae salutis causa assumere.

* cod. *illum.*

* Ioh. III. 5.

* I. Ioh. V. 1.

EXPLICIT.

III. SERMO SANCTI HILARII DE PARALYTICO 1).

Cod. vat. 6454. f. 290

1. Paralyticus omnibus membris debilis, est persona populi iudaici 2), quia dicit superius in sua civitate Nazareth, unde nazaraeus appellatus est, non erat qui sanaret; quia lex quidem habet figuram, effectum rei non habet 3). Ergo ex his de quo lex meditata non fuerat, veniens perfecit cuncta, quae a prophetis praedicta sunt, quod et infirmitates curaret, et aegrimoniam ipse portaret. Praeterea vidit fide ornatum. Ubi ergo fuerit unanimis oratio, potest impetrari, etiamsi non mereatur is pro quo postulatur. Visa fide illorum, ait paralytico: remissa sunt tibi peccata. Cognoscimus ipsam paralysin esse infinita peccata, quae debilem hominem reddunt, omnibusque solutum membris. Faciebat autem ideo, ut Dei filium vel in hoc cognoscerent, quia nemo alius peccata dimittit nisi Deus 4). Videntes ergo hominem, contemnebant in illo divinitatem. Cum ergo videret cogitationes eorum, nam intra se dicebant blasphemias, ait illis: «quid cogitatis nequam in cordibus vestris? Addidit ad cumulum, quod illi non crediderunt: quid est facilius? dicere, dimissa sunt tibi peccata? an dicere, surge et ambula? Itaque evidenter ostendit, quid sit 5). Ait: « ut autem sciatis quia filius hominis potestatem habet super terram remittendorum peccatorum, tunc dicit paralytico: surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam. » Vade ergo, demonstrat potentiam divinitatis suae. Primo per fidem poscentium remittit peccata: deinde mirantibus ob hoc addidit, et ait: surge, et ambula. Tertio ait: surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam. Explicit.

2. Ut diximus, paralyticus debilis omnibus membris, figura est iudaici populi, qui legem non observando, in valetudinem inciderunt. Nam in lecto iacentem dixit. Lectus aut infirmitas, aut requies accipiatur. Sed quia hic paralyticus infirmitatem populi ostendit, quae infirmitates sunt peccata, quae credentibus ex fide remittuntur; post remissionem peccatorum, datur et Spiritus sanctus. Quid est, surge et ambula? Tertio loco est tolle grabatum tuum et vade in domum tuam. Iam qui baptizatus est in nomine Christi domum ecclesiam habet: et qui in lecto iacebat, id est in infirmitate, tam validus effectus est virtute sancti Spiritus, ut ipsum lectum fortis ac vegetus baiularet; id est aliorum infirmitates doceret, quatenus essent curandae. Explicit.

1) Pertinet ad Matth. cap. IX. 2, extantque eius vestigia in Hilarii commentario ad Matth. cap. VIII. p. 705. ed. Veron. Codex, unde sumpsimus, recens est, sed ex antiquo descriptus; complures enim habet genuinos patrum sermones. Porro de hoc fragmento vel excerpto, lector quisque, quod sibi magis libuerit, iudicium proferat. Nos indignum Hilario, cuius nomen gerit, dicere non audemus.

2) Hilarius in comm. aliter, id est: *in paralytico gentium universitas offertur medenda.* Sed nihil vetat, quominus et hanc interpretationem alio tempore aut sermone secutus sit. Et quidem quantopere varient nonnulli in psalmos tractatus editionis veronensis a parisiensi Coutantii, nemo non videt.

3) Hilarius in comm. *Remissum est ab eo (peccatum) quod lex laxare non poterat; fides enim sola iustificat.*

4) Hilarius in comm. *Peccata nemo remittit, nisi Deus.*

5) Hilarius in comm. *Deus in homine manens curationem homini praestabat.*

SANCTI HILARII PICTAVIENSIS EPISCOPI

HYMNUS SEROTINUS 1)

Ad caeli clara non sum dignus sidera
Levare meos infelices oculos
Gravi depressos peccatorum pondere.
Parce Redemptor.

Bonum neglexi facere quod debui,
Probrosa gessi sine fine crimina,
Scelus patravi nullo clausum termino.
Subveni Christe.

Cunctae quae salsi maris sunt in litore
Arenae mixtae purpuratis conchulis
Non meis possunt coaequari vitiis
Fateor malis.

Doleo multis peccatorum iaculis
Confossus, arcu quae Venus libidinis
Intorsit lata spicula mortifera,
Fellis habunda.

Effudit demum de pharetra flammeas
Sagittas, meum super vulnus vulnera
Infixit statim cupido turpissima
Fronte rugosa.

Factus sum vilis cuncta super vilia.
Venit latenter, gladii superbia
Cordis infixit mucronem sub medio
Manu cruenta.

Genus serpentis affuit invidia,
Veneni portans pocula pestifera.
Dedit in siti mortis auctor, extitit
Sordida lues.

Horrida vultu faculam discordia
Igne succensam deferens sulphureo,
Medio meo posuit sub pectore,
Coxit amare.

Inter has *a*) quoque pennas gerens plumeas,
Inani cursu transvolavit gloria,
Quae me ventosa nitebatur subito
Fraude perire.

Canendo venit fistula ingluvia *b*),
Bona praesentis inrogabat pectoris,
Extendit ventrem, temulentum reddidit,
Miscuit risus.

Lugere modo me permitte, Domine,
Mala quae gessi reus ab infantia,
Lacrymas mihi tua dona gratia
Cordis ab imo.

Meis, ut puto, vitiis tartarea
Tormenta multis non valent sufficere,
Nisi succurrat, Christe, tua pietas
Misero mihi.

Nullum peccatum super terrae faciem,
Potest aut scelus invenire copiam,
A quorum non sum inquinatus faecibus,
Infelix ego.

Ortus, occasus, aquilo, septemtrio 2),
Caelum, terraque, mare, fontes, flumina,
Montes, et colles, campi, mixta *c*) rosula,
Lilia flete.

Plangite mecum astra rutilantia,
Mecum mugite bestiae silvicolae,
Dicite: tu est miser, qui sub impio
Crimine gemis.

Quis me de manu Cocyti flammivomi
Eruere potest, nisi patris unica
Proles, qui mundum pretioso sanguine
Iure redemit?

Redemptor mundi, unica spes omnium,
Aequalis patri sanctoque spiritui,
Trinus et unus Deus invisibilis,
Mihi succurre.

Si me subtili pensas sub libramine,
Spes in me nulla remanet fiduciae.
Sed rogo, tua me salvet potentia,
O fili Dei.

Tolle peccatum, dilue facinora,
Ablue sordes, donaque charismata,
Instaura meum clementer pectusculum
Munere tuo.

Veniam peto, meis non de meritis *d*)
Fisus, sed tua certus de clementia,
Qui bona reis pietate solita
Gratis impendis.

a) Cod. *intus hiis.* — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. 1. m. *iuxta*, 2. *mixta.* — *d*) Ita dividitur in codice *de meritis*.

1) Septemtrionem diversum esse ab aquilone ventum scimus.

2) In hymno quidem matutino, qui in editione Hilarii maurina legitur, unicam observabam variam codicis lectionem in stropha penultima *custodia* pro *custodiam*.

Christe, te semper recta fide labiis
Ore confessus credidi orthodoxo.
Haereticorum dogma nefas respui
Pectore puro.
Hymnum fideli modulando gutture,
Arrium sperno, latrantem Sabellium,
Assensi numquam grunnienti Simoni
Aure susurra.
Zeloque Christi sum zelatus nomine,
Sancta nam mater lacte me catholico
Tempus per omne ecclesia nutriit
Ubere sacro.

ALIA S. HILARII FRAGMENTA.

I. Ex nostro Spicilegio romano T. VI. praef. p. XXXV.

Ὁ ἅγιος Ἱλάριος ἐν τοῖς εἰς τὸν ἀπόστολον ἐξηγηματικοῖς, περὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ θεολογῶν φησὶ, μηδεμίαν ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι διπλόην κεῖσθαι, διὰ τὸ τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν τὸ εἶναι παρέχειν αὐτῷ· ὅθεν ἄμφω μία ἀρχὴ τοῦ ἁγίου πνεύματος χρηματίζουσιν: *sanctns Hilarius in explanationibus ad apostolum* 1) *de Patre Filioque theologice loquens, ait nullam in Spiritu sancto duplicitatem intelligi, ex quod Pater et Filius exisientiam illi suppeditant: unde ambo unum principium Spiritus sunt.*

In codice vat. gr. 1455, *ubi est concilium lateranense anni* 649. *sub Martino PP., legebam f.* 115. *locum illum Hilarii, qui extat graece et lat. ex libro IX.* 5. *de Trin. Verumtamen in eodem codice f.* 167. *b. occurrebat mihi graece aliud Hilarii fragmentum, cuius sine dubio sententia refertur ad eundem librum IX.* 11., *sed in praedicto Conciliorum tomo desideratur. Est autem huiusmodi.*

II. Τοῦ ἁγίου Ἱλαρίου ἐκ τοῦ περὶ πίστεως λόγου.

Ὁρᾷς ἄρα οὕτω θεὸν καὶ ἄνθρωπον ὁμολογεῖσθαι· ὥστε τὸν μὲν θάνατον, τῷ ἀνθρώπῳ· τῷ δὲ θεῷ, τῆς σαρκὸς λογίζεσθαι τὴν ἀνάστασιν· τὴν μὲν γὰρ τούτου φύσιν ἐν τῇ δυνάμει τῆς ἀναστάσεως νόει· τὴν δὲ κατὰ ἄνθρωπον οἰκονομίαν, ἐν τῷ θανάτῳ ἐπίγνωθι· καὶ ἐπειδήπερ ἑκάτερα ταῖς οἰκείαις γεγένηται φύσεσιν, ἕνα μοι Χριστὸν Ἰησοῦν, ἐκεῖνον εἶναι μνημόνευε, τὸν ὄντα ἀμφότερα. *Sancti Hilarii ex sermone de fide. Sic itaque cernis confiteri nos eundem Deum ac hominem; ita ut mors, homini; Deo autem, carnis resurrectio deputetur. Nimirum Dei naturam, in resurrectionis potentia intellige: humanam autem dispensationem, in morte agnosce. Et quia utraque haec in propriis naturis acta sunt, unum Christum Iesum illum esse memento, qui utrumque est.*

Ex eodem codice vat. gr. 1455. f. 309.

III. Περὶ Ἱλαρίου τοῦ Πυκτάβων ἐπισκόπου 2).

Ἐφθάκει δὲ καὶ Ἱλάριος ὁ Πυκτάβων ἐπίσκοπος. πόλις δὲ αὕτη δευτέρας Ἀκυτανίας, προκαταβεβλημένος τὰ τῆς ὁμοδόξου πίστεως δόγματα τοῖς τε ἐν Ἰταλίᾳ καὶ Γαλλίᾳ ἐπισκόποις· καὶ γὰρ πρότερος τῆς ἐξορίας ἐπανιὼν κατειλήφει τοὺς τόπους· ἄμφω μὲν οὖν γενναίως τῇ πίστει συνηγωνίσαντο.

1) Quod hispalense II. concilium innuerat, et fragmentum nostrum confirmat, invenerunt nunc, ut audio, novi in Gallia Maurini, nempe Hilarii commentarios ad aliquot Pauli epistolas. En autem hispalensis concilii verba can. 12: *sanctus Hilarius in explicatione epistolae ad Timotheum sic loquitur: nam cum dicit scriptura etc.* Lege reliquum inter fragmenta Hilarii ed. Veron. T. II. col. 712. In catalogo codicum casinensium a nobis edito Spicil. rom. T. V. p. 221. *Sancti Hilarii liber mysteriorum. Incipit: MULTIPLEX. Eiusdem sancti Hilarii super epistolis canonicis. Incipit: SEPTEM.*

2) Similis huic narratio, sed non plane eadem, legitur apud Sozomenum hist. lib. V. 13, ex quo cognoscimus socium Hilarii laborum fuisse Eusebium scilicet vercellensem.

Ἱλάριός τε καὶ ἐλλόγιμος ὢν, βιβλίοις τῇ Ῥωμαίων Γλώττῃ τὰ τοῦ ὁμοουσίου παρέδωκε δόΓματα, δι' ὧν ἱκανῶς μὲν τοῦτο* συνέστη· δυνατῶς δὲ καὶ τῶν ἀρειανῶν δογμάτων καθήψατο· ταῦτα μὲν οὖν μικρὸν ὕστερον μετὰ τὴν ἀνάκλησιν τῶν ἐξορισθέντων ἐγένετο. *Advenerat Hilarius episcopus Pictavorum (est haec secundae Aquitaniae urbs) qui concordis fidei doctrinam antea exposuerat Italiae Galliaeque episcopis. Etenim primus ab exilio rediens, in illa loca venerat. Uterque igitur fidem fortiter defendebant. Hilarius praeterea cum etiam litteratura floreret, libris Romanorum lingua conscriptis, homousii dogma docuit; quibus scriptis abunde illud firmavit. Potenter quoque Arianorum dogmata profligavit. Haec quidem paulo post exulum postliminium acta sunt.*

* cod. τούτῳ.

INCIPIT BEATI CYRILLI *a*) ADLOCUTIO

quam in ecclesia fecit post adlocutionem beati Pauli emeseni ubi dicta eius adfirmat 1).

Beatus propheta Esaias in Christo doctorum eloquentias praedicans dicit: haurite *b*) aquam cum laetitia de fontibus Salvatoris. Ecce igitur hauriamus aquam de sancto fonte, praecedentis *c*) in atria doctoris, qui et sancti Spiritus facibus inlustrans explanavit nobis magnum et colendum mysterium Salvatoris. Ipsi gloria et potentia nunc et semper in saecula saeculorum. Amen. Quid horum clarius sermonum? Qua indigent haec explanatione et interpretatione *d*)? Aperte nos docuit, quia aliud quidem est quod inhabitat, aliud quod inhabitatur: et aliud natura humana, et aliud divina. Aliud namque, inquit *e*), inhabitatio, et aliud in quo *f*) inhabitat: aliud templum, et aliud qui inhabitat Deus: et quia omnes passiones humanitas Unigeniti, et non divinitas, passa est. Quando autem vides, iterum inquit, esurientem, sitientem, lassatum, sudantem, tradi Pilato, duci et circumduci manibus carnificum, maerentem, orantem Eloi Eloi lemai sabathani, id est Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti *g*): et denuo clamantem: pater, si possibile est, transeat a me calix, non sicut ego volo, sed sicut tu: dum audieris eum crucifigi, dum videris clavos *h*) in manibus et pedibus eius, et punctum in latere, tunc intellege quia Deus Verbum inpassibile permansit. Haec omnia propria fecit, quae fiebant in proprio eius corpore. Audistis etiam et de Verbo, caro factum est, et habitavit in nobis, id est in nostra natura. Conspice Iohannem duas naturas praedicantem, et unum filium. Et rursus duas naturas Unigeniti, et unam personam *i*). Et denuo quando dixit, habitavit in nobis, et praedicavit duas naturas, addidit *k*): et vidimus gloriam eius, gloriam tamquam Unigeniti. Et rursus Petrus inquit: tu es Christus filius Dei vivi, duplicem naturam, et singularem personam. Explicit.

a) Cod. *Quirilli.* — *b*) Cod. *aurite*, et mox *auriamus.* — *c*) Cod. *praecedentes.* Sed *praecedentis* scribendum fuisse, docet graecum προλαβόντος. Quid est tamen illud *in atria?* — *d*) Cod. *interpraet.* ut alibi in codd. — *e*) Cod. *inquid.* Sic et infra. — *f*) Cod. *in quod.* — *g*) Cod. *derelinquisti.* — *h*) Cod. *clavus.* — *i*) Cod. *una persona.* — *k*) Cod. *addedit.*

1) Huius adlocutionis S. Cyrilli extat initium tum in operum tomo V. part. II. p. 354, tum etiam in Conciliorum collectionibus, v. gr. in illa novissima et amplissima Zattae T. V. col. 301. Verumtamen codex veronensis, post illud initium in alia abit, ut conferenti apparebit; ita tamen ut pergat Cyrillus commendare, et partim repetere, praecedentes illic Pauli emeseni homilias de ratione incarnationis Domini. Quae res confirmat auctori Cyrillo hoc fragmentum.

(*) Quoniam in supplemento Conciliorum versamur, placet heic adscribere praefatiunculam ad basileense Concilium (diversam plane ab illa quam edidit Mansius) quae mihi se obtulit in elegante codice mem-

Quo tempore S. Cyrilli partes et fragmenta colligebam, nondum videram catenae ad Esaiam pervetustum codicem vat. 755; quem cum postea evolvissem, complura denuo Cyrilli ad Matthaei ac praesertim Lucae evangelia fragmenta deprehendebam, nominibus quidem Cyrilli et Evangelistarum accurate adnotatis, sine tamen ulla capitulorum adsignatione; ut fieri reapse in codicibus solet. Has ergo particulas tantum mihi sumpsi; nam reliquas plurimas, nomine tantum Cyrilli denotatas, pertinere putavi ad editum ipsius in Esaiam commentarium.

ΕΧ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΚΥΡΙΛΛΟΥ

ΕΙΣ ΤΑ ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ ΚΑΙ ΛΟΥΚΑΝ ΕΥΑΓΓΕΛΙΑ.

Cod. vat. 755. f. 28. a. Τοῦ ἁγίου Κυρίλλου ἐκ τοῦ 1) κατὰ Ματθαῖον εὐαγγελίου. Διὰ τούτων ἁπάντων τὴν εἰς φαυλότητα τροπὴν ὑπεδήλου τῶν ἐξ Ἰσραὴλ· καὶ ὅτι φειδοῦς τῆς ἄνωθεν ἀναξίους ἑαυτοὺς ἀποφήναντες, τῆς παρὰ τοῦ σωτῆρος ἐπικουρίας διήμαρτον.

cod. f. 110. b. Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τοῦ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγελίου. Δρόσον ἐν τούτοις οὐχ ἕτερόν τι παρὰ τὸ πνεῦμα λέγει, ἤτοι τὴν ζωοποιὸν τοῦ πνεύματος ἐνέργειαν, ἡ διὰ Χριστοῦ καὶ τοῖς ἤδη κατεφθαρμένοις ἐκχεομένη σώμασι, τὴν ὀλέθριον μὲν ἐξελαύνει φθοράν· ἀντεισκρίνεται δὲ ὥσπερ παρασκευάζει τὴν ζωήν.

cod. f. 181. b. Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τοῦ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγελίου. Ἀπείργει ἡμᾶς τῆς πρὸς θεὸν ἐγγύτητος καὶ προσεγοῦς κοινωνίας, οὐ τόποι καὶ διαστήματα, φιληδονία δὲ μᾶλλον καὶ κοσμικῆς ἀπάτης ἀκαθαρσία· εἴπερ οὖν ἐξαιρεθείη τὸ μεσολαβοῦν, οὐδέν ἐστι τὸ κωλῦον τῷ φιλαρέτῳ κολλᾶσθαι θεῷ.

cod. f. 204. b. Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τοῦ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγελίου. Οὐ γὰρ ἴσχυσαν ἰδεῖν τὸ ἐπὶ Χριστῷ μυστήριον. καί τοι τῆς θείας αὐτοῖς ἀνισχούσης αὐγῆς, αὐγῆς δὲ δηλονότι φαμὲν τοῦ Χριστοῦ. ἀλλ' ἐδόθη τοῖς ἔθνεσι, καί τοι πολλὴν ἔχουσι τὴν ἀσυνεσίαν· λελάτρευκαν γὰρ τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα 2).

ΕΙΣ ΤΟ ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ.

cod. f. 12. b. Τοῦ ἁγίου Κυρίλλου ἐκ τοῦ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγελίου 3). Ἐπιτήρησον τοῦ λόγου τὸ ἀκριβές· ἀπέναντι γὰρ τῶν ὀφθαλμῶν μου, φησὶν, ἀφέλετε τὰς πονηρίας ἀπὸ τῶν καρδιῶν ὑμῶν· πονηροὶ μὲν γὰρ ὄντες, ἔσθ' ὅτε λάθοιεν ἄν τινες τοὺς ἀνθρώπων ὀφθαλμοὺς, τοὺς δέ γε θείους οὐκ ἔνεστι λαθεῖν· δεῖ τοίνυν ὡς ἐφορῶντος θεοῦ τὰ κρυπτὰ, τὰς πονηρίας ἡμᾶς ἀφελεῖν ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ.

cod. f. 40. b. Μεθ' ἡμῶν δὲ γέγονεν, θεὸς ὢν ὁ λόγος, τὴν πρὸς ἡμᾶς ὁμοίωσιν ὑπελθὼν, καὶ τὸ τῆς ἀνθρωπότητος οὐκ ἀτιμάσας σμικροπρεπὲς, ἵνα σώσῃ τὴν ὑπ' οὐρανόν.

1) Ita cum crasi in codice, pro ἐκ τοῦ vel ἐκ τῶν εἰς τὸ κατὰ etc.

2) Coniungendum videtur hoc fragmentum cum alio Cyrilli ad Matth. XIII. 11. in catena Possini p. 187.

3) Cyrilli in Lucam titulum repetit codex in singulis, quae heic exhibemus fragmentis.

braneo, apud ipsam synodum scripto. *In nomine sanctae et individuae Trinitatis feliciter. Amen. Censetur utique dignum et congruum, prout id singulariter exposcit nimium labilis hominum memoria, ut ea quae per sacrorum generalium Conciliorum sanctiones ad Dei laudem et communem reipublicae utilitatem fore noscuntur instituta, illa debitae scripturae commendentur; ut per hanc iugis eorum etiam ad posteros transeat recordatio. Hinc est igitur, quod in subscriptis continentur, et sunt de verbo ad verbum inserta decreta, constitutiones, acta, ordinationes, ceteraque gesta in sacro generali basiliensi Concilio; praesidente in eodem auctoritate apostolica reverendissimo in Christo patre domino Iuliano miseratione divina, sacrosanctae romanae ecclesiae sancti Angeli diacono Cardinali, apostolicae sedis legato, collecta, visa, et ordinata per nos protonotarios et notarios et scribas infrascriptos, ad id per dictum dominum praesidentem, sacro eodem approbante Concilio deputatos, sub annis indictionis, diebus, horis, mensibus, et pontificatu inferius annotatis et descriptis.* Sequitur in codice prima sessio, ut in Zattae editione Conciliorum T. XXIX. col. 2. *In nomine Domini* etc. Explicit codex cum fine sessionis XXXII. *Datum* etc. *anno millesimo quadringentesimo tricesimo octavo.*

Καί τοι πῶς οὐχ ἅπασιν ἐναργὲς, ὅτι παιδίον ἀρτιθαλὲς, καὶ οὐκ ἔχον ἀπὸ τοῦ χρόνου cod. f. 41. a. καὶ τῆς ἡλικίας τὸ δύνασθαί τι νοεῖν, ἀνικάνως ἔχει πρὸς διάκρισιν πονηροῦ τε καὶ ἀγαθοῦ πράγματος; οἶδεν γὰρ ὅλως οὐδέν· ἀλλ' ἔν γε τῷ πάντων σωτῆρι Χριστῷ θαῦμα μέγα καὶ ἐξαίσιον ἦν· ἤσθιεν μὲν γὰρ ὡς βρέφος ἦν ἔτι βούτυρόν γε καὶ μέλι· ἐπειδὴ θεὸς ὢν ἀποῤῥήτως σεσαρκωμένος, μόνον ᾔδει τὸ ἀγαθὸν, καὶ πονηρίας τῆς ἀνθρωποπρεποῦς ἐλεύθερος ἦν· ἴδιον δὲ καὶ τοῦτο τῆς ἀνωτάτω πασῶν οὐσίας· τὸ γὰρ φύσει καὶ ἀραρότως καὶ ἀμεταπτώτως ἀγαθὸν, πρέποι ἂν αὐτῇ τε καὶ μόνῃ ἰδικῶς· οὐδεὶς γὰρ ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς ὁ θεὸς, κατὰ τὴν αὐτοῦ τοῦ σωτῆρος φωνήν 1).

Θαλάσσης γὰρ δίκην ἐκκέχυται πανταχοῦ τὸ σωτήριον κήρυγμα, καὶ πανσθενεστάτην ἔχει cod. f. 62. a τὴν ἐμβολήν. καὶ τοῦτο πάλιν ἡμῖν διεσάφει λέγων ὁ τῶν ὅλων θεὸς διὰ προφήτου φωνῆς· καὶ κυλισθήσεται ὡς ὕδωρ κρίμα, καὶ δικαιοσύνη ὡς χειμάῤῥους ἄβατος.

Δρόσον οἶμαι λέγειν τὴν ζωοποιὸν τοῦ ἁγίου πνεύματος δύναμιν, καὶ τὴν τοῦ θανάτου λυτικὴν cod. f. 110. b. ἐνέργειαν ὡς θεοῦ καὶ ζωῆς.

Τουτέστιν ἐν τῇ στιγμῇ καὶ ἐν ὀλίγῳ παντελῶς καὶ συνεσταλμένῳ καιρῷ τὴν ἀπόλαυσιν cod. f. 119. a. ἔχων· κονιορτοῦ γὰρ δίκην οἰχήσεται πεμπόμενος εἰς ἑτέρους, καὶ εἰς οὓς οὐκ ἴσμεν ἔσθ' ὅτε, καὶ τάχα που καὶ εἰς ἐχθρούς.

Τὸν τῆς κολάσεως δηλονότι τὸν ἐξώτερον σκότον, τὸν ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγ- cod. f. 132. b γέλοις αὐτοῦ· οὗτος τῶν ἀφιλοικτιρμόνων ὁ κλῆρος.

Διοικεῖ γὰρ οὕτω τὸ θεῖον τὸ καθ' ἡμᾶς, οὐχ ὁρώμενον, οὐ κτύπῳ κατασημαῖνον τὴν ἐνέργειαν, cod. f. 155. b ἀλλ' ἠρέμα τὲ καὶ ἡσυχῇ· οὕτω δὴ καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς προσήκει πληροῦν ὅ τι ἂν ἐθέλωμεν ἀγαθὸν, ἵνα καὶ πλήρη κομιζώμεθα τὸν μισθόν.

Ἱεροῖς γὰρ καὶ θείοις νάμασι τὰς τῶν σεβομένων αὐτὸν ἐκμεθύσκει ψυχὰς, ἵνα τοὺς τῆς cod. f. 194. b. εὐαγγελικῆς εὐζωΐας ἀποτεκοῦσαι καρποὺς, κλῆρον ἔχωσι τὸν ἐν οὐρανοῖς.

Ἐπλανᾶτο μὲν γὰρ ἡ ὑπ' οὐρανὸν, τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίστην λατρεύουσα, καὶ τῷ τῆς cod. f. 205. b. ἀμαθίας κατεμελαίνετο σκότῳ, καὶ νὺξ οἷά τις ἁπάντων διανοίαις ἐμπίπτουσα, τὸν φύσει τὲ καὶ ἀληθῶς ὄντα θεὸν ὁρᾶν οὐκ ἠφίει· ἀνέτειλε δὲ τοῖς ἐξ Ἰσραὴλ, φωτὸς καὶ ἡλίου δίκην ὁ τῶν ὅλων κύριος.

Ἐναργέστατα διὰ τούτων αὐτὸς ἦν ὁ λέγων διὰ τῆς τοῦ προφήτου φωνῆς, ὅτι καὶ ἐναν- cod. f. 209. a. θρωπήσει, καὶ ἀφίξεται διασώσων τὴν ὑπ' οὐρανόν· κεχρίσθαι γὰρ οὐχ ἑτέρως φαμὲν τὸν υἱὸν, πλὴν ὅτι κατὰ σάρκα γενόμενον δηλονότι καθ' ἡμᾶς καὶ ἐνανθρωπήσαντα.

Ἔλεος καὶ δικαιοσύνη Χριστός· ἠλεήθημεν γὰρ δι' αὐτοῦ, καὶ δεδικαιώμεθα τοὺς τῆς φαυ- ibidem. λότητος ῥύπους ἀπονιψάμενοι, διὰ πίστεως δηλονότι τῆς εἰς αὐτόν.

Ἄθρει γὰρ ὅπως διὰ τρόπου παντὸς ἐξαίρετον αὐτῇ τὸ κάλλος σημαίνεται, καὶ τῆς ἀμω- cod. f. 210. b μήτου ζωῆς ἐνεργάζεται τὴν φαιδρότητα· κατακαλλύνει γὰρ κόσμῳ παντὶ, νοητῷ δηλονότι καὶ πνευματικῷ, τὰς τῶν σεβομένων αὐτὸν ψυχάς· ἵνα καὶ πρὸς ἑκάστην λέγηται τὸ διὰ τῆς τοῦ ψάλλοντος λύρας· ἄκουσον, θύγατερ, καὶ ἴδε, καὶ κλῖνον τὸ οὖς σου· καὶ τὰ λοιπά.

Οἴνῳ γὰρ μάλιστα τῷ νέῳ καὶ ἄρτι πεπατημένῳ τὴν τοῦ αἵματος εὔχροιαν παραβάλλουσι· cod. f. 213. a. καὶ τί πρὸς αὐτοὺς ὁ Χριστός; πρῶτον μὲν ἵνα νοῆται κατὰ φύσιν ὑπάρχων θεός· ἐγὼ, φησὶ, διαλέγομαι δικαιοσύνην· τὸ διαλέγομαι πάλιν, ἀντὶ τοῦ διδάσκω τίθησιν· ὁ δὲ διδάσκων δικαιοσύνην, πῶς οὐκ ἂν νοοῖτο νομοθέτης ὁμολογουμένως; εἰ δὲ νομοθέτης, πῶς οὐχὶ μᾶλλον καὶ θεός; εἶτα πρὸς αὐτὸν οἱ ἄγγελοι λέγουσι, τοὺς τύπους τῶν ἥλων καὶ αὐτοῖς ὥσπερ ἐπιδεικνύντος Χριστοῦ, τί αὗται αἱ πληγαὶ ἀνὰ μέσον τῶν χειρῶν σου; πρὸς αὐτοὺς δὲ ὁ κύριος· ἃς ἐπλήγην ἐν

1) Confer editionem nostram T. II. p. 126.

τῷ οἴκῳ τοῦ ἀγαπητοῦ μου· οἶκος γὰρ ἀγαπητὸς ὁ Ἰσραὴλ ἔπληξεν ἥλοις καὶ λόγχῃ τὸν κύριον· τὰ γὰρ τῶν στρατιωτῶν τολμήματα ταῖς Ἰουδαίων κεφαλαῖς εἰκότως ἂν ἐπιγράφοιτο· προσήγαγον γὰρ αὐτοὶ τῷ παθεῖν τὸν κύριον.

cod. f. 218. a. Οὐ γὰρ ἄμισθος ἡ ὑπακοή· οὐδὲ μὴν ἀζήμιος ἡ παρακοή· καὶ τοῦτο σαφὲς ἂν γένοιτο ἐκ τῶν τῷ προφήτῃ λελεγμένων τοῖς καταφρονεῖν ᾑρημένοις.

FRAGMENTUM DIALOGI HOMINIS CATHOLICI CUM HAERETICO 1).

. . . creavit Spiritu sancto naturaliter, quia Unigenitus Dei, Deus verus, qui cum patre et Spiritu sancto unus est in natura, alter est in persona. Non enim ipsum patrem dicimus esse quem filium. Nec iterum . . qu . . de . . filium dicimus esse quem patrem, aut . . . spiritum sanctum patrem vel filium nunc . . . mus. Sed distinguentes personas . . . in aetatibus suis patrem Deum pa . . . proprie *a*) nominamus, et filium Deum . . . proprie dicimus. Nomina et sanctum . . . . dominum spiritum sanctum proprie confitemur. . . . diamus Deum . . . dicimus Deos, sed unum nomina . . . suae . . Trinitate perfectam . . . nuper sco . . . rpienda est . . . demque Deum et . . . quae sunt hominis . . . quae dum sunt quoniam . . . ex infirmitate nostra . . *vir*tute Dei. Quapropter . . . Deus dicere secundum . . . hominem Deum natum, secundum hominem Deum passum, Deum mortuum. Sed gloriamur dicere Deum natum, eumdemque secundum hominem passum; qui cum in forma Dei esset, non propter se, sed propter nos, formam servi suscepit, et semet ipsum exinanivit. Quomodo exinanivit semet ipsum? Dum in forma Dei formam acciperet servi; dum principaliter dominus ea quae sunt famuli dic . . . . ter adsumit; dum quae per indulg. . . . et miseratione nostri gerendo in . . . riora se videlicet vel agendo Verbum caro factum, evacuatur in person . . . quod possidet in natura, et in ver . . . ho . . *hu*manitatis habitu factus oboediens in homine illud . . . per humilitatem et oboedientiam . . . *na*turae nostrae . . . obedientiam per . . . rat . . . qui . . . uivit in spiritu vivificam . . . patre omnia iam nu . . decet . . moriturus . . is . . suscitat . . atre inc . . et fit nobis primogenitus . . . ex mortuis, qui est Unigenitus Dei . . . diversa . . . propter nos pauper . . . indigens in homine nobis. Accipit quod habundans sibi semper habebat in patre.

Haereticus R. Firmata in corde meo non nescias superiora rationabiliter et vere exposita. Sed ad cumulum fidei, quaeso exponas quot *b*) personis et nominibus dividuntur, cum sit una substantia patris et filii et spiritus sancti.

Catholicus D. Ignoras, quia pater Deus unus est, et filius unus Deus est, et spiritus sanctus unus Deus est? Unitum nomen est, quia una est eorum substantia. Unde et Iohannes in epistola sua ait: tres sunt qui testimonium dicunt in caelo, pater, Verbum et spiritus sanctus 2). In Christo Iesu unum sunt; non tamen unus est, quia non est eorum una persona. Numquid aliut *c*) sentiendum est, quam pater verus unus qui genuit, idem non sit qui et genitus ab ipso est? et filius unus qui non genuit, pater non sit? et spiritus sanctus, qui nec pater nec filius, alter sit in persona? Praeterea qui nec genuit nec natus refertur?

a) Cod. *propriae*. Sic et infra. — *b*) Cod. *quod*, fortasse pro *cur*. — *c*) Ita cod.

1) Ex codice capituli veronensis antiquissimo n. 59, valde hac in parte corrupto. Conferatur autem omnino Vigilius tapsensis de Trinitate.

2) Animadverte auctoritatem veterem pro famigerato hoc Iohannis versiculo, de quo nos postea in adn. ad S. Augustini speculum.

Haereticus R. Quare nomina significantur?

Catholicus D. Procul dubio pater vere genuit; hoc proprium nomen est ei. Filius vero de eo natus est; hoc unicum nomen est ei. Spiritus autem qui de patre processit, naturale nomen est ei. Dum ergo nomina in persona distinguuntur, propria nomina ostenduntur. Dum secundum deitatem refertur unitum nomen, in his indicatur quia substantivus *a*) est pater, substantivus est et filius, substantivus est et spiritus sanctus. Sit ergo nobis secundum salutaris baptismi confessionem *b*) fides integra Trinitatis, sit una devotio pietatis. Nec more gentilium . . . tatum diversitates opinemur, sed . . . perfectam Trinitatem adorantes . . magnificantes, sicut in mysteriis 1) ore nostro dicimus, ita conscientiam tenemus *c*). Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus omnipotens. Ter dicens sanctus unam omnipotentiam *d*) confiteris. Vel illut *e*) apostoli: unus Spiritus, unus dominus Iesus Christus in gloria Dei patris: unum amen, quia una est religio, una glorificatio Trinitatis. Et deinceps pacem dilectionemque sectantes, semper bonis operibus habundemus. Ut audiamus ab apostolo: gratia domini Iesu Christi, et dilectio Dei, et communicatio spiritus sancti cum omnibus vobis. Amen. Explicit.

SERMO S. FULGENTII EPISCOPI 2)

DE EPIPHANIA DOMINI.

Post illam sollemnitatem, quam nobis anniversaria revolutione venerabilem fecit temporalis domini nostri Iesu Christi nativitas, secunda nobis est hodierna sollemnitas. Illa quippe fuit, per quam Christus pastoribus iudaeis voce angeli nuntiantis innotuit; ista est manifestationis, per quam ad se magos gentiles indicio stellae praecedentis adduxit. Illius itaque diei nomen in latinam linguam de graeca transivit; istius diei vocabulum etiam apud Latinos usum graecae appellationis optinuit. Illum denique diem natalem Domini dicimus, istum vero epiphaniam secundum morem traditionis ecclesiasticae nuncupamus. Epiphania vero manifestatio dicitur. Manifestationem igitur Domini propterea hodie celebramus, quoniam isto die dicitur magis ab oriente venientibus adoratus. Stellam quippe illius in oriente viderunt, et ad eum adorandum divina adducti illuminatione venerunt. Quamvis enim corporeis oculis viderunt lumen stellae, ad adorandum tamen puerum nullatenus pervenissent, nisi spiritalis gratiae lumen divinitus accepissent.

2. Verumtamen, dilectissimi Fratres, quid est quod hodie manifestationem Domini celebramus, cum prius quam stella natum Dominum nuntiaret magis in oriente positis, angelum eum mox natum esse nuntiavit in Iudaea pastoribus constitutis? Quare hodie dicitur manifestatus, cum ipsa nocte qua natus est, fuerit ab angelis nuntiatus? An quia viderunt magi gentiles? Sed etiam tunc viderunt eum iudaei pastores; hodie Christus dominus, qui ad salutem gentium venit, ho-

a) Cod. *substantibus*, *b*. pro *v*. — *b*) Cod. *confessio*. — *c*) Cod. *teneas*. — *d*) Cod. *omnipotentia*. — *e*) Ita cod. *t*. pro *d*, ut alibi in codd.

1) Nempe in sacramentis, puta in baptismo. Nimirum opus huiusmodi deperditum Hilarii, et illud Ambrosii superstes, *de mysteriis* inscribuntur.

2) Sermonem hunc ita inscriptum Fulgentio legebam in codicibus vaticanis, 1267, f. 177, et 4222. f. 89. neque tamen inter Fulgentii editos reperiebam. Utcumque autem se res habet; et sive Fulgentii sit, sive alterius auctoris, nondum mihi comperti aut lecti, heic sermonem hunc deponere non recusavi.

noris primitias suae divinitati condignas a magi , in quibus iam primitiae gentium dedicabantur , accepit. Unde sive illis sive aliis recte intellegitur manifestatus, a quibus verus Deus est humiliter adoratus. Christum enim, quem vidit pastor puerum parvulum, ipsum magus certissime dominum cognovit immensum. Quem iudaeus vidit pannis vilissimis involutum , ipsum magus oblatis confessus est muneribus gloriosum. Ante ipsum Redemptorem suum magus humilis procidit , quem pastor infantem admiratus aspexit. Pastoribus igitur Christus suae humanitatis veram demonstravit infantiam, magis autem suae quoque deitatis iam tunc dignatus est revelare potentiam. Nam et ipsa nuntiantis angeli , et apparentis stellae locorum diversitas, admonet nos aliquid spiritaliter intellegere , ut cognoscamus quid gentilibus et quid Iudaeis adventus ostenderit domini Salvatoris.

3. Nemo ambigit, in pastoribus, Iudaeorum primitias ; et in magis, primitias gentium praesignatas. Pastores autem non de caelo , sed in terra sibi angelum audierunt loquentem, et natum Dominum nuntiantem. Magi vero in terra nec quemquam viderunt, nec audierunt loquentem, sed stellam viderunt in caelo fulgentem. Quid igitur hoc significare dicimus, quod iudaeus ut Christum videat, verbis angeli descendentis instruitur; gentilis autem ut ad Christum veniat, caelestis fulgore sideris admonetur? nisi quia ipsius domini Iesu Christi Iudaeis ostensa humilitas et infirmitas carnis, gentibus autem revelata est excelsa gloria deitatis. Iudaei namque viderunt humilem Christum, quia tunc fuit pro nobis omnibus occidendus ; gentes cognoverunt altissimum Christum, quia semper est ab omnibus adorandus. Nonne quodammodo stella illa, quae apparuerat, magis videntibus haec dicebat: ego quam videtis lucentem, ab illo creata sum quem visuri estis in corpore vagientem. Annuntio vobis quidem regem Iudaeorum temporaliter natum, quem tamen cognoscetis conditorem angelorum sine initio sempiternum. In exortu igitur novi sideris, nativitatem cognoscite Salvatoris. Magi ergo apparente stella, natum Dominum cognoverunt; stella praecedente, ad Dominum pervenerunt. Intrantes autem domum, sicut evangelium loquitur, invenerunt Dominum cum Maria matre eius, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum tus et myrrham.

4. In his autem muneribus mysterium videmus verae fidei contineri. Tus vero priscis temporibus in sacrificio Dei solebat officio sacerdotis offerri. Aurum quoque tributis regalibus annua videmus exactione persolvi. Myrrha vero sepeliendis assolet corporibus adhiberi. In illa igitur oblatione turis, sacrificium agnoscitur, in quo Christus et verus Deus et verus pontifex sacrificium in odorem suavitatis pro eis obtulit, a quibus ipsis sacrificium idem verus Deus accepit. Munus vero auri regem verum demonstrat dominum Iesum Christum, non utique talem regem qui suam imaginem in solidis accipit, sed qui suam imaginem in ipsis hominibus quaerit. Hanc utique imaginem quaerens dicebat: reddite Caesari quae Caesaris sunt, et Deo quae Dei sunt. Oblatio autem myrrhae verum Deum verumque regem Christum, licet divina regalique potestate naturaliter subnixum, ipsum tamen secundum veritatem carnis, quam mortalem accepit ex nobis, vere pro nobis mortuum, vere sepultum, vere pro nobis etiam suscitatum. In rege igitur Christo agnoscitur liberatio captivorum. In sacerdote Christo invenitur mundatio pollutorum. In Christo mortuo atque resurgente, consistit resuscitatio mortuorum. In Deo Christo posita est aeterna felicitas beatorum.

5. Apparet itaque vere liberandum, vere mundandum, et in resurrectione glorificandum, qui fuerit Christi veri Dei gratia iustificatus, Christi veri hominis morte ac resurrectione, non ad aeternam mortem, sed ad aeternam vitam feliciter suscitatus. Christus enim nobis est vera libertas, vera mundatio, vera vita, ac felicitas sempiterna, in quo manet humilitatis atque divinitatis inconfusa semper et indivisa substantia. Ipse lapis est angularis, qui ad se unum parietem ex circumcisione, alterum ex praeputio misericorditer duxit, et utrumque in se fidei et caritatis unitate coniunxit. Et Iudaeos quidem prope, gentiles autem longe, quia illos sub lege, ipsos sine lege Dominus repperit. Utrosque tamen sub peccato Salvator invenit; et ideo utrosque nullis praecedentibus meritis, sola gratia praeveniente salvavit. Nam Iudaei prius quam crederent, Dominum occiderunt; gentiles prius quam crederent, daemonia coluerunt. Pro utrisque igitur Christus mortem suam gratis impendit; pro utrisque gratis sanguinem fudit; ipso suo sanguine diabolum vicit. Et non solum suos occisores iudaeos, sed etiam daemonum cultores paganos divina miseratione convertit, regia fortitudine liberavit, pontificali sanctitate mundavit, et temporali sui corporis morte de potestate secundae mortis eripuit.

6. Ipsi Domino Iesu Christo sancta ecclesia etiam nunc aurum, tus, et myrrham spiritaliter offerre non cessat: aurum scilicet sapientiam fidei, qua recte credit: tus autem opus misericordiae, quam sacrificio Deus ipse praeposuit: myrrham quoque virtutem mortificationis, qua non solum omnia quae in mundo sunt, sed etiam ipsam praesentis vitae dulcedinem pro Christi amore contemnit. Ipsa est quae Christum et vidit parvulum, et adoravit immensum, et aspicit minoratum, et veneratur altissimum. In quo sic agnoscit veram nostri generis carnem, ut in eo divinae unitatis paternae intellegat claritatem. Et quem vidit in pannis nostra peccata portantem, ipsum cognoscit in stellis nos ad caelestia sublevantem. Qui enim pro nobis descendit, ipse nos levat; qui pro nobis filius hominis factus est, ille gratiam adoptionis hominibus donat: qui peccatorum nostrorum pannos portavit, ipse a peccatis impios mundat: qui in praesepio iacuit, ipse usque ad caelos fideles exaltat.

7. Igitur hodie manifestationem spiritaliter non epulis carnalibus sed sanctis moribus celebremus: ut cum ipse Deus manifestus venerit, cum eo semper regnare possimus. Manifestus est enim nobis in fide, manet adhuc occultus in specie: manifestus est infirmis in via, manifestandus sanatis in patria; manifestatus est, ut iustificaret impios in hoc saeculo; manifestandus, ut iustos glorificet in futuro. Hunc ergo diem, quo dominus Iesus Christus manifestari coepit gentibus, sancto atque spiritali gaudio celebremus, non inhiantes carnalibus epulis, sed insistentes operibus iustis. Ad hoc sint, Fratres, vestra prandia copiosa, ut ex eis pauperum laetificetur inopia. Ipsis deliciis quibus mensa repletur, regni caelestis possessio comparetur. Omne enim quod in os intrat, sicut Salvator ait, in ventrem vadit*; omne autem quod in eleemosyna pauperibus datur, multiplicatum vobis divina retributione redditur. Istis omnibus quae comeditis, Fratres, vitam istam paululum sustentatis; illis autem omnibus quae pauperibus datis, aeternae vitae beatitudinem comparatis; ubi sine ullo fine nobis tribuetur aeterna satietas, sine ulla perturbatione manebit aeterna securitas, sine aliqua miseria concedetur aeterna felicitas. Ipsius largitori gloria in saecula saeculorum. Amen.

* Matth. XV. 17.

SERMO IN LAUDEM SANCTI MARTINI 1).

Ex codice vetere sessoriano 53. f. 51.

1. Laetemur in Domino, Fratres dilectissimi, omni laetitia spiritalis gaudii, quos omnipotentia divinae maiestatis egregii sui confessoris, nostri quoque perpetui pastoris, iucunditate laetificat annuae sollempnitatis. Haec est etenim dies, in qua sancta ecclesia catholica longe lateque per orbem diffusa, multiplici exultatione tripudiat, eius recolendo festum, cuius exemplis et verbis participem se esse cognoscit supernorum civium. Haec est toto orbe veneranda dies, in qua gloriosus Dei Martinus antistes de terris migravit ad florigeras paradisi sedes. Haec est, inquam, dies praeclara, dies sancta, dies splendida, dies omnibus celebrabilis, angelis collaudabilis, in qua beatus Martinus tamquam miles emeritus, post plurima laboris sui certamina, caelesti militiae conscriptus, perhennis vitae lauro gaudet feliciter coronandus. Tanti igitur patroni, Fratres karissimi, omnis sexus, omnisque conditio, laetantibus animis tota cum devotione, plena alacritate, directa cordis intentione, magnificando gloriosa sollemnia celebremus, celebrando magnificemus; de quibus et Christi fideles in terris, et sancti omnes congratulantur in supernis.

2. Licet autem nostra magnificatione non egeat, quem omnipotens Deus apud se aeternaliter magnificatum retinet, obsequio tamen piae devotionis condelectatur benignitas proprii pastoris. Merito ergo haec dies magnificatur, haec tanta sollempnitas ab omni christiano pie recolitur, quae tantis virtutibus roboratur, tantis miraculis honoratur. Hic namque pastor beatissimus quantis in mundo claruerit insignibus, liber eius vitae indicat, qui tam mirandis signorum descriptionibus effulget. Quae scilicet eius virtutum praeclara opera, ita sunt per mundi spatia dilatata, ut propter sui excellentiam nulli rationabili creaturae credantur esse incognita. Unde, gloriose Dei Martine pontifex, laudis tuae praeconia nobis famulis tuis tantum memorasse sufficiat, ut qui ad recolendum tuae festivitatis gaudia convenimus, tuae praesentiae non indevoti assistamus. Accipe igitur, pater dulciflue, accipe servorum tuorum laudes, quas offerimus: suscipe nostra quae tibi fundimus desideria, atque ea in conspectu pii Redemptoris repraesenta, et inde nobis supernae gloriae propitiationem reporta. Tu enim iam in caelesti paradiso cum eo exultas, tanto liber a corruptione, quanto absolutus carne in ista multitudine sanctorum medius recumbis; tanto itaque ab inquietudine extraneus, quanto contemplatione Dei vicinior factus.

3. Nos autem, qui adhuc in hoc exilio peregrinamur, corporis corruptione gravamur, variisque incessanter calamitatibus urgemur; tanto tuo adiutorio indigemus, quanto his malis cotidie nos angustiari graviter ingemiscimus. Et ideo quia in nobis nihil dignum, nihil tuis laudibus congruum invenire possumus, te humiliter petimus, ut ex dono tuae pietatis accepta sint vota nostrae laudationis, quae non vox effundit proterva, sed conscientia devota. Tua ergo nobis pietas succurrat, ut qui nostris criminibus totiens creatorem offendimus, ab eo veniam non iudicium sentiamus. Et quia paupertatis amator in infantiae tempore, diviso chlamydis indumento, meruisti in paupere Christum vestire, tua benignissima intercessione vestiti nuptiali veste inter convivas superni regis mereamur accumbere. Qui etiam signo crucis, non clypeo, protectus aut galeatus, promisisti hostium cuneos penetrare, securum tuae protectionis auxilium nobis impende, ut impetus adversariorum securi valea-

1) Pulchri huius ac pervetusti de S. Martino turonensi sermonis non inveni mentionem inter biographos veteres praedicti divi, in libro edito Posonii anno 1817.

mus irrumpere, omnemque eorum virtutem te duce superare. Cui quoque post apostolos tanta collata est gratia, ut trium mortuorum suscitator merueris fieri; nos tuis orationibus a morte animae suscitatos, ac ab omni vitiorum contagione purgatos, sanctae Trinitatis fideli confessione fundatos, facias esse pariter et perpetuae felicitatis consortes.

4. Beatam siquidem Romam dixerim, cui concessa sunt duo magna luminaria, Petrus scilicet et Paulus, per quos de tenebris infidelitatis mereretur ad lumen redire veritatis. Non dissimiliter quoque Turonorum civitatem constat esse beatam, quae tanti patris praedicatione instrui in spiritali et corporali praesentia Deo largiente potuit insigniri. Beati parentes qui tam ammirabilem genuerunt prolem! Beati nihilo minus Turonicae sanctae sedis incolae, quibus datum est tam reverendum praesulem habere! Felix terra, quae in ortu protulit! Felicior quae hunc ad caeli palatium sui intercessorem praemisit! Felix igitur civitas Turonensis, quae tanti pastoris irradiata doctrinis, ac per ipsius almifluum corpus caput effici meruit Gallicae regionis. Per cuius meritum et benedictionis imbre non solum irrigantur mentes hominum, sed etiam terra adiacens accumulatur fertilitate fructuum. Hic vero omnibus felicior atque sublimior credendus est locus, qui ipsius est sacratissimi corporis tumulo tam gloriose decoratus. O quam felices illi, qui huic famulari, huius assistere merentur celebritati! Rectitudinem iusti simplicitate . . . uri, sanctimonia mundi, interius et exterius omni religione perfecti. Denique beati, qui hunc in carne videre (*lacuna unius non magnae pagellae oblitteratae*) unicum filium suum. Per eundem Dominum nostrum, cui aeternus honor, virtus eadem, cum Spiritu sancto, per cuncta saecula saeculorum. Amen.

CLAUDII TAURINENSIS

PROLOGUS CATENAE IN MATTHAEUM 1).

1. Post adventum Spiritus sancti super discipulos suos die pentecostes, et deinceps, licet omnes praedicatores extiterint eorum quae Dominus fecit et docuit, ex his omnibus quatuor segregati sunt, qui praedicationem dominicam, quam nos evangelium nominamus, propositis voluminibus conscripserunt. Primus omnium Matthaeus est publicanus, cognomento Levi, qui evangelium in Iudaea hebraeo sermone edidit, ob eorum vel maxime causam qui in Iesum crediderant ex Iudaeis; cui speciali privilegio donatum est, ut dominicae incarnationis mysteria, quae cuncti a saeculo prophetae futura praecinebant, ipse primus omnium iam facta descripserit, et credentibus legenda transmiserit; quod videlicet evangelium ad aedificandam fidem ecclesiae primitivae, quae ex Hebraeorum maxime populo collecta est, hebraeo sermone, sicuti iam dictum, conposuit maxime propter illos qui in Iesum crediderunt ex Iudaeis, et nequaquam legis umbra succedente, evangelii veritatem servabant. Dilatata autem per orbem ecclesia, et graecis ac barbaris in eiusdem fidei unitatem confluentibus, curaverunt praesules fidelium, ut idem etiam in graecum latinumque transferretur eloquium; quomodo etiam Marci, Lucae, et Iohannis evangelia,

1) In Spicilegio rom. T. IV. p. 301. et seq. edidimus Claudii taurinensis epistolam, quam praeposuit Catenae in Matthaeum ab se ex vetustis patribus, ut illic diximus, contextae. Agesis nunc prologum quoque eiusdem Catenae ex iisdem, de quibus tunc locuti sumus codicibus, depromere visum est.

quae deinceps graeca lingua ediderunt, mox in latinum transfudére sermonem, quatenus haec omnes per orbem nationes legere et intellegere possint. Secundus Marcus interpres apostoli Petri, et alexandrinae ecclesiae primus episcopus, qui dominum quidem Salvatorem in carne ipse non vidit, sed ea quae magistrum audierat praedicantem, iuxta fidem magis audita narravit quam visa, Dei et Petri in baptismate filius, atque in divino sermone discipulus, sacerdotium in Israhel agens, secundum carnem levita: conversus ad fidem Christi evangelium in Italia sub Claudio Caesare scripsit.

2. Tertius Lucas, natione syrus antiochensis, arte medicus, discipulus apostolorum, cuius laus est in evangelio per omnes ecclesias: postea Paulum secutus usque ad confessionem eius, serviens Deo sine crimine: nam neque uxorem umquam habens neque filios: cumque iam per Matthaeum in Iudaea per Marcum autem in Italia scripta essent evangelia, sancto instigante spiritu, in Achaiae Boeotiaeque partibus suum scripsit evangelium, quaedam altius repetens, et ut ipse in prohoemio confitetur, audita magis quam visa describens; significans etiam ipse in principio alia esse descripta; cui extra ea quae ordo evangelicae dispositionis exposcit, ea maxime necessitas laboris fuit, ut primum graecis fidelibus omni prophetatione venturi in carne Dei Christi manifesta humanitas *fieret*, ne iudaicis fabulis adtenti, in solo legis desiderio tenerentur, ne vel haereticis fabulis et stultis sollicitationibus seducti exciderent a veritate .LXXXIIII. annorum obiit in Bithynia plenus Spiritu sancto. Quartus Iohannes apostolus et evangelista, quem Iesus amavit plurimum, qui super pectus Domini recumbens, qui virgo electus a Deo est, purissima doctrinarum fluenta potavit; quem de nuptiis volentem nubere vocavit, cui virginitatis in hoc duplex testimonium in evangelio datur, quod et prae ceteris a Domino dilectus dicitur, et huic matrem suam de cruce commendavit Dominus, ut virginem virgo servaret. Is cum esset in Asia, et tunc iam haereticorum semina pullularent Cerinthi, Ebionis, et ceterorum, qui negant Christum in carne venisse, quos et ipse in epistola sua antichristos vocat, et apostolus Paulus frequenter percutit, coactus est ab omnibus tunc Asiae episcopis, et multarum ecclesiarum legationibus, postquam revocatus est ab exilio ex insula Patmos, ubi apocalypsin scripserat, ut de divinitate Salvatoris nostri altius scriberet, et ad ipsum ut ita dicam Dei verbum non tam audaci quam felici temeritate prorumperet. Unde et ecclesiastica narrat historia, cum a fratribus cogeretur ut scriberet, ita facturum se respondisse, si indicto ieiunio in commune omnes Deum deprecarentur; quo expleto,
* Ita cod. revelatione saturatus, in illut * primum e caelo veniens eructavit: in principio erat
* ita cod. Verbum, et Verbum erat aput * Deum, et Deus erat Verbum. hoc erat in principio aput Deum.

3. Haec igitur ·IIII· evangelia multo ante praedicta tempore, Iezechiel quoque volumen probat, in quo prima visio ita contexitur: et in medio similitudo quattuor animalium; et vultus eorum facies hominis, et facies leonis, et facies vituli, et facies aquilae. Quattuor enim haec pennata animalia sanctos ·IIII· evangelistas designant, *ut* ipsa uniuscuiusque libri evangelici exordia testantur. Prima hominis facies Matthaeum significat, qui quasi de homine exorsus est scribere: liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham. Et post paululum: Christi autem generatio sic erat: cum esset disponsata mater eius Maria Ioseph, ante quam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Secunda Marcum, in qua vox

leonis in eremo rugientis auditur: vox clamantis in deserto, parate viam Domino, rectas facite semitas eius. Tertia vituli, quae evangelistam Lucam a Zacharia sacerdote sumpsisse initium praefigurat, et circa sacerdotalem Domini stirpem atque personam magis occupatus apparet. Quarta Iohannem evangelistam, qui adsumtis pennis aquilae, ad altiora festinans de verbo Dei disputat. Quia ab humana generatione coepit, iure per hominem Matthaeus. Quia a clamore in deserto, recte per leonem Marcus. Quia a sacrificio exorsus est, bene per vitulum Lucas. Quia vero a divinitate Verbi coepit, digne per aquilam significatur Iohannes, dicens: in principio erat Verbum, et Verbum erat aput Deum, et Deus erat verbum. Dum in ipsam divinitatis substantiam intendit, quasi more aquilae oculos in sole fixit; qui singulari privilegio meruit castitatis, ut prae ceteris altius divinitatis ipsius caperet simul et patefaceret arcanum. Neque enim frustra in caena supra pectus Domini Iesu recubuisse perhibetur; sed per hoc typice docetur, quia caelestis haustum sapientiae ceteris excellentius de sanctissimo eiusdem pectoris fonte potaverit. Unde et merito in figura quatuor animalium aquilae volanti conparatur; cunctis quippe avibus aquila celsius volare, cunctis animantibus clarius solis radiis infigere consuevit obtutus.

4. Et ceteri evangelistae quasi in terra ambulant cum Domino, qui temporalem eius generationem pariter, et temporalia facta sufficienter, pauca de divinitate dixerunt. Hic autem quasi ad caelum volat cum Domino. Quippe pauca de temporalibus eius actis edisserens, aeternam divinitatis eius potentiam, per quem omnia facta sunt, sublimius mente volando, et limpidius speculando, cognovit ac nobis cognoscendam scribendo contradidit. Alii enim evangelistae Christum ex tempore natum describunt. Iohannes eundem in principio fuisse testatur dicens: in principio erat Verbum. Alii inter homines eum subito apparuisse commemorant; ille ipsum aput Deum semper fuisse declarat, dicens: et Verbum erat apud Deum. Alii eum verum hominem; ille vero confirmat esse Deum, dicens: et Deus erat Verbum. Alii hominem eum aput homines temporaliter conversatum; ille Deum aput Deum in principio manentem ostendit, dicens: hoc erat in principio aput Deum. Alii magnalia quae in homine gessit perhibent; ille quod omnem creaturam visibilem et invisibilem per ipsum Deus pater fecerit, docet dicens: omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Sed quia electi omnes membra sunt Redemptoris nostri, ipse autem Redemptor noster caput est omnium electorum, per hoc quod membra eius figurata sunt, nihil obstat si etiam in his omnibus et ipse signetur. Ipse Christus genitus Dei filius, veraciter factus est homo. Ipse in sacrificio nostrae redemptionis dignatus mori, ut vitulus. Ipse per virtutem suae fortitudinis surrexit ut leo. Leo etiam apertis oculis dormire perhibetur, quia in ipsa morte in qua ex humanitate Redemptor noster dormire potuit, ex divinitate sua immortalis permanendo vigilavit. Ipse etiam post resurrectionem suam ascendens ad caelos in superioribus est elevatus, ut aquila. Totum ergo simul nobis est, qui et nascendo homo; et moriendo, vitulus; et resurgendo, leo; et ad caelos ascendendo, aquila factus est.

5. Sed per * haec animalia evangelistas quattuor, et sub eorum specie perfectos simul omnes designari, non dubium est, omnis enim electus atque in via Domini perfectus, et homo, et vitulus, et leo simul, et aquila est. Homo enim rationale est animal: vitulus autem in sacrificio mactari solet: leo vero fortis est bestia, sicut scriptum est, leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum: aquila ad sublimia

* cod. *quia* pro *per*.

volat, et inreverberatis oculis solis radiis intendit. Omnis itaque, qui in ratione perfectus est, homo est. Et cum semet ipsum ab huius mundi voluptate mortificat, vitulus. Quia vero ipsa sua spontanea mortificatione, contra adversa omnia fortitudinem securitatis habet, *leo*: unde scriptum est, iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit. Quia vero sublimiter contemplatur ea quae caelestia atque aeterna sunt, aquila. Igitur quia iustus quisque per rationem, homo; per sacrificium mortificationis suae, vitulus; per fortitudinem securitatis, leo; per contemplationem vero efficitur aquila; recte per haec sancta animalia significari unusquisque perfectus potest. Isti igitur quattuor evangelistae universo terrarum orbe notissimi; et ob hoc fortasse quattuor, quoniam quattuor sunt partes terrae, per cuius universitatem Christi ecclesiam dilatari, ipso sui numeri sacramento quodammodo declararent, hoc ordine scripsisse perhibentur.

6. Primus Matthaeus, deinde Marcus, tertio Lucas, ultimo Iohannes. Unde alius eis fuit cognoscendi atque praedicandi, alius autem scribendi. Ad cognoscendum quippe atque praedicandum, primi itaque fuerunt qui secuti Deum in carne praesente dicentem audierant, facientemque viderant, atque ex eius ore ad evangelizandum missi sunt. Sed in conscribendo evangelium, quod divinitus ordinatum est credendum esse, ex numero eorum quos ante passionem Dominus elegit, primum atque ultimum locum duo tenuerunt; primum Matthaeus, ultimum Iohannes; ut reliqui duo, qui ex illo numero non erant, sed tamen Christum in illis loquentem secuti erant, tamquam filii amplectendi; ac pro hoc in loco medio constituti, utroque ab eis latere munirentur. Tantae qnippe erant dignitatis illi, qui Redemptoris nostri facta et dicta scribenda memoria tradiderunt, ut non solum prophetico sed apostolico essent testimonio commendandi: tantae erant dignitatis, ut utriusque testamenti scriptura eis merito testimonium daret: eorum gloriam caeli cives non ante exortum tantummodo eorum, verum etiam post inchoatum vel expletum sanctissimi munus operis, hominibus ad memoriam referrent, et quanti apud Deum habeantur ostenderent. Nam inter cetera alia, ita scribit de illis Iezechiel: crura eorum recta, et pennati pedes, et quocumque ibat spiritus, ibant et non revertebantur, et dorsa eorum plena oculis, et scintillae et lampades in medio discurrentes, et rota in rota. In singulis quattuor facies. Et in apocalypsi: cum darent illa, inquit, quattuor animalia, gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum viventi in saecula saeculorum, procidebant viginti et ·IIII· seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in saecula saeculorum, et mittebant coronas suas ante thronum. In quibus omnibus perspicue ostenditur quattuor tantum debere evangelia suscipi. Oportet namque ut nos quoties aeterni regis magnificentiam in sanctis evangeliorum libris praedicari cognoverimus, procidamus humiles ante illius misericordiam, devotis precibus imploremus, et quicquid boni operis habere possumus, non nostris hoc meritis, sed eius semper gratiae tribuamus.

Explicit prologus. Incipiunt capitula sequentis opusculi.

Hactenus excerpsimus.

Inter Leonis Allatii vulgatas lucubrationes ponunt bibliographi mantissam quandam ad sanctum Anselmum cantuariensem. Nec immerito; etenim Theophilus Raynaudus in sua Anselmi editione, Lugduni 1630, *fatetur p.* 248. *cum grato animo, se accepisse a Leone Allatio, insignis eruditionis ac probitatis sacerdote (fallitur Raynaudus, numquam enim fuit sacerdos Allatius) exscripta ex vaticanis codicibus nonnulla sancti Anselmi incrementa. Gerberonius autem postremus Anselmi editor, in censuris operum interdum adnotat quaenam nominatim huius Meditationes ex vaticana bibliotheca acceptae a Raynaudo fuerint. Mihi vero nunc in vallicellianis Allatii schedis ingens, libelli instar, Meditatio eiusdem Anselmi observata est, quam ne in Gerberonii quidem, nedum Raynaudi, editione impressam videbam. Necessario itaque sequitur, ut Allatius hanc invenerit post transmissas alias ad Raynaudum Meditationes, et post lugdunensem profligatam editionem; quo factum est, ut haec insignis et ceteris omnibus longe prolixior in quinquagesimum psalmum Meditatio, tunc Romae retenta, deinde in centesimum usque ac septuagesimum annum, id est usque ad traditum benigne nobis a cl. Theinero vallicelliano bibliothecario apographum, pressa fuerit; atque eam prorsus ignoraverint praecipui quoque bibliographi Trithemius, Possevinus, Bellarminus, Labbeus, Fabricius, Oudinus, Cavaeus, Cellerius, Mazzuchellius. Nunc nos hoc Anselmi praenobile scriptum Claudio taurinensi, temporum ordine servato, commode subiungendum iudicavimus.*

VENERABILIS ANSELMI

CANTUARIENSIS EPISCOPI

MEDITATIO SUPER MISERERE.

1. Fortissime Deus spirituum universae carnis, qui vinci non potes, quia es omnipotens et rex potens; falli non potes, quia sapiens es, scrutans corda et renes Deus; corrumpi non potes, quia iustus Dominus, et semper iustitias dilexisti; qui non parces in die vindictae, nec acquiesces cuiusquam precibus, nec recipies pro redemptione dona plurima: ego reus et miser peccator in conspectu divinae maiestatis tuae, in qua qui vere confitetur, absolvitur, recognosco quia peccavi super numerum arenae maris, et multiplicatae sunt iniquitates meae. Incurvatus sum multo curriculo meae ferreae voluntatis, et non est mihi respiratio: et quia ex indiscreto processu negotii vitae meae sentio, quia tua iustitia in extremo tuo iudicio manifeste debet me gravare; ab ipsa tamen merito mihi suspecta, ad tuam misericordiam confugio et appello. Et ne appellatione ista pendente intres in iudicium cum servo tuo, sed potius tua misericordia me praeveniat, et sequatur me, et sensus, et actus, cogitationes, affectiones, et opera mea, protectioni eius supponens, ipsamque misericordiam postulans, et iudicium non requirens, corde compunctus humiliter tibi dico.

2. *Miserere,* quia tempus est miserendi, non iudicandi; quia dixisti in evangelio tuo sancto quod non venisti ut iudices mundum, sed ut salvifices mundum. Et I. 3.
in tua pietate confido, quod appellationi meae deferre debeas, quam ego (qui tremens factus sum et timeo a tua iustitia) tamquam ab inferiori ad superiorem sedem tuae misericordiae interpono, sciens quod misericordia superexaltat iudicium, et quod misericordia tua est super omnia tua opera constituta. Ideoque appellationi meae est a te non immerito deferendum. Nec indignetur contra me clementia tua,

Deus, si videns animae meae periculum imminere a te irato, ad te placatum ausus sum totaliter appellare, cum aequo animo tuleris quod apostolus tuus Paulus, timens ne a Festo praeside corporaliter gravaretur, ad Caesarem appellavit. Adeo igitur cum fiducia gratiae tuae thronum, ut misericordiam consequar, et gratiam inveniam in auxilio opportuno: et quia miser sum, et miserabilis, ideo gemens spiritu iterum tibi dico: *miserere.* Est enim tua misericordia, miserorum chorda, qua de lacu faecis et miseriae extrahuntur. Quia igitur solvendo non sunt passiones condignae ad futuram gloriam quam expecto; et tua misericordia non meritum, sed solam miseriam intuetur, de profundis fluctibus interioris et exterioris miseriae, qui-
* ita ms. bus imago Dei asseritur *, in me ipso ad misericordiam tuam clamo lacrymabiliter tibi dicens: *miserere mei.*

3. Subticeo nomen meum: nam si illud tibi dixero, per id me forsitan non agnosces: et quod post recuperatam aliàs sicut spero innocentiam baptismalem, ab illa dulci familiaritate tua me elongavi nimis imprudens, in qua quando in montem orationis ad te olim aliquando ascendebam, tecum quasi amicus cum amico familiariter locuturus, me pluries dulciter recipere voluisti: et tunc me ipsum cum Moyse ex nomine cognoscebas, et gaudebam in te cum aliis servis tuis, quorum scripta nomina sunt in caelis, et erat coram te honorabile nomen meum. Nunc autem quoniam peccata nomen meum de libro viventium deleverunt, et cum iustis non est scriptum, ideo illud non audeo nominare, vel ad tuam memoriam revocare: sicut ille vir beatus, quem invenisti virum secundum cor tuum, qui et nomen suum, et suam mansuetudinem tuae beatae memoriae fiducialiter commendabat dicens: memento, Domine, David et omnis mansuetudinis eius. Haec enim tibi blandiens, sive mihi, audeo dicere, sicut ille: da imperium puero tuo, sive servo tuo, vel filio ancillae tuae; quia haec familiaritatis nomina, me reum rogantem amplius accusarent: sed appellationem meam prosequens, tactus dolore cordis intrinsecus, eo quod iracundiam contra me excitavi, suspirans iterum et iterum tibi dico: *miserere mei, Deus.*

4. Non audeo dicere *meus:* solummodo te Deum cognosco, sed meum dicere non possum. Nam cum esset puer mihi natus, et parvulus Dei filius mihi datus; datus inquam a patre, qui sic dilexit mundum ut te unigenitum suum daret; datus a matre; quae quasi altera mulier samaritana, ut aleret nos, in igne passionis te filium
* IV. Reg. II 29. suum coxit *, et in sacramento altaris ad comedendum nobis dedit; datus insuper a te ipso, qui dedisti te ipsum pro nobis, ut nos ab omni iniquitate redimeres, et mundares. Cum, inquam, sic esses ab omnibus, quorum intererat, mihi datus, et ideo proprie proprius Deus meus, ego infelix propter peccata mea te perdidi: nam te meum esse veraciter recognosco, qui conquerendo de me et aliis peccatoribus, dicis: me expectaverunt peccatores ut perderent me. Et si te perdidi, omnia perdidi, et memet ipsum. Sed tu, Deus, qui a me imprudenter factus es tanquam vas perditum; et qui a dolente matre tua, quae te in templo perdiderat, inveniri per tuam magnam misericordiam misericorditer permisisti, ita ut amplius te non perderet, sed sollicite custodiret;

5. Sic et tu *misere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Non dico secundum meam miseriam, sed secundum tuam magnam misericordiam, quae longe maior est quam mea miseria magna nimis. Non peto secundum meritum meum, vel secundum iustitiam tuam vel meam, sive secundum opera mea, quibus ego

miser deviavi a te ; sed secundum magnam misericordiam tuam. Magnam quaero misericordiam, quia non decet tuam magnam magnificentiam parva dare. Immo exaudiri dignus non essem, si a magno parva peterem. Ego enim te, non illum magnum sed infinite maiorem aestimo Alexandrum, qui non attendis quid me oporteat accipere, sed quid deceat te dare: nec magna petens, de meritis meis praesumo, sed confido de tua misericordia magna, quae quasi soror tua ab infantia tecum crevit, et de utero matris tuae egressa est tecum. Magnam igitur misericordiam tuam peto. Qui tribularer plurimum, si nescirem misericordias tuas, Domine; sed per experientiam sentio in me ipso tres misericordias te habere. Prima est, qua me et alios peccatores ad quamlibet offensam, qua oculos tuae maiestatis offendimus, non continuo consumpsisti; sicut et nos conservos nostros, quando nos offendunt, confundere statim volumus et punire; sed tamdiu suspendisti gladium ultionis, quod vere dicere possumus cum propheta : « misericordia Domini, quia consumpti non sumus. Et haec quidem tua prima misericordia, parva esset; nec si sola esset, mihi sufficeret ad salutem, sed potius iudicium damnatio accumulans, divinarum bonitatis tuae et patientiae et longanimitatis me faceret contemptorem, et secundum duritiem meam et cor impaenitens thesaurizarem mihi iram in die irae, et revelationis iudicii tui iusti, in quo mihi improperando omnia mala mea, inferres: haec fecisti, et tacui. Ideoque mihi tuam secundam et maiorem prima misericordiam porrexisti, qua me miserum peccatorem (ut tibi sit inde gratiarum actio et vox laudis) ad paenitentiam revocasti. Neque enim cum essem mortuus in peccatis, movere poteram pedem affectus mei, ut me ad te converterem paenitendo, nisi me tua misericordia adiuvisset. Sed si dicebam: motus est pes meus; misericordia tua, Domine, adiuvabat me.

6. Nec istis duabus misericordiis sum contentus. Nam licet in se magnae sint, tamen parvae sunt, comparatione illius tuae magnae misericordiae quam requiro. Abuti quidem possem patientia misericordiae tuae primae, et pes meus, qui per secundam movetur ut ad te convertatur, iterum labi posset, et esset novissimus error meus peior priore. Et ideo scio, o summa sapientia, te docente scio, quid peto, quoniam peto misericordiam tuam magnam, qua cordis et corporis mihi terram a stabilitate virtutum in diversas concupiscentias liquefactam, spiritu tuae fortitudinis ita corrobores et confirmes, ut tuam clementiam de cetero non offendam; de cetero te non perdam, sed semper teneam, nec dimittam, donec intromittas me in domum illius supernae Hierusalem matris meae, et tunc glorificabo nomen tuum in aeternum, et dicam : quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori. Et haec est illa misericordia tua magna quam peto, qua non solum expectas ad paenitentiam peccatores, nec solum das eis gratiam paenitendi, sed qua paenitentes virtute ex alto induis et confirmas, ut non labatur de cetero pes eorum. Res plane difficilis et homini impossibilis (sed possibilis soli tibi) susceptum videlicet semel peccati iugum sic a cervice sua excutere; quod non potest facere, nisi adiutus misericordia tua magna, quae hoc modo in caelis angelos confirmavit, et homines in resurrectione, in qua facies pares illis. Ideoque confiteor tibi in populis, Domine, et psalmum dicam tibi in gentibus: quoniam magnificata est usque ad caelos, immo super caelos misericordia tua: et sic indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam.

7. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum,* quas in exhibitione bono-

rum antiquis patribus ostendisti, qui nunquam peccanti homini in tuis miserationibus defuisti. Sed cum ille populus contumax et rebellis, quem de servitute aegyptiaca in signis et portentis terribiliter eduxisti, quem per medium maris rubri sicco vestigio deduxisti, cui locuturus * de caelo in montem descendisti; cui panem de caelo habentem omne delectamentum sine labore mirabiliter praestitisti; cui sitienti aquam de petra largissime produxisti; quem in terra lacte et melle manantem, sicut promiseras, induxisti; cum, inquam, populus ille durus post tantorum magnalium, tot mirabilium, tot terribilium salvationis suae beneficia et salutis, quae ei misericorditer impenderas, oblitus esset te, et contra te superbe agens cervicem suam durissimam indurasset; et ne te, qui eum de terra Aegypti eduxeras, ingratus populus adoraret, cum minis et terroribus ab Aaron resistente, deos petens alienos, vitulo conflatili mane surgens hostias obtulisset; et a te recedens, post terga sua legem et caerimonias, quas ei dederas, proiecisset; prophetas tuos, qui contestabantur eum ut redirent ad te, inhumaniter occidisset; tibi grandes blasphemias irrogasset, ut te ad iracundiam provocaret; et propter haec eum in manibus suorum hostium tradidisses; post haec tamen, cum ad te in tempore suae tribulationis et angustiae clamaverunt; tu Deus misericors et multae misericordiae et verax, de caelo exaudisti eos secundum miserationes tuas multas. Cumque rursus perversos eos in manus inimicorum suorum iterum reliquisses, et ipsi ad te iterum atque iterum clamaverunt; tu de caelo liberasti eos in miserationibus tuis multis, et in misericordiis tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem, quoniam Deus miserationum et clemens tu es. Quia igitur minor sum cunctis miserationibus tuis; memento mei, Deus, et parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum, quae superant quamlibet multitudinem peccatorum. Non enim in iustificationibus meis prosterno preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Reminiscere ergo miserationum tuarum, Domine, a te antiquis peccatoribus, paribus operibus misericordiae efficaciter impensarum, et misericordiarum tuarum tibi naturaliter insitarum, quae a saeculo sunt.

* ms. *locutus*.

8. Et ne in misero peccatore fallat, quod ab initio saeculi incepisti, secundum multitudinem miserationum tuarum, *dele iniquitatem meam*, quia ipsa me, heu, de libro vitae delevit. Sic tu, Deus, qui nomen impiorum delevisti ut lutum platearum, dele eam, sicut solent aboleri tabulae et deleri; ut ea abolita et deleta, nomen meum cum iustis in libro viventium, de quo illud deleverat, rescribatur. Dele obsecro, omnipotentissime, illud quod adversum me est chirographum decreti tui. Decreveras enim, pater, ut si vellem mortem evadere, non peccarem. Et quia ego infelix contra tuum decretum indiscrete corpore et corde peregi ad insipientiam magnam, mihi tu, qui scientiarum es dominus, inde chirographum memoriae in tua scientia et mea conscientia conscripsisti, ut cum sederet tremendum iudicium tuum magnum, aperirentur isti scientiae tuae et conscientiae meae libri, et alius ille liber quem habet contra me humani generis accusator inimicus; et ex his, quae invenirentur in istis codicibus, iudicarer. Sed ne tunc inveniatur in me iniquitas, amator hominum Deus, dele iniquitatem meam, qui semper iniquos odio habuisti, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Sed, Domine, qui non despicis gemitus contritorum, tu nosti, quod sicut super deletas litteras, quaedam ex ipsa litura remanet turpitudo, per quam perpendi possunt ipsarum deletarum vestigia et significatio litterarum, nisi ipsae litterae et litura penitus eradantur, ita et per paenitentiam a te deleta iniquitas, in

anima mea quandam deformitatem reliquit, per quam a te, qui solus es inspector cordium et conscius secretorum, et ab illo qui est animarum improbus accusator, potest adhuc perpendi mea iniquitas quanta fuit, nisi post deletionem a te amplius abluatur.

9. Et ideo peto humiliter: *amplius lava me ab iniquitate mea*, o mundissima lo- v. 4.
trix nostra et nitidissima, quae ad hoc aquam gratiae deitatis misisti in pelvim mundissimae carnis tuae, ut nos a peccatis nostris in sanguine tuo lavares. Lava me ab iniquitate mea; et ita perfecte lava, qui imperfectionis opera non novisti, ut in me peccati vestigium non relinquas. O humilis sublimitas, o sublimis humilitas, quae ad designandam illam lotionem interiorem animae quam requiro, usque ad lavacrum pedum discipulorum tuorum tuam altitudinem inclinasti, lava me, ut in aeternum habeam partem tecum: lava non solum pedes affectuum, sed etiam et manus operum, et caput sensuum. Et quoniam anima mea vilis facta est, iteransque pessimas vias suas, lava a malitia cor ipsius, ut in eo cogitationes noxiae non morentur: lava lacrymarum lixivio calido et amaro per singulas noctes conscientiae meae stratum: lava pedes meos et interioris hominis butyro devotionis, lava et renova sacramentis. Et quia aliqua aliquando sic lavantur, quod post ablutionem adhuc impura remanent et immunda, ideo sic lava me ut emundes; *et a peccato meo munda me.* Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es? O benignissime medice Iesu Christe et bone, qui solo verbo restauras universa, scio, et vere scio, et hoc ipsum tuae bonitati confiteor, quoniam sic potes me mundare. Ergo bone Deus, bone homo, bone domine, per misericordiam tuam magnam dic animae meae multorum peccatorum lepra infectae, dic: volo; mundare. Et ut hic sanari valeam et mundari, hic ure, hic seca, hic fiat expiatio mea, hic emundatio mea; ut cum in tuo districto examine aream tuam ventilare veneris et mundare, animam meam paenitentiae verae scopis mundatam invenias et ornatam. Interim autem non parcam ori meo, sed ibo, et sacerdotibus me ostendam, quatenus fiat et mihi, ut dum vixero, fiam mundatus; quia animae meae lepram non possum vere ostendere sacerdoti, nisi prius tibi eam ostendero, et tu mihi 1).

10. Ideo tibi summo et aeterno sacerdoti veraciter me ostendo dicens: « *quo-* v. 5.
niam iniquitatem meam ego cognosco. Cognosco, Domine, iniquitatem meam, sed ex parte cognosco, et non sicut tu cognoscis eam, neque sicut ego cognitus sum a te, cuius oculi sunt multo plus lucidiores super solem, conspicientes vias hominum et profundum abyssi, et hominum corda intuentes. Cor autem meum, Deus, pravum est et inscrutabile: nec ego ipse cognosco illud, sed tu, Domine, qui cognovisti figmentum nostrum, et intueris abyssos, intueris et cognoscis illud, et iniquitatem meam, quae in eo est, et sicuti est: quam si ita nude et aperte cognovissem, sicuti et tu, ante cuius oculos omnia nuda sunt et aperta, certe erumperent lacrymae de venis intimis cordis mei, et continere non possem, quasi super me ipsum flerem, ne tu Deus patientiae et solatii iterum super me fleres. Qui enim olim in diebus carnis tuae, sub figura illius materialis Hierusalem videns civitatem animae meae, et cognoscens iniquitatem meam, compatiendo flevisti super eam; et interrumpentibus lacrymis et singultibus verba tua, verbum semiplenum protulisti dicens; quia si cognovisses et tu; qui ut arbitror, mihi dicere voluisti, nisi ge-

1) Testimonium de confessione sacerdoti facienda, et quidem cum debita praeparatione.

mitus tui multi, et profunda suspiria compassionis, verba tua huiusmodi praescidissent: et tu iniquitatem tuam fleres, si eam sicuti ego veraciter cognovisses. Adiiciens, quamdiu super me flere deberem, cum mihi subsequenter dixisti: et quidem in hac die praesentis vitae, in qua facis pro voluntate tua, non mea, et quaeris quae ad pacem sunt tibi, et non mihi. O sermo, qui veritas es, quam in veritate rimaris intima cordis mei! Et vere si cognovissem, sicut et tu, peterem a te (a quo omnis qui digne petit, accipit) ut aperirentur cataractae capitis mei, et diluvium lacrymarum mearum faceres abundare, ita quod anima mea tota esset lacrymis liquefacta, et iniquitas mea (quae replevit corporis et cordis mei terram) in hoc diluvio deleretur. Nunc autem abscondita sunt mala ab oculis meis, et non potui ut viderem: quia venerunt dies in me, quos tu, qui aperuisti ora omnium prophetarum, prophetice praedixisti. Nam circumdederunt me inimici mei spirituales, vallo occupationum mundanarum lacerantium mentem meam, ita quod non permittunt me exterius egredi ad utilem actionem, nec interius ad contemplationem. Circumdederunt me, inquam, et coangustavurunt me undique tot angustiis et pressuris, quod angustatum est et attractum adeo conscientiae meae stratum, ut necesse sit ut alter decidat, videlicet, vel tu Deus qui es legitimus animae sponsus, vel adulter mundus quem ego iuxta te eodem cubiculo introduxi, quamvis scirem te Deum zelotem, ut cum ipso in oculis tuis (delinquerem) o nimium audax peccator et imprudens fornicator! Et ad terram prostraverunt me per amorem terrenorum, et filiós meos cogitationum et affectionum, quae in me sunt, ita quod possim merito deplorare illud carmen lamentabile Hieremiae: effusum est in terra iecur meum. Et cum deberem esse quasi lapis in acervo testimonii positus iuxta viam, ut eam per exemplum viatoribus demonstrarem, non remansit in me lapis boni exempli super lapidem fortitudinis vel virtutis. Et haec omnia mala in me pariter confluxerunt, eo quod non non cognovi (tibi debitas gratias referendo) tempus visitationis meae, quando tu oriens ex alto me (carnem assumendo) utiliter et mentem illuminando delectabiliter visitasti, et visitatio tua custodivit spiritum meum. Et ex illo tantillo spiritu, quem in me tua visitatio reservavit, cognosco iniquitatem meam, ut tu, Deus, qui solus peccata remittis, eam mihi ignoscas.

11. *Et peccatum meum contra me est semper.* O possessor caeli, et terrae! tu scis quid ego in mea didici iuventute, quod meum et tuum sunt nomina possessiva; unde si meum est peccatum meum, possideo peccatum meum: sed heu quam misera possessio peccati mei, quae suum facit miserum possessorem! O peccatum meum! Quomodo te possedi? immo quomodo te sustinui? quomodo silui? quomodo dissimulavi, ut tu me potius possideres? Non enim sic meum est peccatum meum, sicut mea est cappa mea; neque ita possideo, quomodo possideo cappam meam, cuius possessionem et proprietatem omnino possum a me excutere una vice: te autem non sic, sed ita a me infeliciter possideris, ut derelictum a me, animam meam non velis desinere possidere. Sed nihilominus si consentiatur, tibi eam quaeris, eam sequeris, eam persequeris etiam per angustissimam portam mortis, ut ipsam tradas flammis, et cruciatibus sempiternis. Quomodo ergo meum es peccatum meum, nisi quia te feci? Et ideo meum es, sicut factura factoris, vel potius ut defectus, quem in Deum, Dei factura commisi. Heu ergo horribile et abominabile factum meum! peccatum meum quare te feci? quare per te meam animam interfeci? quare eam tam mortifero veneno infeci? quae insania me ducebat? quae furia me co-

gebat? Sciebam enim quod stipendia peccati mors: sciebamque quod peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem, et non solum momentaneam corporis huius mortem, quae per peccatum intravit in mundum; sed etiam mortem animae per subtractionem vitae gratiae in praesenti, privationem gloriae et obligationem poenae perpetuae in futuro. Et hoc ipsum didiceram te docente, quia anima, quae peccaverit, morietur. O vita aeterna! statue contra faciem animae meae mortem illam aeternam, qua moritur immortalis anima per peccatum, ut ipsa anima mea videat coram te semper, et fugiat quasi a facie colubri mortem illam. Audivi enim a quodam familiari amico tuo, cui tu, Deus meus, qui revelas condensa, diuturnitatem et acerbitatem revelaveras huius mortis, quod haec est mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia mors illa semper vivit, et finis semper incipit, et defectus deficere nequit. Haec est mors peccatorum pessima. De hac morte, misericordissime, tu dixisti: nolo mortem peccatoris. Sed heu ego et alii miseri peccatores contra voluntatem tuam volumus propriam mortem nostram. Tu autem, Deus meus, qui mortem animae non fecisti, vidisti et siluisti, quamdiu post tergum meum omnia peccata mea proieci, ne viderem illa, et me paeniteret de illis.

12. Nunc autem, omnipotentissime, peccatum meum est sequela peccati mei, quae est mors aeterna, contra me est semper, et super hoc tibi gratiarum optimo largitori refero grates multas, quia non posuisti me amplius contrarium tibi de peccato meo, quod quamdiu mecum fuit, contra me non fuit. Nunc autem quia non est mecum, contra me est semper, et ego volo esse in perpetuum contra illud, quia quando illud feci, *tibi soli peccavi*, quia tu solus es sine peccato: et v. 6.
universis uno post alium existentibus, Deus meus, tu solus Dominus meus, sine peccato in medio remanebis, et solus me potes de peccato meo solvere, et damnare, quia *tibi soli peccavi, et malum corum te feci.* Heu heu mihi, Domine, heu mihi, quia quando malum feci, coram te, me quem tu, qui solus bonus es, bonum in baptismo feceras, malum feci. Nunc autem timor et tremor venerunt super me, quia audivi tuam veritatem in ecclesia exclamantem, quod malos male perdes, inter quos nec mihi parces, nisi placabilis fueris super malitia mea, Deus. Exaudi ergo Domine, placare Domine, attende, et fac mecum misericordiam tuam magnam, quia et quando coram te malum feci, nimium audax fui, quia feci coram te quod coram hominibus non fecissem. Illi autem, Domine, qui coram te iusti invenientur, laetabuntur coram te, sicut qui laetantur in messe. Sed ego iniustus, qui coram hominibus iniustitiam meam, et malum coram te feci, nunc de malis meis coram te erubesco. Parce ergo mihi, Deus meus, parce mihi amarissimos gemitus paenitentiae et profunda suspiria ab imo pectoris proferenti. Ut tu qui dixisti per Spiritum sanctum tuum: in quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor, *iustificeris;* et iustus et verax, sicut es, inveniaris *in sermonibus tuis;* quia sermo tuus veritas est, et eos mendaces ostendes, qui dicunt quod mihi ingemiscenti non parces. Et eos *vincas*, cum ab ipsis tu, cui proprium est misereri semper et parcere, immisericors *iudicaris.* Considera, misericors Deus, substantiam infirmitatis et paupertatis meae; et ostende super me magnitudinem pietatis tuae, et in immensum misericordiae tuae pelagus me attolle, et tua benigna clementia omnia peccata mea remitte, quae mihi ex originali peccato adhaeserunt, aut ex pravitatibus meis postea supervenerunt; et ab his, Domine, me clementer emunda, et omnibus parentibus meis concede gaudia sempiterna.

v. 7. 13. *Ecce enim in iniquitatibus* originalibus et actualibus *conceptus sum* 1). Nec
* Iob. XXXVIII. 36. intelligas, Deus meus, qui gallo intelligentiam contulisti*, quod ego intelligam in parentum meorum originalibus et actualibus me conceptum; cum credam, quod et eorum originalia deleveris in baptismo, et ipsorum actualium fuero imitator; quoniam tu dixisti, quod iniquitatem patris filius non portaret. Sed potius haec est intentio mea, Deus, cum dico, in iniquitatibus originalibus et actualibus me conceptum, hoc est in illa lege meae originis vitiosa, in qua omnes concipimur, et nascimur in utero, et ex utero, filii irae tuae; atque per traducem libidinosa carnis concupiscentia, etiam ante quam peccemus actualiter, constituimur peccatores, et ad actualia proniores. Sed cum non sit nisi unum et solum originale peccatum, quod a parentibus trahitur, pro quo non baptizati parvuli damnabuntur; non me velis, Domine, arguere in furore, si plurali numero usus sum in hac parte dicendo, quod in iniquitatibus originalibus et actualibus sum conceptus; cum dixerim haec pro eo quod illud unum originale peccatum plures habeat effectus, et quia in illo uno originali peccato intelligi plura possunt, si, quasi per membra singula dividantur: et maxime quia in hoc plurali numero intelligo, sicut et tu ipse Deus intelligis, singularem; ut cum angelus tuus in somnis apparuit Ioseph dicens: tolle puerum et matrem eius, et vade in terram Israhel; defuncti sunt, qui quaerebant animam pueri; defuncti, pluraliter dixisti per angelum, non defunctus, quamvis intelligeres singulariter de Herode, qui tunc solus quaerebat eum puerum ad perdendum. Sed et Moyses dum staret in confractione in conspectu tuo, ut averteres iram tuam, designavit in plurali numero singularem, cum dixit: peccavit populus iste peccatum maximum, fecerunt sibi deos aureos; licet unum solum vitulum conflavissent. De quo etiam vitulo singulari, pluraliter addiderunt.

14. In iniquitatibus originalibus et actualibus me conceptum, intelligo dicere me conceptum in illo uno et singulari originali peccato, in quo omnes in Adam peccaverunt, ut in materiali massa. Nam in eo seminaliter omnes erant, quando ipse naturam corrupit humanam; et ab illo uno homine, qui omnium nostrum fuit materia et origo, omnes concupiscentialiter descenderunt, et per propagationis successionem et carnis concupiscentiam, occulte illa corruptio in posteros demigravit. Nec tamen hoc fecit propagatio, sed libido: non naturae humanae fecunditas, sed libidinis foeditas, quam homines habent ex illius primi iustissima tua, Deus, condemnatione peccati. Non enim quia ab Adam per carnis propagationem descendimus, ideo originali peccato tenemur, cum et tu ipse, domine Iesu Christe, qui omni peccato originali et actuali penitus caruisti, in medicamentum nostri vulneris, sine opere concupiscentiali, in sola materia corporali, et per divinam conceptionem, formatorisque rationem descenderis ab eodem. Sed quia concepti sumus illa vitiosa lege concipiendi, nobis ex peccato primi hominis occulte et miserabiliter accedenti, ideo originalis peccati ex tua iustissima, Deus, sententia rei sumus. Nam quemadmodum tu, Deus omnipotens, cognitor occultorum, occultissimam gratiam Spiritus sancti tui latenter infundis tuis fidelibus, et etiam parvulis in baptismo, sic et homo ille, per quem hoc peccatum originale intravit in mundum, in se omnes de stirpe sua venturos occulta labe et foeditate suae libidinosae concupiscentiae adeo labificavit, quod anima a te, Deus, creando infusa corpori taliter labefacta, maculata pollui-

1) Observent theologi eam, quae sequitur, Anselmi de peccato originali copiosam doctrinam, quae utiliter conferetur cum eiusdem divi libro de conceptu virginali et originali peccato.

tur et foedatur: sicut in vase non sincero vinum infusum, licet optimum, inficitur et acescit: et in illa infusione ipsa anima damnationis sententiam in se se iustam excipiens culpam contrahit et reatum, et poenae perpetuae obligatur.

15. Sed o Domine, quid dicam, quid respondebo, cum mea sensualitas a mea interrogetur ratione quomodo hoc potest esse, ut cum originali peccato nascatur parvulus, genitus a parentibus baptizatis, cum non possint in illum transfundere quod non habent? Ecce, Domine, qui docuisti me a iuventute mea stare super vias meas, et interrogare de semitis antiquis, per easdem antiquas semitas simpliciter ambulando, existimo quod eodem modo, quo parvulus olim cum praeputio nascebatur, quem tum parentes generaverunt circumcisi; et quomodo quotidie granum nudum, a palea humano opere cum diligentia separatum, et sic seminatum, cum palea tamen nascitur et exsurgit; sic et ego cum originali peccato me fateor esse natum, licet tu Deus omnipotens parentes meos ab illo mundaveris in baptismo: quoniam ipsi me ex hoc carnaliter genuerunt, quod ex peccatore vetere homine contraxerunt, et non secundum illam generationem, qua denuo nati erant; sed potius, quia et ipsi fuerant carnaliter generati. Et hoc recordatus sum, et effudi in me coram te animam meam, Deus, ut intelligam miserabiliter in me factum, quod ille primus homo cum in honore esset, in se non intellexit, a te iustissime faciendum. Tu autem, Deus, qui dives es in misericordia, dimittens originalia et actualia, non propter meritum nostrum, sed propter nimiam caritatem, qua dilexisti nos, cum essem in dictis iniquitatibus sic conceptus, et mortuus etiam ante quam natus essem, convivificasti me per tuam gratiam in baptismo, animam a vetustate culpae mundando, reatum eius solvendo, ac ipsam a poena perpetua liberando. Et propterea tibi, Domine, semper in psalmis confitebor.

16. Verumtamen adhuc in carne mea, Domine, sentio incessanter etiam post baptismum concupiscentiam illam carnis, quae est fomes peccati, langor * naturae, tyrannus carnis, stimulus mortis, lex membrorum repugnans legi mentis meae, et captivans me in lege peccati, super me tam violentum dominium exercentem, quod ingemiscens sub onere isto gravi necesse habeo exclamare: infelix ego homo, qui per me de crudeli dominio isto carnis liberari non possum, quis me liberabit de corpore mortis huius? Certe non lex Moysis, non prophetae, non propriae vires meae, sed gratia tua, Deus, per Iesum Christum dominum nostrum; quem tua, pater, misericordia mihi dedit, ut per eum remissionem accipiam peccatorum. In hoc autem considero et suspiro, iustissimam condemnationis sententiam tuam, Deus, quam in Adam et in eius posteros ratione illius inobedientiae protulisti: quod videlicet non est aliquis, qui etiam post baptismum vixerit in hac carne, qui non ab huius hostili concupiscentia affligatur, nisi forte ineffabili miraculo ab omnipotentia tua, Deus, lex peccati, quae est in membris eius, in eo penitus extinguatur, quod valde magnum privilegium est paucorum. Inde tamen gratias tibi ago gratiarum optimo largitori, quia etsi iste domesticus hostis meus, hic stimulus, hic tyrannus, in me maneat post baptismum, non tamen adeo dominatur et regnat, ut ante; sed post baptismi gratiam debilitatur; inimicus mitigatur, ut in me non valeat dominari, nisi ego in vacuum suscipiens gratiam tuam, Deus, et post concupiscentias meas vadens, restituam vires hosti, eidem me per consensum illicitum supponendo.

* ita cod. archaice.

17. Sed heu mihi misero peccatori, mi Domine metuende! Cum scirem quod tu me gaudeas *spectare luctantem, iuvare deficientem, sublevare cadentem, coronare

* cod. *viden*.

vincentem: ecce, Domine, tu vidisti, quoniam in me insiliit subito hostis iste impulsus ab illo cuius halitus prunas ardere facit, et quietem cordis mei et corporis perturbavit. Quotiens obscoenis et immundis et vanis cogitationibus me turpiter blasphemavit! quotiens ad phalanges cordis mei mane et vespere exclamavit, ut ad singulare certamen descenderem contra ipsum, et affectionum mearum agminibus exprobravit! Vidisti etiam, Domine, ex adverso quomodo contra ipsum velut pusillanimis non certavi, velut infidelis illegitime decertavi, vel omnino solvi militiae meae vinculum indecenter, ante quam ei cederet adversitas proeliorum. Vidisti insuper (Domine ne sileas ac propter hoc finaliter discedas a me) quomodo cum humiliatus non mea sed tua virtute sileret, et relinqueret me in pace; ego illum ipse adversum me ad proelium excitavi, et vires reatus mei, quas in baptismo et in pristina paenitentia mea perdiderat, ei reddidi, et sic coronam (veh mihi!) perdidi, quam nonnisi legitime certantibus praeparasti. At si recuperatis per te viribus, aliquando praedicti hostis desideriis vitiosis viriliter restiti, vel restitero in futurum, eumque superavi, vel superavero te iuvante, licet hostem ipsum tyrannum domesticum de carne mea in hac misera vita non possim omnino expellere, velut alterum Iebusaeum: providisti tamen mihi, si non consentienti, quod quantum ad actum tantum, et non quantum ad reatum, in me remanet post baptismum. Nam de tua pietate confido, quod ea quae invitus et renitens patior ab hoc hoste, mihi imputare non debeas ad peccatum. Et etiam in hoc, Deus meus, parcendo maxime et miserando tuam omnipotentiam manifestas, quod sicut alia mala praetereunt in nobis actu, et remanent reatu, ut homicidium, adulterium, et similia; ita e converso operatur in nobis mirabiliter omnipotentia tua, Deus, ut carnalis concupiscentia, cuius non consentitur desideriis vitiosis, in baptismo praetereat reatu, et in poenam peccati nobis remaneat semper actu.

18. Et hoc est iugum grave, quod creatum est super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque ad diem sepulturae in matrem omnium. Sub hoc iugo gravissimo ingemiscunt omnes qui eius sentiunt gravitatem, sub quo Tobias ingemuit, ingemuit et Susanna: sed et omnis creatura sub hoc iugo ingemiscit et parturit usque adhuc. Ingemisco et ego sentiens in me ipso, quia circumdederunt me gemitus mortis, et torrentes iniquitatis alienae et meae conturbaverunt me. Propter quae possum lacrymabiliter dicere cum propheta: multi sunt gemitus mei, et cor meum factum est in me moerens. Porro cum oppressus hoc iugo aliquando recogito Deus meus, quod peccatum illud originale, in quo conceptus sum, in baptismo, (cum sit inde gratia) delevisti: et gemendo ac suspirando in me ipso requiro cur poenalitates istas, quas occasione dicti originalis peccati patior, in eodem baptismo pariter non tulisti. Certe inter ipsas poenalitates et pressuras fateor, quod ex dispensatione maxima eas in me voluit tua admiranda providentia remanere, ut videlicet sagittae tuae, Domine, in me essent, quae me docerent quod humiliatio mei in medio esset mei. Item, ut terrores tui contra me quotidie militarent, qui timorem tuum mihi incuterent, et amorem. Item, ut vexatio mihi daret intellectum cognoscendi quod a nobis, non a te, mali sumus. Item, ut Adam exemplum meum ab adolescentia mea esset, et peccatum inobedientiae meae evitarem. Item ut sic traheres me ad te, Deus, in funiculis Adae, et in vinculis caritatis, ut cognoscerem quod tu, pater, me quem diligis, filium sic arguis et castigas. Item, ut semper haberem contra spirituales nequitias consuetudinem proeliandi, et me sacris

virtutibus exercerem: et maxime ne, si liberatus fuissem ab istis poenalitatibus in baptismo, ego et alii homines hoc esse baptismi pretium vel praemium putaremus, et non gloriam regni tui. Ideoque soluto reatu ab anima, providentia tua, Deus, temporalem poenam tamen in me manere voluit in hac vita, ut a me alia vita studiosius quaereretur, quae erit a poenis omnibus aliena.

19. Exsurge ergo, Domine, adiuva me: indue me thorace iustitiae, et accinge fortitudine lumbos meos, ut inter tot insultus hostium in acie stem securus, et per patentes campos humilitatis, in virtute patientiae et longanimitatis accinctus * impugnantes * cod. *accensus.*
me constanter valeam expugnare; et procacis militiae turbinem sapienti moderatione discutiens, innocentia vitae et devotae orationis suffragio mihi continuare valeam gratiam tuam, Deus. Et inde Iosue clypeum non dimittam, quousque obediente te Deo voci hominis, diem vitae meae protrahas ad triumphum: nec recedam ab acie, donec pariat mihi congressio coepta victoriam pariter et coronam. Alioquin quidquid ago sine te, mihi vertitur in ruinam. Nam adhuc et macula originalis peccati teneor; et ideo, ut praedixi, existo ad actualia magis pronus. Nec hoc dico, Deus meus, ad excusandas excusationes, quibus a te de peccatis meis possum merito accusari, vel ut in parentes meos velim refundere culpam meam, cum numquam crediderim culpam et peccatum esse, si coniuges causa sobolis procreandae carnaliter misceantur; sed ut tu, Deus, qui ea quae sunt in homine cognovisti, ad miserandum mei facilius inclineris, si ab ipsa radice mea, me coram te confiteor peccatorem. In omnibus enim trahitur iniquitas ex Adam, et vinculum peccati, et propagatio mortis, te solo excepto, domine Iesu Christe, qui natura mirante de sancto Spiritu es conceptus. *Et in peccatis concepit me mater mea;* hoc est concupiscentia libidinis, quae peccatum est, nisi per bona coniugii excusetur. Et licet in utroque parente meo, qui te Domine timuerunt, et me non in adulterio, sed in casto coniugio genuerunt, culpam non habuerit opus illud, tamen origo peccati in prole secum debitam poenam traxit. Ne reminiscaris ergo Domine peccata mea, vel parentum meorum: ne sumas ultionem de peccatis meis, si de me peccatore tibi, qui omnia scis, totam quam scio profiteor veritatem.

20. *Ecce enim veritatem dilexisti.* Veritas es, et non fallens, via non errans, v. 8.
vita non deficiens. O vera caritas, et cara veritas, qui in hoc natus es, et ad hoc venisti in mundum ut perhibeas testimonium veritati, in veritate tua exaudi me, Domine, in tua iustitia! Et quia scio quod tu iudicabis populos in veritate, et perdes omnes qui loquuntur mendacium, ideo prius hic in veritate coram te memet ipsum diiudico; ut cum tu, Deus meus, tempus acceperis, et ipsas iustitias iudicabis, non intres in iudicium cum me servo tuo, cui iam (tibi sit inde gratiarum actio, et vox laudis!) manifestavi veritatem, veritatem beatae incarnationis tuae, quae adhuc per sapientiam tuam infidelibus incerta est et occulta; et veritatem remissionis peccatorum meorum, de qua similiter incertum est et occultum, cui misereri velis, et quem volueris iudicare. Et tamen haec duo: *incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.* Primum per fidem, tamquam per alios Esaiam et Gabrielem testes mirabiliter concordantes et dicentes mihi: ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel. Secundum per spem, quasi per alium Nathan prophetam, dicentem mihi ut Davidi veraciter paenitenti: translulit a te Dominus peccatum tuum, et non morieris. Et si dixi corde contrito et humili: confiteor; tu propitius remisisti. Et quia in sermone tuo manere volo, et vere discipulus esse tuus, ideo te

*

manifestante cognovi hanc duplicem, et in sapientia tua a saeculis absconditam veritatem. Tu autem, Deus, qui superbis resistis, et humilibus das gratiam in praesenti, et cuius gloria humilem spem suscipiet in futuro, ex quo confidenter mihi tua praedicta occulta et abscondita revelasti, confido quod hoc donum tuum semiplenum non relinques.

v. 9. 21. Sed *asperges me,* Domine, *hyssopo.* Sancti tui, Domine, per quos nobis tuas figuras et parabolas ediscere voluisti, dicunt nobis quod hyssopus est herba humilis et medicinalis, cuius radix petrae dicitur adhaerere, et pulmones inflatos reprimere et purgare. Et ideo quando hic loquutus es Domine de hyssopo, de humilitate intelligeris nobis loqui, quae in consideratione sui est modica illa virtus, quae in conspectu tuo et totius caelestis curiae maxima reputatur. Cui tu, Deus, summus medicus magnam contulisti contra tumorem superbiae medicinam: quando tu, Deus, qui de excelso gloriae tuae throno humilia respicis, et ponis humiles in sublimi, cum esses immensus et excelsus, inclinasti caelos, et descendisti in terram, formam servi accipiens, ut humilitatis exemplum humano generi exhiberes, et esset medicina tumoris in homine humilitas tua, Christe. Ubi enim, Domine, tua se exinanivit maiestas, indignum est ut vento superbiae infletur vermiculus ac tumescat. Quid enim magis mirandum est, quid amplius detestandum, quid gravius puniendum, quam quod videns Dei filium summum in regno caelorum, novissimum factum in regno hominum, apponat adhuc magnificare se homo super terram? O magister et Domine (et bene dicimus) tunc nobis humilitatis tuae librum et magisterium ostendisti, cum lectionem illam nobis memoriae commendandam legisti dicens: discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. O humilis celsitudo! Quam vere si voluisses, dicere potuisses: discite a me fabricare lunam, et solem, vel totam fabricam huius mundi! vel discite a me, triduanos mortuos suscitare! Sed quia potentior est solidissima humilitas, quam ventosissima celsitudo, idcirco tu humilitatis doctor egregius potius dicere voluisti: discite a me nascente, moriente, praedicante, miracula faciente, quia mitis sum, et humilis corde. O si cordis mei intima aspergeres hyssopo, hoc certe tibi, qui es firmissima petra, Christe, toto corde radicitus adhaererem, ita quod unus spiritus essem tecum, et prae gaudio exclamarem, quod tibi Domino meo bonum est adhaerere. Et quia haec hyssopus est inflatis omnibus nobis opus, idcirco te, cui humilium et mansuetorum semper placuit deprecatio, deprecor humiliter et devote, ut me interius et exterius digneris aspergere hac hyssopo, et mundabor, ac penitus emundabor a delicto maximo, quod est superbia, quae inter magna non solum maius, sed primum et maximum est delictum. Et per hanc emundationem lavabis me, per gratiam tuam sanctam in baptismo sanguinis animae meae per penitentiam renovando, quem in baptismo fluminis et flaminis (tibi sit inde laus et iubilatio!) iam lavisti. *Et super nivem dealbabor.* Ex hoc audeo dicere confidenter; quia Domine tu dixisti, si fuerint peccata vestra, ut coccinum sanguinea, quasi nix dealbabuntur in paenitentia: et si fuerint rubra quasi vermiculus, sicut lana alba erunt, et sic opera sanguinis, in vestem tuam, Domine, misericorditer mutabuntur: ita quod de me cum aliis sanctis tuis, quibus quasi praeclara veste in gloria vestieris, facies vestem tuam; quam dealbatam mirabiliter designasti, cum in transfiguratione vestimenta tua facta sunt alba, qualia non posset fullo facere super terram.

22. Et si me, cum illis qui viderunt te nudum et vestierunt, umquam per-

miseris illam laetabundam vocem tuam audire: venite benedicti patris mei, percipite regnum quod paratum vobis est ab origine mundi; *auditui meo dabis gau-* v. 10.
dium et laetitiam. O vox exultationis et salutis, quae audientibus te dabis in Christo laetitiam sempiternam, sona in auribus meis! Tu enim es vox valde dulcis, et facies sonantis decora! Sona, ut sic auditu auris audiam te, ut oculus meus videat te, quem videre, idem est quod habere. Interim autem pro reverentia tua, Deus, audiam tacens, quid in me loquatur spiritus tuus sanctus, quoniam in me iam non loquitur nisi pacem. Quantumcumque inquietet et perstrepat foris mundus, et audiendo, quaedam in cor meum veritas indicibilis eliquatur; quae, si tu non es, nescio quid sit. O secretissime animae meae sponse, fac me audire interius in silentio vocem istam, ut quasi amicus sponsi item non cadam per multiloquium, et gaudio gaudeam propter vocem sponsi; ita quod anima mea, quae adhuc est quasi nix in monte superbiae congelata, ad calorem tui eloquii, quod vehementer ignitum est, liquefacta in vallem humilitatis celeriter et hilariter condescendat. *Et exultabunt ossa humiliata.* Ossa animae meae, Domine, sunt virtutes, quibus ipsa interius, sicut corpus exterius ossibus supportatur, ut stare possit ante te supra pedes affectuum, ne labatur. Tu autem, Deus, qui omnia nosti, scis (et ego nec volo tibi, nec audeo, nec valeo diffiteri) quod haec animae meae ossa pluries dissipasti, quae placere hominibus quaesierunt adeo, quod medella * devotionis, a qua totum concipiunt robur suum, arida est et sicca, ita ut possim dicere cum propheta: ossa mea sicut cremium aruerunt. Sed quia tu es Deus virtutum, cuius os vel virtus in cruce non fuit, confractis aliorum duorum ossibus, comminutum, idcirco supplico tuae ineffabili pietati, ut de excelso ignem amoris tui in ossibus meis mittas, quia tibi soli desidero bene placitis actibus de cetero complacere, ut holocausta tibi offeram medullata: et sic praedicta animae meae ossa humiliata per aspersionem hyssopi, et gaudium vocis tuae auditui mandatum, in te Domine exultabunt gaudio magno valde.

* ita cod. archaice.

23. Et ne haec exultatio de cetero in tristitiam convertatur, *averte faciem tuam* v. 11.
a peccatis meis. Hactenus mentionem tibi feci, domine Deus meus, de una iniquitate, et de uno peccato, quod est superbia et arrogantia magna, de qua timeo mihi valde, attendens quod nec superbientibus angelis pepercisti, sed illum Cherub, qui erat signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, propter superbiam de deliciis paradisi ad inferos detraxisti. Et idcirco a te, Domine, petii tam instanter, ut hanc iniquitatem et peccatum meum deleres, lavares, mundares, quia maculam valde haerentem in anima mea fecerit. Nunc autem quia intelligo quod ex hoc peccato meo tamquam a quadam virulenta radice, multa in me peccata et iniquitates aliae pullularunt, cum omnis superbia fundamentum et initium sit peccati, et angelum et hominem apostatare a te fecerit nimium imprudenter; ideo imploro humiliter tuam, Deus, ineffabilem pietatem, ne laetitia et exultatio, quas auditui meo et humiliatis ossibus meis infudisti, in lamentum vel vocem flentium convertatur. Averte faciem tuam non solum ab illo peccato meo superbiae, sed etiam ab omnibus peccatis meis: ita tamen quod a me tuam faciem non avertas, qui in hac vita volo quaerere tuam faciem, hoc est iucundam praesentiam tuam semper. Scio enim, Domine, quia tua facies in iubilo contemplatur, et si eam ostenderis, salvus ero: avertente autem te faciem tuam a me, inconsolabiliter conturbabor. Ne avertas igitur, Deus meus, faciem tuam a me; sed a peccatis meis

avertas, ne animadvertendo in me, punias me pro illis: a quibus aversus, et quae ego habeo, et habebo de cetero, te iuvante, ad te faciem meam [convertam], ut fugiam ea semper. *Et omnes iniquitates mea dele* de notitia tua, Deus, et radicem et progeniem et germen, sicut omnino delesti memoriam Amalech desub caelo.

v. 12. 24. Et deletis meis iniquitatibus et peccatis, *cor mundum crea in me, Deus.* O Deus cordis mei, qui intellectum das parvulis, da mihi intelligere hoc: intus legem peto, ut cor mundum crees in me, Deus: ne si petiero, quod ignoro, dicas mihi quod dixisti matri filiorum, et filiis Zebedaei: nescitis quid petatis. Ecce enim caeli non sunt mundi in conspectu tuo, et in angelis reperis pravitatem, quanto minus homo putredo et filius eius vermis poterit dicere: mundum est cor meum! Et non oportet me habere cor, et illud mundum ante quam videam te, quem soli viri cordati videbunt, qui fuerunt mundo corde. Nunc autem, lux intelligibilis, (cuius invisibilia per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.) intelligo, te magistro intimo in schola mei pectoris intime me docente, quod sicut corpus meum, vitam, saporem, gaudium, et dolorem habet a carneo cordis modo, quo separato ab ipso corpore, privatur iis omnibus ipsum corpus; sic, immo veracius atque vivacius, tu es cor et vita animae meae, Deus; qui quamdiu ipsam habitas, vita gratiae tuae vivit, gustat spiritualiter dulcia et amara: nam ei dulcescunt caelestia et virtutes, et terrena ac vitia sunt amara. Et etiam quasi unum mystici corporis tui membrum, si prosperitate membrorum aliud gloriatur, congaudet; et si adversitatem patitur, quodam compassionis participio molestatur et dolet: et sic animam meam sentio cor habere. Cum autem propter iniquitates meas ab anima mea fueris separatus, tunc nec vitam, nec saporem, nec gaudium, nec dolorem sentit vel habet super aliquo de promissis, sed velut mortua sine corde in loculo corporis sui iacet, et tunc vere potest dicere cum propheta: cor meum dereliquit me; et quod facta est quasi columba seducta non habens cor. Et vere miserabiliter seductus est omnis homo, qui propter tanti et talis cordis inopiam animam suam perdit. Nam hoc est pro nihilo, hoc est pro peccato, quod vere nihil est, pro quo nihilo perit cor impii peccatoris.

25. Et heu mihi domine Deus meus sine te, per quem omnia facta sunt, a me factum est istud nihil, et pro isto nihilo perii, et ad nihilum redactus sum et nescivi. Sed tu, creator omnium Deus, qui de nihilo cuncta creasti, cor mundum crea in anima mea, Deus, ad ipsam in misericordiis revertendo suspirantem et clamantem ad te: velociter exaudi me. Domine: defecit spiritus meus; ne avertas ergo aurem tuam a singultu meo, sed propter temet ipsum, Deus, et propter nomen sanctum tuum revertere ad animam meam, ut vivat: tu es enim proprie proprium cor ipsius et vita. Ergo misericordissime, secretissime, intime, qui custodis pactum et misericordiam servis tuis; qui promisisti quod dares nobis cor novum, et spiri-
* cod. plorantes. tum novum poneres in medio nostri, si rediremus ad cor; et plantares * nos in corde tuo, et in anima tua tota. Da te solum mihi, et te in anima mea planta, et plenus sum. Ego autem praevaricator, ad vocationem tuam redire volo ad cor, hoc est ad te, qui es cor, quo vivit, sapit, gaudet, dolet, scit, intelligit anima mea, Deus. Et hoc est cor mundum, quod ut crees in me, Deus, requiro a te. Verumtamen attende, Domine, quod intendo: non est enim intentionis meae, Deus meus, petere a te, qui semper es creans omnia, non creatus, ut te crees in me; cum in tuam aeternam essentiam creatio nulla cadat; sed tuum sanctum Spiritum

emittendo in me, qui si caritatem non habuero, nihil sum, me de hoc nihilo crees in te, qui vere es cor animae meae verum et vivum et mundum; et mundum istum ab omnibus inquinamentis suis abluis et emundas: et propter reverentiam tui vitalis et mundi animae cordis, concede mihi per tuam ineffabilem bonitatem, ut cor mundum sincerum et purum ab immundis et vanis et noxiis cogitationibus sic valeam custodire, ut propter munditiam cordis mei te regem gloriae habeam amicum.

26. Et quoniam dum anima mea fuit absque te, corde suo, miser factus sum, et curvatus sum, et inclinata est ad terrena mei spiritus rectitudo; ideo *et spiritum rectum innova* in me. Tu es enim rectus dominus Deus noster, qui ad hoc rectum hominem facere voluisti, ut spectantibus terram pronis animantibus universis, ista exterioris figmenti corporum rectitudo, hominem illum interiorem ad imaginem tuam factum, spiritualis suae rectitudinis admoneret; et rectitudo limi, curvitatem argueret animi, si videret animum in corpore recto curvum. Et quia innocentes et recti adhaeserunt tibi, eo quod diligunt te, et bonus es his qui recto sunt corde, idcirco imploro humiliter rectitudinem tuam, Deus, ut spiritum rectum velis in meo pectore innovare, ut sicut incensum in conspectu tuo, mea oratio et intentio dirigatur. Et non solum in spiritu me innova, sed etiam *in visceribus meis*, unde exiit peccatum immunditiae carnis meae. In visceribus enim renum sedes est voluptatis, illis solis exceptis beatis visceribus quae te Deum et dominum in virginali aula, quam elegeras, portaverunt. Et quia diaboli fortitudo est in lumbis eius et in umbilico ventris illius, idcirco lumbos meos nisus est pluries illusionibus adimplere, ut in sua fortitudine infirmam alligaret carnem meam. Ego autem propter cordis inopiam et effeminatam maestitiam mentis meae, consensi infeliciter: et ipse diabolus, quem vir sagittarius non fugabat, sagittis suis ardentibus et ignitis ab ipso et angelis suis malis sagittatis in renum meorum visceribus et infixis, me miserum peccatorem de excelso throno virginitatis et pudicitiae deponeret et fugaret. Propter quod veh, veh mihi! perdidi honorem illum, et decentiam illam, sertum illud, diadema, coronam illam auream, immo aureolam, quam solae animae in vasis fictilibus corporum constitutae adquirunt, motus illicitos penitus comprimendo, ac incentiva carnis similiter restringendo. Sed heu miser, quandó virginitatem meam perdidi, quare non cogitavi, quod omnis foedatio non est digna animae continentis? Quare infelix nescivi pretium eius? Quare cum forti muliere non accinxi fortitudine lumbos meos? ut tu, domine Iesu Christe, procul et de ultimis caelorum finibus [ad] virginitatis meae praedium * adveniens, eam de te ipso, qui es flos campi, et lillium convallium, in praemium coronares. O bone Iesu, corona virginum, si soli et solae virgines, quocumque ieris, te sequuntur, et ante te canunt * novum canticum, quod nemo potest alius decantare; ego qui virginitatem meam perdidi, proh dolor, quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si enim te sequutus non fuero, in tenebris ambulabo; et quid cantabo nisi lamentationes, carmine laetitiae perdito et relicto?

* cod. *praetium.*

* cod. *sunt.*

27. Proinde, anima mea seducta, anima mea misera, anima aerumnosa, sume hymnum confessionis: meretrix oblivioni tradita, excute torporem tuum, discute peccatum tuum, et concute mentem tuam, reduc ad cor enorme delictum, et perduc te ad cordis immanem rugitum: intende infelix, intende sceleris tui errorem, et proinde horrificum terrorem, et terrificum dolorem. Tu inquam, o anima mea,

quondam candidata caelesti lavacro, desponsata fide, dotata Spiritu, redempta Christi sanguine, Dei imagine insignita, et in christiana religione imbuta, virgo fuisti Christo domino desponsata. O unde memini! O quod nominavi! Utique non tam benignum sponsum virginitatis meae, quam terribilem iudicem immunditiae meae. Heu memoria perditae iucunditatis! Cur sic superaggravas pressuram possidentis infelicitatis? Quam misera conditio mea, cui et bonum et malum sunt pariter in tormentis! Torquet enim me mala conscientia et cruciatus eius, in quibus timeo me arsurum. Torquet me bonae conscientiae, et praemiorum eius memoria, quam scio me perdidisse, nec amplius recuperaturum. Vae vae miserum perdere dolendum, perdere id, perdere irrecuperabiliter, quod a me servari debuit interminabiliter. O virginitas iam non dilecta mea, sed perdita mea; non iucundata mea, sed desperata mea, quo devenisti? in quam foetido, in quam amaro caeno me dereliquisti? O fornicatio sordidatrix mentis meae, perditrix animae meae, unde misera surrexisti? de quam niveo, de quam iucundo statu me praecipitasti? Tu namque anima mea, perfida Deo, periura Dei, adultera Christi, de sublimitate virginitatis miserabiliter es demersa in barathrum fornicationis, abiecta a Deo, proiecta diabolo, immo abiiciens Deum, amplectens diabolum: te impendens fornicationi, tu prior creatori et amantissimo Deo libellum repudii obtulisti, et ad insidiatorem tuum daemonem te sponte contulisti. O misera et plus quam misera commutatio! Vae quia benignum contempsisti, et maligno adhaesisti! Quid fecisti o mentis amentia, amens spurcitia, spuria nequitia quid fecisti? In caelo reliquisti castum amatorem, et infernum sequuta es odiosum corruptorem. Consolatio, securitas, laetitia, nolo vos, renuo vos: si peccati venia ad me reduxerit vos, procul estote: procul estote ante mortem, si forte indulgentia revocet vos, vel post mortem. Sed sit continuo paenitentia amara comes aetatis meae, sit continuus dolor, insatiabilis tristitia vitae meae, sint moeror et acerbus luctus infatigabiles tribulatores iuventutis et senectutis meae. Utinam utinam ita sit, opto, oro, desidero, ut ita sit! Si enim non sum dignus oculos ad caelum orando levare, etenim non sum indignus eos vel plorando caecare.

28. Cogita igitur, cogita et recogita quid fecisti, et quid meruisti, et descendat mens tua ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine; et consideret, quae ibi expectant scelerosam animam meam; intendat et contempletur, videat et turbetur anima mea. Expavesce anima mea, defice, cor meum scindere. O bone Iesu nostra redemptio, si huc usque permisisti, ut plangerem paululum dolorem meum, de cetero bone Deus permitte, ut invocem auxilium tuum; si enim feci ut essem reus, numquam possum facere, ut non essem citatus tuus. Si mihi virginitatem ademi, numquam misericordiam tuam peremi, Domine Domine. Si ego admisi unde me damnare potes, tu ne amisisti unde salvare soles? Noli Domine, noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. Ubi est o verax Deus, ubi est, nolo mortem peccatoris? Si tu sepelis in infernum peccatorem ad te clamantem, an hoc est nolo mortem peccatoris? an non potius hoc est, nolo ut convertatur, et vivat? Peccator sum, Domine, peccator sum ego. Si ergo tu non vis mortem peccatoris, quis te cogit, quod non vis, cum sis omnipotens Deus? Absit Domine; absit, Deus, ut praevaleat nequitia peccatoris confitentis, et delentis sententiam omnipotentis. Memor esto iuste Deus, qui misericors es, et creator et recreator meus; et ne memineris, bone Domine, adversus peccatorem tuum iustitiae

tuae solius; ne memineris irae tuae adversus reum, sed miserationis erga miserum. Verum est et fateor, misericordissime, quod conscientia mea meretur damnationem et quod paenitentia mea non sufficit ad satisfactionem: sed certum est quod misericordia tua superat omnem offensionem, et idcirco abyssus meae miseriae abyssum invocat tuae misericordiae. Parce ergo tu, Domine, qui es salus; parce peccatrici animae meae, quae fugit attrita a terrente iustitia tua ad conforfantem misericordiam tuam. Et quoniam praemium virginitatis est perditum, o dolor irreparabilis! saltem supplicium non sit inevitabile, quod est non impossibile omnipotentiae tuae, nec indecens tuae iustitiae, nec insolitum tuae misericordiae, quoniam bonus es tu, et quoniam in aeternum misericordia tua manet. Denique quia ego peccavi in anima pariter et in carne, nec aliquid tale committere ultra volo, ideo a te, clementissime domine Deus, qui quem sanas in anima, et corpore simul sanas, de utroque ardenter desidero expiari. Porro si peccavi, immo procul dubio quia peccavi, et propter hoc oculus meus in amaritudine paenitentiae commoratur, de venia tamen spero, sciens quod maior est tua bonitas, quam mea iniquitas, quae est magna nimis.

29. Verumtamen si malum coram te feci, et faciem tuam non erubui, ut deberem, *ne proiicias me a facie tua.* Sicut Cain pro perpetrato fratricidio a facie v. 13.
tua et terrae facie proiecisti (nec mirum, quia intima sua proiecerat, et desperatus de venia, noluit paenitere, sed dixit quod maior erat eius iniquitas quam ut veniam mereretur) non sic, Domine, non sic proiicias me a facie tua, neque sicut pulverem quem proiicit ventus a facie terrae; sed per tuam superfluentem et ineffabilem bonitatem facias me de illis simplicibus quos non proiicis; sed proiice post tergum tuum omnia peccata mea, et omnes iniquitates meas proiice in profundum maris; me autem hominem ne proiicias a facie tua, sed ad illam me facias beatitudinem pervenire, in qua non sicut in hac vita per speculum in aenigmate, sed facie ad faciem, videbimus te finem desideriorum nostrorum, quem sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, sine fatigatione laudabimus. Hoc munus, hic effectus, hic actus profecto sine fide erit omnibus, qui ibi revelata facie te videbunt. Et Spiritum sanctum tuum, quo peccatum meum cognosco, confiteor, et paenitet, ne auferas a me; quem, ex quo mihi irascor, confiteor mea paeterita mala, et plango, et iterum non committere propono, iam me quasi pignus gloriae habere confido; sciens quod haec non possum habere pariter ex me ipso. Ergo Deus, cuius irae resistere nemo potest, ne irascaris mihi in aeternum, et non solum a me non auferas Spiritum tuum; sed etiam: *redde mihi laetitiam,* quam prius ha- v. 14.
bui, sed per peccatum amisi, laetitiam dico non mundi, qui laetatur cum male fecerit, sed laetitiam salutaris tui Christi salvatoris mei, qui est gaudium meum, qui est futurus praemium, qui est spes mea, lux mea, laus mea, domus mea, patria mea, vita mea, salus mea, salutare meum. Hoc salutare spectavere futurum illi, qui fuerunt ante nos patres nostri, et in hac fidei spectatione sunt salvati; et in illo salutari est et erit eis laetitia sempiterna; et quia per eandem fidem (rei tamen iam factae, non faciendae, sed temporibus variatis) salvari expecto ab eodem salvatore, qui omnes homines vult salvos fieri, et neminem vult perire. Idcirco pater et domine vitae meae, etiam sempiternam laetitiam, quam per peccata mea perdidi, redde mihi.

30. *Et spiritu principali confirma me.* O Deus qui es maximus spiritus, maxi-

ma regio spirituum beatorum, in qua sanctorum animae requiescunt, te primo superius invoco spiritum rectum, secundo spiritum sanctum, et hic tertio spiritum principalem, intendens totam, quae in te est, Trinitatem in meum auxilium invo-
* ita cod. care, ad hoc * ut rectus dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo. Spiritum sanctum tuum nomine suo intelligo. Et te patrem hic accipio per spiritum principalem, quia tibi est potestas principaliter attributa bonum gratiae quod in me operatus es confirmandi. Confirma ergo illud, pater: et si me confirmaveris, sicut opto, et sicut me scit tua supereminens scientia indigere, confirmatus non ero inaniter, sed docebo. In quo tu, Deus meus, docens me utilia, mirabilis atque laudabilis apparebis, eo quod repente me doctorem feceris de plorante; de lupo, agnum; de altero Saulo, Paulum: et alii peccatores videntes quod mihi peperceris,
v. 15. proficient per exemplum, et sic verbo et exemplo *docebo iniquos*, qui in fide manentes, peccatis suis tamquam apostatae mortificant fidem suam: illos, inquam, apostatantes, qui recesserunt a te, et quos tu ipse Domine vocare ad paenitentiam venisti, et non iustos. *Docebo vias tuas*, non meas, sed tuas: vias tuas, quae sunt misericordia et veritas, per quas ad nos venis, et nos ad te possumus pervenire. Et ipsi impii *peccatores ad te convertentur*, et per te Domine, qui convertis petram, scilicet cordis duritiam, in stagna aquarum, hoc est in flumina lacrymarum. Lex enim tua, Domine, est immaculata, convertens animas. Ego autem cor, linguam, et labia paratus sum ad exequendum, tuum ministerium exhibere; devotissime supplicando, ut tu (mi Deus et domine Iesu Christe, qui in diebus carnis tuae verba vitae aeternae adeo mirabiliter loquebaris, quum mirabantur omnes de verbis gratiae, quae tuis labiis procedebant) sic cor meum aperias, linguam erudias, labia circumdes, ut impii ab errore vitae tuae per te, sic ad te meo exemplo et ministerio revertantur, quod anima mea salvetur in morte, et tu meorum operias multitudinem peccatorum, ita quod nec a te nec a diabolo de cetero cognoscantur.

v. 16. 31. Quod ut mihi efficacius concedatur, *libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meae.* Spiritus sancte Deus, qui ad hoc in linguis igneis dispertitis voluisti tuis discipulis apparere, ut nobis dares intelligere, quod omnia linguarum genera cognoscebas, audi efficaciter, et exaudi novam et antiquam grammaticam linguae meae, in qua quasi meorum peccatorum doloribus peto a te de sanguinibus liberari. Ecce enim tu scis, qui scientiarum es Deus, quod in latino nostro apud grammaticos, sanguines pluraliter non dicuntur, sed sanguis; et tamen ad confitendum nomini tuo, Altissime, quod ex carne per peccatum originale corrupta, non solum unum, sed plura contraxi peccata, magis proprie et expresse intendo a te petere, Deus meus, non de sanguine sed de sanguinibus liberari; hoc est, omnibus peccatis carnalibus, quae sunt multa, et specialiter de parentibus carnalibus, de amore eorum sic iunctus tenear et ligatus, quod ne illud incurram, in quod incidunt, qui aedificant Sion in sanguinibus, vel qui in sanguinibus aedificant civitatem; quibus si per gratiam tuam fuero liberatus, non congregabo conventicula eorum, scilicet malorum collegiorum, de sanguinibus; ne motu carnalitatis erga nos inordinate mollitus, disrumpere non possim colligationes impietatis, vel solvere fasciculos deprimentis. Scio enim quod caro et sanguis non possidebant gloriam regni tui; et quod nil iniquius, quam quod excogitavit caro et sanguis. Non enim caro et sanguis beato Simoni Barionae revelavit Christum esse filium Dei vivi, sed potius eum ad vocem ancillae unius adeo ex-

caecavit, ut eius habere notitiam denegaret. Sed tu ei, Domine, revelasti, qui es firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus: qui Danihelem de lacu leonum, Susannam de falso crimine liberasti. Et idcirco a te liberatore meo peto suppliciter et requiro, ut liberes me de sanguinibus ante dictis, et ab omni corruptione poenae et culpae: sed da mihi incorruptionem, quam dabis tuis fidelibus in futuro, Deus, dator salutis meae, quam tu salvator operatus es in medio terrae: quae salus erit in illa incorruptione, cum corruptibile hoc induet incorruptionem et mortale hoc immortalitatem. Tunc veraciter mihi dices: salus tua ego sum, quando plenam et certam, securam et sempiternam felicitatem mihi concesseris et salutem.

32. O quando ad illam incorruptionem veniam, et sic salvus ero! Vere tunc satiabor, cum manifestabitur salus et felicitas illa mihi, ad quam pervenire non possum, nisi prius a te fuero de dictis sanguinibus liberatus, a quibus si liberatus fuero, et nullo alio liberante, *et exultabit*, hoc est cum exultatione et gaudio, nunciabit *lingua mea iustitiam tuam:* non illam, Domine, a qua superius appellavi, eo quod dominam meam misericordiam, in qua spero, non permittet secum in tuo finali iudicio consedere: nam illam iustitiarum iustitiam non possem cum exultatione ad memoriam revocare, quia valde contremiscit cor meum illam timens: sed illam potius tuam iustitiam lingua mea cum exultatione, et laetitia nunciabit, qua in praesenti vita ex virtute ipsius tuae praesentis iustitiae me teneris recipere confitentem; eo quod sacrae leges tuae iustitiae in hac vita non dedignantur sacros canones tuae misericordiae imitari, quantumcumque in peccatores impaenitentes saevire debeant in futuro. Sin autem, Deus meus et liberator meus, me (quod absit) non liberaveris de sanguinibus, sicut opto, qua temeritate praesumet lingua mea tuam iustitiam, remordente me conscientia, exultare, vel cum exultatione animi nunciare? Certe potius formidaret, ne tu, Deus, mihi diceres peccatori: quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Sed quia istae duae res, misericordia et iustitia, semper in tuo iudicio sunt coniunctae, ex quo de sanguinibus confiteor, et paenitentiam bene placitam tibi ago de liberatione mea indubia.

33. Quare, o *Domine labia mea*, propter peccata mea hactenus clausa, *aperies*, v. 17.
qui aperuisti os Zachariae prophetae, quod nemo claudere potuit quin te benediceret Dominum suum; qui e converso ora leonum in lacu adeo conclusisti, quod nemo potuit illa aperire, ut laederent Danihelem. Tu, inquam, qui sic aperis et nemo claudit, claudis et nemo aperit, aperi labia mea, Deus; ut non solum labia corporis ad confitendum tibi, sed et dentes et labia cordis mei, quae sunt eius desideria et voluntas. Nam sicut in os corporis mei non potest cibus aliquis introire, et cedere in ipsius corporis nutrimentum, nisi prius apertis labiis ruminetur dentibus et teratur; sic intrare non potest magna multitudo dulcedinis tuae in cor meum, nisi prius tibi omnino ipsius voluntas, quasi labia et quasi dentes, virtutes et desideria, reserentur, ut per aperta tibi labia voluntatis, in cor et in animam meam intres; et ut tu animae cibus, ei spirituale tribuas nutrimentum inter dentes virtutum et desideriorum ferventium. Qui propter scelera nostra attritus es, viriliter attrahis, ut revolvendo frequenter tua beneficia meminerim: ita quod anima mea huiusmodi labiis et dentibus, degustata suavitate tuae indicibilis bonitatis, de te quasi de altero illud canticum canticorum valeat decantare: guttur eius suavissimum,

dignum dilecto ad potandum, labiisque et dentibus ad ruminandum. Et si sic labia mea aperueris, qui aperuisti discipulis tuis sensum ut intelligerent scripturas, *os meum* cordis et corporis *annunciabit laudem tuam*, quia iam te non poterit non laudare de bonis et beneficiis, quae a tam bono domino Deo suo se confitetur et percipit recepisse; videlicet quod me creasti, quod me peccantem non reliquisti, quod cum peccato non ignovisti, quod confiteri monuisti, quod conversum iustificasti, quod a meis iniquitatibus me mundasti, quod me per tuam gratiam visitasti, quod perseverantem corona iustitiae coronabis quam perseverantibus praeparasti. Hae sunt laudes quas os meum interius, et exterius nunciabit de te, qui in sancto habitas, laus Israhel, qui maior es omni laude. Et ut laus tua, Deus, semper sit in ore meo, repleatur quaeso os meum laude: nam si os meum laude tua non repleveris, desiderium non ardebit, nec erit speciosa laus in ore peccatoris. Sed quoniam iucunda est decoraque laudatio tuae ineffabilis bonitatis, ego quantum in me est, te iuvante dilatabo os meum, ut tu adimpleas illud, de cuius plenitudine accepimus omnes. Laudationem tuam loquetur os meum, ut laudem te in vita mea praesenti pariter et futura. Et quia tu dixisti quod sacrificium laudis honorificet te, ideo nunc scio quod nunc, videlicet in plenitudine temporis gratiae, sacrificia pecudum non requiris.

v. 18. 34. *Quoniam si voluisses sacrificium* legale, quod secundum legem Moysis, antiqui tibi pro expiatione suorum peccatorum fiducialiter offerebant; et nunc est in laudis sacrificium commutatum; *dedissem utique*, et ad immolandum tibi tauros et arietes totam meam substantiam hilariter expendissem. Sed quia audivi te, Domine, in ecclesia exclamantem, holocausta arietum et adipum pinguium, et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui, et quod non acciperes de domo mea vitulos, neque de gregibus meis hircos, ut me in huiusmodi sacrificiis non oblatis non argueres, cum carnes non manducares taurorum, et hircorum sanguinem non potares; idcirco sacrificium hoc non dedi, sciens quod huiusmodi *holocaustis non delectaberis*. Spernis, Domine, taurorum et hircorum et aliarum pecudum holocausta, quae tempus habuerunt dum futurum aliquid promiserunt: at postquam venit plenitudo temporis, et misisti filium tuum in mundum, qui per Spiritum sanctum tibi Deo viventi immaculatam hostiam obtulit semet ipsum, et nostram conscientiam ab operibus mortuis emundavit; ex tunc holocausta et sacrificia animalium respuisti, cum pretio immolationis Christi nulla possit oblatio compensari. Sed quaerenti mihi a te, quid a me tibi sit offerendum, te audio de te
v. 19. quasi de alio respondentem, *sacrificium* peccatorum, quod placet *Deo, spiritus contribulatus*, hoc est spiritus cum patientia tribulatus; spiritus, quem etsi fornax tribulationis exterius tribulat et exurit, patientia tamen interius mitigat, et delinit. Nam sicut vir iracunds suscitat rixas, ita pacis patiens mitigat suscitatas; ut tibi Domine, qui es spirituum moderator, spiritus cum patientia tribulatus, in sacrificium offeratur.

35. Et hoc est illud sacrificium, quod inter alia holocausta tibi oblata a peccatoribus, prae ceteris est beneplacitum tibi semper. Nam cum aliae oblationes et sacrificia de extrinseco offerantur, illud tamen offertur de proprii cordis intimis et medullis. Cum enim spiritus tribulationibus quatitur, contumeliis agitatur, et nihilominus totus caritatis igne succensus, et virtute patientiae intus in peccatore integer reservatus, non cogitans de vindicta, tibi Domine, qui es Deus patientiae

et solatii, inter illatas iniurias tenetur, restringitur, et mactatur; tunc in furore tuo ponitur thymiama, tunc holocausta medullata tibi cum incenso innocentum arietum offeruntur. Tunc in homine, ferali ferocitate destructa, boves totius cervicositatis cum hircis petulantiae offeruntur et immolantur. Et idcirco, ut puto, per quemdam sapientem docere voluisti, quod melior est vir patiens, viro forti; et qui dominatur animo, expugnatore urbium. Innumerabiles enim viri in potestate urbes et populos habuerunt, paucissimi vero et verissime semet ipsos: et cum quis contra populos vel urbes decertat, totus simul interior et exterior homo pugnat: et si expugnat, non magnam videtur coronam de tali victoria meruisse, eo quod ea sunt extra se, quae vincuntur. Qui autem contra proprium animum virtute sapientiae in se certat, non totus, sed minor quam dimidius dimicat. Et si per patientiam suam vincit, et repugnanti sibi animo dominatur, hostem iracundiae, qui iam intraverat castrum suum, et ascenderat secum in arcem, sine armis et manibus prosternendo; vir ille vere melior est quam urbium expugnator, et est longe gloriosior hic triumphus. Et sic patet, quod maxima virtutum patientia vincat inermis, armatosque solet vincere semper viros. Quocirca tu Deus electus ex milibus, hoc sacrificium contribulati spiritus prae ceteris elegisti. Elegi et ego peccator tuus, hoc idem tibi de meis intimis laeto animo immolare, si dares mihi unde tibi sacrificium hoc offerrem.

36. Sed ecce qui tribulant me inimici mei spirituales et corporales exultabunt, si motus fuero per impatientiam et per iram. Et certe confido in te, qui es patientia mea, quod quando tribularer patientiam mihi dares, si tunc ad me ipsum reversus, cum fratribus Iosephi humiliter cogitarem: merito haec patior, quia peccavi aliquando in fratrem meum. Et si dicerem cum Michaea: iram Dei portabo, quia peccavi ei; et tunc illatam contumeliam leviter deportarem, cum in secreto mentis ad mala recurrerem perpetrata. Nam sicut patiens tanto patientius medici ferrum portat, quanto putridius esse conspicit hoc quod secat, ego quanto plus pondus cognoscerem culpae meae, tanto tribulationis poenam levius sustinerem, et tibi domine Deo meo sacrificium tribulati spiritus ferventius immolarem. Sed o Deus fortis et patiens, qui vita es iis qui tribulato sunt corde, ut in te si velint, accipiant patientiae documenta, quotiens in fornace tribulationis, in qua examinas iura tua, per iracundiam crepui et defeci? Quotiens oblitus quod in tribulationibus meis esses, per impatientiam in fratres incandui? Quoties cor meum perdidi in furore, et de tribulationibus excaecatus non potui ostium invenire, per quod reverterer ad me ipsum, ut tribulatum spiritum interius continerem, ne vel per verba, vel verbera, exterius mugiret tonitrua, fulgura coruscaret? Et si aliquando licet raro inter adversa vel probra meo tribulato spiritui patientiam tribuisti, visum fuit mihi, domine Deus meus, quod angelus ille tuus, qui descendit cum Azaria et eius sociis in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, descenderet in cor meum et in tribulatione meum contribulatum spiritum, in illo interiori sacrificio, sic tua gratia interius impinguaret, sicut asinus exterius tribulis impinguatur; et tunc omnino me ignis iracundiae non tetigit, neque contristavit, nec quidquam mihi molesti intulit, sed probavi per experientiam in me ipso, quod etsi persecutores pugnant, postea tamen non sibi mellificant, sed patienti. Propter quod David exemplum de se ponens, ut me ad patientiam invitaret, de persecutoribus suis dicit: circumdederunt me sicut apes. Apes enim etsi inferant punctionis dolorem, amantur tamen, quia mellis

dulcedinem administrant. Sic et persecutores meos, Domine, amare volo, et punctiones quas amaris conatibus inferunt, tribulato spiritu tolerare, ut mellita iucunditas subsequatur. Nam per quemdam sapientem audivi, Domine, te dicentem, quod usque ad tempus sustinebit patiens, et postea redditio iucunditatis.

37. Ergo, bone Domine, bone Deus, qui contribulasti capita draconum in aquis, et rogationem contribulati non abiicis, contribula venenatae superbiae meae caput in diluvio lacrymarum, ut tibi sacrificem meum spiritum cum patientia tribulatum, nam et *cor contritum,* hoc est cum gratia tua tritum vel strictum. Multi enim sine gratia tua, Deus, diversis doloribus et sollicitudinibus teruntur in cordibus et stringuntur, et tamen corda eorum despicis et contemnis, quia contritio et infelicitas in viis eorum, et ideo prae contribulatione spiritus ululabunt. *Cor* autem *contritum* paenitentia de peccatis, quod Iudas confitendo arat, et Iacob subsequitur sulcorum duritiam conterendo, cuius magna est contritio velut mare; *et humiliatum,* non elatum peccata excusando, *Deus, non despicies,* qui non despicis loquelam gemitus, sed humilia respicis in caelo et in terra. Ad quem ergo respicies, domine Deus meus, nisi ad humilem et contritum, et trementem sermones tuos? Sed et anima mea, quae tristis est super magnitudinem mali sui, incedit curva, et infamis desiderat gloriam dare tibi. Et ut ista duo sacrificia spiritus et cordis contriti tibi domino Deo meo digne valeam et iugiter immolare, tu benigne Deus, cuius benignitas ad paenitentiam nos perducit, *benigne fac Domine Sion;* hoc est illi superiori animae meae parti, quae per arcem Sion olim sitam in eminenti loco illius materialis Hierusalem designatur, in cuius fastigio quasi speculator excubans visis hostibus exclamabat. Sic pars illa superior rationis, quasi in eminenti animae meae solio constituatur. Spirituales nequitias, meam interiorem Hierusalem impugnantes, providens venientes, contra eas super muros exclamat, ne ista Sion in me, Domine, dormiat, vel dormitet, cum tecum meam custodire debeat civitatem.

38. *Fac* ei *benigne Domine*, bone Deus, *in bona voluntate tua,* non in mortua voluntate mea, quae mihi adiacet, hoc est paralytica iacet iuxta latus animae meae, fac inquam benigne, Domine, dictae Sion, quae ex iis, quae sperat, iam aliquid speculatur, et in bona voluntate tua fac ei, ut ego semper tuam habeam bonam et faciam voluntatem, et probem quae sit voluntas tua bona, beneplacens et perfecta: bona in te, placens in affectibus, beneplacens fruentibus, et perfecta perfectis et nihil amplius quaerentibus. Et vere benigne, Domine, si mecum egeris sic benigne, maiora te dedisse mihi beneficia reputabo quam si omnes praebendas et dignitates totius militantis ecclesiae mihi dares. Nam ipsa bona voluntas tua, si tu Deus meus, ut opto, dederis eam mihi, dictam meam Sion non permitteret ex taedio dormitare; sed eam sic faciet iugiter super custodiam suam stare: quod ipse speculans spirituales hostes contra meam interiorem Hierusalem irruentes, et videns urbem illam, quam servat absque murorum virtutum ambitu patentem undique et apertam, tacere non poterit propter pericula imminentia, quae videbit, quin mecum clamet in excelsis, et dicat: benigne Domine, *fac benigne in bona voluntate tua Sion, ut aedificentur muri Hierusalem,* illius scilicet interioris Hierusalem, quae est anima mea. Haec est enim illa Hierusalem, quae aedificatur ut civitas, pro qua supplico tibi animarum benignissimo amatori. Scio enim quod benignus es, Domine, et placabilis super malitia, et quod benigna est misericordia tua, Domine: et ideo

fac benigne, et *in bona voluntate tua*, quam tua benignitas gratis, et absque meis meritis, mihi dabit; ut aedificentur animae meae muri, qui stabiliuntur principaliter, et consurgunt de fide viva, spe certa, caritate non ficta. Fac etiam ut et muri huius mundanae Hiericho in me funditus diruantur, et nunquam de cetero reparentur. Quoniam tu, Domine, per Iosue maledictionis sententiam protulisti in eos, qui muros huius Hiericho suscitarent: aedificat enim diabolus muros istos de luto voluptatis, palea vanitatis, et latere cupiditatis.

39. Per te ergo Domine, muri istius Hiericho destruantur in me, et aedificentur muri Hierusalem supradicti, quos nisi tu ipse aedificaveris, in vanum laborant qui eos aedificare putant. Tu enim, Domine, solus es qui fidem quasi fundamentum murorum istorum infundis: spem veluti parietem erigis: caritatem tamquam inexpugnabilia propugnacula, quae nunquam excidunt, construis et largiris: et hic est inexpugnabilis ille murus, quem per te, qui es aedificator et custos Hierusalem civitatis supernae, aedificari desiderant desideria cordis mei, et clamant: muro tuo inexpugnabili circumcinge nos, Domine, et armis tuae potentiae protege nos semper. Et hoc est, domine Deus meus, pernecessarium mihi, ut in me aedifices dictos muros. Nam ante quam aedificati fuerint, gratum non accipies, vel acceptum de manibus meis quicquam; sed aedificatis firmiter in mea interiori Hieruralem dictis muris,
tunc acceptabis; quia ante acceptabile non habebis *sacrificium iustitiae*, in quo me v. 21.
ipsum punies. Tibi per paenitentiam victimabo: quid enim iustius, quam ut meis irascar iniquitatibus et peccatis, et opera iusta faciam per paenitentiam et lamentum? Et vere iustum est, ut de veteri vita mea in novam transeam vitam, ut extincto veteri homine per paenitentiam, in me ipso sacrificium iustitiae secundum regenerationem novi hominis tibi sacrificem domino Deo meo. Acceptabis etiam oblationes elemosynarum tibi, Domine, a me per manus pauperum oblatarum, qui reputas tibi specialiter esse factum, quod uni ex minimis, quorum angeli semper faciem patris vident, a me collatum fuerit vel oblatum. Non fiat haec oblatio de iniquo, hoc est de male acquisito vel male retento. Quia tu, Deus, ad Cain, et eius munera respicere noluisti, eo quod tibi prava munera offerebat. Non respicis in oblationibus iniquorum; sed illas oblatiónes dignas tibi reputas et acceptas, quae fiunt de substantia illa bona, cuius non est peccatum in conscientia: et has a me oblationes per sapientem requiris, dicens: fili, si habes, bene fac tecum, et Deo dignas offer gratias et oblationes.

40. *Tunc* etiam *acceptabis holocausta*, mea scilicet, hoc est non solum de meo, v. 21
sed de me toto facta; ideo quod spiritus dolore, et corpus labore afficiatur, et omnia mea interiora et exteriora igne caritatis inflammentur pariter et crementur. Nam haec illa esse intelligo holocausta, de quibus tu, Domine, mihi dicis: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper beneplacita et accepta. Postquam enim in me aedificati fuerint dicti muri, tunc cum auxilio angelorum, et consilio praelatorum, quos una cum perfecta Sion super dictos muros constitui vigiles et custodes, animae meae vires *imponent super altare tuum* et meum, quod tu, qui es summus pontifex futurorum bonorum, tibi vis singulariter dedicari, et in quo quicquid boni, devotionis, et intimae dulcedinis habeo, a te accipio, et tibi offero, et tu mihi. De quo altari sapientia tua dicit: oblatio iusti impinguat altare. Hoc est altare quod Noë tibi aedificavit spiritualiter in se ipso, tollensque de cunctis suis pecoribus scilicet corporalibus, et de volucribus spiritua-

libus purificatis et mundis, super altare illud tibi obtulit holocaustum. Haec est ara templi sancti tui, quod sum ego; iuxta quam stat angelus ad custodiam deputatus, habens thuribolum aureum in manu sua, ut cum incenso multo orationes coram te, Domine, fusas cum lacrymis repraesentet. Hoc est altare concavum et inane, a cunctis scilicet terrenis affectibus vacuatum, quod tibi fieri mandavisti ad imponendum cineres memoriae nostrae mentis. De hoc altari, amabilis amice, cuius dicere est facere, tu dixisti, ut ignis amoris tui semper in hoc altari ardeat, quem nutricet sacerdos subiiciens per singulos dies ligna desiderata cordis mei. Qui ignem istum in terram mittere, ut ardeat, venisti; veni, et in hoc altari cordis mei tui amoris ignem accende.

41. O summe sacerdos in aeternum, et pontifex futurorum bonorum, veni et ad nutriendum ignem istum, ne deficiat in Sion. Donec fiat caminus in illa, quae sursum est Hierusalem matre nostra, subiice ligna incentiva et nutrientia ignem istum. Primum videlicet temet ipsum, qui es iis qui te apprehendunt, lignum vitae; lignum, inquam, vitae positum in medio paradisi, ut ex omni parte currentes ad te, possint te apprehendere vitam suam et vitarum vitam. Lignum etiam vitae proferens per singulos menses, nostrorum affectuum fructus suos excitatos per desiderium, dulcissimos, pacatissimos, et suaves, quibus sanctorum animae reficiuntur sine fastidio, et fruuntur. Secundum lignum subiice vivificae tuae crucis, quod est istud dulce lignum, per quod aquae amarae in dulcedinem sunt conversae; lignum benedictum, per quod facta est iustitia de maligno; lignum exiguum, cui fideles homines suas animas commiserunt, commisi et ego meam; quod fidele inventum est, eo quod salvae factae sunt omnes salvatae animae per hoc lignum. Haec vero sunt duo ligna, in altari cordis mei nutrientia tui amoris ignem salvificum. Tu ergo solus sine peccati macula sacerdos in altari cordis mei per singulos dies subiice ligna ista, ut et ego cum muliere sareptana haec colligam duo ligna, et ingrediar ad altare Dei, et exinde faciam mihi et filio, hoc est affectui meo, panem vitae et intellectus, ut comedamus et moriamur: et ne moriamur, ut videamus et cognoscamus te solum Deum vivum et verum, et quem misisti Iesum Christum. Super hoc altare imposuerunt omnes animae meae vires vitulos orationum et laudum, gratiarum actionum et benedictionum, caritatis et honoris, fortitudinis et virtutis: et sic reddam tibi quamdiu fuero meorum vitulos labiorum, a iugo peccati liberatos tua gratia, et solutos. Et quia tu es dominus virtutum, rex meus et Deus meus, quia alia altaria adhuc habes, suppliciter omnipotentiam tuam rogo, ut iubeas haec omnia antedicta (videlicet sacrificium iustitiae, oblationes, et holocausta, et vitulos) super altare cordis mei imposita perferri per manum sancti angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinae maiestatis tuae; ubi est iugis laus, ubi beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te, ad quorum consortium nos faciat pervenire Christus Iesus filius tuus dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.

42. Denique quia te Domine faciente, qui omnia bene facis, invenit servus tuus ut oraret te oratione hac, inde sit gloria patri ingenito, patri futuri saeculi, patri pauperum, patri orphanorum, patri misericordiarum, patri spirituum, patri luminum, patri iusto, patri sancto, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Hic vere et solus est pater noster: a saeculo nomen suum. Attende ergo, pater et domine, attende de caelo et habitaculo sancto tuo, et de

solio gloriae tuae, et vide, et visita vineam animae meae, qui in baptismo plasmasti. Ubi est, Domine, zelus tuus, et fortitudo mea, qui me non retrahunt violenter et penitus a peccato? Heu mihi, Domine, multitudo viscerum tuorum continuerunt super me. Quare me errare fecisti de viis tuis, indurasti cor meum ne timeret te? Et nunc Domine pater noster es, omnes nos lutum: factor noster es, et opera manuum tuarum Deus omnes nos. Ne irascaris Domine satis, et ne ultra memineris iniquitatum mearum: ecce enim omnia desiderabilia mea versa sunt in ruinas. Numquid super iis continebis te Domine, tacebis, et affliges me vehementer? Pater peccavi in caelum et coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus: sed propter tuam ineffabilem pietatem, fac me sicut unum de mercenariis tuis. Cuius rei gratia flecto genua mea ad te patrem domini nostri Iesu Christi, a quo in caelo et in terra omnis paternitas nominatur, ut des mihi secundum divitias gloriae tuae constantiam, et virtutem corroborari per Spiritum sanctum tuum in interiore homine, et Christum habitare in corde meo per fidem, quae per dilectionem tibi beneplacita operetur. Tibi autem patri, qui potens es omnia nobis facere abundanter plus quam petimus, et quod plus intelligamus, quam petamus, intelligimus, sit gloria in Christo, et in ecclesia, et in omnes generationes saeculi saeculorum. Et filio tuo unigenito, cuius gloriam vidimus, gloriam quasi unigeniti a patre. Et cum Deum viderit nemo unquam, ipse tamen vidit eum unigenitus filius, qui est in sinu patris. In quem ego ex toto corde meo firmiter credo: et simpliciter confiteor, quod qui non credit in eum, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei. In hoc enim apparuit charitas patris in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum qui fuit obediens ei usque ad mortem.

43. Tu ergo, fili Dei vivi unigenite, redemptor mundi Deus, miserere mei. Tibi enim dedit potestatem iudicium facere. Sed supplico tibi ut prius mihi peccatori peccata dimittas, quam ad iudicandum me venias: et tunc sic iudica me Deus, ut discernas et separes animae meae causam de gente non sancta. Tu es enim, quem Deus pater ante luciferum in caelis genuit unigenitum, et beata Maria virgo felix mater tua in terris peperit primogenitum, post quem nullum. In cuius nativitate facta est multitudo caelestis exercitus laudantium et dicentium: Deo gloria in excelsis. Et Spiritui sancto, non facto, non creato, non genito, sed a patre et filio procedenti: qui ferebatur in principio super aquas: qui est Deus spirituum omnis creaturae: qui locutus est per prophetas: qui est spiritus sapientiae, intelligentiae et salutis, qui replevit orbem terrarum: qui nos facit gemitibus inenarrabilibus postulare: qui discipulos Dei et domini nostri Iesu Christi se ipso replevit, et in linguis igneis apparuit super eos. O Spiritus sancte Deus, qui es ignis non consumens sed lucens, non comburens sed urens, ure renes meos et cor meum, ut tibi casto corpore serviam, et placeam mundo corde. O ignis divine, qui amor es afficiens, et ardor indeficiens, charitas Deus meus, accende me. Quis mihi det, ut venias in cor meum, et inebries illud, et obliviscaris omnia mala mea, et amplectar unum et summum bonum meum, quod tu es? Mihi Domine miserere, ut loquar cum sim pulvis et cinis. Quis tibi sum ego, ut amari a me te iubeas; et nisi faciam, irascaris mihi et mineris ingentes miserias? Parva ne est miseria mea, si non amem te? O amor Spiritus sancte Deus, promittis mihi multa bona, si amem te: da te solum, qui amor es, et sufficit mihi: da quod iubes, et iube quod vis, amore

amoris tui. Haec peto a te, qui es Spiritus super mel dulcis. Tibi ergo Patri et Filio et Spiritui sancto, trino et uno Deo, magno, universo, aeterno, omnipotentissimo et excelso, sit de tota oratione hac gloria et iubilatio, laus et gratiarum actio, honor et imperium sempiternum: sicut erat in principio, immo ante principium, quia prius quam montes fierent, aut formarentur terra et orbis, a saeculo et in saeculum tu es Deus superlaudabilis, et supergloriosus in omnibus saeculis: et nunc etiam in praesenti clarificatus es in nobis, qui semper in te clarus es claritate, quam habuisti ante quam mundus fieret apud te. Et ex illa claritate, quae in me per fidem, tibi sit inde gloria: et in hoc praesenti nunc cupio sequi te in toto corde et timore, et quaerere faciem tuam. Ne confundas me ab expectatione mea, sed fac mecum secundum mansuetudinem tuam, et secundum multitudinem misericordiae tuae, et erue me de fornace peccati in mirabilibus tuis, et da nunc gloriam nomini tuo, quia tu es dominus Deus solus gloriosus super orbem terrarum et semper. Quia omnis sapientia a te domino Deo est, et fuit semper, et est ante aevum. Sempiterna est quoque virtus tua, atque divinitas: quae cum me possit dare in opprobrium sempiternum, imploro tuam omnipotentiam sempiternam, ut mihi concedas potius gaudia sempiterna. Tu enim es Deus sempiternus, qui creasti terminos terrae, qui nec incipis, nec desinis, sed est tibi gloria et nunc et semper, et in in saecula saeculorum.

44. O rex saeculorum immortalis, invisibilis, quot aetates lapsae sunt, quot saecula transierunt, et quot futura sunt, mutabis ea et mutabuntur. Tu autem qui dixisti, ego sum qui sum, idem ipse es in aeternum immutabilis et omnipotens, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Licet enim omnia sint ex te, et per te, et in te, non tamen sunt quod tu es, qui es mutans, non mutatus, faciens, movens, sed manens. Et cum beatus apostolus tuus dicat, quod nos sumus, in quos fines saeculorum devenerunt; aeternitati tuae supplico, Deus meus, ut in me sic digneris implere apostolicum istud verbum, ut saeculum vel saecularitas, qui me canonicum vel monachum adeo facit saecularem, quod hoc adiectivum totum suum in me absorbet et destruit, substantivum in me taliter finiatur, quod de cetero negotia saecularia me non trahant, et turbent. Exceptum a iurisdictione saeculi huius nequam, ad illa infinita saecula me facias cogitare, et postea cum vivis et confessionem dantibus pervenire, qui sunt partes saeculi sancti, et saecula saeculorum. Didici enim, Domine, quod illud saecula saeculorum a latino interprete ponitur pro aeterno; et quod repetitio dicentis saecula saeculorum, ad aeterna mittit animum cogitantis: et haec sunt illa aeterna, immortalia, infinita testamenta, saecula saeculorum, quae iusti post ista saecula praesentia et mutabilia immutabiliter consequentur. In quibus saeculis saeculorum tibi auctori solum sit gloria sempiterna.

45. *Amen*. O Deus Hebraeorum, scire me voluisti, quod amen nec graecum, nec latinum est, sed est hebraeum, et propter sui excellentiam translatum non fuit ab interpretibus vel mutatum, ut nomen tuum quod est mirabile et immutabile designaret. Unde tres significationes hoc vocabulum habere voluisti; primo enim, amen accipitur nominaliter, et est nomen, et significat sanctum et terribile nomen tuum, ut cum in apocalypsi legitur *: haec dicit: amen, testis fidelis et verus, qui est principium creaturae Dei. A te ergo domino Deo meo, qui solus hoc nomine designaris, totius cordis mei affectibus postulo, requiro, ut propter

* Apoc. III. 14.

reverentiam huius nominis sancti tui, nomen meum in libro vitae rescribas: et cum illis, qui custodierunt sabbata tua, et elegerunt quod voluisti, et retinuerunt foedus tuum, des mihi in domo tua, et in muris tuis locum, et nomen melius quam a filiis et filiabus, et nomen sempiternum quod de cetero non peribit. Secundo accipitur amen adverbialiter. Et cum tu Deus meus quando in terris visus es, et cum hominibus conversatus, veritatem aliquam asserere voluisti, pluries adiunxisti: amen dico vobis, hoc est, vere vel veraciter, seu infallibiliter dico vobis, quod ita est sicut dico. Et nonnunquam amen amen ingeminasti, ut ipsa ingeminatio, maior esset expressio veritatis. Unde te, qui es vera veritas, et cara charitas, quae non fallit, exoro suppliciter ut veritas tua semper in corde meo refulgeat, et omnis mundana et diabolica falsitas destruatur. Tertio autem amen accipitur verbaliter, et est verbum, ut cum in omnibus optativis, amen, hoc est fiat, ab optantibus et desiderantibus quod petitur, respondetur; quod et psalmista in fine quorumdam psalmorum ingeminasse legitur, ubi dicitur: fiat, fiat. Et in hoc sensu in fine praesentis orationis, mea vota et desideria continentis, dico: amen; hoc est ita fiat. Ut videlicet tibi Patri, et Filio, et Spiritui sancto, trino et uni Deo, sit gloria in saecula saeculorum. Amen 1).

1) Hactenus Anselmus cantuariensis. Namque Anselmi lucensis summaria seu capitula universi operis canonici ex integris codicibus dedimus in Spicilegio rom. T. VI. Et quidem Nic. Alemannus (de pariet. later. cap. 12.) idoneus harum rerum aestimator, Anselmi collectionem ex Leonis PP. III. pari forsitan opere haustam suspicatur. Nunc praeterea in alio codice vat. 325, qui fuit svecae Reginae, titulum hunc legebam. *Authentica et compendiosa collectio regularum et sententiarum sanctorum patrum, et auctorabilium conciliorum, facta temporibus (Gregorii VII.) sanctissimi papae a beatissimo Anselmo episcopo lucensi, eius diligenti imitatore et discipulo, cuius iussione et praecepto desideranter consummavit hoc opus. Incipit liber primus de potestate et primatu apostolicae sedis.* Tum vero nihil aliud in praedicto codice sequitur quam excerpta brevia 47. ex decretis synodorum, pontificum etc. Denique et Anselmi cuiusdam monachi, flosculum aliquem inter carmina postea proferemus.

MONITUM.

Opusculum vulgo inscriptum de ecclesiasticis dogmatibus, *quod nonnulli codices S. Augustino tribuunt, sed plures alii diversis auctoribus, extat in editione maurina Augustini T. VIII. p.* 71. *in appendice. Idem multo prolixius circa medium legebatur in vetere parisiensi editione anni* 1614. *T. III. in append. p.* 380. *Porro Maurini in suae editionis monito non dissimulant, comperiri id opusculum in quibusdam codicibus auctius sub finem; neque tamen eius incrementi, seu mavis complementi, verbum ullum proferunt. Nos in codice vat. Reginae svecae* 194. *saeculi ferme decimi, praedictum opusculi incrementum observavimus; etenim ubi parisiensis prisca editio cap.* 84. *desinit in verbis* in veritate habent quod plangant, *codex vaticanus prosequitur, ut infra nos recitabimus in hoc postremo libri nostri angulo, cuius puras aliquot plagulas praedicto fragmento, parisiensibus incognito editoribus, lubenter occupabimus.*

SUPPLEMENTUM.

79. Animam ad imaginem Dei creatam libere confitemur: imaginem, in aeternitate; similitudinem, in moribus inveniri.

80. Carnis quoque nostrae resurrectionem fatemur integram atque perfectam, huius in qua nunc vivimus, et in qua in praesenti saeculo aut bonis actibus gubernamur, aut malis operibus subiacemus: ut possimus in ipsa aut pro bonis laborum praemia consequi, aut pro malis tormenta poenarum sortiri. Neque, ut quidam absurde sentiunt, aliam pro hac resurrecturam dicimus, sed hanc ipsam nullo omnino ei vel membro amputato, vel aliqua corporis parte desecta. Hic est nostrae fidei thesaurus, quem signatum ecclesiastico symbolo in baptismo accepimus et custodimus. Sic coram Deo credimus, sic coram hominibus labiis confitemur; ut et hominibus cognitio sua fidem faciat, et Deo imago sua testimonium reddat.

81. Iam vero si etiam illud a nobis quaeritur quid de anima sentiamus, factam
* Hier. XXXVIII. 16 credimus esse, sicut et legimus in Hieremia per regem Sedechiam dici *: vivit Dominus, qui fecit animam istam. Si autem quaeritur unde sit facta, nescire me fateor, quia nec usquam legisse cognosco, et ideo nec de imperitia erubesco, nec de periculo formido, quia quae non lego, non praesumo, ne transgressor propheticorum inveniar praeceptorum, ubi praecipitur sanguinem non manducare, ob hoc quia omnis carnis sanguis anima sit. Quid est enim sanguinem manducare, nisi de anima disputare? Et ideo carnem quae nobis ad usum data est, possumus dicere ex mundi substantia et qualitatibus Deo artifice et auctore conpactam: sanguinem autem ad basim fundamus altaris; id est ipsi, qui creavit, scire unde creavit relinquamus. Basis enim altaris velut quaedam radix profunditatis est; cuius secreto etiam rationem animae iungamus, de qua disputare non possumus. Et ideo nec partem Dei dicimus animam, sicut quidam asserunt, quia Deus inpartibilis et indivisus atque inpassibilis est; anima vero diversis subiacet passionibus, sicut quotidianus rerum exitus probat. Nec de creatura aliqua factam esse dicimus, ne eam viliorem faciamus reliquis creaturis, quibus domina, si bene egerit, constituta est: sed ex Dei tantum voluntate formari, cuius potentiae non necessaria est materia, ex qua quod voluerit operetur, sed ipsa voluntas materia est eorum quae fieri aut esse mandaverit.

82. Absque sola igitur Trinitate, omne quod in caelis, terra, sive mari potentatur 1), agitur, vel movetur, creaturam esse et credimus et fatemur.

83. Diabolum non ita factum esse sentimus, ut diabolus esset, nec proprium habuisse naturae suae genus ut diabolus nasceretur; nec ingenitum esse, quia Deus non est; nec facturam esse diabolum, quia Deus malum fecisse non creditur, sed
* Rom. VII. 13 angelum bonum factum sicut scriptura demonstrat: per bonum *, operatum est mihi malum omnem concupiscentiam. Angelum autem fuisse sic credo, ut apostolus di-
* II Cor. XII. 7 cit *: datus est mihi stimulus carnis meae, angelus satanae qui me colaphizet. Et alibi: nisi venerit refuga, discessio 2). Ergo qui nunc refuga est, fuit aliquando in contuitu creatoris, et in illa gradus sublimitate, quae scribitur in prophetis, ubi

1) Animadverte verbum *potentor*, *aris*, unde deductum *potentatus*.

2) II. Thess. II. 3. *Refuga* autem (ex gr. ἀποστασία) est ex itala vetere apud Sabaterium.

dicitur *: tu eras consignatio similitudinis, et corona decoris. Et alibi *: quomodo de * Ezech. XXVIII 12.
caelo cecidit lucifer qui mane oriebatur? Hunc boni et mali capacem dicimus ac- * Is. XIV. 1
cepisse ex factore naturam inmortalitatis, gloria et honore circumdatum: accepisse
etiam scientiae dignitatem. Qui elatus in superbiam, suum credidit esse quod erat;
qui eum fecerat Dominum non viderat. Ego sum, inquit *, et non est alius praeter * Is. XLVII. 10
me. Inde terrae deputatus est et cineri, ut scriptum est *: quid superbit terra et * Eccli X. 9
cinis? Et alibi *: initium peccati omnis, superbia. Qui tartaro aeterno et igni per- * v. 15.
petuo deputatus est, perhennis est poenae, non inmortalis vitae.

84. Credimus omnem creaturam Dei, quae ad usus ciborum a conditore con-
cessa est, bonam esse, sicut et facta est; sicut etiam dicitur: et vidit Deus quo-
niam bona sunt valde. Et his ad tempus abstinere, non pro supestitione religionis,
neque abhominatione creaturae Dei, sed pro continentia carnis, utile esse sentimus;
secundum apostoli consilium, qui dicit *: bonum est non manducare carnem, et * Rom. XIV. 21
non bibere vinum. Atque his et cum libuerit, uti; et cum delectaverit, abstinere,
in hominis potestate consistere.

85. Coniugia probamus, quae Deo auctore concessa sunt. Continentiam vero in
ipsis coniugiis praedicamus. Virginitatem, utpote egregium germen ex effoeta trunci
radice procedens, sic extollimus et miramur. Iustorum peccatorumque distantiam,
non ex conditione creatoris, sed ex arbitrio propriae credimus accidere voluntatis.

86. Paenitentiam peccatorum plenissima fide suscipimus et honoramus, sicut apo-
stolus ad Corinthios dicit qui peccaverant *: volui prius ad vos venire, ut secundam * II. Cor I. 15.
gratiam haberetis.

87. Vetus et novum testamentum aequa fidei lance suscipimus; ac veluti cur-
rente per numerorum signa ponderis libra, sic per testimoniorum gesta mobili me-
ditatione pensamus. Nec evacuantes historiae fidem, credimus universa gesta esse
quae scripta sunt: sed iuxta doctrinam apostolicam sensum spiritalem, prout Do-
minus dederit, perscrutamur: qui tamen sensus aut ad typum Christi ecclesiaeque
pertineat, aut in morum emendationem correctionemque proficiat. Et hoc ipsum
iuxta illud quod apostolus dicit *: omnia haec in figuram nostri facta sunt. Et alibi * I. Cor. X. 6
beatus Petrus *: omnis sermo interpretatione indiget. Omnem scripturam, quae ec- * II Petr. I. 20
clesiastico canoni non convenit neque consentit, non solum non suscipimus, verum
etiam veluti alienam a fidei veritate damnamus.

88. Peregrinis atque ignotis de scripturarum continentia fabulis non facile com-
modamus assensum, neque cito nova doctrina aurium nostrarum intrat cavernas;
quia legimus *: virginem ne inspexeris, ne forte scandalizet te. Nos autem hanc vir- * Eccli. IX. 5
ginem novam aliquam et rudem vel secretam suspicamur esse doctrinam, quae ob
hoc prohibetur inspici, ne hominem cordis aut conmentetur * ab specie veritatis, * ita cod.
aut sermonum pulchritudine et suavitate decipiat. Virgo est illa doctrina, quae
nulli viro ecclesiastico cognita est, sed inter mulieres semper adolevit, id est eas
animas quae semper discentes, omni spiritu 1) deceptionis credula se facilitate commi-
scent, non curae habentes unde concipiant; cum Dominus in lege mandaverit, ut
nemo nisi de tribu sua viro in coniugio copuletur, id est illi fidei quae ex patrum
semine, hoc est ex doctrina, descendit; et Habrahae, qui primus in praeputio
credidit, prosapia nobilitatur et genere. Virgo est illa doctrina, quae tantum in
secreto sibi placet, et in publicum erubescit exire. Hanc talem non solum fugimus,

1) Spiritu loco *spiritui*, ut Augustinus in Speculo apud nos part. 2. p. 15. ex itala vetere.

verum etiam condempnamus; stultum dicentes hoc credere, quod aut ipsi non possumus defendere, aut ad aures publicas non debeat pervenire.

89. Ieiunia attentiora secundum ecclesiasticam regulam disciplinamque servamus, ut tribus temporibus anni masculinum nostrum, hoc est opus virtutis, quod cetero operi praecellat, appareat *. Ac siquando ieiunium indicit ecclesia, tunc nos cupimus non solum de delicato ac delectabili cibo 1), verum etiam de conversatione, fabulis, salutationibus et verborum altercationibus, quae saepe se fabulis interserunt, ieiunare. Nos enim etsi peccatores sumus, tamen propter illa aurea scuta trecenta, quae in templo Salomon sapientissimus fabricavit aerea facere non audemus . . . . . . et forma est, secundum apostolum qui . . . .

* Exod. XXIII. 17.

1) Cod. *delicati ac delectabilis cibi*

PARERGON.

Augendis veterum patrum scriptis idoneae habentur apprime illae quae dicuntur ad sacros libros catenae, in quibus copiosa et insignia saepe occurrunt operum deperditorum fragmenta. Eae sane apud Graecos abundant, neque tamen Latinis desunt. Et quidem in bibliotheca vaticana multae etiam latinae sunt, sed graeca ubertate minores, praesertim quia latinae ex editis plerumque patribus decerptae sunt. Ceteroqui memini me videre inter alias unam ad actus apostolorum, in qua leguntur Rabani mauri partes ex eius commentario numquam, quod sciam, vulgato. Sunt in psalmos praesertim catenae complures, et in evangelia, et ad epistolas apostolicas, modo omissis patrum nominibus (quae deterior classis est) modo sedulo adnotatis. Claudii quidem taurinensis catenas duas ad Matthaeum atque ad Paulum, et in hoc volumine et alibi delibandas saltem curavimus. Ecce autem catenam aliam ad psalmos latinam in codice vat. 4228, *seculi ferme XIII, nuper observavimus, quae in fronte, sed manu recentiore, dicitur ex Florentio, Georgio, et Gregorio consarcinata. Num vero in Florentio latet Florus? Georgius autem num ille est Zygabenus, ex graeco latinus? Denique num Gregorius papa, vel potius turonensis, cuius desideratur lucubratio in psalmos? vel denique Nyssenus ex graeco item latinus? Verumtamen expectationi vix aut aegre respondebat codex vaticanus, quem idcirco dimisimus. Et a me quidem in marginibus codicis legebantur nomina Alcuini semel, Augustini saepissime, Cassiodori saepe, Hieronymi non raro, Remigii passim cuius in psalmos habentur editi pleni commentarii. Sed nos de catenis copiosius, ut puto, alio tempore dicturi sumus.*

NOVAE PATRUM BIBLIOTHECAE

VOLUMINIS PRIMI

PARS SECUNDA.

VOLUMINIS PARS II.

AD SANCTI AUGUSTINI SPECULUM

PRAEFATIO.

I. Divinarum Scripturarum multiplicem abundantiam latissimamque doctrinam (ut loquitur Augustinus serm 350.) magnopere ostendunt infinitae patrum ecclesiae lucubrationes, quae de hoc non dicam fonte, sed vastissimo pelago, dimanarunt. Et quidem ipse Augustinus universam paene suorum operum copiam indidem derivavit. Sed apprime mirabiles sunt, atque ex intimis bibliorum penetralibus hausti, de genesi ad litteram libri duodecim, qui Cassiodoro inst. div. litt. cap. I. subliniores, quam illi Basilii et Ambrosii, videbantur. Deinde divinarum locutionum libri septem, in psalterium ac Iohannis evangelium primamque eiusdem epistolam, nec non in paulinam ad Galatas, sermones seu commentarii: item de genesi contra Manichaeos libri duo, de consensu evangelistarum libri quatuor, de sermone in monte libri duo, contra adversarium legis et prophetarum libri item duo, de veteris novique testamenti verbis sermones plurimi, et biblicarum quaestionum strues. « Tanta est, ait ipse in epistola ad Volu- » sianum (CXXXVII. 3.) christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, » si eas solas ab ineunte pueritia, usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo » studio, meliore ingenio conarer addiscere. » Praeter quam quod nullus est Augustini hortus, quem divinae utriusque foederis aquae non irrigarint. Hanc itaque Augustinus expertus toto suae villicationis ecclesiasticae tempore utilitatem, et his deliciis ad saturitatem nutritus; voluit senili aetate, quasi compendio quodam, occupatis quoque hominibus vel etiam idiotis, ex iisdem divinis libris ad omnia vitae officia instructionem promptissimam comparare. Itaque omisso commentario quolibet, nuda exposuit sub Speculi titulo sacrorum bibliorum oracula; ut quivis lector his inspectis, ceu divinis regulis mentem moresque suos rite componeret. Profecto similis argumenti eclogas apud Graecos a Melitone, apud Latinos a Cypriano ad Quirinum quae extant, et a Pelagio deperditas, et a Beda partim in scintillario, curatas scimus. Cypriani quidem illud ad Quirinum opusculum sequitur in codice sessoriano post Speculum, a quo tamen scriptum cyprianicum centum foliorum numero superatur.

Studium S. Augustini erga sacram Scripturam.

II. Porro Speculi librum, ab Augustino reapse fuisse compositum, tres saltem antiquissimi testes adfirmant. Nam Possidius Augustini diutinus contubernalis atque historicus, in beatissimi viri vita, capitulo 28. inscripto « quae proxime ante mortem ab Augustino edita, » sic ait. Prodesse omnibus volens, et valentibus multa librorum legere, et non valentibus, » ex utroque divino testamento, vetere et novo, praemissa praefatione, praecepta divina, seu » vetita, ad vitae regulam pertinentia excerpsit, atque ex his unum codicem fecit: ut qui » vellet, legeret; atque in eo vel quam obediens Deo, inobediensve esset, agnosceret: et » hoc opus voluit SPECULUM appellari. » Ecce autem alter testis evidentissimus Cassiodorus, vix uno saeculo Augustino iunior, in inst. div. litt. cap. 16. ita scribit. « Liber sancti Au- » gustini, quasi philosophiae moralis, quem pro moribus instituendis atque corrigendis ex » divina auctoritate collegit, SPECULUMQUE nominavit, magna intentione legendus est. » Tertium Speculi testem nuper nos feliciter invenimus in antiquissimo Eugyppii codice vaticano, de quo postea accuratius loquemur. In eo videlicet codice cap. 322, ubi agitur de auctoritate septuaginta Interpretum, diserte scribitur *ex Speculo sancti Augustini*, et mox praefatio illa

Speculum scripsit reapse Augustinus.

recitatur, quae Speculo edito praeponi solet, ab initio usque ad verba *aperta fastidiunt*. Id inquam de Augustini Speculo testimonium in Eugyppii libro edito deerat, ideoque ipsis Maurinis ignotum fuit. Iam Augustinum Speculi nomine sacram Scripturam saepe denotare solitum, non unus demonstrat locus. Sic enim in sermone CCCLI. 5. « divinarum Scripturarum speculum. » Tum in libro de natura et gratia cap. 3. ait: « sacra Scriptura, tamquam speculi fidelis nitor. » Et comment. in ps. XXX. enarr. III. 1. « Omnia quae hic conscripta sunt, Speculum nostrum sunt. » Et in ps. CIII. n. 4. « Posuit tibi speculum Scripturam suam. » Praeterea in ps. CXVIII. enarr. IV. 3. « Inspiciat tamquam in speculo mandata Dei. » Denique in ps. CXXIII. 3. « Tamquam in speculo Scripturarum vos ipsos adtendatis. Cum enim tamquam speculum » adtendis Scripturas, exhilaratur facies tua. » Item in sermone de tempore barbarico n. 3: « proferatur speculum divinae Scripturae. » Denuo in sermone XLIX. 5. « Scriptura sancta » sit tibi tamquam speculum. Speculum hoc, habet splendorem non mendacem etc. Formo- » sus es? formosum te ibi vides. Foedus es? foedum te ibi vides. Non te fallit speculum. » Atque hoc loco venit nobis non incommode in mentem lepidum illud Ciceronis dictum, in fragmentis quae ex palimpsestis edidimus orationis in Clodium et Curionem, ubi loquens de P. Clodio Pulchro (quem inliberali figura fuisse dicit vetus interpres) vestibus semet femineis exornante, ait: « sed credo postquam speculum tibi adlatum est, longe te a pulchris abesse sensisti » (idest a pulchris forma, et a decore gentis Pulchrorum).

Confusio titulorum in codice Speculi.

III. Haec quum sole meridiano splendidiora videantur, attamen nonnullae confusionis tenebrae contra id opus offusae sunt. Nam quia idem Possidius in operum Augustini Indiculo cap. 1. inter eius libros contra paganos ponit: *de testimoniis Scripturarum contra Donatistas et idola*. Rursusque cap. 3. inter libros eiusdem contra Donatistas numerat: *de testimoniis Scripturarum contra suprascriptos* (Donatistas) *et contra idola*. Tum quia denique ab ipso Augustino Retract. lib. II. 27. memoratur « liber unus probationum et testimoniorum contra Donatistas; cui adiunxerat, ut ait, *necessaria documenta sive de ecclesiasticis sive de publicis gestis;* » his, inquam, Indiculi et Retractationum verbis lectis, quia nimirum, aeque ac in Speculo, testimoniorum ex sacris litteris farrago erat; visus est, uterque titulus, et Speculi et testimoniorum contra Donatistas, unum idemque opus denotare: quamquam reapse et tituli inter se repugnant, et in Speculo nihil omnino contra Donatistas, nihil de ecclesiasticis publicisve gestis reperitur: neque librum testimoniorum appellavit umquam Speculum Augustinus; neque vicissim Speculum a Possidio in vita, et a Cassiodoro in institutione, nomine testimoniorum indigitatum fuit. Haec ideo praefati sumus, quia iam ad codicem sessorianum accedimus, qui nostri Speculi fons est, ubi praedicta titulorum confusio fit. Ibi enim in fronte diversis manibus temporibusque exaratum legitur 1. *De testimoniis scripturarum, Augustini contra Donatistas et idola.* 2. *Libri de Speculo.* 3. *Beati Augustini de testimoniis Scripturarum.* 4. *Augustini contra Donatistas et idola, hic liber esse dinoscitur.* » 5. Post recitatos autem capitulorum titulos, in folio sexto scribitur: *iste est liber unus beati Augustini contra Donatistas et idola de testimoniis scripturarum.* Postremo in calce operis f. 154. b. *Explicit testimoniorum* (haec duo quidem verba litteris maioribus; deinde longe minutioribus): *liber beati Augustini contra Donatistas et idola.* En quoties errorem suum hi titulorum scriptores in codice inculcaverunt! Nihil enim certius est, quam eos duo opera in unum confudisse, vel potius unum putasse. Atqui praedictorum in codice titulorum secundus tantum verus propriusque Speculi est. Et quidem Speculum superest, testimoniorum autem contra Donatistas liber periit: neque enim pauca illa sermoni 358. admixta contra Donatistas testimonia, instar libri sunt, neque ulla publica documenta continent.

Comparatio Speculi maurini cum sessoriano.

IV. Postquam duorum operum diversitatem satis demonstravimus, sequitur alia quaestio, utrum nempe de duobus Speculis, maurinum ne illud editum T. III, an hoc sessorianum (quandoquidem agnoscere duo non possumus) in Augustini libris numerandum sit. Equidem in primis profiteor me uni veritati studere, nulloque praeiudicio prorsus occupari. Cur enim sessorianum typis tradendum curaverim, haec praecipua et maxima causa fuit, ut latinae

Italae veteris Scripturarum translationis, tam defletae a sacris philologis atque exoptatae, partem amplissimam ac sincerissimam recuperarem: quandoquidem sessorianus totus codex, id est nostrum Speculum, nonnisi ex illa vetere translatione constat, tot praeconiis celebrata, et ab Augustino de doct. chr. lib. II. 15. latinis omnibus antelata. Igitur hoc nostrum Speculum, sive Augustinum auctorem habeat sive alium, sed certe antiquum, neque sexto saeculo inferiorem; ad veterem quidem bibliorum textum quod attinet, perinde est. Et certe praeter hoc Speculum, vana est restituendae Italae spes, ope etiam celebriorum codicum: etenim, exempli causa, Amiatina quae sunt Florentiae biblia, Vallicelliana vulgo Alcuini, et Cavensia quorum postremorum nos apographum in bibliothecam vaticanam intulimus, haec inquam partim hieronymianam, partim mixtam translationem continent. Attamen momenta utriusque Speculi expendamus, num scilicet lancem sustineant an potius deprimant. Ego dum suprascriptum Possidii in Augustini vita locum cum prologi clausula confero Speculi illius, quod est in editione maurina aliisque antiquioribus, valde mihi persuadeo maurinum exemplar, in augustiniano censu esse retinendum. Verumtamen illud gravissime obstat atque deterret, quod qui illic subsequitur Speculi textus, is ex hieronymiana nova translatione totus est, quam numquam fere in suis scriptis expressisse Augustinum scimus; multoque is minus in vulgaris usùs opere usurpasset, ne populum lectioni priscae assuetum offenderet.

V. Atque hoc magni ponderis argumento valde commovebatur vir inclytus, Cisterciensis familiae decus, Cardinalis Besutius, qui sessorianum primus codicem superiore saeculo contrectavit, copiosamque eius manuscriptam notitiam reliquit: cuius verba libentius quam mea recitabo. « Speculum, inquit, a patribus sancti Mauri editum, ex versione » hieronymiana est; quod etsi ipsi hoc ideo factum dicant, quoniam haec multis in lo» cis planior videatur, mihi tamen persuasum est, in libro ob communem populi in» structionem confecto, vulgatâ sui temporis, qualis vetus illa erat, usum fuisse Au» gustinum; id quod persuadent ea, quae scribit Simonius in epistola prima et septima » ex criticis, quas gallico idiomate edidit. Et quidem si quis modo vellet pro populo in» struendo, librum ex sacrae Scripturae locis confectum scribere, non adibit Flaminium No» bilium (nunc ego potius dicerem Sabaterium) ex quo veteris Italae auctoritates hauriat, etsi » habeat ista perspicuitatem sententiae Augustino testante, sed nostra nova vulgata, quam prae » manibus fideles habent, utetur. Idem quoque praestitisse Augustinum certum esse exi» stimo, etsi seniorem se hoc dicat egisse; usumque illo sacrae Scripturae textu fuisse, nemini » est dubium. Etsi enim illius temporis docti et eruditi viri novam tunc Hieronymi ex hebraeo » interpretationem quoque manu versarent, populus tamen sola Itala utebatur, istique » adeo assuetus erat, ut cum unus ex africanis episcopis in ecclesia praedictam Hieronymi » versionem legi instituisset, sine plebe remanendi sese periculo exposuerit. Sed ipsum haec » narrantem audiamus Augustinum in epistola LXXI. scribentem Hieronymo. Quidam, in» quit, frater noster episcopus, cum lectitari instituisset in ecclesia, cui praeest, interpre» tationem tuam, movit quiddam longe aliter a te positum apud Ionam prophetam, quam » erat omnium sensibus memoriaque inveteratum, et tot aetatum successionibus decantatum. » Factus est tantus tumultus in plebe, maxime Graecis arguentibus et inclamantibus calum» niam falsitatis, ut cogeretur episcopus Iudaeorum testimonium flagitare etc. Quid plura? » Coactus est homo velut mendositatem corrigere, volens post magnum periculum non re» manere sine plebe. Quamobrem quodcumque sit Augustini legitimum Speculum, brachiis » ambobus Simonii hac in re sententiam amplector, quod ex veteris vulgatae (id est Ita» lae) suum Speculum idem Augustinus consuerit atque confecerit. ». Hactenus Besutius, qui addit, posterioribus saeculis, praevalente iam in populo hieronymiana, ob eandem vitandi scandali causam, securius quam africanum olim episcopum, monachos codicum scriptores aut emendatores, novam veteri interdum substituisse in patrum quae scribebant operibus, ne scilicet populus varietatis lectionum ignarus confunderetur, dum aliter a patribus Scripturam laudari conspiceret, ac ipse in suo textu inveniret. Quod tamen in iis tantum-

Augustinus veterem Italam i Speculo expres sit.

modo libris praestiterunt, qui frequentius in hominum manibus erant, non vero in iis passim, qui a doctis tantummodo tractabantur. Quominus igitur maurinum Speculum, sine dubio Augustini esse credatur, hieronymianae translationis color prohibere videtur.

Speculum sessorianum magis est idoneum scopo Augustini.

VI. Aliud nunc considerandum superest, num ipsa duorum Speculorum natura, ad Augustini propositum aeque quadret. Augustini Speculum a Cassiodoro definiri vidimus librum quasi philosophiae moralis, quem pro moribus instituendis ex divina auctoritate collegit. Iam vero comparet quivis, cui otium sit, maurinum cum nostro hoc sessoriano: illud quidem, nullis propositis moralis rei capitibus, deflorari ex bibliis comperiet naturali ordine positis; nec quid singuli libri morale sibi peculiariter suggerant, facile discernet. At vero sessorianum in morales titulos totus distinctus, ad quos biblicae auctoritates proprie unicuique trahuntur, scopum suum ilicet adsequitur. Quare et Besutius illa Maurinorum verba aequo animo haud patitur dum aiunt, vignerianum (de quo nos postea loquemur, et sessoriano in titulis simile est) Speculum non tam vitae instituendae consilio, quam erudiendi animi causa comparatum esse videri. Haec inquam verba refellens Besutius ait: « ut scribam » quod sentio, vignerianum (perinde ac sessorianum) Speculum utrique muneri, et animi eru- » diendi, et vitae instituendae aptissimum esse videtur. Optimum enim instrumentum in- » stituendae vitae est, scire et cognoscere, quid sacra Scriptura coniuncte et concorditer » de eleemosynis v. gr., de paenitentia, de oratione, ceterisque christianae vitae praece- » ptis nos doceat, quod Speculum (nostrum) facit, in quo reapse sicut in speculo, prout » scopus Augustini est, uno ut ita dicam oculi ictu et intuitu, quolibet in capitulo ag- » noscit homo sacrae Scripturae credens, quantum in quolibet bono opere profecerit, quan- » tumve sibi desit. At in maurino, prolixa tantum lectione, longo labore, toto fere opere » lecto, collatisque inter se locis, contra similitudinem speculi, qualis sit quisque agnoscit. » Quamobrem efficacius, facilius, et Augustino dignius (nostrum) esse videtur. » Igitur sive biblici textus genus, sive etiam operis formam spectemus, sessorianum quidem Speculum magis fortasse quam maurinum, ad Augustinum pertinere censebitur: quod ego tamen sine ullo partium studio, et salvo omnino veritatis honore, dictum velim.

Nostri Speculi codices duo.

VII. Sed iam propius ad nostrum Speculum accedamus, in idque attentius oculos intendamus. Speculum hoc in sessorianae basilicae seu monasterii codice superesse compertum est, saeculi ferme septimi, ut ex cuso specimine, multoque magis ex ipsarum inspectione membranarum philologi agnoscent. Textus sane integerrimus, absque tamen praefatione, sive illa ut fit abs codicis initio exciderit, sive numquam reapse adfuerit, qua in hypothesi adversarium utique experiremur testimonium Possidii. Neque tamen unicum Speculi receptaculum codex noster est; sed aliud quoque paris ferme aetatis inventum fuerat exemplar in Gallia, de quo audiendus est vir ille, cuius praesertim industria pars aliqua operis orbi primum innotuit. Hieronymus ergo Vignerius, qui anno 1655. grande Augustini supplementum edidit, sic in praefatione loquitur. « Quod attinet ad Speculum augustinianum, exi- » mium sane opus et theologis omnibus apprime necessarium, gratia referenda est egre- » gio codici memmiano, qui manu Theodulphi aurelianensis episcopi, ante annos 800. » (nunc 1000.) solide exaratus, et cum bibliis, quae ipse iam exscripserat, compactus fuit. » Monuit in sua bibliotheca MSS. Philippus Labbe S. I. illud Speculum a Iacobo Sirmon- » do, eruditorum sui saeculi facile principe, magni habitum, atque etiam descriptum 1). » Post tanti viri iudicium immaniter peccassem, si ceteris Augustini tractatibus non atte- » xuissem, licet omnino diversum ab eo, quod iam editum est cum ipsius sanctissimi do- » ctoris praefatione. Huius meminit Possidius in vita Augustini. Sed nostrum sane illud me- » liore et commodiore ordine digestum est, quam istud. Quodnam tamen Augustini fuerit,

1) Verba Labbei in N. B. p. ??. haec sunt: *S. Augustini hipponensis episcopi Speculum ex sacris Scripturis alio longe ordine modoque digestum, quam quod vulgo apparet. Ex appendice ad biblia Theodulphi, quae servantur in bibliotheca memmiana.* Haec tantum Labbeus. Quare quod Speculum Sirmondus suspexerit et exscripserit, aliunde rescivit Vignerius.

» lectoribus statuendum permitto. Asserente Sirmondo, nihil est quod dubitem. Solem » quis dicere falsum audeat? Sub huius ergo fundatissimi sponsoris fide, usurâ lucis fruatur.» Ergo memmiani codicis Speculum, Augustini erat, Sirmondo iudice, in cuius sententiam

VIII. Quid vero postea? En in editione vigneriana T. I. p. 515. recitantur capitulorum CXLIIII. tituli, qui sunt iidem atque in nostra editione p. 116-117. Hactenus optime. Sed sequitur apud eundum Vignerium Speculum memmianum; verumtamen, quod mihi permirum est, biblica testimonia, primis tantum extremisque verbis retentis, interciduntur omnia. Tum quod adhuc mirabilius est et inexplicatius, non ex Italica vetere haec sumuntur, sed ex recentiore vulgata Hieronymi: quae immutatio sive a Theodulpho vel ignoto homine in codice, sive ab ipso Vignerio in editione contigerit; rei certe summa, id est Italae veteris recuperatio, apud Vignerii librum labefactata funditus fuit atque pessumdata; eiusque facinoris auctor, male profecto de antiquitate et de sacra philologia meritus est. Nullum est itaque, exceptis titulis, apud Vignerium Augustini Speculum, sive textuum intercisionem spectes, sive prorsus variatam elocutionem. Quod cum dicimus, nihil profecto vulgatae nostrae honori detrahimus, quam ceu perfectiorem, et cum hebraica veritate congruentiorem, sancta ecclesia probavit ac retinet. Sed quia vulgata in infinitis codicibus superest, dolemus merito ac vituperamus, quod Italam illam laceram aedepol, ac vix reperiendam, vignerianus liber, quantum in ipso est, aboleverit in Speculo: quam modo nos ope codicis sessoriani aeternis denique typis commendamus. Interim dum maurinum tantummodo Speculum, cum vignerianis frustulis, in publica luce erat, nil miror tum Nobilium tum Sabaterium inter suas Italicae priscae reliquias vix ullum augustiniano Speculo locum esse voluisse, quia videlicet illud recentiore de fonte manare cognoverant; nostrum autem necessario ignorabant. Neque item Martianaeum aut Calmetum miror, qui cognito tantum maurino Speculo, putabant ideo, vel potius hariolabantur, S. Augustinum non vetere sed nova translatione uti solitum fuisse; quod cum aliunde falsum arguitur, tum a Speculi nostri auctoritate definitur. In quo differant duo codices.

IX. Sed ut ad sessorianum revertamur, gravi Cardinalis Besutii, quem honoris causa semper nomino, respondendum argumento est, qui in praedicta notitia seu disquisitione, ideo non satis audet vindicare Augustino hoc Speculum, quia etsi in pluribus Augustinus in iis quae in suis operibus ex eo quo utebatur codice laudat, cum iis quae in hoc codice habentur concordet, in plurimis tamen (quod velim mihi diligentius singillatimque demonstrari; namque alibi vir em. moderatius loquitur) discordat. Pergit porro Besutius dicere. « Dabo huiusce rei specimen aliquod. Ps. VII. 12. ubi noster codex legit *nunquid irascetur*, « Nobilius animadvertit, Augustinum in LXX. interpretibus legisse non *iram adducens.* Concedo id equidem Besutio, sed tamen ibidem in commentario Augustinus lectionem etiam *irascetur* sive *irascens* agnoscit. Sic enim ait. « significantius fortasse dicitur *iram adducens*, quam *irascens*, et ita in exemplaribus graecis invenimus. » Pergit Besutius. « In ps. XIX. 8. codex noster » habet *magnificabimur;* at Augustinus apud Nobilium legit *exultabimus.* » Fateor ego, legi *exultabimus* in commentario; sed idem Augustinus legit in eo versiculo vocabulum *magnificabimur* bis alibi, nempe ad ps. LXV. 5, et ad ps. CXLVI. n. 19. Denuo Besutius. « In ps. XXXII. » 20. codex noster habet *patiens erit in Domino.* ». Ego vero quid heic obiciatur, nescio; etenim adamussim Augustinus in commentario consonat cum nostro codice. Adhuc Besutius. « In ps. XXXIII. 5. codex habet *angustiis;* at Augustinus *tribulationibus.*» Concedo enimvero ita legi, non tamen in textu biblico sed in commentario, ubi fortasse per synonymiam loquitur sanctus doctor. Quinto loco Besutius. « In ps. XXXVI. 24. codex habet *firmamentum;* at Au- » gustinus *firmat manum eius.* » Ita revera; sed hoc demum tantillum exemplum est prae tot contrariis. « In ps. XLI. 4. inquit adhuc Besutius, codex noster *haec recordatus sum*, cum vul- » gata. Sed apud Nobilium Augustinus *meditatus.* » Ego contra in comm. psalmi lego *haec memoratus sum*, neque id semel, ut ex indice biblico in Augustini tomo undecimo cognoscere licet. Postremo « ps. LXXX. 13. noster legit *secundum desideria cordis illorum.* At Au- Brevis collatio Speculi cum Augustini aliis scriptis.

» gustinus apud Nobilium *secundum affectiones*, ut vulgata. » Atqui hoc quoque ad figuram synonymiae pertinere videtur.

Infirmantur argumenta contraria.

X. Pauca haec in psalmis tantum obiicit argumenta Besutius, cui interim opponere ausim doctum aeque virum Chrysostomum Trombellium, qui in suorum anecdotorum tomo II. adn. p. 1. ut S. Cypriano vindicet quoddam de paenitentia opusculum, ex sacris testimoniis consarcinatum, diluit obiectionem quae ex textuum biblicorum apud eundem Cyprianum diversitate fiebat, allato pari Augustini exemplo. Sic ergo Trombellius. « At cum Scripturae » interpretationem opusculi nostri auctor alleget valde diversam ab ea qua utitur Cypria- » nus, anceps haereo cuinam auctori illud adscribam. Novi equidem argumentum hoc in- » dissolubile non esse. Veteres scilicet modo unam, modo aliam Scripturae interpretationem » sequebantur. Cuius rei adeo perspicua argumenta habemus, ut de ea iam nemo dubitet. » Unicum exemplum, sed illud manifestum, adhibeo. Augustinus serm. XX. 3. sic versiculum » Ezechielis XVIII. 22. allegat: *in quacumque die conversus fuerit iniquus, annos iniquitatis* » *eius obliviscar*. At serm. XXXXI. 1. *Quo die conversus fueris, obliviscitur (Deus) mala tua* » *praeterita*. Denuo serm. LXXXII. 18. *Iniquus in qua die conversus fuerit ab iniquitatibus* » *suis, omnes iniquitates eius obliviscar*. Denique serm. LXXXVII. 10. *In quacumque die con-* » *versus fuerit homo a via sua pessima, omnes iniquitates eius obliviscar.* » Hem quanta in unius versiculi biblici recitatione varietas est Augustini! Quis iam non videt valde operosam fore, nec otii mei, hanc instituere latius collationem? Immo et loci tot biblici in novis Augustini apud nos sermonibus obvii, cum Speculo comparandi forent. Ecce unum inter plurima exempla p. 100. *floriet* in Speculo, quod ipse Augustinus testatur in vetere translatione extitisse, ut ibi monuimus. Nunc tandem labore nostro in publicam lucem eductum prostat Speculum universum; in quo ipso (quam rem satis mirari nequeo) biblici textus diversis locis repetiti quandoque differunt inter se, quia de diversis fortasse bibliorum codicibus sumpti. Et quidem docuimus p. 200. in adn. Augustinum legisse apud Ionam prophetam modo *hederam*, modo *cucurbitam*. Nostrum igitur Speculum conferant pro sua sedulitate philologi cum relatis ab Augustino in libris suis sacrae Scripturae verbis: critices simul regulas adhibeant; et quod verius videbitur teneant. Nam Speculum quidem, quum nudis solisque bibliorum textibus constet, merito proprio stat, nec commendationem laudemve abs suo auctore, quicumque demum is fuerit, magnopere postulat.

Adhuc collatio Speculi cum Augustino.

XI. Attamen ut partem saltem levissimam comparationis nos quoque delibemus; 1. Initio quidem geneseos in Speculo legitur *fecit*, pro *creavit* vulgati. Porro Augustinus de genesi ad litt. initio congruit cum Speculo, et non cum vulgato. 2. Ibidem v. 2. *superferebatur* Augustini, cum Speculo consonat. 3. Item v. 6. conspirat Speculum cum Augustino de gen. ad litt. et non cum vulgato. 4. Gen. cap. VII. 4. habet *deleam* Speculum cum Augustino locut. lib. I. 14, non autem *delebo* cum vulgato. Iam in vaticanis quoque sermonibus tentamen aliquod huiuscemoni faciendum videtur. Serm. XIV, 4. *divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent*, quae verba congruunt cum Speculo, sed diversa sunt in vulgato I. Tim. VI. 18. Item serm. LXXXIII. 4. *Peccata vestra separant inter vos et Deum*, aeque sunt in Speculo, sed aliter se habent in vulgato Is. LIX. 2. Insuper serm. CXVII. 2. *Humanus sermo* I. Tim. I. 15. pro vulgato *fidelis*. Certe autem voc. *humanus* est apud Speculum in simili loco ad I. Tim. cap. III. 5. Praeterea serm. CLXXII, 2. locus Isaiae XLIII. 25. similis Speculo est, et vulgato dissimilis. Sed iam hanc comparationem non prosequar, primo quidem quia multis temporis angustiis premor; deinde quia vix spero, rem mihi ex sententia successuram. Nam cum Augustini sermones in ecclesiis passim legerentur, et ab innumeris per saecula manibus scriberentur, biblicae quidem in illis auctoritates passim ad vulgatam recentioremque lectionem accommodatae fuerunt, propter populi usum, et propter copiam vulgati textus obviam et quotidianam, veteris autem gliscentem quotidie raritatem. Verumtamen, ut semel iterumque dixi, nullam ego mordicus opinionem, circa Speculi huius naturam, defendendam suscepi.

Speculi sessoriani praestantia.

XII. Ceterum quia multa de huius operis codicisque praestantia praedicari queunt, verba potius aliena quam mea referam, id est saepe laudati Cardinalis Besutii, qui in sua ms. notitia iudicium huiusmodi profert. « Maximi pretii codex est; quamvis enim in eodem » fragmenta tantum veteris Italae habeantur, in maximo tamen numero sunt, et pre- » tiosissima de cetero a nobis habenda, maximoque cum gustu legenda. Istis enim illud » Ciceronis de amicitia recte accommodatur: veterrima quaeque, ut ea vina quae vetusta- » tem ferunt, esse debent suavissima. Quod si antiquarii iacentes quasque ac sepultas pro- » fanae vetustatis reliquias, quamquam in fragmenta divulsas, continuo pro thesauris ha- » bent; iidemque veterum auctorum, qui perierunt, fragmenta tamquam gemmas rariores » inquirunt et colligunt; quid nobis ecclesiasticis faciendum est de fragmentis illius versionis » a qua in occidente saeculi philosophia devicta fuit, et Cyprianus, Arnobius, Augustinus, » famosissimi rhetores, Christo subacti, et idololatria demum prostrata; pro cuius doctrinae » defensione tot sanguinem martyres profudere? Et hoc, quamvis ipsa non careat mendis » grammaticalibus, barbariem verborum quandoque prae se ferat, et mire simplex absque » ullo orationis lenocinio appareat (ob quae Augustino adulescenti, ut ipse lib. I. 6. Con- » fess. testatur, non placebat) in quo magis dextera omnipotentis Dei in christiana religione » propaganda relucet. Istorum autem fragmentorum pretium auget, quod primigeniorum » exemplarium, ex quibus Italae versionis, sive ea ab apostolo aliquo sive ab apostolicis » viris proveniat, reliquias et quidem numero plurimas conservant et exhibent. De quibus » etiam Millius inter heterodoxos vir doctus scribebat praef. in N. T. « Summo nos obsequio » veneramur veterem Italam; utpote expressam a primigeniis illis exemplaribus, quorum » vel minima auro contra aestimamus. Omitto eorumdem utilitatem ob litteralem Scripturae » sensum hauriendum: etenim varias lectiones legere, idem mihi semper visum est, ac tres » vel quatuor alicuius linguae peritos de sensu verborum eiusdem linguae disserentes audire. » Ceteroqui adelocutionis ruditatem quod adtinet, pronum creditu est veterem interpretem graece magis calluisse quam latine; veluti Aquilam et Symmachum hebraicae magis quam graecae linguae peritos fuisse iudicaverim.

Aliae laudes huius Speculi.

XIII. Pergit Besutius alias singillatim Speculi laudes dicere, nempe 1. Quod in eo reperitur famigeratus locus epistolae primae cap. V. 7. Iohannis de tribus in caelo testimoniis 1). Hunc scilicet versiculum in Itala vetere constat extitisse; ideoque in graecis exemplaribus, unde fidelissime Itala expressa fuit, non defuisse, peremptorio argumento conficitur; ita ut graecorum qui supersunt codicum hac in re hiatus valde coarguatur. 2. Quod ibi evangelistae hoc ordine scribuntur, Matthaeus, Iohannes, Lucas, Marcus, quem ipsum fuisse in vetere Itala ordinem, plures iam critici admonuerunt. 3. Quod Matthaei cap. XX. habetur additamentum (in nostra editione cap. 34. et 76.) quamquam ex parallelo Lucae cap. XIV. sumptum; quod in antiquissimis aliis codicibus observatum Calmetus adnotat (et nos ipsi in claromontano, nunc vaticano, antiquissimo invenimus, edidimusque Script. vet. T. III. part. 2. p. 275.) Quin etiam apostolicarum epistolarum diversus a vulgato ordo est. Praeter dicta a Besutio Speculi merita, adde quod deuterocanonici etiam libri, Tobiae scilicet, cuius etiam diversa ab editis translatio est (p. 275.), Iudithae, Estheris capitulum decimum (quamvis corrupto vocabulo Hesdrae pro Esther p. 108.), Baruch, trium puerorum canticum, Sapientiae, Ecclesiastici, libri I. et II. Machabaeorum. Item psalmi trigesimi tertii versiculi tres tralaticii p. 64, et alius p. 84. Quamobrem canon divinorum librorum, quo usa est ecclesiastica latina, rursus hinc belle confirmatur. Denique etiam non canonica epistola ad Lao-

1) Nos quoque, post alios theologos de hoc dogmatico textu diatribam scripsimus infra p. 6-7. Postea in lectionibus nostris operum Augustini alia eiusdem auctoritas nobis occurrebat, haud scio an ab aliis observata. Nempe Augustinus tract. XXXVI. 10. in Ioh. scribit. *Vis habere bonam causam? Habeto duos vel tres testes, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum.* Ego certe, quin Augustinus celebrem Iohannis epistolae locum respiciat, dubitare nequeo. Ubi sunt igitur, qui ignoratum ab Augustino hoc apud Iohannem testimonium concludunt, quia ipse in in sermonibus super illam epistolam de eo non commentatur?

dicenses. p. 62., Ceteroqui et libri aliquot canonici in Speculo non citantur, quia argumentum ut puto non postulabat, id est Abdias, Ionas, Marci evangelium, epistolae ad Hebraeos et ad Philemonem, et tertia Iohannis. Codicis palaeographia horridior est, pro illius temporis conditione, quo prementibus Italiam barbaris, litteraturae venustas prorsus elangueral: itaque nulla fere alia aetate sunt codices gravioribus mendis obsessi. (Quamquam et ipse Cicero ep. ad Q. Fr. III. 5, et Gellius lib. VIII. 10. de codicum sui temporis mendositate graviter conquerebantur.) Et quidem eadem vocabula modo una modo altera palaeographiae ratione scribuntur: quae inconstantia in antiquis membranis sollemnis est. Rem tum in textu, tum in criticis scholiis nostris, lectores agnoscent. Notissimum vero est sancti Gregorii PP. dictum comm. in Iob cap. 5: « indignum vehementer existimo, ut verba caelestis oraculi restringam » sub regulis Donati. » Nemo itaque neroniani aevi puritatem, ac ne frontoniani quidem (intra quod temporis spatium translatio Itala collocanda est) sibi spondere volet. Quamquam plurima quoque vestigia rectae palaeographiae et archaismorum, vocabula antea incognita, syntaxeos novitates, pronunciationis priscae indicia, multaque alia huiusmodi in hoc libello non sine voluptate philologi invenient; quae nos alibi in edendis sacris profanisve palimpsestis animadvertimus, concinnatosque talium locutionum indiculos lexicographis et grammaticis non semel obtulimus. Prorsus nulla fere saporis antiqui species in hac Speculi scriptura desideratur.

Speculi editio nostra.

XIV. Et iam fidem nostram liberasse credimus, qui in Spic. rom. T. IX. (p. IV.) promisimus, hoc nos aliquando Speculi augustiniani negotium paulo accuratius tractaturos. Etenim aliquot ante annos talem tantumque codicem, post veteres Besutii curas adhuc ineditum, versare manu coepimus, favente humaniter tunc sacri asceterii praeside, praecipueque docto et benivolo bibliothecario P. Alberico Amatore, qui et exemplar codicis, mei causa, confecit et contulit. Tum etiam in Spicilegii rom. praedicto tomo variata forma magnam partem edidimus, non per titulos scilicet, sed revocatis singulis ad suorum librorum sedes improbo labore versiculis; ut legentibus demonstraremus, quid quantumve ex unoquoque sacrae Scripturae libro in hoc opere laudaretur; qui labor noster atque sedulitas, post praesentem etiam naturalem et integram operis editionem, utilis comperietur. Nunc vero saltem index singulorum ex singulis libris versiculorum necessarius foret, quem meae occupationes vix ferunt, et studiosi potius Germani curabunt. Attamen nostra illa prior editio valde imperfecta fuit; primo quia veteris testamenti libros illos omisimus (selectis tantum contenti lectionibus) ubi textus vulgatus parum a vetere dissidebat, quem Hieronymus non refecerat, sed tantum correxerat, puta psalmos, Sapientiam, et Ecclesiasticum. Item partium novi foederis eandem ob causam nonnisi specimina tunc libro inseruimus. Atqui pretiosius hoc Speculi opus est, quam ut tam perfunctoria nec integra editione donaretur. Igitur retractato novis curis diligentissime codice, totum opus, quale prorsus ibi est, prelo nunc reficiendum subiecimus; cuius laudes vel uno testimonio commentarii veteris in ep. ad Rom. sancto Ambrosio inscripti, confirmari concludique videntur his verbis ed. Maur. T. II. col. 56. « Constat olim quosdam latinos de veteribus graecis translatos codicibus, quos incorruptos » simplicitas temporum servavit et probat etc. Nam et hodie quae in latinis reprehenduntur » codicibus, sic inveniuntur a veteribus posita Tertulliano, Victorino, et Cypriano.» (Item nunc ab Augustino). Et Victorinus quidem quantopere Italam veterem augeat, demonstrant eius commentarii a nobis editi Script. vet. T. III. Cypriani vero biblicis lectionibus quanta accessio fieri possit ex eius testimoniis cum Augustino in sessoriano codice pariter scriptis, dicemus infra p. 118. Denique laudatissimi Besutii verbis praefatiunculam hanc concludam. « Utinam hic libellus (id est Speculum) in omnium manibus esset! Ex ipso enim Dei » verbo, quod maiorem longe humano efficaciam habet, omnia humanae vitae officia, » sive publica sive privata, breviter ediscuntur. » Gratum itaque habeant Romani, vel potius Itali, latinum hunc divinorum librorum vetustissimum contextum, quo primitus ipsorum maiores a viris apostolicis christiana fide imbuti fuerunt.

SANCTI AURELII AUGUSTINI

EPISCOPI HIPPONENSIS

S P E C U L U M 1)

EX CODICE ANTIQUISSIMO.

EST AUTEM HOC SACRORUM BIBLIORUM
ITALAE VETERIS TRANSLATIONIS EXIMIUM MONUMENTUM.

CAPITULUM I.

DE UNO DEO.

In Deuteronomio. *a*) Audi, Israhel, dominus Deus tuus, Deus unus est. Et di- Deut. VI. 4.
liges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota 5.
virtute tua. Item illic. Dominus solus docebat *b*) eos, et non erat cum eis Deus XXXII. 12.
alienus. Item in evangelio secundum Matthaeum *c*). Nemo bonus, nisi unus Deus. Matth. XIX. 17.
Item Apostolus ad Romanos. O altitudo divitiarum, et sapientiae et scientiae Dei! Rom. XI. 33.
quam inscrutabilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! Quis enim cogno- 34.
vit sensum Domini? aut quis illi consiliarius fuit? aut quis prior dedit ei, et red- 35.
detur illi? Quoniam omnia ex ipso, et per ipsum, et in ipsum omnia. Ipsi gloria 36.
in saecula. Item ad Corinthios. Scimus quia nihil est idolum, et quia nemo Deus I. Cor. VIII. 4.
nisi unus. Item ad Galatas *d*). Quid ergo est lex? Factorum *e*) gratia posita est, Gal. III. 19.
donec veniret semen, cui se *f*) promiserat Deus, dispositum per angelos in manu 20.
mediatoris. Mediator autem unius non est; Deus autem unus est. Item ad Timo- I. Tim. II. 6.
theum. Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum, | homo Christus Ie- 6.
sus, qui dedit se ipsum redemptionem pro omnibus.

a) In codice semper divisim *deutero nomio*. — *b*) Ita cod. Sed scribendum fuit *ducebat*. — *c*) In codice ubique sine diphthongo. — *d*) Cod. plerumque *Galathas*. — *e*) In cod. interpungitur post *factorum*. — *f*) Ita cod. *se*. Videtur autem scribendum *repromiserat*.

1) Codicis antiquissimi, unde hoc Speculum sumpsimus, extat specimen a nobis aere cusum, quod ad paginam Speculi nostram 6. pertinet, ubi etiam famigeratus legitur locus S. Iohannis de triplici testimonio caelesti. Iam vero de Itala vetere eiusque meritis, et apud omnes eruditos desiderio, disseruimus nos olim in Spicilegio rom. T. IX. part. 2. Sufficit tamen illius laudibus testimonium sancti Augustini, qui cum multam ipsius partem in scriptis suis, et praesertim in Speculo, conservavit, tum hoc etiam insigni praeconio eamdem decoravit, de doctr. christ. lib. II. cap. 15. *In ipsis interpretationibus* ITALA CETERIS PRAEFERATUR; *nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae.*

Porro deest in codice sessoriano ante operis initium praefatio; sed nihil vetaret quominus praeponeretur (si forte sic alicui placeret) ipsa illa praefatio, quae ante Speculum editum legitur, detracta tantum paucorum verborum clausula (quae certe apud Eugyppium deest) ubi ait auctor: *ab ipsa igitur lege, quae data est per Moysen, divinorum praeceptorum, qualia nos commemoraturos esse promisimus, aggrediamur exordium.* His nimirum verbis institutum suum prodit auctor ponendi ordinatim testimonia primum ex vetere testamento, et deinde ex novo; ut fit reapse in Speculo edito; sed contra in nostro mixtio utriusque testamenti fit; haec inquam clausula, si forte olim adsuta fuit, et Speculo edito accommodata, non immerito abiiceretur. Nos tamen tali in re iudices omnino esse renuimus.

CAPITULUM II.

DE DISTINCTIONE PERSONARUM PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI.

Gen. I. 6. In Genesi. Et dixit Deus: fiat firmamentum in medio aquae, et sit dividens in-
7. ter aquam et aquam. Et factum est sic. Et fecit Deus firmamentum. Item illic.
26. 27. Et dixit Deus: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et fecit
Gen. IX. 6. Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum. Item illic. Qui effunderit *a*) sangui-
nem hominis, pro sanguine illius fundetur anima hominis illius, quia *b*) ad ima-
XVI. 8. ginem Dei fecit hominem. Item illic. Et dixit ei angelus Domini: Agar ancilla
Sarrae, unde venis? et quo vadis? Et dixit: a facie *c*) dominae meae Sarrae ego
9. recedo. Dixit autem ei angelus Domini: revertere ad dominam tuam, et humilia te
10. sub manibus eius. Et dixit ei angelus Domini: replens replebo semen tuum, et non
numerabitur a *d*) multitudine, quia exaudivit Dominus humilitatem tuam. Et vocavit
XIX. 23. nomen Dei, qui ad eam loquebatur: tu, Deus, qui respexisti me. Item illic. Et ut
24. sol ortus est super terram, et Loth intravit in Segor, Dominus plovit *e*) super Sodo-
XXXI. 11. mam et Gomorram sulfur et ignem de caelo a Domino. Item illic. Et dixit mihi
12. angelus Domini in somnis: Iacob. Et ego dixi: quid est? Et dixit: vidi quanta tibi
13. Laban fecerit: ego sum Deus, qui visus sum tibi in loco Dei, ubi unxisti mihi la-
XXII. 11. pidem, et vovisti mihi ibi votum. Item illic. Et vocavit Abraham angelus Domini
12. de caelo, et dixit: Abraham, Abraham. Et ille dixit: ecce ego. Et dixit illi: ne
inicias manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam: nunc enim cognovi,
quia times Dominum, et non pepercisti filio tuo dilectissmo propter | me. Item
XXXII. 24. illic. Et luctatus est angelus cum Iacob usque in mane. Et vidit, quia non potest
25. adversus eum: et tetigit latitudinem femoris *f*) eius, et obstipuit *g*) latitudo femoris
26. Iacob, cum luctaretur cum eo. Et dixit ei: dimitte *h*) me; ascendit enim oriens. Et
27. Iacob dixit: non te dimitto, nisi me benedixeris. Dixit autem ei: quod nomen est
28. tibi? Et ille dixit: Iacob. Dixit autem ei: non vocabitur nomen tuum Iacob, sed
Israhel *i*) erit nomen tuum, quia convaluisti cum Deo, et cum hominibus potens
29. factus eris. Interrogavit eum Iacob, et dixit: indica mihi nomen tuum. Et ille di-
xit: ut quid interrogas nomen meum? et ipsud *k*) est mirabile. Et benedixit eum
30. ibi. Et vocavit Iacob nomen loci illius visio Dei. Vidi enim Deum facie ad fa-
XXXV. 1. ciem, et salva facta est anima mea. Item illic. Dixit autem Deus ad Iacob: surge,
et ascende in locum Bethel, et habita ibi, et fac ibi altarem *l*) Deo, qui visus
Num. XXIII. 21. est tibi cum recederes a facie Esau fratris tui. Item in Numeris. Non erit labor
in Iacob, neque videbitur dolor in Israhel. Dominus Deus eius cum eo est, et illud
Iud. VI. 24. praeclarum principium *m*) cum ipso. Item in libro Iudicum. Factum est autem cum
25. adhuc esset Gedeon in Gufera *n*) patris sui, filii Hesdri, locutus est illi in nocte *o*)
illa Dominus dicens: sume duos vitulos, unum pastum patris tui, et alium septem
annorum, et vade, everte aram Bahal quam aedificavit pater tuus, et lucum qui
26. est super ipsam excide, et aedificabis altarium *p*) domino Deo tuo, qui visus est
XIII. 17. tibi in vertice *q*) Maoch, in ordinationem. Item illic. Et dixit Manoe, ad angelum

a) Ita cod. — *b*) Cod. *qui* propter sequentem *a*. — *c*) In cod. prope constanter *faciae*. — *d*) Hebraismus significans *prae*. — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. heic et postea *faemoris*. — *g*) Ita cod. — *h*) In cod. modo *dem*, modo *dim*. — *i*) Cod. *Istrahel*, et quidem saepe, sed non semper. — *k*) Ita cod. — *l*) Ita cod. — *m*) Graecus textus vatic. τὰ ἔνδοξα ἀρχόντων ἐν αὐτῷ. — *n*) Ita evidenter cod. — *o*) Cod. *noctu*. — *p*) Ita cod. — *q*) Cod. *verticem*.

F. 9. Domini: quod tibi | nomen est? ut cum venerit verbum tuum, honorificemus te.
Et dixit illi angelus Domini: quare interrogas nomen meum? et illud est mirabile.
Item in psalmo ·XXXII· Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis Ps. XXXII. 6
virtus eorum. Item illic. Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata V. 9.
sunt. Item in psalmo ·XLIIII· Sedis *a*) tua Deus in saeculum saeculi: virga recta est, P. XLIV. 7.
virga regni tui. Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem: propterea unexit *b*) te Deus 8.
Deus tuus oleum *c*) laetitiae prae consortibus tuis. Item in psalmo ·CVIIII· Dixit Domi- Ps. CIX. 1.
nus Domino meo: sede ad dexteram meam: donec ponam inimicos tuos scabillum *d*)
pedum tuorum. Item in Proverbiis Salomonis. Dominus creavit me initio viarum Prov. VIII. 22.
suarum in opera sua, et ante saeculum fundavit me: initio ante quam terram face- 23.
ret, et ante quam abyssos constitueret, prius quam produceret fontes aquarum, 24.
prius quam montes statuerentur, ante omnes colles genuit me Dominus. Fecit re- 25. 26.
giones et deserta et cacumina quae habitantur sub caelo. Cum praepararet caelum, 27.
cum illo eram; et cum segregabat sedem suam; quando super ventos fortes *e*) facie- 28.
bat in summo nubis; et cum stabiles fontes poneret sub caelo; et cum firmissima 29. 30.
faceret *f*) fundamenta terrae; eram apud illum conponens. Item illic. Quis tenet fines XXX. 4.
terrae? Quod nomen est ei? aut quod nomen fili *g*) eius? Item in libro Sapientiae. Sap. VII. 26.
Candor est enim lucis aeternae, et speculum sine macula maiestatis Dei, et imago |
F. 10. bonitatis illius: et cum sit una, omnia potest; et permanens in se, omnia innovat. 27.
Item illic. Deus parentum, et Domine misericordiae, qui facis omnia verbo tuo, et IX. 1.
sapientia tua constituisti hominem. Item illic. Et tecum sapientia quae novit opera IX. 2. 3.
tua, quae et adfuit tunc cum orbem terrarum faceres. Item illic. Haec illum, qui X. 1.
primus finctus *h*) est, patrem orbis terrarum, cum solus esset creatus custodivit, et 2.
eduxit illum de limo terrae, et dedit illi virtutem continendi *i*) omnia. Item in Ec- Eccli. XXIV. 5.
clesiastico. Ego ex ore Altissimi exivi, primogenita ante omnem creaturam: ego in
caelis feci ut oriretur lumen indeficiens. Item in Esaia propheta *k*) Accedite *l*) ad me, Es. XLVIII. 16.
et audite *m*) haec: non in occulto ab initio *n*) locutus sum, nec in loco terrae tene-
broso. Cum fierent, illic eram. Et nunc Dominus misit me et Spiritus eius. Item in
Osee *o*) propheta Filios autem Iuda miserebor, et salvabo eos domino Deo ipso- Os. I. 7.
rum. Item in libro Zacchariae prophetae. In Sion fugite qui conmoramini filiam Zac. II. 7.
Babylonis. Quia haec dicit Dominus omnipotens: post honorem misit me super 8.
gentes, quae spoliaverunt vos: quia qui tangit vos, sicut qui tangit pupillam oculi
ipsius. Ecce ego iniciam manum meam super eos: et erunt in praedam his qui 9.
serviunt illis: et scient, quoniam Dominus omnipotens misit me. Item illic. Et dixit III. 2.
Dominus ad diabolum: imperet in te Dominus, qui elegit Hierusalem. Item illic. X. 12.
Et confirmabat eos in domino Deo ipsorum, et in nomine eius gloriabuntur, dicit
F. 11. Dominus. Item in Malachihel | propheta. Et subito venit in templo *p*) suo Dominus Malach III. 1.
quem vos quaeritis, et angelus testamenti quem vos vultis. Item in evangelio *q*) se-
cundum Matthaeum. Respondens Simon Petrus dixit: tu es Christus filius Dei vivi. Matth. XVI. 16.
Item illic. Ecce vox de nube audita est dicens: hic est filius meus dilectus, qui XVII. 5.
mihi placuit, ipsum audite. Item illic. Quid nobis et tibi, fili Dei? venisti hic *r*) VIII. 29.

a) Ita passim in cod. — *b*) Ita cod. — *c*) Ita cod. ut gr. ἔλαιον. — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *facere et*. — *g*) Ita cod. *i* pro *ii* heic et saepe alibi. — *h*) Ita cod. — *i*) Cod. *continenti*. — *k*) Cod. plerumque *profeta*, et *profetare*; haud ubique tamen. — *l*) Cod. 1. manu *acceditae*. — *m*) Cod. *auditae*, et antea *Aesaia*; nihil est enim in hoc codice perversius quam ratio diphthongorum. Itaque his mendis inutiliter adnumerandis plerumque supersedebo. — *n*) Cod. pro *ab initio* habet *habito*. Sed et gr. ἐν κρυφῇ, ἀπ' ἀρχῆς, et recte cap. III. *ab initio*. — *o*) Cod. *Oree*; alibi *Oseae* vel *Osseae*. — *p*) Ita cod. — *q*) Cod. constanter cum duplici *v*. *evv*. Sed cum unica *evangelizare*. — *r*) Ita cod.

XI. 27. ante tempus torquere nos. Item illic. Omnia mihi tradita sunt a patre meo. Et
nemo novit filium nisi pater: neque patrem quis novit nisi filius, et cui volue-
XXVIII. 19. rit filius revelare. Item illic. Ite nunc, docete omnes gentes, baptizantes eos in
Ioh. I. 1. nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Item secundum Iohannem. In principio erat
2. Verbum, et Verbum erat aput *a*) Deum, et Deus erat Verbum? Hoc erat in principio
3. aput Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Item illic.
III. 16. Ita enim dilexit Deus hunc mundum, ut unicum filium suum traderet pro illo: ut
17. omnis qui credit in eo, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit
Deus filium suum in hunc mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus
18. per ipsum. Qui enim credit in eum, non iudicatur: qui vero non credit in ipsum,
Ioh. X. 37. iam iudicatus est; quia non credidit in nomine unigeniti fili Dei. Item illic. Si
38. non facio opera patris, nolite mihi credere. Quod etsi *b*) facio, et mihi non vultis
credere, vel operibus credite, quia ego in patre, et pater in me. Ego enim et pa-
V. 17. ter, unum sumus. Item illic. Pater meus usque nunc operatur, et ego operor. Pro-
18. pter hoc magis quaerebant eum Iudaei occidere: quia non solum quod solvebat
sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. Item illic.
V. 22. Neque enim pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Ut omnes
23. honorificent | filium, sicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium, non ho- F. 12.
XIV. 5. norificat patrem qui misit illum. Item illic. Dixit ei Thomas: Domine, non scimus
6. quo eas, et quomodo viam novimus? Ait illi Iesus: ego sum via et veritas et vita;
7. nemo venit ad patrem, nisi per me. Si cognovistis me, et patrem meum cognovi-
8. stis, et amodo nostis eum, et videtis eum. Ait illi Philippus: Domine, ostende
XVII. 3. nobis patrem, et sufficit nobis. Dixit ei Iesus: cognoscant te solum verum Deum,
4. et quem misisti Iesum Christum. Ego te clarificavi super terram, opus perfeci quod
5. dedisti mihi ut facerem. Et nunc clarifica [me aput] te claritate *c*) quam habui aput te,
XX. 28. prius quam mundus esset. Item illic. Respondit Thomas et dixit: Dominus meus,
29. et Deus meus! Ait illi Iesus: quia vidisti *d*), credidisti; beati qui non viderunt et
v. 31. crediderunt! Item illic. Haec autem scribta sunt, ut credatis quia Iesus Christus,
Luc. I. 35. filius est Dei; ut credentes, vitam habeatis in nomine eius. Item secundum Lucam.
Angelus ad Mariam: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obum-
Act. bravit *e*) te. Propter quod et qui ex te nascetur sanctus, vocabitur filius Dei. Item in
VII. 55. Actibus apostolorum. Stephanus vero cum esset plenus Spiritu sancto, intendit in
caelum, et vidit gloriam Dei, et Iesum stantem ad dexteram Dei. Et dixit: ecce
VIII. 37. video caelos apertos, et filium hominis stantem ad dexteram Dei. Item illic. Et re-
IX. 20. spondens spado ait: credo filium Dei esse Christum Iesum. Item illic. Et ingressus
Paulus statim in synagoga *f*) Iudaeorum praedicabat eis cum confidentia dominum
X. 36. Iesum, dicens quoniam hic est Christus filius Dei vivi. Item illic. Verbum enim
suum misit filiis Israhel *g*), adnuntians pacem per Iesum Christum. Hic est Dominus
XVII. 31 omnium. Item illic. Quibus praedicabat Paulus dicens: hic est Iesus Christus filius
Rom. VIII. 31. Dei vivi, per quem iudicabitur omnis orbis terrarum. Item ad Romanos. Si Deus
32. pro nobis, quis adversum nos? Si Deus filio suo proprio non pepercit, sed pro
nobis illum tradidit omnibus *h*), quomodo non etiam | omnia nobis cum illo donavit? F. 13.
IX 5. Item illic. Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super

a) Ita cod. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *a claritate*, et quidem bis. — *d*) Cod. *quia udisti*, vel *qui audisti*. — *e*) Ita cod. *v*. pro *b*, mendose, vel ex idiotismo, ut saepe alibi in similibus; nec non vice versa. — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *Istrahel*, ut non semel alibi. — *h*) Ita cod. cum metathesi.

omnia Deus benedictus in saecula. Item ad Corinthios. Nos autem praedicamus I. Cor. I. 23
Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis 24.
autem vocatis Iudaeis et Graecis Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. Item illic.
Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio *a*), quae in abscondito est, quam praede- II. 7.
stinavit Deus ante saecula in gloriam nostram: quam nemo principum huius saeculi 8.
cognovit. Si enim cognovissent, numquam dominum maiestatis crucifixissent. Item
illic. Propter quod notum vobis facio quia nemo in Spiritu Dei dicit: anathema XII. 3.
Iesu. Et nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Divisiones au- 4.
tem donationum sunt, idem vero Spiritus: et divisiones ministeriorum sunt, idem I. Cor. XII.
vero Dominus: et divisiones operationum sunt, sed idem Dominus qui operatur 6.
omnia in omnibus. Item illic. De escis ergo sacrificatorum, scimus quia nihil est VIII. 4.
idolum, et quia nemo Deus nisi unus. Nam etsi sunt qui dicantur dii sive in caelo 5.
sive in terra; nobis tamen unus est Deus pater, ex quo omnia nobis, et nos in 6.
ipsum: et unus dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Item
ad Corinthios ·II· Gratia vobis et misericordia et pax a Deo patre nostro et domino II. Cor. I. 2
nostro Iesu Christo. Item illic. Benedictus Deus domini nostri Iesu Christi, pater 3.
gloriae. Item illic. Qui autem confirmat nos vobiscum Christus dominus, et qui 21.
uncxit nos Deus, et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. 22.
Item illic. Quod si etiam opertum est evangelium nostrum, in his quae pereunt; IV. 3.
in quibus Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis inlu- 4.
minatio evangelii gloriae Christi, qui est imago invisibilis Dei. Item illic. Gratia XIII. 13
domini nostri Iesu Christi, et dilectio Dei, et societas sancti Spiritus, cum omnibus
vobis *b*). Item ad Galatas. Postquam venit plenitudo temporum, misit Deus fi- Gal. IV. 4.
F. 14. lium suum, | natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redi- 5.
meret. Item illic. Quoniam autem estis fili *c*) Dei, misit Deus Spiritum fili sui in corda 6.
nostra clamantem: abba, pater. Item ad Philippenses *d*). Hoc enim sentite in vobis, Philip. II. 5.
quod in Christo Iesu, qui cum esset in forma Dei, non rapinam *e*) arbitratus est esse 6.
se aequalem Deo; sed semet ipsum exinanivit formam *f*) servi accipiens, in simili- 7.
tudine *g*) hominum constitutus, et specie *h*) inventus ut homo. Humiliavit se ipsum, 8.
obaudiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum su- 9.
perexaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu 10.
omne genu flectatur caelestium et terrestrium et infernorum: et omnis lingua con- 11.
fitetur *i*), quoniam dominus Iesus in gloria Dei patris *k*) est. Item ad Ephesios *l*) Ephes. IV. 5
Unus Deus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium, qui super om- 6.
nes, et per omnes *m*), et in omnibus nobis. Item ad Colossenses. Gratias agentes Colos. I. 12
Deo patri, qui vocavit nos in partem hereditatis sanctorum in lumine: qui eripuit 13.
nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum fili claritatis suae, in quo ha- 14.
bemus redemptionem remissionis peccatorum: qui est imago Dei invisibilis primo- 15. 16.
genitus omnis creaturae: quia in ipso creata sunt omnia. Item ad Timotheum ·I· Unus I. Tim. II. 5.
enim Deus, et unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit se ip- 6.
sum redemptionem pro omnibus. Item Iohannis *n*) apostolus in epistula *o*) ·I· Adnun- Ioh ep. I. I. 2.

a) Cod. *misterio*. Namque *y* raro in cod. scribitur. — *b*) Heic manu multo recentiore additur *amen*. — *c*) Ita et mox. Sic etiam in cod. Ciceronis de rep. *Tulli* pro *Tullii* etc. — *d*) Cod. *Filipenses*, alibi *Filippenses*. — *e*) Cod. *rapina*. Gr. ἁρπαγμόν. — *f*) Cod. *forma*. — *g*) Ita cod. Et quidem etiam gr. ἐν ὁμοιώματι. — *h*) Cod. heic et alibi mendose *speciae*. — *i*) Ita cod. — *k*) Cod. mendose *partis*. — *l*) Cod. saepe ad *Efesios* vel *Aefesios*. — *m*) Cod. *pro omnes* Gr. διὰ πάντων. — *n*) Ita scribi solet in cod. — *o*) Ita recte cod. cum *u*. Alibi autem cum paulo recentioribus saepius *epistola*, per *o*. Nihil dico de frequenti mendo *aep*. pro *ep*.

tiamus vobis vitam aeternam, quae erat aput patrem, et manifesta *a*) est nobis. Item
3. illic. Ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit aput patrem, et
II. 23. cum filio eius Iesu Christo. Item illic. Omnis qui negat filium, nec patrem habet:
IV. 9. qui autem confitetur filium, et filium et patrem habet. Item illic. | Ex hoc manife- F. 15.
stata est caritas Domini in vobis, quod filium suum unicum misit in hunc mundum,
15. ut vivamus per ipsum. Item illic. Omnis qui credit quia Iesus Christus ex Deo na-
V. 2. tus, Deus in ipso est, et ipse in Deo. Et omnis qui diligit genitorem, diligit eum
8. qui ex Deo natus est. Item illic. Quoniam tres sunt qui testimonium dicunt in terra
7. spiritus aqua et sanguis: et hii tres, unum sunt in Christo Iesu *b*). ET TRES SUNT QUI
TESTIMONIUM DICUNT IN CAELO PATER, VERBUM. ET SPIRITUS: ET HII TRES, UNUM SUNT 1).

a) Ita cod. — *b*) Haec verba *in Christo Iesu* recitantur perverse post testimonium caeleste, in prisco dialogo codicis veronensis, de quo dicam infra: re quippe vera ad terrestre potius pertinent testimonium ut heic in Speculo fit.

1) In hoc augustiniani Speculi opere bis legimus praeclarum divi Iohannis I. Ep. V. 7. de SS. Trinitate testimonium, nempe hoc capitulo *de distinctione Personarum divinarum*, et sequente *de Spiritu sancto;* ita tamen ut in hoc priore inversus sit versiculorum 8. et 7. ordo, quod etiam in multis aliis lat. codicibus fieri adfirmant Sabaterius atque Bengelius, et ego ipse deprehendi in veteribus vat. palat. 287, et vat. ottobon. 417, nec non in cavensi, de quo mox: quamquam ordo vulgatae editionis longe communior est in codicibus v. gr. in reginae svecae vaticanis cod. 2. 3. 20. 23. 24; ottob. vat. 40, et vaticano vetere 4394. etc. In altero autem Speculi capitulo, nonnisi caeleste de tribus Personis testimonium, id est versiculus septimus, legitur, omisso octavo: quod singulari casu factum putarem, nisi adesset codex veronensis saeculi IX. apud RR. Canonicos, ut Vallarsius in opp. S. Hieron. T. X. p. 1079. narrat, in quo pariter mendose omittitur terrestre testimonium, sive octavus versiculus: quem defectum olim quoque observatum fuisse in codice quodam basileensi, apud Erasmum in eius ad hunc locum commentariis comperio. (Sed reapse utrumque versiculum inseparabili atque adamantino naturae nexu cohaerere, praeter infinitorum codicum auctoritatem, demonstrat Bengelius tum in apparatu critico p. 480, tum etiam in gnomone p. 1188.) Ergo sicuti similitudo finis, vel potius initii, simulque librariorum ἀβλεψία et ἀπροσεξία, fecit ut a codice veronensi et basileensi versiculus octavus excideret, sic par causa abstulisse videtur antiquitus a multis exemplaribus mss., praesertim graecis, etiam septimum; unde tanta lis criticorum, tantaque codicum discordia suborta est: quae tamen vel uno hoc argumento, non plane insolito, immo frequente, ὁμοιοτελεύτου et ἀπροσεξίας, inter bonos certe viros componi posse videtur. Et quidem in hoc ipso Speculi codice eius generis alia menda interdum occurrunt. Sane aliquot versuum vel particularum omissio in aliis quoque sacrorum Bibliorum cuiusvis linguae codicibus non semel accidit, plerumque casu, interdum etiam exscribentium proposito. Quippe et Ciceronis nonnullae orationes aut tractatus, vel aliorum auctorum libri, eodem in verbo locoque apud omnes codices hiant. Cur? quia vetere codice semel vitiato aut trunco, cuncta deinceps exemplaria ex eo corrupto fonte imperfecta fluxerunt.

Interim laetandum nobis magnopere est, quod non in vulgata solum authentica editione, verum etiam in itala vetere translatione (unde totum Speculum sumptum esse constat) pretiosissimum hunc de tribus SS. Trinitatis personis versiculum septimum extitisse nunc clare cognoscimus; secus ac olim iudicaverat fallaci coniectura fretus Iohannes Millius (magnus ceteroqui testimonii huius propugnator) qui in prolixo huic auctoritati subiecto scholio, ed. N. T. p. 583. col. 1., p. 584. col. 1. et denique p. 585. col. 2. scriptum reliquit, opinari se hunc versiculum septimum in itala quoque vetere fuisse desideratum. Sed enim, ut inquit Cicero, opinionum commenta delet dies, naturae (id est veritatis) iudicia confirmat. En quippe in opere, quod Augustino non solum quincuplex (ut diximus pag. 1. adn. 1) vetustissimi codicis inscriptio, sed etiam doctissimus Cassiodorus, ab Augustino minus uno saeculo distans, eidem tamquam auctori, splendido suo testimonio vindicat; hoc praenobile lemma bis legitur: nosque adeo hos duos versiculos cum pagina integra codicis sessoriani aere excusa repraesentavimus, ubi priscis grandibusque litteris prostant haud sane in margine positi, neque manu diversa aut recentiore additi, neque ulla re molesta sollicitati. Porro ipse Cassiodorus in illorum numero est, qui Iohannis hanc pericopam agnoscebat. Etenim in complexionibus, quas ex codice veronensi Scipio Maffeius edidit, sic diserte ad Iohannis locum scribit: *testificantur in terra tria mysteria, aqua, sanguis, et spiritus*,

Item illic. Qui credet *a*) in filio Dei, habet testimonium eius in semet ipso : qui au- I. Ioh. V. 10
tem non credet Iesu Christo, mendacem facit Deum, quia non credit testimonio quod
testificatus est de filio suo. Item illic. Et scimus quia filius Dei venit, et carnem in- 20.
duit, nostri causa, et passus est, et resurrexit a mortuis; adsumpsit nos, et dedit
nobis sensum ut cognosceremus eum qui verus est, et simus in vero *b*) filio eius

a) Ita cod. — *b*) Cod. *verbo*. Sed et gr. ἐν τῷ ἀληθινῷ, ut vulgatus lat.

quae in passione Domini leguntur impleta: in caelo autem Pater et Filius et Spiritus sanctus; et hi tres unus est Deus. Vides obiter Cassiodorum quoque inversos hos versiculos legere, ceu sunt in Speculo augustiniano, aliisque codicibus aliquot, prout diximus. Monasterii quoque Cavensis prope Salernum codex saeculi VII. vel VIII. (cuius apographum curis nostris dudum in bibliothecam vaticanam transiit) utrumque habet versiculum; de quo nos codice olim Script. vet. T. III. part. 2. p. 165. et 166, nuperius autem in praef. ad volumen IX. Spicilegii romani verba fecimus; quo in volumine edidimus etiam ex eodem codice sumptos Priscilliani antiquissimi haeretici paulinos canones, cum eiusdem prologo, nec non altero emendatorio cuiusdam episcopi Peregrini. In codice ergo Cavensi sic. *Quia tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, et aqua, et sanguis; et hii tres unum sunt in Christo Iesu. Et tres sunt qui testimonium dicunt in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus; et hii tres unum sunt.* Ibi vero in margine sic adnotatur: *audiat hoc Arrius et ceteri.*

Codices quidem latinos per Europam sparsos commemorare, qui caeleste hoc testimonium continent, supervacaneum est, quia iamdiu apud philologos sunt numerati. Opes autem multas vaticanae bibliothecae non est huius loci temporisve exponere, quamquam eas partim superius coeperam indicare. Praeterea in calce codicis vat. palat. valde veteris 78. illum quoque observavi prologum, Hieronymi olim falso creditum, sed certe priscum et utilem, ad catholicas epistolas, ubi hic nobilis Iohannis versiculus contra infideles translatores gravissimis verbis defenditur; qui prologus in editione veronensi Hieronymi T. X. p. 1057. legendus est. Romae item inspexi codicem in bibliotheca vallicelliana, quem Alcuini biblia appellant, veterem et insignem, ubi idem versiculus septimus in margine legitur, uti etiam in graeco borbonico neap. VII. apud Cl. Cyrillum in catalogo p. 22. Porro et graecus vat. ottob. 298. satis est notus, ubi duplici in laterculo graece latineque is versiculus extat. Denique antiquus Card. de Vio caietanus in commentario suo ad Iohannis epistolam ait versiculum 7. non in omnibus quidem, sed tamen in aliquibus codicibus graecis inveniri.

Iam vero quum et antiquissimi patres a Millio in praedicto scholio, a Bengelio in critico apparatu et in gnomone, a Sabaterio in adnotationibus ad Bibl. vers. et antiq., et a Calmeto in peculiari dissertatione (quatuor praecipuis et fortissimis versiculi defensoribus) sollemniter laudati, Tertullianus nimirum, Cyprianus, Victorinus afer, Fulgentius, Eugenius carthaginiensis cum 400. Africae episcopis, Vigilius tapsensis, Eucherius lugdunensis, Phoebadius aginnensis, Etherius uxamensis, auctor decretalium PP. Hygini et Iohannis II, concilium quartum lateranense etc., itemque plurimi latini ut diximus codices, ac nonnulli graeci seu libri seu codices, itemque armeniaci saltem duo vel tres, hanc versiculi septimi auctoritatem contineant; quum hunc inquam versiculum famigeratae retineant graecae editiones, complutensis, H. Stephani, Erasmi tertia, Frobenii, Hervagii, Ariae Montani, Waltoni in polyglottis, londinensis Danielis, κριτικώταται Millii et Wetstenii, et ipsa italica Iohannis Adeodati; quae omnia quamlibet codicum graecorum penuriam abunde compensant; magnopere ego doleo, quod eum versiculum celebres aliquot nostra aetate editores praetermittere non dubitaverint, et egregium contra Socinianos et antichristianos telum manu dimiserint. Ego certe adfirmanti sententiae plane subscribo: praesertim quum tridentinum concilium vulgatam editionem (quae hunc versiculum continet) cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia legi consueverunt, adprobaverit, sollemnique decreto firmaverit. En autem, Deo favente, novi quotidie auctoritatis huius testes excitantur. Namque et ille, ex nostro Speculo partim derivatus, libellus brevis testimoniorum divinae scripturae et patrum, quem ex priscis Canonicorum veronensium membranis Franc. Zacharias in suo itinere italico edidit, et deinde Faustinus Arevalus in S. Isidori tomo VII. p. 290. seqq. (qui de eodem in T. II. p. 27-31. docte disputat), habet pariter in secundo capitulo caeleste hoc Iohannis de divinis Personis testimonium. Praeterea in eodem codice dialogus quidam inter catholicum et haereticum fit, in quo item praedictus versiculus recitatur, ut ibi legit vir clarus et doctus Iosephus Brunatus, a quo plenior huius argumenti notitia ac tractatio petenda est.

Ioh. ep. II. 7. Iesu Christo. Hic est verus, et vita aeterna, et resurrectio nostra. Item in eiusdem ·II· Quoniam multi fallaces *a*) prodierunt in hunc mundum, qui non confitentur Iesum Christum dominum nostrum in carne venisse. Hii fallaces et antechristi *b*) sunt.

CAPITULUM III.

DE SPIRITU SANCTO, QUOD COOPERATOR SIT PATRIS ET FILI; ET QUOD UNIUS *c*) CUM PATRE ET FILIO SPIRITUS SUBSTANTIAE SIT ADQUE *d*) DEITATIS.

Gen. I. 2. In Genesi. Et Spiritus Dei superferebatur super aquam. Item in psalmo ·CXLII·
Ps. CXLII. 10. Doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus. Spiritus tuus bonus de-
Ps. XXXII. 6. ducet me in via recta *e*). Item in psalmo ·XXXII· Verbo Domini caeli firmati sunt,
Iob. XXXIII. 4. et Spiritu oris eius, omnis virtus eorum. Item in Iob. Spiritus divinus qui fecit
Es. XI. 1. me, et inspiratio *f*) omnipotentis quae docet me. Item in Esaia propheta. Et exiet
2. virga | de radice Iesse, et flos de radice ascendet, et requiescet in eo Spiritus F. 16.
3. Dei, Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et virtutis, Spiritus scien-
XLVIII. 16. tiae et pietatis. Replebit eum Spiritus timoris Dei. Item illic. Accedite ad me,
et audite haec: non in occulto ab initio locutus sum, nec in loco terrae tene-
broso. Cum fierent, illic eram. Et nunc Dominus misit me et Spiritus eius. Item
LXI. 1. illic. Spiritus Domini super me, propter quod unxit *g*) me, evangelizare pauperi-
LXIII. 10. bus misit me, sanare contritos corde. Item illic. Et inritaverunt Spiritum san-
11. ctum, et conversus est illis in inimicitiam Dominus. Item illic. Ubi est qui posuit
12. in illis Spiritum sanctum? qui eduxit de terra Moysen per bracchium *h*) honoris
Mich. II. 7. sui. Item in Michaea *i*) propheta. Domus Iacob inritavit Spiritum Domini. Item illic.
III. 8. Quia non erit qui obaudiat; si non ego implevero virtutem Spiritu meo sancto, et
iudicio, et potestate; ut renuntiem huic Iacob iniquitates, et huic Israhel peccata
Iohel. II. 28. sua. Item in Iohel *k*) propheta. Et erit post haec, effundam de Spiritu meo super
Agg. II. 6. omnem carnem, et prophetabunt filii et filiae eorum. Item in Aggaeo *l*) propheta.
Zac. VII. 7. Et Spiritus meus instat in medio vestrum. Item in Zaccharia propheta. Et verba
quae misit Dominus omnipotens per Spiritum suum in manibus prophetarum pri-
Ezech. XI. 24. stinorum. Item in Ezechihel *m*) propheta. Et adsumpsit me Spiritus, et adduxit me
II. 2. in terram Chaldaeorum in captivitate *n*), in visu Spiritus Dei. Item illic. Et venit
super me Spiritus Dei, et adsumpsit me, et elevavit me, et statuit me super pedes
3. meos, et audiebam eum loquentem ad me. Et ait ad me: fili hominis veni; mittam
te ego ad domum Israhel, qui me exasperant secundum dispectationem *o*) patrum
Dan. XIII. 45. suorum usque in hodiernum diem. Item in Danihelo *p*). Et cum duceretur | Susanna F. 17.
ad mortem, suscitavit Dominus Spiritum sanctum puero iuniori, cui nomen erat
V. 11. Danihel. Item illic. Est enim vir in regno tuo, in quo est Spiritus sanctus Dei. Item in
Matth. III. 16. evangelio secundum Matthaeum. Et cum baptizatus esset Iesus, ascendit confestim
de aqua: et ecce aperti sunt ei caeli, et vidit Spiritum discendentem *q*) sicut co-
X. 19. lumbam, et venientem in ipsum. Item illic. Cum ergo tradiderint vos, nolite solli-
20. citi esse quid loquamini: dabitur enim vobis in ipsa hora quid loquamini: non

a) Cod. heic *fallacis*, sed paulo post *fallaces*. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. mendose *unus*. — *d*) Cod. *adquae*. Porro *adque* pro *atque* passim in antiquis mss — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *inspirando*. — *g*) Ita heic cod. at alibi *uncxit*. — *h*) In cod. modo *bracch.* modo *brach.* — *i*) Cod. ubique *Michea*. — *k*) Cod. *Oel*. — *l*) Cod. *Aggeo*. — *m*) Cod. *Aezechiel*. Et quidem alibi quoque saepe vitiose. — *n*) Ita cod. — *o*) Ita cod. — *p*) Ita cod. et quidem cum h. At mox *Daniel*. — *q*) Ita cod. *discendentem*. Et quidem saepe *discendit*, nec raro tamen *descendit*.

enim vos estis qui *a*) loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Item
illic. Si autem ego in Spiritu Dei eicio daemonia *b*), utique *c*) adpropinquavit reg- Matth. XII. 28.
num Dei. Item illic. Ideo dico vobis: omne peccatum et blasphemiae *d*) remittentur v. 31.
hominibus: qui autem in Spiritum *e*) blasphemaverit, non remittetur illi. Quicum- 32.
que enim dixerit verbum adversus filium hominis, remittetur illi: qui autem di-
xerit adversus Spiritum sanctum, non remittetur illi neque in hoc saeculo neque in
futuro. Item secundum Iohannem. Respondit Iesus Nicodemo, et ait illi: amen dico Ioh. III. 5.
tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regno *f*)
caelorum. Quod enim natum est de carne, caro est; et quod natum est de spiritu, 6.
spiritus est, quia Deus Spiritus est. Noli mirari, quia dixi tibi, oportet vos iterum 7.
renasci. Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius [audis] sed nescis unde veniat et
quo eat. Sic est omnis *g*) qui nascitur ex aqua et Spiritu. Item illic. Si diligitis XIV. 15.
me, praecepta mea servate. Et ego rogabo patrem, et alium advocatum dabit vo- 16. 17.
bis, qui vobiscum sit in aeternum, Spiritum *h*) veritatis. Item illic. Haec locutus sum 25.
vobis aput vos manens. Advocatus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in no- 26.
mine meo, ille vos docebit omnia quaecumque dixero. Item illic. Cum venerit con- XV. 26.
solator, quem ego vobis mittam a patre meo, Spiritum veritatis qui a patre pro-
f. 18. cedit, ille testimonium dicet de me: | et vos testimonium dicetis de me, quoniam ab 27.
initio mecum estis. Item illic. Sed quia haec locutus sum vobis, tristitia replebitur *i*) XVI. 6.
cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, quia expedit vobis *k*) ego eam. Quod 7.
si non abiero *l*), advocatus non veniet ad vos. Si autem abiero, ego mittam illum
ad vos. Item illic. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis modo portare 12.
ea. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ipse disseret vobis omnem veritatem. 13.
Non enim loquitur a semet ipso, sed quae audierit loquetur *m*): futura adnuntia-
bit vobis. Ille me clarificavit *n*), quia de meo accipiet, et nuntiabit *o*) omnia. 14.
Quaecumque habet pater meus, mea sunt. Ideo dixi, quia de meo accipiet, et nun- 15.
tiabit vobis. Item secundum Lucam. Dixit autem Maria ad angelum: quomodo fiet Luc. I. 34.
istud, quia virum non cognovi? Respondens angelus dixit ei: Spiritus sanctus ve- 35.
niet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te. Propter quod et qui ex te nascitur *p*)
sanctus, vocabitur filius Dei. Item illic *q*). Euntes nunc, docete omnes gentes, bapti- Matth. XXVIII. 19.
zantes eos in nomine Patris et Filii *r*) et Spiritus sancti. Item ad Romanos. Quia caritas Rom. V. 5.
Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Item
illic. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in VIII. 9.
vobis. Si quis autem Spiritum *s*) Christi non habet, hic non est eius. Corpus quidem 10.
mortuum *t*) est propter peccatum, spiritus vero vita propter iustificationem. Quod si 11.
Spiritus eius, qui suscitavit Iesum de mortuis inhabitat in vobis, qui suscitavit Christum
de mortuis vivificavit *u*) et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum
eius in vobis. Item illic. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hii filii *x*) Dei sunt. 14.
Item illic. Non enim audeam aliquid dicere, quae non perficit Christus per me in ob- XV. 18.
auditionem gentium, verbo et opere et virtute eius, signis et virtute Spiritus sancti. 19.

a) Cod. *quid*. — *b*) Cod. *demonia*. — *c*) Cod. *utiquae*. Sed menda huiusmodi vix deinceps adnumerabo. — *d*) Cod. *blasf*. heic et mox, et alibi. Nempe *f* pro *ph*, ut persaepe in antiquis mss. — *e*) Cod. *Spiritu*. — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *omnibus* — *h*) Sic eadem manu emendatur in codice, ubi scriptum fuerat *Spiritus*. — *i*) Ita cod. — *k*) Ita cod. sine *ut* — *l*) Cod. heic *habiero*, sed mox recte *abiero*. — *m*) Cod. *loquaetur*. — *n*) Ita cod. *v*. pro *b*. — *o*) Cod. *nuntiabit dabit*. Sed *dabit* glossema videtur. — *p*) Ita cod. — *q*) Immo non ex Luca, sed ex Matthaeo. Menda huiusmodi alibi quoque interdum occurrent. — *r*) Cod. 1. m. *fili*, 2. *filii*. — *s*) Cod *Spiritus*. — *t*) cod. 1. m. *mortuus*; sed mox emendatum. — *u*) Ita cod. *v*. pro *b*. — *x*) Cod. 1. m. *fili*, 2. *filii*.

I. Cor. II. 10. Item ad Corinthios ·I· Nobis | enim revelat Deus per Spiritum suum: nam Spiritus om- F. 19.
11. nia scrutat, etiam alta Dei. Quis enim scit hominum quae sunt hominis, quae in
ipso sunt, nisi spiritus qui in ipso est? Ita et quae in Deo sunt, nemo cognovit
12. nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui
13. ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis. Quae etiam loquimur; non
quae docentur per humanae sapientiae verbum, sed quae docentur per Spiritum,
14. spiritalibus spiritalia conparantes. Animalis autem homo non percipit quae Spiritus
Dei sunt: stultitia est enim illi, et non potest scire quod spiritaliter interrogatur.
15. Qui autem spiritalis est, inquirit omnia; ipse autem a nemine iudicatur. Item illic.
XII. 3. Propter quod notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei dicit anathema Iesu; et
4. nemo potest dicere Christum dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Divisiones au-
5. tem donationum sunt, idem vero Spiritus. Et divisiones ministeriorum sunt, idem
6. vero Dominus. Et divisiones operationum sunt, sed idem Dominus qui operatur om-
7. nia in omnibus. Unicuique autem nostrum datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.
8. Alii autem datur per Spiritum sermo sapientiae: alii vero sermo scientiae, secundum
9. eundem Spiritum. Alii fides in eodem Spiritu: alii gratiae sanitatium *a*) in uno Spi-
10. ritu. Alii operatio virtutis, alii prophetatio, alii separatio spiritus, alii genera lin-
11. guarum, alii interpretationes *b*) linguarum *c*). Omnia autem haec operatur unus ad-
II. Cor. III. 17. que idem Spiritus, dividens unicuique prout vult. Idem *d*) ad Corinthios ·II· Nam
Philip. I. 19. Dominus Spiritus est. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Item ad Philippenses.
Scio enim quod hoc mihi proficiet in salutem per vestram orationem, et submi-
Gal. IV. 6. nistrationem Spiritus sancti Iesu Christi. Item ad Galatas. Quoniam autem fili *e*) estis
Dei, misit Deus Spiritum filii sui in corda nostra clamantem: abba, pater. Item Io-
I. Ioh. V. 6. hannis *f*) in epistula ·I· Spiritus est qui testimonium reddit; quia Spiritus est veri-
7. tas. Item illic. TRES SUNT QUI TESTIMONIUM DICUNT IN CAELO, PATER, VERBUM, ET SPI-
Act. VII. 51. RITUS, ET HII TRES UNUM SUNT *g*) Item in Actibus apostolorum *h*). Dura cervice et in-
X. 19. circumcisi corde, vos | semper Spiritui sancto restitistis. Item illic. Dixit autem mihi F. 20.
20. Spiritus sanctus ecce viri *i*) quaerunt *k*) te: sed surgens discende *l*), et vade cum eis,
XIII. 2. nihil dubitans *m*) quia ego misi eos. Item illic. Dixit Spiritus sanctus: segregate mihi
XV. 28. Barnabam, et Paulum in opus quo vocavi eos. Item illic. Placuit enim Spiritui san-
XVI. 6. cto, et nobis. Item illic. Prohibiti sunt autem a sancto Spiritu loqui verbum Dei
XX. 28. omnino in Asia. Item illic. Adtendite igitur vobis et universo gregi, in quo sanctus
Spiritus conlocavit vos esse episcopos ad pascendam ecclesiam Iesu Christi. Item il-
XXI. 11. lic. Haec dicit Spiritus sanctus: virum, cuius zona est haec, sic alligabunt in Hie-
rusalem Iudaei.

CAPITULUM IIII.

DE DILECTIONE DOMINI.

Deut. VI. 4. In deuteronomio. Audi Israhel: dominus Deus noster, Deus unus est. Et diliges
5. dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute
6. tua. Et erunt verba haec, quaecumque praecipio tibi hodie in corde tuo et in

a) Ita cod. — *b*) Cod. *interpraet.* cum diph. Sic et alibi. — *c*) In marg. 2. manu varia lectio vel glossa *sermonum.* — *d*) Ita cod., non *item.* — *e*) Ita cod. — *f*) Ita cod. — *g*) Recole dicta in adn. p. 6, et 7. — *h*) Heic additur frustra in codice nota numeralis ·I· — *i*) Deest *tres* in cod. — *k*) *querunt.* — *l*) Ita cod. — *m*) Cod. *dubitas.*

anima tua, et demonstrabis ea filiis tuis, et loqueris: sedens in domo tua, et cum Deut. VI. 7.
iter facies in via, et in quiete, et in vigiliis; et obligabis ea in signo super ma- 8.
num tuam; et erunt movilia *a*) ante oculos tuos: et scribe *b*) ea super limina do- 9.
mus tuae, et ianuis tuis. Item illic. Et cum manducaveris et satiatus fueris, kave *c*) 11.
tibi ne obliviscaris dominum Deum tuum, qui eduxit te de terra Aegypti; de domo 12.
servitutis. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies et ad *d*) illum haerebis *e*), 13.
et nomine eius iurabis. Item illic. [Custodiens custodies] praecepta domini Dei tui, te- 17.
stimonia eius, et iustitias quascumque praecepit tibi: et facies quod bonum et placitum 18.
est ante dominum Deum tuum, ut bene tibi sit. Item illic. Et in mente *f*) habebis VIII. 2.
omnem viam, qua *g*) adduxit te dominus Deus tuus in deserto, ut omnia experireris *h*),
et temptaret te; et ut dinosceretur *i*) cor tuum, an vere custoditurus esses mandata
illius an non. Et ideo omnia mala expertus es: et esuristi, et dedit *k*) tibi escam 3.
mannam, quam non noverant *l*) patres tui: ut adnuntiaret tibi, quod non in pane
F. 21. vivit homo tantum, sed | in omni verbo quod exierit de ore Dei vivit homo. Ve-
stimenta tua non sunt extrita: pedes tui non incallaverunt, ecce quadraginta anni 4.
sunt. Et scies corde tuo, quia sicut homo docet filium suum, sic dominus Deus 5.
tuus erudivit te. Et custodies mandata domini Dei tui, ambulare in viis eius, et 6.
timere illum. Item illic. Et nunc, Israhel, quid dominus Deus postulat aliud a te? X. 12.
quam ut timeas dominum Deum tuum, et ambules per omnes vias eius, et di-
ligas eum et servias domino Deo tuo ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, cu- 13.
stodire praecepta domini Dei tui, et iustitias eius quas ego mando tibi hodie *m*), ut
bene tibi sit. Item in psalmo ·XCVI· Qui diligitis Dominum, odite malum. Item in Ps. XCVI. 10.
evangelio secundum Iohannem. Si diligitis me, praecepta mea servate. Ioh. XIV. 15.

CAPITULUM V.

DE CONVERSIONE, ET CONTEMPTU SAECULI.

In genesi. Dominus ad Abraham: exi de terra tua, et de cognatione tua, et de Gen. XII. 1.
domo patris tui, et vade in terra *n*), quam tibi ostendero, et faciam te in gentem 2.
magnam, et benedicam te, et magnificabo nomen tuum, et benedictus eris, et be- 3.
nedicam qui te benedixerit, et maledicam qui te maledixerit. Item in psalmo ·XLIIII· Ps. XLIV. 11.
Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et do-
mum patris tui; quoniam concupivit rex speciem tuam, quia ipse est dominus Deus 12.
tuus. Item illic ad Loth, postquam eicierunt *o*) eos foras, dixerunt: servans serva Gen. XIX. 17.
animam tuam, et noli respicere post te, neque stes in hac universa regione, sed
in montem vade, et ibi salvaberis. Item in Numeris. In terra eorum non possidebis, Num. XVIII. 20.
et portio non erit tibi aput eos, quia ego sum portio tua, et hereditas tua. Item
in deuteronomio. Qui dicit ut *p*) patri et matri, non novi te, et fratres suos non
cognovit, et filios suos non scivit, custodivit verba tua, et testamentum observa- Deut. XXXIII. 9.
bit *q*). Item in regnorum ·III· Et invenit Helias Heliseum filium Safath, et hic arabat in III. Reg. XIX. 19.
F. 22. duodecim paria | boum coram se. Et ut venit ad eum, iactavit melotem suam super

a) Ita cod. *v*. pro *b* — *b*) Cod. *scribae*. — *c*) Cod. *fave*, sed levis lapsus ex *K* in *F*. Et quidem corrigitur 2. manu in marg. — *d*) Cod. *ab*. — *e*) Cod. *cherebis*. — *f*) Cod. *mentem*. — *g*) Cod. *quam*. — *h*) Cod. mendose *et omnia et omnia experiris*. — *i*) Cod *dinoscetur*. — *k*) Cod. *dedi*. — *l*) Ita cod. 2. manu, at 1. *noverunt*. — *m*) Cod. *hodiae*. Et sic alibi. — *n*) Ita cod. — *o*) Ita cod. — *p*) Ita cod. — *q*) Ita cod. *b*. pro *v*.

III. Reg. XIX. 20. eum, et cooperuit illum, et ille relinquens *a*) boves suos cucurrit post Heliam,
et dixit: osculabor patrem meum, et sequar te. Et dixit Helias: vade, et revertere,
21. quoniam feci tibi. Et reversus est post eum. Et deiunxit boves a iugis, et occidit,
et coxit eos in vasis, et dedit plebibus, et manducaverunt. Et exsurrexit, et abiit *b*)
Ps. VI. 6. post Heliam, et ministrabat ei. Item in psalmo ·VI· Quoniam non est in morte,
VII. 13. qui memor sit tui: in infernum *c*) autem quis confitebitur tibi? Item in psalmo ·VII·
14. Nisi convertamini, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et parabit il-
Ps. XXIV. 4. lum, et in eo paravit vasa mortis. Item in psalmo ·XXIIII· Vias tuas, Domine,
XXXI. 9. notas fac mihi, et semitas tuas edoce me. Item in psalmo XXXI. Nolite fieri sicut
equus et mulus, quibus non est intellectus: in freno et camo maxillas eorum con-
XXXIII. 6. stringe, qui non proximant ad te. Item in psalmo ·XXXIII· Accedite *d*) ad Dominum,
9. et inluminamini, et vultus vestri non erubescent. Gustate et videte quoniam suavis
12. est Dominus. Beatus vir, qui sperat in eum! Venite, fili *e*), audite me, timorem
13. Domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam, et cupit videre dies bonos?
14. 15. Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Declina a malo, et
16. fac bonum; inquire pacem, et sequere eam: quia oculi Domini super iustos, et
17. aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat
Ps. XXXVI. 1. de terra memoriam eorum. Item in psalmo ·XXXVI· Noli aemulari inter malignan-
2. tes, neque aemulatus fueris facientes inquitatem: quoniam tamquam foenum cito
Ps. XCIV. 8. arescent, et sicut holera herbarum cito cadent. Item in psalmo ·XCIIII· Hodie *f*) si
CXVIII. 9. vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Item in psalmo ·CXϛII· *g*) In quo
Eccli. V. 8. corrigit iuvenior viam suam? in custodiendo sermones tuos. Item in Ecclesiastico. F. 23.
9. Non tardes converti ad Dominum, et ne differatis *h*) de die in diem: subito enim
XV. 14. venit ira illius, et in tempore vindictae disperdet te. Item illic. Deus ab initio con-
15. stituit hominem, et reliquid *i*) eum in arbitrio suo. Adiecit mandata et praecepta,
17. si volens mandata servare, et fidem placitam facere. Adposuit aquam et ignem; ad
18. quod vis, exporrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum;
21. quod placuerit ei, dabitur illi. Nemini mandavit impie *k*) agere, et nemini dedit
22. laxamentum peccandi. Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et in-
XVII. 21. 23. utilium. Item illic. Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua, et nimis odito
24. exsecrationem. Cognosce iustitias et iudicia Domini. Sta in sortem propositionis et
25. oratione Altissimi. In partem vade saeculi sancti cum iustis et dantibus confessionem.
26. Non demoreris in errore impiorum. A mortuo quasi nihil demittitur confessioni:
27. vivus et sanus confiteberis et laudabis Dominum, et gloriaberis in miserationibus
28. illius. Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus *l*) ad
XXI. 2. se! Item illic. Quasi a facie colubri fuge peccata. Si accesseris ad illa, suscipient te
3. quasi dentes leonis in devorando interficientes, quasi rhomphaea *m*) bis acuta *n*) ini-
4. quitatium *o*) vindex. Plagae illius medella *p*) nulla est. Item in Esaia propheta. Quae-
Is. LV. 6. rite Dominum; et mox inveneritis eum, invocate eum. Statim vero cum adpropin-
7. quaverit vobis, relinquat impius vias suas, et vir iniquus consilia sua; et conver-
tentur ad Dominum, et misericordiam consequantur *q*); quia relinquet *r*) multum
LXV. 24. peccata vestra. Item illic. Cum clamare coeperis, extraham te de pressura *s*) tua.

a) Cod. *reliquens*. — *b*) Cod. *habut*. — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. *accedite*. — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *hodiae* heic et alibi. — *g*) Litteram ϛ significare VI, diximus alibi, et quidem ad Cic. de rep. lib III. cap. V. — *h*) Ita cod. — *i*) Ita cod. *k*) Cod. *impiae*. — *l*) Ita neutrali sensu, ut alibi apud priscos auctores. — *m*) Cod. *romfea*. — *n*) Cod. *aguta*. — *o*) Ita cod. — *p*) Ita cod. — *q*) Ita cod. — *r*) Ex graeco ὅτι ἔπὶ πολὺ ἀφήσει Est autem duplex significatus verbi ἀφίημι *remitto* et *relinquo*. — *s*) Cod. *praessura*.

Item illic. Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris, et scies ubi fueris. Item Es. XXX. 15. gr.
in Hieremia propheta. State in viis Domini, et videte, et interrogate semitas Do- Hierem. VI. 16.
F. 24. mini aeternas: et videte quae sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis | san-
ctificationem animabus vestris. Item illic. Corrigite vias vestras, et incogitatio- XVIII. 11.
nes vestras: nolite confidere vobis in falsis sermonibus, quia in totum non pro- VII. 4. 8.
derunt vobis. Item illic. Perscrutemus vias nostras, et convertamur ad Dominum: Thren. III. 40.
mundemus corda nostra cum manibus nostris, et respiciamus ad Dominum, qui ha- 41.
bitat in caelis. Item in Michaea propheta. Adnuntiatum est tibi, homo, quid sit Mich. VI 8.
bonum: aut quid quaerat a te aliud Dominus, nisi ut facias aequitatem, et dili-
gas miserationem, et paratus sis ut eas cum domino Deo tuo? Item in Sophonia Soph. II. 1.
propheta *a*). Convenite et congregamini populus indisciplinatus, prius quam efficia- 2.
mini sicut flos praeteriens, prius quam superveniat super vos dies iracundiae Do-
mini. Quaerite Dominum omnes humiles terrae, aequitatem operamini, et iustitiam 3.
quaerite, et respondete ea, ut protegamini in die irae Domini. Item in Iob. Quo- Iob. XXII. 23.
niam si conversus humiliaveris te coram ipso, et longe feceris omnem iniustitiam
a via tua, tunc erit omnipotens adiutor tuus, et liberavit *b*) te ab inimicis, et ab 25.
omni iniquitate mundum restituet te; et suscipiet sicut argentum probatum igne *c*);
et habebis fiduciam coram ipso, respiciens in caelum cum hilaritate. Et orantem 26.
te exaudiet cum laetitia, et dabit tibi ut reddas vota tua, et in viis tuis erit splen- 27 28.
dor. Item Tobi. Convertimini itaque peccatores, et facite iustitiam coram ipso. Quis Tobias XIII. 6.
enim scit an vellit *d*) vos, ut faciat misericordiam vobis? Item in Ezechiel *e*) pro- Ezech. III. 17.
pheta. Et tu, fili hominis, speculatorem te dedi domui Israhel. Et audies ex ore
meo verbum, ut dicas peccatori: morte morieris. Et si non fueris locutus, ut ca- 18.
veat impius de via sua, ipse iniquus in iniquitate sua morietur, sanguinem autem 20.
eius de manu tua requiram. Tu vero si praedixeris impio viam ipsius, ut avertat 19.
se a via, et non averterit se a via sua, hic in impietate sua morietur, et tu ani- 21.
mam tuam eripuisti. Item in evangelio secundum Matthaeum. Cum praeteriret autem Matth. IV. 18.
F. 25. Iesus secus mare Galilaeae *f*), vidit duos fratres Simonem qui dicitur | Petrus, et An-
dream fratrem eius, mittentes retia in mari, erant enim piscatores. Et dixit illi *g*) Iesus: 19.
venite post me, et faciam vos piscatores hominum. Qui confestim, relictis retibus 20.
suis, secuti sunt eum. Item illic. Et ideo dico vobis: nolite cogitare in anima vestra VI. 25.
quid manduceiis, aut quid bibatis, neque corpori vestro quod induamini; anima
enim plus est quam esca, et corpus plus quam vestitus. Intuemini volatilia caeli, 26.
quae neque serunt, neque metunt, nec recondunt in apothecis; et pater vester cae-
lestis pascet *h*) illa. Nonne vos multo plus estis illis? Item illic. Quis autem vestrum 27.
potest adicere staturae suae cubitum unum? Et vestitum cogitatis? Considerate lilia 28.
in agro quemadmodum crescunt, non laborant neque neunt *i*), et nuda non sunt.
Dico autem vobis quoniam nec Solomon in omni gloria vestitus est sicut unum ex 29.
istis. Quod si foenum agri, quod est hodie, et cras in clibanum mittitur, Deus 30.
sic vestit, quanto magis vos modicae fidei *k*)? Nolite ergo cogitare dicentes: quid 31.
manducabimus? aut quid bibemus? aut quid vestiemur? Omnia enim haec gentes de- 32.
siderant. Scit autem pater vester, quoniam indigetis horum omnium. Quaerite au- 33.
tem primo regnum et iustitiam eius, et haec omnia praestabuntur vobis. Ne ergo 34.
cogitaveritis de crastino; crastinus enim dies ipse pro se cogitabit: sufficit diei ma-

a) Cod. *Sofonia profeta.* — *b*) Ita cod. *v* pro *b*. — *c*) Cod. *ignem.* — *d*) Ita cod. sicuti in imperf. *vellet.* — *e*) Cod. *Zechiel* — *f*) Cod. *Galileae.* — *g*) Ita cod. — *h*) Ita cod. — *i*) Ita cod. — *k*) Cod. *modice fidaei.*

Matth. VII. 13. litia sua. Item illic. Intrate per angustam portam: quia lata et spatiosa via est, quae
14. ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quia angusta et arta via
XI. 28. est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam. Item illic. Venite ad me
29. omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite iugum meum su-
per vos, et discite quia mansuetus sum et humilis corde, et invenietis requiem
30. animis vestris: quia iugum meum iucundum est, et onus meum leve *a*) est. Item
XIX. 27. illic. Tunc respondens Petrus ait ad eum: ecce nos reliquimus omnia, et secuti
28. sumus te; quid ergo | erit nobis? Iesus autem dixit illis: amen dico vobis, quoniam F. 26.
vos qui secuti estis me, in resurrectione cum sederit filius hominis in throno glo-
riae suae, sedebitis et vos super duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Is-
29. rahel. Et omnis quicumque reliquerit domum, vel fratres, aut matrem, aut filios,
vel agros, propter nomen meum, centies tantum accipiet, et vitam aeternam pos-
30. sidebit. Multi autem primi, novissimi fient; et novissimi, primi erunt. Item illic.
XXIV. 37. Sicut enim diebus *b*) Noe, sic erit et adventus fili *c*) hominis. Sicut enim erant in die-
38. bus illis ante diluvium, manducantes et bibentes, et nuptum dantes, et non sen-
39. serunt, donec venit diluvium et tullit *d*) omnes; sic erit et adventus fili hominis.
Ioh. XII. 35. Item secundum Iohannem. Ambulate itaque *e*) dum lumen habetis, ne vos tenebrae
36. adpraehendant *f*): et qui ambulat in tenebris, non scit quo eat. Dum lumen ha-
Luc. XIV. 16. betis, credite in lumine, ut fili lucis sitis. Item secundum Lucam. Et dixit Iesus:
17. homo quidam fecit caenam *g*) magnam, et invitavit multos. Et misit servum suum hora
18. caenae ut diceret invitatis, venite iam, quia omnia parata sunt. Et coeperunt sin-
guli excusare. Primus ait: villam emi, et necesse habeo exire et videre illam: rogo
19. te, habe me excusatum. Et alius ait: iuga boum emi quinque, et eo probare illa;
20. et ideo venire non possum. Et alter dixit: uxorem duxi, et ideo venire non pos-
21. sum. Dico autem vobis, quoniam nemo ex hominibus illis invitatis gustavit *h*) de
Act. XVII. 30. caena mea. Item in Actibus apostolorum. Tempora igitur ignorantiae dispiciens *i*)
31. Deus, denuntiat nunc hominibus, omnes ubique agere poenitentiam *k*). Eo quod sta-
tuit diem iudicare orbem terrae in aequitate.

CAPITULUM VI.

DE TIMORE DOMINI.

Deut. XIII. 4. In Deuteronomio *l*). Post dominum Deum vestrum pergite, et hunc timete, et praece-
Ps XXXII. 18. pta eius custodite, et vocem eius audite, et adquiescite ei. Item in psalmo ·XXXII·
Ecce oculi Domini super timentes eum, qui sperant | in misericordia eius. Item in F. 27.
XXXIII. 10. psalmo ·XXXIII· Timete Dominum *m*) sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum.
CXXVII. 1. Item in psalmo ·CXXVII· Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.
Prov. X. 27. Item in Proverbiis. Timor Domini adicit dies: anni autem impiorum minuentur. Item
29. illic. Munitio eius timor Domini, contritio *n*) autem operantibus mala. Item illic. Ti-
XIX. 23. mor Domini viro in vitam: qui autem sine timore est, commorabitur in locum *o*)
XXII. 4. quem non visitat scientia. Item illic. Generatio sapientiae, timor Domini, divitiae

a) Cod. *levae*. — *b*) Ita cod. sine *m*, quod mox tamen secus fit. — *c*) Ita cod. — *d*) Ita cod. ut supra *vellit*. — *e*) Cod. *itaquae*. — *f*) Cod. *adpraehendat* — *g*) Ita cod. non *coenam*. — *h*) Ita cod. — *i*) Ita cod. non *desp*. — *k*) Ita *poe*, non *pae*, quod secundum tamen occurrit in antiquis mss. — *l*) In cod. *in exo*, quasi in *exodo*, sed mendose — *m*) Deest *omnes* in cod. — *n*) Cod. *contritua*. — *o*) Ita cod.

et gloria et vita. Item illic. Non aemuletur cor tuum peccatores, sed in timore Do- Prov. XXIII. 17.
mini esto tota die. Item illic. Beatus qui metuit omnia per timorem! nam qui XXVIII. 14.
duro est corde, incidet in malo *a*). Item in Ecclesiastico. Initium sapientiae timor Eccli. I. 16.
Domini, et cum fidelibus in utero concreatus est, et cum electis seminibus credi-
tur, et cum iustis et sensatis agnoscitur. Item illic. Timor Domini scientiam agno- 17.
scit sanctitatis. Castitas custodiet, et iustificabitur cor, iucunditatem adque *b*) gaudium
dabit. Item illic. Timenti Dominum bene erit, et in diebus consummationis illius 19.
benedicetur. Plenitudo sapientiae timere Dominum, et plenitudo de fructibus eius 20.
omnem domum illius inplebit a generationibus, et receptacula de thensauris eius. 21.
Corona sapientiae timere Dominum: utraque autem sunt dona Dei. Item illic. Timor 23.
Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Item illic. 27.
Non sis incredibilis timori Domini, et ne accesseris ad illum dupplici *c*) corde. Item 36.
illic. Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo eius; et qui diligunt illum, II. 18.
conservabunt vitam eius. Qui timent Dominum, parabunt corda sua, et in conspe- 20.
ctu illius sanctificabunt animas suas. Item illic. Qui timent Dominum, custodient 21.
mandata eius, et patientiam habent usque ad inspectionem eius. Timor Domini non X. 25.
dispicere *d*) iustum hominem pauperem, et non magnificare virum peccatorem di- 26.
F. 28. vitem. Item illic. Omnis sapientia timor | Domini, et in illa timere Dominum. Item XIX. 18.
illic. Quam magnus qui invenit sapientiam et scientiam! non est super timentem XXV. 13.
Deum. Timor Domini per omnia superposuit. Item illic. Si non timorem Dei te- 14.
nueris instanter, cito subvertetur domus tua. Item in Ecclesiaste. Finis omnis verbi XXVII. 4.
auditur: Dominum time, et mandata eius custodi; quoniam hoc est omnis homo Eccle XII. 13.
quia omne *e*) hoc opus adducet Deus in iudicium, in omni dispecto *f*), sive bonum 14.
sive malum. Item in Proverbiis. Timor Domini odit malitiam, contumeliam, et su- Prov. VIII. 13.
perbiam, et vias malorum.

CAPITULUM VII.

DE BONO PACIS ET CARITATIS

In Deuteronomio. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Item in psalmo ·CXVIII· Immo potius Matth. XIX. 19.
Pax multa diligentibus nomen tuum, et non est in illis scandalum. Item in psal- Ps. CXVIII. 165.
mo ·CXXXII· Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum! Item CXXXII. 1.
in Proverbiis. Qui volunt pacem, laetabuntur. Item illic. Melior est panis pusillus Prov. XII. 20.
cum suavitate in pace, quam domus plena multorum bonorum iniquis inmolationi- XVII. 1.
bus, cum rixa. Item illic. Qui celat *g*) iniuriam, quaerit amicitiam: nam qui odit 9.
celare *h*), disiungit amicos et domesticos. Item illic. Gratia et amicitia liberant, quam XXV. 10.
serva tibi ne in opprobriis sis. Item in Ecclesiastico. Filii sapientiae, ecclesia iusto- Eccli. III. 1.
rum, et natio eorum oboedientiae *i*) caritas. Item illic. In tribus placitum est spiritu *k*) XXV. 1.
meo, quae sunt probata coram Deo et homine, concordia fratrum, et amor proxi-
morum, et vir et mulier sibi consentientes. Item in evangelio secundum Matthaeum. Matt. V. 9.
Beati pacifici, quoniam ipsi fili *l*) Dei vocabuntur. Item illic. Dico vobis, quia si duo- XVIII. 19.
bus ex vestris convenerit super terram de omni re, quaecumque *m*) petieritis a pa-

a) Ita cod. — *b*) Cod. *adquae*. — *c*) Ita cod. — *d*) Ita cod. pro *desp*. — *e*) Cod. *omnes*. — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *caelat*. — *h*) Cod. *taelare*. — *i*) Ita cod. — *k*) Ita cod. dativo casu terminato in *u*, non sine aliis priscorum exemplis, v. gr. Virg. *parce metu Cytherea*. — *l*) Ita cod., etsi paulo ante *filii*. — *m*) Cod. *quecumque*.

Matth. XVIII. 20. tre meo, qui est in caelis, contiget *a*) vobis. Ubi enim sunt duo aut tres collecti
XIII. 34. in nomine meo, et ego ibi sum in medio eorum. Item secundum Iohannem. Prae-
35. ceptum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos. In hoc cogno-
scent omnes quod discipuli | mei sitis, si dilectionem habueritis in *b*) invicem. Item F. 29
Rom. XIV. 16. Paulus apostolus ad Romanos. Non ergo blasphemetur *c*) bonum nostrum. Non est
17. enim regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto.
18. Nam qui in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. Itaque quae
XII. 10. pacis sunt sectemur, et quae aedificationis sunt invicem custodiamus. Item illic. Ca-
XIII. 10. ritate fraternitatis invicem benigni; honorem *d*) invicem praebentes. Plenitudo autem
evangelii *e*) est dilectio. Item illic. Dilectio proximi malum non operatur. Item ad
I Cor. XII. 31. Corinthios prima Adhuc maiorem vobis viam demonstro. Si linguis hominum loquar,
XIII. 1. aut angelorum, caritatem autem non habeam, unum *f*) sum ut aeramentum sonans,
2. aut cymbalum tinniens. Et si habeam prophetiam *g*), et noverim mysteria omnia,
et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, cari-
3. tatem autem non habeam, nihil sum. Si erogavero omnem substantiam meam pau-
peribus, et si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil
4. mihi prodeest *h*). Caritas patiens est, benigna est: caritas non aemulatur: caritas non
5. est perpera *i*), non inflatur, non ambitiosa est, non quaerit *k*) quae sua sunt, non
6. inritatur, non cogitat malum, non gaudet iniquitate, gaudet autem veritate, omnia
7. 8. suffert, omnia sperat, omnia credit, omnia sustinet. Caritas numquam excidit. Item
13. illic. Manent autem spes, fides, caritas, tria *l*) haec: maior autem horum est caritas.
XVI. 13. Sectamini caritatem. Item illic. Vigilate, state in fide, confortamini, viriliter agite,
Phil. II. 1. omnia vestra in caritate fiant. Item ad Philippenses ·II· Siqua *m*) ergo consolatio
in Christo, si qua adlocutio *n*) caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera mise-
2. rationis; implete gaudium meum ut id ipsum sapien|tis *o*) omnes, eandem *p*) carita- F. 30
3. tem habentes, unianimes *q*), unum sentientes, nihil per contentionem neque per ina-
5. nem gloriam; sed humilitate mentis invicem existimantes sibimet ipsos superiores,
Ephes. IV. 1. non sua singula respicientes *r*) sed quae aliorum. Item ad Ephesios Obsecro ergo vos
ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni
2. humilitate animi, et mansuetudine, cum multa patientia, subportantes invicem in
3. caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Item illic. Estote ergo
V. 1. imitatores *s*) Dei sicut fili dilecti, et ambulate in caritate sicut et Christus dile-
2. xit vos, et tradidit semet ipsum pro vobis oblationem et hostiam Deo in odorem
I Tim. I. 5. suavitatis. Item ad Timotheum ·I· Finis enim praecepti est caritas de corde puro,
6. et conscientia bona, et fide *t*) non ficta. A quibus quidam recedentes, conversi
I. Petr. III. 8. sunt in vaniloquium. Item in epistula Petri apostoli ·I· Quapropter omnes consen-
tanei estote, unianimes, conpatientes, fraternitatis amatores, misericordes, mo-
9. desti, humiles, non reddentes malum pro malo, aut maledictum pro maledicto:
IV. 8. sed e contrario benedicentes, ut benedictionem hereditatem possideatis. Item illic.
Ante omnia autem mutuam inter vos caritatem perpetuam habentes: quia caritas
I Ioh. II. 9. cooperuit multitudinem peccatorum. Item in epistula *u*) Iohannis ·I· Qui dicit se in
10. lumine esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui autem diligit

a) Ita cod. — *b*) *In* superadditur 2. manu paulo recentiore. — *c*) Cod. *blasf.* — *d*) Cod. *honore.* — *e*) Ita heic cod. *evang.* non *evvang.* ut mendose alibi. — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *prof.* — *h*) Ita cod. — *i*) Ita cod. — *k*) Cod. *querit* — *l*) Cod. 1. manu *trea.* — *m*) Cod *qua* pro *siqua.* — *n*) Cod. mendose *adlocatio.* Sed *adlocutio* legit etiam Sedulius apud Sabaterium. — *o*) Ita cod. pro *sapientes*, vel potius *sapiatis.* — *p*) Cod. *eadem.* — *q*) Ita constanter in cod. — *r*) Cod. *respecientes.* — *s*) Cod. *emitatores.* — *t*) Cod. *fidem.* — *u*) Ita cod. recte cum *u*. Et sic mox.

fratrem suum, in lumine manet, et scandalum non est in eo. Item illic. Et qui *a*) I. Ioh. III. 16.
ex hoc cognoscimus caritatem ipsius, quoniam ille pro nobis animam suam posuit;
et nos debemus pro fratribus nostris animas nostras ponere.

CAPITULUM VIII.

QUOD UBIQUE SIT DOMINUS.

In psalmo ·CXXXVIII. Quo ibo ab Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si Ps.CXXXVIII. 7.
F. 31. ascendero in caelum, tu illic es: et si descendero in infernum, ades. | Si sumpsero 8.
pinnas meas ante lucem, et habitavero in postremis maris, etenim illuc deducit *b*) me 9.
et tenebit me dextera tua. Item in libro Sapientiae. Sanctus est enim spiritus sapien- Sap. I. 6.
tiae, et non liberabit maledictum a labiis suis: quoniam renium illius testis est Deus,
et cordis illius speculator est verus, et linguae illius auditor: quia Spiritus Domini 7.
replebit orbem terrarum. Item in Esaia propheta. Sanctus, sanctus, sanctus Domi- Es. VI. 3.
nus sabaoth: pleni sunt caeli et omnis terra maiestate eius. Item in Ecclesiastico. Eccli. XV. 19.
Quoniam multa sapientia Dei fortis in potentia, videns omnes, sine intermissione.
Item in Hieremia propheta. Deus adpropinquans ego sum, dicit Dominus, et non Hier. XXIII. 23.
Deus de longinquo. Quod si absconditus, fuerit homo in abditis, ego eum non vi- 24.
debo? Nonne caelum et terram ego impleo, dicit Dominus?

CAPITULUM VIIII.

QUOD DOMINUS NOVERIT OCCULTA CORDIS.

In Regnorum ·I· Non quomodo videt homo, sic videbit Deus; quia homo videt in I. Regn. XVI. 7.
facie, Deus autem in corde. Item in Regnorum ·III· Quoniam tu solus scis corda filio- III. Reg. VIII. 39.
rum hominum. Item in Paralipomenon *c*) ·I· Et nunc, Solomon, scito Deum patrum I. Par. XXVIII. 9.
tuorum, et servi illi in corde perfecto et anima volente; quoniam omnia corda
scrutatur Dominus, et omnem cogitationem novit. Item in psalmo ·VII· Scrutans corda Ps. VII. 10.
et renes Deus. Item in Proverbiis. In conspectu enim Dei sunt viae viri: in omnes Prov. XVI. 2.
autem cursus eius speculatur Deus. Item illic. In omni loco oculi Domini speculan- XV. 3.
tur bonos adque malos. Item illic. Mors et infernus manifesta sunt aput *d*) Deum; 11.
quomodo non etiam corda hominum? Item in Iob. Si ego peccavi, quod *e*) possum Iob. VII. 20.
tibi facere? Tu qui scis sensum humanum. Item illic. Ipse enim perspicit opera ho- XI. 11.
minum, nec latet eum quiddam *f*) eorum quae faciant. Item Hieremias propheta. Hier. XI. 20.
Domine, iudicans iusta et provans *g*) renes et corda. Item illic. Ego Dominus scru- XVII. 10.
F. 32. tans corda et probans renes, ut dem unicuique secundum vias | eius, et secundum
fructum studiorum eius. Item in Ezechihel *h*) propheta. Haec dicit Dominus: sic di- Ezech. XI. 5.
xistis, domus Israhel, et cogitationes spiritus vestri novi ego. Item in evangelio
secundum Matthaeum. Sciens autem Iesus cogitationes eorum, dixit: quid cogitatis Matth. IX. 4.
mala in cordibus vestris? Item secundum Iohannem. Et contristatus est Petrus quod Ioh. XX. 17.
dixit ei tertio: amas me? et dixit ei: Domine omnia tu nosti; tu scis qui amo te.
Item Paulus apostolus ad Romanos. In die cum iudicavit *i*) Deus occulta hominum Rom. II. 16

a) Ita cod. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *paralipemenon*. Sed recte alibi — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. — *f*) Ita cod. *quidam*. — *g*) Cod. *provans*, ut nunc Itali; sed idem mox *probans*. — *h*) Cod. *Zechiel*. — *i*) Ita cod. *v*. pro *b*.

secundum evangelium meum per Iesum Christum dominum nostrum. Item ad Co-
I. Cor. IV. 5. rinthios ·I· Ideoque nolite ante tempus aliquid iudicare, quo usque veniat Dominus,
Act. I. 24. qui inluminabit consilia cordis; et tunc laus erit unicuique a Deo. Item in Actibus
apostolorum. Tu, Domine, qui nosti corda hominum, ostende nobis quem eligeris *a*)
Apoc. II. 23. ex his duobus. Item in Apocalypsi Iohannis. Et scient omnes ecclesiae, quia ego sum
qui scruto renes et corda.

CAPITULUM X.

IUSTE *b*) IUDICANDUM.

Exod. XXIII. 6. In Exodo. Non pervertes *c*) iudicium pauperis, in iudicio eius ab omni verbo iniusto
7. recede. Innocentem et iustum non occides: non iustificabis iniustum, et munera
non accipies: munera enim excaecant oculos videntium *d*) et coinquinantur verba
Lev. XIX. 15. iusta. Item illic. Non contendes *e*) pauperem in iudicio. Item in Levvitico *f*). Non
facies iniquitatem: in iudicio non accipies personam pauperis, neque admiraberis
35. personam potentis: iustitia iudicabis proximum tuum. Item illic. Non facies quod
36. iniustum est in iudicio, in mensuris, in ponderibus, et in stateris. Statera aequalis,
et pondus iustum, et mensura iusta erit vobis. Ego sum dominus Deus vester. Item
Deut. I. 17. in Deuteronomio. Non sumes personam in iudicio adversum minorem, et adversus
maiorem iudicabis: non sumes personam hominum, quoniam iudicium Dei est. Item
XVI. 18. illic. Iudices et doctores legis constitues tibi in omnibus civitatibus tuis, quas do-
minus Deus tuus dabit tibi per singulas tribus, et iudicabunt plebi iudicio iusto: |
19. non declinabunt iudicium, non accipient personam, nec accipient munera: munera F. 33.
20. enim excaecant oculos sapientum, et subtrahunt sermonem iustum. Iustitiam sequi-
XXVII. 19. mini, ut vivatis. Item illic. Maledictus qui declinaverit iudicium advenae *g*) et or-
II. Par. XIX. 5. phano et viduae. Et dicit omnis populus: fiat, fiat. Item in libro Paralipome-
non ·II· Et statuit Iosaphath *h*) iudices in omnibus civitatibus Iuda *i*) munitis, et
6. per singulas civitates dixit iudicibus: videte quid vos facietis; non enim homini iu-
7. dicabitis, sed Domino; et vobiscum est in verbo iudicii. Nunc sit timor Domini
super vos, et servetis, et faciatis: neque enim est cum domino Deo nostro iniquitas,
9. neque personae acceptio, neque munerum acceptio. Item illic ad sacerdotes. Ita fa-
10. cietis, in timore Domini, in fide et corde perfecto: et omne iudicium quod acce-
ptum fuerit super vos a fratribus *k*) vestris, qui habitant in civitatibus suis, inter me-
dium sanguinis et inter medium legis, in mandatis ad iustificationes et ad iudicia;
I. Esdr. IV. 38. et detinguetis *l*) eis, et non peccabunt Domino. Item in libro Haesdrahel. Veritas au-
39. tem permanet et invalescit in aeternum, et vivet, et perseverat in saecula saeculorum,
40. et non accipit personam hominis nec differentias; sed iusta iudicat et facit: ab om-
nibus iniquis dolosis et impiis discedit, et omnes iusti sperant *m*) in eam; et non est
in iudicio illius iniustitia: et eius est fortitudo et regnum, et potestas illius in sae-
Ps. LVII. 2. cula saeculorum. Benedictus est enim Dominus veritatis! Item in psalmo ·LVII· Si
LXXXI. 2. vere utique *n*) iustitiam loquimini, iusta iudicate fili hominum. Item in psal. ·LXXXI·
3. Quousque iudicatis iniquitatem, et facies peccantium sumitis? Iudicate pupillo et

a) Ita cod. — *b*) Cod. *iustae*. — *c*) Cod. *pervertis*. — *d*) Cod. *videntem*. — *e*) Ita cod. — *f*) Ita cod. passim. — *g*) Cod. *advaenae*. — *h*) Cod. *Iosafath*. — *i*) Cod. *Iudica*. — *k*) Cod. *fratris*. — *l*) Ita cod. *de* pro *dis* Graece διαστελεῖσθε. — *m*) Cod. *sperunt*. — *n*) Cod. *utiquae*.

egeno *a*), humilem et pauperem iustificate: eripite pauperem, et egenum de manu Ps. LXXXI. 4.
peccatoris liberate. Item in Proverbiis. Misericordia et fides non te derelinquat, et ve- Prov. III. 3.
ritas possideat te: conprehende eas ex animo tuo diligenter, et invenies gratiam: et 4.
provide bona coram Deo, et hominibus. Item illic. Perdit semet ipsum qui munera |
F. 34. accipit: nam qui odit munerum acceptiones vivit. Item illic. Accipientis munera in si- XV. 27.
num inique, non prosperabuntur viae. Item illic. Mirari faciem impii non est bonum; XVII. 23.
nec sanctum est declinare iustum in iudicio. Item illic. Facere iusta et veracem esse XVIII. 5.
placet Deo magis quam hostiarum sanguis. Item illic. Haec autem vobis dico sapien- XXI. 3.
tibus cognoscere: revereri personam in iudicio non est bonum; Item illic. Qui dicit XXIV. 23.
iustum impium esse, maledictus erit populis, et odibilis gentibus. Nam qui arguunt, 24.
meliora sperabunt. Item illic. Aperi os tuum verbo Dei, et iudica omnibus integre. XXXI. 9.
Aperi os tuum, et iudica iuste: discerne autem pauperem et infirmum. Item illic. XXIX 7.
Novit iustus iudicare pauperibus: nam impius non intelleget scientia *b*), et inopi
sensus non est intellector. Item illic. Regis in veritate iudicantis pauperibus, sedis 14.
eius in testimonium resurget. Item in Ecclesiastico. Noli quaerere elegi *c*) iudex, Eccli. VII. 6.
nisi virtute inrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scan-
dalum in astudia *d*) tua. Item illic. Est qui perdat animam suam prae confusione, XX. 24.
et prae personae acceptione perdet se. Item illic. Senia *e*) et dona excaecant oculos 31.
iudicum, et quasi mutus in ore multorum avertit correptionem. Item in Esaia *f*) Es. V. 23.
propheta. Vae his qui iustificant impium propter munera, et quod iustum est iniu-
ste auferunt! Item illic. Vae scribentibus nequitiam, declinantes iudicium inopum, X. 1.
et rapientes iudicium pauperum plebis meae! ita ut sit illis vidua in rapinam, et 2.
pupillus in depraedationem. Et quid facient in die visitationis? Item illic. Qui in- XXXIII. 15.
greditur in aequitate, loquitur rectam viam. Qui odit iniquitatem et iniustitiam,
et manus abstinet a muneribus, gravat aures ut non audiat iudicium sanguinis, clu-
dit oculos ut non videat iniquitatem; hic habitabit in alta spelunca petrae firmae, 16.
fortis panis illi dabitur et aqua *g*) eius fidelis. Item illic. Haec dicit Dominus: cu- LVI. 1.
stodite iudicium, facite iustitiam, adpropriavit *h*) enim salutare meum advenire, et
F. 35. misericordia mea revelari. Beatus vir | qui facit haec, et homo qui amplectitur ea, 2.
et custodit ne sabbata mea violet, et servat manus suas ne faciat iniqua. Item illic. LXI. 8.
Ego sum Dominus qui diligo iustitiam, et odivi rapinam et iniquitates. Item in Iob. Iob. XV. 34.
Testimonium enim impii mors: et ignis conburet domos eorum qui munera acci-
piunt. Concipiet in ventre gemitus, et venient ei vana, et venter eius portabit dolum. 35.
Item in Hieremia. Iudicate mane iudicium, et recte agite, et liberate direptum de Hier. XXI. 12.
manu laedentis eum, ut non succendatur ut ignis ira mea, et ardeat, nec erit qui
extinguat; et eripite direptum de manu iniuriantis eum, et advenam et pupillum et
viduam nolite oppremere *i*): et nolite impie agere; et sanguinem innocentem ne
effunderitis *k*) in loco isto. Item in Michaea propheta. Audite itaque haec duces Mich. III. 9.
domus Iacob, et reliqui domus Istrahel, qui abominatis aequitatem, et omnia recta
evertentes: qui aedificatis Sion in sanguinibus; et Hierusalem in iniquitatibus. Duces 10.
eorum cum meneribus *l*) iudicabant, et sacerdotes eorum cum mercedibus respon- 11.
debant, et prophetae *m*) eorum cum pecuniis divinabant, et in Dominum requiesce-
bant dicentes: nonne Dominus est in nobis? Non venient super nos mala. Item in

a) Cod. *aegeno*. Sic et mox. — *b*) Ita cod. — *c*) Ita cod. — *d*) Ita cod. pro *astutia*. — *e*) Ita cod. pro *xenia*. — *f*) Ita recte demum in cod. *Esaia*. — *g*) In cod. aliter dicitur, nempe *aquae ius*. — *h*) Ita cod. — *i*) Ita cod. — *k*) Ita cod. — *l*) Ita cod. pro *mun*. Scribe *moenera*, qui est archaismus. — *m*) Ita heic cod. cum *ph*.

Abb. I. 3. Abbacum propheta. Ut quid mihi ostendisti labores et dolores, ut viderem miseriam
4. et impietatem? Adversus me ortum est iudicium, et iudex accepit. Propter hoc dis-
iecta est lex, et non perducitur in fine iudicium: quia impius per potentiam de-
Zach. VII. 9. primet iustum, ideoque exiet iudicium perversum. Item in Zacharia propheta. Haec
dicit Dominus omnipotens: iudicium iustum iudicate, et misericordiam et pietatem
10. facite unusquisque ad fratrem suum, et viduam, et orphanum, et prosilytum *a*): et
pauperem per potentiam nolite opprimere *b*), et malitiam unusquisque fratris sui
Iob. XXIX. 15. ne rememoremini in cordibus vestris. Item Iob. Ego eram oculus caecorum, ego
pes claudorum, ego inpotentium pater. Examinabam causas sine exceptione; et con-
fringens *c*) iniustorum molas, auferebam rapinam de mediis dentibus eorum. Item in
Ioh. VII. 24. evangelio secundum Iohannem. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iu-
dicium iudicate.

CAPITULUM XI.

BENE FACIENDUM PAUPERI ET NON PIGNERANDUM.

In Deuteronomio. Si tibi debitum fuerit a proximo tuo quodcumque, non intrabis F. 36.
Deut. XXIV. 10. in domum eius pignerare pignus: foris stabis, et homo debitum suum, quod est
11. aput ipsum, proferet tibi pignus tuum foras. Si autem homo pauper erit, non dor-
12. mies in pignere eius; reddens reddes ei pignus eius circa solis occasum, et dor-
13. miet in vestimento suo; et omnis *d*) dicet: erit in te misericordia Domini in con-
spectu Dei tui. Item illic. Non accipies pignus vestimenti. *[Memento quod ser-
17. 18. vieris in Aegypto, et] liberavit te dominus Deus tuus *e*) inde. Propter hoc ego
Exod. XXII. 25. mandavi *f*) facere verbum hoc. Item in Exodo. Si autem pecuniam faenerave-
ris *g*) populo pauperi de tuo, non eris illi instans, nec exiges ab eo *h*) usu-
26 ram. Quod si pignus tuleris vestimentum proximi tui, ante occasum solis reddes
27. ei: hoc solum opertorium paupertatis eius ubi dormit. Quod si proclamaverit ad me,
Prov. III. 27. exaudiam illum: sum enim misericors ad vos *i*) Item in Proverbiis. Noli abstinere
28. bene facere pauperi, cum quando habeat manus tua adiubare *k*). Et ne dicas: vade
et redi, cras dabo; cum possis statim bene facere. Non enim scis quod contingat
XIV. 21. frequenti *l*) die. Item illic. Qui contumeliam facit pauperibus, peccat: qui autem
31. miseretur pauperem, beatus est. Item illic. Qui calumniam facit pauperi, inritat eum
XIX. 17. qui fecit illum: nam qui honorat eum, miseretur pauperis. Item illic. Fenerat *m*)
XXII. 9. Domino qui miseretur pauperem: secundum autem datum eius, retribuetur ei. Item
illic. Qui miseretur pauperi, ipse enutrietur *n*); de suis enim panibus dedit pauperi.
XXVIII. 27. Item illic. Qui dat pauperibus, non egebit *o*): qui autem avertit oculum suum, in
Es. III. 14. magna inopia erit. Item in Esaia propheta. Vos autem qui succenditis vineam meam,
15. et rapina pauperum in domibus vestris est; ut quid vos iniuriam facitis populo
Ezech. XVIII. 7. meo, et personam inopum confunditis? Item in Ezechiel *p*) propheta. Egenum et
pauperem non depressit, rapinam non rapuit, et pignus restituit, et in simulacra
8. 9. non posuit oculos suos, et iniquitatem *q*) non fecit, et pecuniam suam non dedit
Tob. IV. 6. ad usuram; iustus est, vita vivet Domino. Item Tobi. Dirigens autem ad iustitiam in

a) Cod. *prosilitum*. Est autem prima *i* loco graecae η, quod scribentis pronunciationem denotat. Sic et infra. — *b*) Ita hoc loco cod. — *c*) Cod. *confringes*. — *d*) Cod. *omnes*. — *e*) Cod. *tuos*. — *f*) Cod. *mandati*. — *g*) Cod. *pecunia faenera et*. — *h*) Cod. *habeo*. — *i*) Cod. *misericordiadvos*. — *k*) Cod. *adiubaret ne*. — *l*) Ita cod. Sed die *sequenti*, ut gr. ἐπιοῦσα. In vulgato XXVII. 1. — *m*) Ita heic cod. At superius *faen*. — *n*) Cod. *enutriretur*. — *o*) Cod. *aegebit*. — *p*) Ita heic cod. — *q*) Cod. *iniquitate*.

diebus omnibus *a*) vitae tuae bene facito coram ipso, et noli ambulare in viis iniqui-
tatis, nec avertas faciem tuam ab aliquo egeno et paupere, quoniam eleemosyna *b*) Tob. IV. 7.
liberabit a morte 1).

CAPITULUM XII.

BENE FACIENDUM VIDUAE ET ORPHANO *c*) ET ADVENAE.

In Exodo. Advenam non nocebitis, nec tribulabitis: fuistis enim et vos advenae in Exod. XXII. 21
F. 37. Aegypto. | Omnem viduam et orphanum non nocebitis. Si autem malitia nocebitis 22. 23.
eos, et cruciantes exclamaverint ad me, auditione audiam clamorem illorum, et 24.
irascar *d*) animo, et occidam vos gladio, et erunt uxores vestrae viduae, et filii ve-
stri orphani. Item illic. Et advenam non tribulabitis: vos enim scitis animas ad- XXIII. 9.
venarum; ipsi enim advenae fuistis in terra Aegypti. Item in Levvitico. Si quis au- Lev. XIX. 33
tem ad vos accesserit advena in terra vestra, non tribulabitis eum: sicut conterra- 34.
neus inter vos erit advena qui accesserit ad vos: diligetis eum tamquam vos, quia
et vos advenae fuistis in terra Aegypti; ego sum dominus Deus vester. Item illic. XIX. 9.
Et metentibus vobis messem terrae vestrae, non consummabitis messem agri tui *e*)
permetere: et quae cadent ex messe tua, non colliges. Et vineam tuam non raci- 10.
mabis, nec acinam vineae tuae colliges; pauperi et advenae relinquens ea; ego
sum dominus Deus vester. Non declinabis iudicium advenae et orphani et viduae *f*).
Item Iob. Salvabam enim pauperem de manu potentis, et adiuvabam pupillum cui Iob. XXIX. 12.
non erat adiutorium. Os viduae benedixit me. Et indutus eram iudicio, et circum- 13. 14.
datus aequitate. Ego eram oculus caecorum, ego pes claudorum, ego inpotentium 15. 16.
pater. Examinabam causas sine exceptione; et confringens iniustorum molas, aufe- 17.
rebam rapinam de mediis dentibus eorum. Item in Numeris. Scitote autem quia om- Num. XV. 30.
nis anima, quae superbiens dispexerit mandata Domini, sive ab indigenis seu de
prosilytis sit in civitate, periet de populo suo, quoniam verbum Domini contem- 31.
psit, et praecepta eius neglexit, et ideo in tribulatione contribulabitur anima ipsa,
et peccatum eius in ipsa erit.

CAPITULUM XIII.

NON RETINENDAM MERCEDEM MERCENNARII *g*).

In Levvitico. Non nocebis proximum tuum, et non facies rapinam, et non manebit Lev. XIX. 13.
mercis *h*) mercennarii apud te usque in mane. Item in Deuteronomio. Non frauda- Deut. XXIV. 14
bis mercedem pauperis et egentis ex fratribus tuis, aut ex advenis qui sunt hoc *i*)
civitatis: cottidianam mercedem eius reddes: non occidet sol super eum, quia pau- 15.

a) In cod. heic repetitur *diebus*. — *b*) Cod. *elymosyna*. — *c*) Cod. *orfano*. Sic et infra. — *d*) Cod. *rascar*. — *e*) Ita cod. — *f*) Non est hoc postremum comma in gr. τῶν 70, et in vulg. lat. saltem hoc loco. Sed fortasse ab Exodo XXIII. 6. — *g*) Ita cod. etiam infra. — *h*) Ita cod. — *i*) Ita cod.

1) Ante vulgatam sancti Hieronymi authenticam libri Tobiae interpretationem, extitisse aliam multo antiquiorem cognoscimus ex testimoniis patrum, et ex notissima Sabaterii editione, qui etiam codicem reginae svecae vaticanum non sine bono fructu expilavit. Nunc codex sessorianus Speculi augustiniani aliam exhibet Tobiae translationem ab illa ipsa Sabaterii satis differentem, ut fragmenta non paenitenda, quae in nostro hoc libro sunt, demonstrant.

per est, et in ea habet spem, et non proclamavit *a*) adversus te ad Dominum, et
Prov. XXII. 22. erit in te peccatum. Item in Proverbiis. Noli violentus esse *b*) pauperi: inops *c*) est
Eccli VII. 22. enim. Item in Ecclesiastico. Non laedas *d*) servum operantem in veritate, neque
XXXIV. 24. mercennarium dantem animam suam. Item illic. Qui profert sacrificium ex substantia
25. pauperis, quasi qui percutit filium in conspectu patris sui. Panis egentium vita pau-
26. perum: qui defraudat illum, homo est sanguinum. | Qui aufert in sudore panem, F. 38.
27. quasi qui occidit proximum suum, et qui fraudem facit mercedem *e*) mercennario.
Tob. IV. 14. Item Tobi. Propter quod et tu, fili, dilige fratres tuos, et noli superbo corde agere cum filiabus filiarum populi tui: nec accipias quemquam ex his in subiectione causa inopiae et necessitatis; quoniam in superbia abundat perditio et infidelitas, nec consistit fortiter cui gradus in tabulis figitur: quia fructus stillionatus decoloratio vitae est: et in tempore angustiae captatio exiguitatis, mater est totius nequitiae: et emolumentum *f*) turpis lucri in fame, adquisitio aeterni ignis est. Et haec devitans, redde mercedem omni homini in die operationis laboranti aput te.

CAPITULUM XIIII.

NON LAEDENDUM *g*) INFIRMUM.

Lev. XIX. 14. In Levvitico *h*). Non malidices surdum, et ante caecum non pones offendiculum, et
Deut. XXVII. 18. timebis dominum Deum tuum; ego sum dominus Deus vester. Item in Deuterono-
24. mio. Maledictus qui seduxerit caecum in via; et dicit omnis populus: fiat, fiat. Ma-
25. ledictus qui percusserit proximum in dolo; et dicit omnis populus: fiat, fiat. Maledictus qui acceperit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis; et dicit
Prov. XXI. 13. omnis populus: fiat, fiat. Item in Proverbiis. Qui obdurat *i*) aures suas ut non audiat
XXII. 22. infirmum, ipse invocavit *k*) Dominum, et non erit qui exaudiat eum. Item illic. Noli violentus esse pauperi: inops est enim. Nec contumeliam feceris infirmo in
23. portis: Dominus enim iudicat iudicium eius, et tu liberabis animam tuam innocen-
Immo Tob. IV. 7. tem. Item in Iob. Non te avertat voluntas animi a precibus *l*) infirmorum, cum in necessitate fuerint.

CAPITULUM XV.

NON AMBULANDUM IN DOLO VEL HYPOCRISI.

Lev. XIX. 16. In Levvitico. Non ambulabis subdole in gente tua, non facies aggressuram in sanguinem proximi tui; ego sum dominus Deus vester. Non loqueris cum fratre tuo aut sorore tua ficte sed ex corde loqueris, et non erit in te peccatum; ego enim
17. sum dominus Deus vester. Non habebis odio fratrem tuum in animo tuo: ar-
18. guendo argues proximum tuum, et non accipies pro illo peccatum: et non vindicabit manus tua, et non irasceris filiis populi tui, et diliges proximum tuum
19. tamquam te *m*); ego sum dominus Deus vester. Legem meam custodite. Non eris con-

a) Ita cod. *v.* pro *b.* — *b*) Cod. *se* pro *esse.* — *c*) Cod. *inupt.* Sed bene cap. XIV. — *d*) Cod. *ledas.* — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *aem* — *g*) Cod *led.* — *h*) Ita cod. constanter *Levvi* et *levviticum.* — *i*) Ita cod., non *obturat.* in vulg. — *k*) Ita cod. *v.* pro *b.* — *l*) Cod. *praecibus.* — *m*) Ergo p. 15. cap. VII. initio *pro Deut.* scribi poterat *Lev.* XIX 18, tamen vulgatus habet *amicum*, non *proximum.*

sentaneus cum derogantibus adversus proximum tuum, et non accipies pro eo *a*) Lev. XIX. 17.
peccatum. Pecoribus tuis non facies admissuram adverso genere, et in vinea tua 19.
non seminabis ob duplicem fructum et vestimentum ex dupplici *b*) textura exsecrabile
F. 39. non cooperies te. Item in Ecclesiastico. Non sis incredibilis timori Domini, et ne Eccli. I. 36.
accesseris ad illum dupplici corde. Ne *c*) fueris hypocrita in conspectu hominum, et 37.
non scandalizeris labiis tuis. Adtende in illis ne forte cadas *d*) et adducas animae 38.
tuae confusionem, et denudet Deus absconsa tua, et in medio synagogae elidat te:
quoniam accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia.
Item illic. Vae dupplici corde, et labiis scelestis, et peccatori ingredienti duas vias! II. 14.
Item illic. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus: et pravicordius in illis III. 28.
scandalizabitur. Item illic. Qui in altum mittit lapidem, in ipsum cadet: et plaga XXVII. 28
dolosi dividit vulnera: et qui fodit foveam, in illam cadet: et qui statuet laqueum
proximo suo, periet in illo: facienti nequissimum, super ipsum devolvetur, et non
agnoscet unde veniat illi. Item in Iob. Simulatores et callidi provocant iram Dei. Iob. XXXVI. 1
Item in Hieremia propheta. Ferrum vulnerans lingua *e*) eorum, dolosa verba oris eo- Hier. IX. 8.
rum: proximo suo loquuntur pacifica, et in semet ipsos *f*) habent inimicos. Ergo 9.
non visitabo, dicit Dominus, aut in populum talem non vindicabit anima mea?
Item in Solomone. Verba callidorum mollia sunt, feriunt autem interiora viscerum. Prov. XXVI. 22.
Item apostolus ad Corinthios ·II· Nos vero revelata facie gloriam Domini specu- II. Cor. III. 18
lantes, in eadem *g*) imagine trasformamur, a gloria in gloriam, tamquam Domini
Spiritu. Et ideo habentes hanc ministrationem, prout misericordiam consecuti sumus, IV. 1.
non deficimus; sed abnegamus occulta dedecoris, non ambulantes in astudia *h*), ne- 2.
que adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmet
ipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Item illic. Providemus enim VIII. 21.
bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Item illic. Quae secun- X. 7.
dum faciem sunt, videte. Item in evangelio secundum Matthaeum. Cavete a seudo *i*) Matth. VII. 15.
prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intus autem sunt lupi rapaces: ex 16.
fructibus ergo *k*) eorum cognoscetis eos.

CAPITULUM XVI.

NON REDDENDUM MALUM PRO MALO

In Exodo. Si autem obviaveris bovi *l*) inimici tui, aut iumento illius errantibus, Exod. XXIII.
reduces, et reddes *m*) ei. Quod si videris iumentum inimici tui cecidisse sub onere 5.
suo, non pertransies illum *n*), sed potius diriges eum cum eo. Item in Proverbiis. Prov. XXIV. 17
Si ceciderit inimicus tuus, noli gratulare *o*), et in subplantatione eius noli extolli: 18.
forte ne videat Dominus, et non placeat ei, et avertat iram suam ab eo. Item illic. XXV. 21.
Si esurit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciendo, 22.
carbones ignis coarcebas *p*) super caput eius. Deus autem retribuet tibi. Item in Ec- Eccli. XXVIII. 1
F. 40. clesiastico. | Qui se non vindicat, a Deo inveniet vindictam *q*), et peccata illius servans
servabit. Relinque *r*) proximo nocenti te, et tunc petenti tibi peccata tua solventur. 2.

a) Cod. *pro eos.* — *b*) Ita cod. 2. manu *dupp.* — *c*) Cod. *dupplicieordine.* — *d*) Cod. *calas.* — *e*) Cod. *ligna.* — *f*) Ita cod. — *g*) Ita cod. — *h*) Ita cod. pro *astutia.* — *i*) Ita cod. — *k*) *Ergo* additur eadem manu. — *l*) Cod. *vobis.* — *m*) Cod. *redes.* — *n*) Ita cod. — *o*) Ita cod. — *p*) Ita cod. *b.* pro *v.* — *q*) Animadverte hanc pulchram in itala vetere sententiam. — *r*) Unus e duobus significatibus graeci ἄφες, *dimitte*, et *relinque.*

Eccli XXVIII. 3. Homo homini servat iram, et a Deo quaerit medellam? In hominem similem sibi,
4. non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur? Ipse coepit retinere iram,
5. 6. et propitiationem petit a Deo? Quis praestabitur pro delictis eius? Memento novis-
8. sima, et desine *a*) inimicari. Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo.
9. 10. Memorare testamenti Altissimi, et dispice ignorantiam proximi. Abstine a lite, mi-
Is. LXVI. 5. nus peccabis *b*). Item in Esaia propheta. Audite verbum Domini, qui pavetis nomen eius. Dicite: fratres nostri estis his qui vos oderunt, et abominantibus vos; ut nomen Domini magnificetur, et appareat ipsis in iucunditate eorum, et illi
Matth V. 44. confundentur. Item in evangelio secundum Matthaeum. Diligite inimicos vestros, et orate pro eis *c*) qui vos persequuntur: benedicite maledicentes vos, benefacite eis
45. qui vos oderunt: ut sitis fili *d*) patris vestri qui est in caelis; qui solem suum iubet oriri super bonos et malos, et pluet super iustos et iniustos. Item Apostolus ad
Rom. XII. 16. Romanos. Nolite esse prudentes aput vos: nulli malum pro malo reddentes: pro-
17. videntes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Si possibile est,
18. quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vos defendentes,
19. carissimi, sed date locum irae. Scribtum est enim: mihi vindictam, ego retribuam,
20. dicit Dominus. Si esurit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim
21. faciendo, carbones ignis coacerbas *e*) super caput eius. Noli vinci a malo, sed vince
I. Petr. III. 8. in bono malum. Item Petrus apostolus ·I· Quapropter omnes consentanei estote,
9. unianimes, conpatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo *f*), maledictum pro maledicto: sed e contrario be-
Act. VII. 58. nedicentes, ut benedictionem hereditate possideatis. Item in Actibus apostolorum. Et lapidabant Stephanum *g*) invocantem et dicentem: | Domine Iesu *h*), accipe spi- F. 41.
59. ritum meum. Ponens autem genua, exclamavit voce magna dicens: Domine ne statuas eis hoc peccatum.

CAPITULUM XVII.

REMITTENDUM FRATRI QUOD IN FRATREM DELIQUERIT.

Gen. L. 15. In Genesi. Videntes autem fratres Ioseph quod defunctus esset pater ipsorum, dixerunt: ne forte reminiscatur malitiae nostrae Ioseph, et redditione reddat nobis
16. omnia mala quae ostendimus ei. Et venerunt ad Ioseph dicentes: pater tuus adiu-
17. ravit nos prius quam moreretur, dicens: dicite Ioseph: dimitte eis iniquitatem et peccatum, quia maligna tibi ostenderunt. Et nunc sume iniquitatem servorum
18. patris tui. Et ploravit Ioseph, loquentibus eis ad se. Et venientes ad eum dixerunt:
19. ecce nos famuli tui sumus. Et dixit eis Ioseph: nolite timere; Dei enim sum ego:
20. vos cogitastis adversus me mala Deus autem cogitavit de me bona quemadmodum
21. fierent, sicut hodie, ut pasceretur populus multus. Et dixit eis: nolite timere, ego
— pascam vos et domos vestras. Et rogavit eos, et locutus est in corde eorum. Item
Matth. XVIII. 21. in evangelio secundum Matthaeum. Accessit ad Iesum Petrus, et ait illi: Domine,
22. si peccaverit in me frater meus, quotiens remittam illi? usque septies? Ait illi: non
23. dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Item illic. Serve nequam, omne
32. debitum demisi *i*) tibi, quia rogasti me; ita non oportebat te misereri conservo tuo,

a) Cod. *desint*. — *b*) Cod. *peccabis* — *c*) Cod. *eo*. — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. *b*. pro *v*. — *f*) Ita cod. heic interponitur. *cum*. — *g*) Cod. *Stephanum*. — *h*) Cod. *Iesus*. — *i*) Ita cod. Sed infra *dim*.

quomodo ego tibi misertus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, 34.
donec redderet debitum. Sic et vobis faciet pater meus, qui est in caelis, si non 35.
remiseritis unusquisque fratri suo ex cordibus vestris. Item secundum Lucam. Ad- Luc. XVII. 3.
tendite vobis: si peccaverit frater tuus, corripe illum: et si poenitentiam egerit,
dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, et si septies in die conversus 4.
fuerit, dicens: poenitet me, dimitte illi. Item secundum Marcum. Et cum steteritis *a*) Marc. XI. 25.
ad orationem, dimittite si quid *b*) habetis adversus aliquem; ut et pater vester, qui
est in caelis, dimittat vobis peccata vestra. Si autem vos non demiseritis, neque 26.
pater vester, qui est in caelis, dimittet *c*) vobis peccata vestra. Item apostolus ad
Colossenses. Induite ergo vos tamquam electi Dei sancti et dilecti viscera misericor- Coloss. III. 12.
diae, benignitatem, lenitatem, iustitiam, patientiam; subportantes invicem, et do- 13.
nantes vobis ipsis, si quis adversus aliquem habet querellam *d*): sicut et Dominus
donavit vobis, sic et vos facite.

CAPITULUM XVIII.

DE CAVENDA SEDUCTIONE MALORUM.

In Exodo. Non accipies auditionem vanam: non consenties cum iniusto fieri testis Exod. XXIII. 1.
iniustus: non eris cum pluribus in malitia: non adpones cum multitudine divertere 2.
F. 42. se cum pluribus ut excludaris. Item in psalmo ·I· | Beatus vir qui non abiit *e*) in con- Ps. I. 1.
silio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit:
sed in lege Domini fuit voluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte. Item
in psalmo ·XXV· Non sedi in concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non in- XXV. 4.
troibo. Odio *f*) habui congregationem malignantium, et cum impiis non sedebo. 5.
Lavabo inter innocentes manus meas, et circumibo altare tuum, Domine. Item in 6.
Proverbiis. Fili, non te seducant viri impii, neque velis *g*), si te rogaverint dicentes: Prov. I. 10.
veni, communica nobiscum sanguinem, abscondamus autem in terra virum iustum 11.
iniuste: devoremus autem eum sicut infernus vivum, et tollamus memoriam eius a 12.
terra: possessionem autem eius pretiosam *h*) possideamus. Item illic. Fili, ne abieris 15.
vias cum illis; declina autem pedem *i*) tuum a semitis eorum. Non enim iuste *k*) ten- 17.
duntur retia avibus. Ipsi enim, qui homicidii participes sunt, congregant sibi mala. 18.
Eversio autem virorum iniquorum mala. Item illic. Noli gaudere super male fa- III. 31.
cientes, nec aemuleris *l*) peccatores: non enim erunt nati maligno, lumen autem
impiorum extinguetur. Item in Ecclesiastico Longe *m*) abesto ab homine potestatem Eccli. IX. 18.
habente *n*) occidendi, et non suspicaveris *o*) timorem mortis cito: quoniam in medio 20.
laqueorum ambulas, et inter dolentium arma consistis. Secundum virtutem tuam 21.
cave tibi a proximo, et cum sapientibus et sensatis tracta. Item Tobi. Vide, fili, ne Tob. IV. 6.
sequaris iter iniquorum, et multitudo peccantium non suadeat te *p*): quoniam stipendia
eorum confusio est, finis eorum mors est. Tu autem si operatus fueris veritatem,
erit respectus Dei in operibus tuis, et cum omnibus qui faciunt iustitiam hereditabis
vitam aeternam.

a) Cod. *steteris*. — *b*) Cod. *siquis*. — *c*) Mira inconstantia *dim.* et *dem.* — *d*) Cod. *quaerellam*. — *e*) Cod. 1. m. *habit*, 2. *habiit*. Sed infra sine *h*. — *f*) Cod. *odivi habui*. — *g*) Cod. *vel his*. — *h*) Cod. *praet*. — *i*) Cod. *pedum*. — *k*) Ita cod. — *l*) Cod. *aemularis*. — *m*) Cod. *longo* cum interpretatione. — *n*) Cod. *habentem*. — *o*) Ita cod. *b*. pro *v*. — *p*) Cod. mendose *suae* hoc loco; sed bene cap. XXIV. *suadeat te*, quod ego huc quoque necessario transtuli.

CAPITULUM XVIIII.

DE HONORANDIS *a*) SACERDOTIBUS VEL MINISTRIS.

Exod. XXII. 28. Lev. XIX. 32. In Exodo. Non maledices principem populi tui. Item in Levvitico. A facie canitiam
habentis exurges, et honorabis faciem presbiteri *b*); et timebis dominum Deum tuum;
Deut. XVII. 32. ego sum dominus Deus vester. Item in Deuteronomio. Et homo quicumque fecerit
in superbia, ut non exaudiat sacerdotem qui adstat ministrare in nomine domini
Eccli IV. 7. Dei tui, aut iudices qui fecerint *c*) in diebus illis, morietur homo ille. Item in Ec-
clesiastico. Congregationi pauperum affabilem te facito, et presbitero humilia ani-
VII. 31. mam tuam, et magnato humilia caput tuum. Item illic. In tota anima tua time Do-
32. minum, et sacerdotes illius sanctifica. Ex tota virtute tua dilige eum, qui te fecit,
33. et ministros eius non derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica
VIII. 9. sacerdotes. Item illic. Ne dispicias narrationem presbiterorum sapientium, | et in pro- F. 43.
10. verbiis illorum conversare: ab ipsis enim disces doctrinam intellectus, et servire
11. magnato sine querella. Non [te prae]tereat narratio seniorum; et ipsi enim didice-
I. Tim. V. 17. runt a patribus. Item apostolus ad Timotheum ·I· Qui bene praesunt presbiteri,
dupplici honore honorentur, maxime qui laborant in verbo et in doctrina.

CAPITULUM XX.

DE HONORANDIS *d*) PARENTIBUS.

Exod. XX. 12. In Exodo. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene tibi sit, et longinqui
Lev. XIX. 3. temporis *e*) sis super terram bonam, quam dominus Deus tuus dabit tibi. Item in
Tob. IV. 3. Levvitico. Unusquisque patrem suum et matrem suam timeat. Item Tobi. Honorem
habe matri tuae, et non derelinquas eam, sed consolare eam omnibus diebus vitae
tuae, et non contristes vel in modico spiritum eius; sed quod illi placet, hoc fa-
4. cito. Et commemorare *f*) enim, fili, quanta pericula viderit cum te pareret; novem
mensibus in utero portavit te: et gemitus parturitionis eius ne obliviscaris, quoniam
Eccli. III. 7. nisi per illam non fuisses. Et ideo honora illam in vita sua. Item in Ecclesiastico.
8. Qui honorat patrem suum, longiori vita vivet; et qui obaudit patri, refigerat ma-
9 10. trem. Et quasi dominis serviet his qui se generaverunt, opere et sermone et omni
14. patientia: et benedictio eius in novissimo manet. Item illic. Fili, sustine senectam
15. patris tui, et ne contristes eum in vita ipsius: et si deficerit *g*) sensus, habe ve-
niam; et ne spernas eum in tua virtute: non est enim tibi gloria, sed confusio.
Eleemosyna *h*) enim patris non erit in oblivionem, et iustitia aedificabitur tibi, et in
17. die tribulationis commemorabitur tibi: et sicut serenum in glacie, tua solventur pec-
VII. 29. cata. Item illic. Honora patrem, et gemitus matris tuae ne obliviscaris: nisi enim
30. per illos, non fuisses *i*) natus: et nunc retribues illis, quomodo illi tibi. Memento ma-
Colos. III. 20. tris tuae et patris, in medio enim magnatorum consistes. Item apostolus ad Colos-
senses. Fili *k*), obaudite parentibus per omnia; hoc enim placet Deo.

a) Cod. *honoratis*. Sed bene *honorandis* in indiculo. — *b*) Cod. *praesb*. Ita et mox. — *c*) Ita cod. pro *fuerint*. — *d*) Heic in cod interponitur *et*. — *e*) Cod. *temporibus*. — *f*) Cod. *cum memorare*. — *g*) Ita cod. — *h*) Cod. *elemosyna*. — *i*) Cod. *fuisse*. — *k*) Ita cod., pro *filii*, ut alibi non semel.

CAPITULUM XXI.

DE FILIIS SUPERBIS.

In Exodo. Qui autem percusserit patrem suum aut matrem suam, morte moriatur: Exod. XXI. 15.
qui autem maledixerit patrem suum aut matrem suam, morte moriatur. Item in
Deuteronomio. Maledictus homo, qui non honorificat patrem suum aut matrem Deut. XXVII. 16.
suam; et dicit omnis populus: fiat, fiat. Item in Proverbiis. Filio doloso nihil erit Prov. XIV. 15.
boni. Item illic. Qui non honorificat patrem suum, et repellit matrem suam filius, XIX. 26.
confundetur et in opprobiis erit. Filius, qui omittit custodire disciplinam patris, XV. 5.
meditabitur eloquia malitiae. Item illic. Maledicentis patri aut matri extinguetur lu- XX. 20.
men; pupillae autem oculorum eius videbunt tenebras. Item illic. Filius malus pa- XXX. 11.
f. 44. trem maledicit, matrem autem non benedicit. | Filius malus iustum se iudicat, exi- 12.
tum autem suum non abluet. Filius malus superbos oculos habet, palpebris *a*) au- 13.
tem suis extolletur. Filius malus gladios dentes habet, et cultros molares, ita ut 14.
occidat et devoret humilis *b*) a terra, et pauperes eorum ex hominibus. Item illic. 17.
Oculum inreverentem patri, et contumeliosum senectae *c*) matris, effodiant illum
corvi de convallibus, et comedant illum pulli aquilarum. Item illic. Custodit legem XXVIII. 7.
filius sapiens: nam qui pascitur luxoria *d*), dehonestat patrem. Item illic. Qui re- 24.
pellit patrem suum aut matrem suam, existimat se non peccare, hic particeps est
viro impio. Item illic. Benedictio patris aedificat domos filiorum, maledictio matris Eccli. III. 11.
eradicat fundamento *e*).

CAPITULUM XXII.

NON PRODEESSE *f*) THENSAUROS INIQUIS.

In Proverbiis. Non prodeerunt thensauri *g*) iniquis, iustitia autem eripit de morte. Prov. X. 12.
Item illic. Non proderunt *h*) divitiae in die irae, iustitia autem liberat a morte. Item XI. 28.
illic. Qui confidet in divitiis, hic cadit: qui vero adiuvat iustos, hic exorietur. Item XV. 16.
illic. Melior est modica pars cum timore Domini, quam thensauri magni sine timore.
Item illic. Melior est modica adquisitio cum iustitia, quam multi fructus cum ini- XVI. 8.
quitate. Item illic. Melius est nomen bonum, quam divitiae multae: super argentum XXII. 1.
autem et aurum gratia bona est. Item illic. Dives et pauper obviaverint *i*) invicem, 2.
fecit autem ambos Dominus. Item in Ecclesiastico. Noli adtendere ad possessiones Eccli. V. 1.
iniquas *k*), et ne dixeris: est mihi sufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vin-
dictae et obductionis. Item illic. Nihil est iniquius, quam amare pecuniam: tales X. 10.
enim etiam animam suam venundant; quoniam in vita sua proiecit intima sua. Item
illic. Viro cupido tenaci non est bona substantia: et homini livido ut quid aurum? XIV. 3.
Est qui locupletatur parce *l*) agendo; et haec pars mercedis illius, cum dicit: in- XI. 18. 19.
veni requiem mihi, manducabo de bonis meis solus. Et nescit quod tempus prae- 20.
tereat, et relinquet omnia illis. Item illic. Qui acerbat *m*) multa ex animo suo in- XIV. 4.

a) Cod. *palphebris*. — *b*) Ita cod. pro *humiles*. — *c*) Cod. *saenectae*. — *d*) Ita cod. etiam alibi. — *e*) Ita cod. — *f*) Ita cod., et mox *prodeerunt*. — *g*) Cod. *thensauros*. — *h*) Ita hoc loco *proderunt*. — *i*) Ita cod. — *k*) Cod. *possessione iniquos*. — *l*) Cod. *parge*. — *m*) Ita cod. *b*. pro *v*.

Eccli. XXXI 5. iuste, aliis congregat, et in bonis illius alius luxoriabitur *a*). Item illic. Qui au-
6. rum diligit, non iustificabitur: et qui sequitur multa, in illis inplanabitur. Multi
7. dati sunt in auri casum, et facta est in facie illius perditio illorum. Item illic.
Lignum ostensionis est aurum: vae qui sectantur illud! et omnis inprudens periet in
Eccle. V. 9. illo: multos enim seduxit aurum, et exciderunt sperantes in eo. Item illic *b*). Qui di-
12. ligit pecuniam, non satiabitur pecunia. Item in Ecclesiaste. Est calamitas, quam vidi
13. sub sole, divitias custodiri in malum possidentis *c*) eas, aput quem sunt in perniciem
14. ipsius [Revertetur] sicut venit, et nihil accipiet ex labore suo, ut vadat in manu F. 15.
Is. XXIX. 8. sua *e*). Dixi: melior est super hunc artum *d*); requies magis huic, quam illi. Item in
Esaia propheta. Sicut qui in somnis esuriunt et manducant, et cum surrexerint vanum
est somnium eorum; et quemadmodum somniat qui sitit tamquam bibat, et surgens
adhuc sitiat, anima autem eius in vacuum laboravit; ita erunt divitiae omnium
Baruch. III. 18. gentium. Item in Hieremia propheta *f*). Qui argentum thensaurizant et aurum, in quo
19. confidebant homines, nec est finis substantiae eorum, exterminati sunt, et in in-
20. 21. fernum discederunt *g*), et alii in locum eorum resurrexerunt pro eis, viam *h*) au-
Os. VIII. 4. tem Domini non intellexerunt, neque recordati sunt semitas eius. Item in Osee *i*)
propheta. Pecuniam interitus possidebit: honores *k*) eorum ex usuris et ex doloribus.
Am. VIII. 4. Item in Amos propheta. Audite igitur haec, qui oppremitis *l*) in mane pauperes,
5. et violatis inopes a terra, dicentes: aperiamus thensauros, et faciamus mensuram
6. minorem, et adampliemus pondus, et faciamus stateram iniquam, ut possideamus
Soph. I. 11. pecuniam *m*), pauperes et inopes pro calciamentis. Item in Sophonia propheta. Di-
Abac. II. 9. sperierunt omnes qui exaltantur in argento et auro *n*). Item in Abacum propheta.
10. O qui adquirit avaritiam malam domui suae! Cogitasti confusionem domui tuae,
Soph. I. 17. peccavit anima tua. Item in Sophonia propheta. Et effundam sanguinem eorum sicut
18. limum, et carnes eorum sicut stercus boum, et argentum et aurum eorum non po-
Ezech. VII. 19. terit liberare eos in die irae Domini. Item in Ezechihel propheta. Argentum et aurum
proicietur *o*) in plateis, et aurum eorum disperdetur, animae eorum non fruentur,
et ventres eorum non inplebuntur: quoniam tormentum iniquitatium eorum factum
20. est. Electa mundi in superbiam posuerunt, et imagines abominationum suarum fe-
Hier. IX. 23. cerunt ex eis. Item in Hieremia propheta. Non glorietur sapiens in sua sapientia,
24. neque glorietur fortis in fortitudine sua; sed glorietur qui gloriatur scire et intel-
legere Dominum, et facere iustitiam et iustificationem, iudicium in medio terrae.
Ps. XXXVIII. 7. Item in psalmo ·XXXVIII· Quamquam in imaginem *p*) Dei ambulet homo, tamen vane
Ps. XLVIII. 17. conturbabitur: thensaurizat, et ignorat cui congregabit ea. Item in psalmo ·XLVIII· *q*)
Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata *r*), fuerit gloria do-
18. mus eius: quoniam non cum morietur *s*) accipiet omnia, neque simul descendet cum
LI. 9. eo gloria domus eius. Item in psalmo ·LI· Ecce homo qui non posuit Deum ad-
iutorium suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et praevaluit in va-
LXI. 11. nitate sua. | Item in psalmo ·LXI· Nolite sperare in *t*) iniquitate, et in rapinas nolite F. 16.
concupiscere divitiae si fluant, nolite corda ponere. Item in evangelio secundum
Matth. VI. 20. Matthaeum. Nolite thensaurizare vobis thensauros super terram, ubi tinea et aerugo *u*)

a) Ita cod. — *b*) Immo in Ecclesiaste, ut postea sequitur. — *c*) Cod. *possidentes*. — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. fortasse pro *arctus*; immo potius pro *abortivus*. — *f*) Satis exploratum est Threnos atque Baruchum in antiquis codicibus sub Hieremiae nomine cum eoque copulatos scribi solere. — *g*) Ita cod. — *h*) Cod. *vitam*. — *i*) Cod. *Ossae*. — *k*) Cod. *honeres*. — *l*) Cod. *oppraemitis*. — *m*) Cod. *paec*. — *n*) Cod. *aurum*. — *o*) Cod. *proiecietur*. — *p*) Ita cod. — *q*) In cod. pro XLVIII, scribitur QS, nempe, ut puto, *qui supra*, quod tamen mendose dicitur. — *r*) Cod. *multiplica*. — *s*) Cod. *non commorietur*. — *t*) Deest *in* in cod. — *u*) Cod. *erugo*. Sic et infra.

disperdunt, et ubi fures effodiunt. Sed facite vobis thensauros in caelis, ubi neque
tinea, neque aerugo disperdunt, et ubi fures non furantur. Ubi enim fuerit then- Matth. VI. 21.
saurus tuus, illic erit cor tuum. Item Paulus apostolus ad Timotheum ·I· Divitibus I. Tim. VI. 17.
huius saeculi praecipe *a*) non superbe sapere, neque sperare in incertum divitia-
rum, sed in Deum vivum, qui praestat *b*) nobis omnia ad favendum in voluntate
operum bonorum. Bene faciant, divites sint in operibus bonis, facile tribuant, com- 18.
municent, thensaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut adpraehendant
veram vitam. Item Iacobus apostolus. Agite nunc, divites, plangite vos, ululantes Iac. V. 1.
super miserias vestras, quae superveniunt divitiis vestris: putruerunt et tiniaverunt 2.
vestes vestrae: aurum et argentum vestrum, quod reposuistis in novissimis diebus 3.
aeruginavit *c*) et aerugo eorum in testimonium vobis erit, et comedit carnes vestras
sicut ignis.

CAPITULUM XXIII.

DE POENITENTIA.

In Regnorum ·III· Tu enim solus, Domine, qui cadentem populum tuum Israhel III. Reg. VIII. 33
in conspectu inimicorum suorum erigas *d*) dextera tua. Quoniam si peccaverint tibi,
revertentur *e*) iterum et confitebuntur nomini *f*) tuo, et orabunt, deprecabunt *g*) in
hac domo, et tu exaudies de caelo, et propitiaveris *h*) peccatis populi tui Israhel. 34.
Item illic. Et si humiliaverit inimicus quamlibet unam civitatem eorum, tu aderis 37.
tuis in omnem occursum, et mitigabis omnem dolorem: quoniam in omnem ora- 39.
tionem et deprecationem paratus es Dominus: ut si conversus fuerit homo, et cog-
noverit unusquisque admissa cordis sui, statim ut expanderit manus suas in domum
hanc, tu exaudies ex praeparata habitatione, et propitiaveris, et facies iustificatio-
nem secundum omnes vias rogantium te, et secundum quod cognoveris cor homi-
nis: quoniam tu solus scis corda filiorum hominum, ut timeant te omnibus diebus 40.
quibus vixerint super terram. Item in psalmo ·XXXI· Delictum meum cognitum tibi Ps. XXXI. 5.
feci, et iniustitiam meam aperui *i*) Dixi: pronuntiabo adversum me iniustitiam meam
Domino meo, et tu remisisti impietatem cordis mei. Item in psalmo ·XXIIII· Deli- XXIV. 7.
F. 47. cta iuventutis et ignorantiae meae ne memineris: propter nomen tuum, Domine, pro-
pitiaveris peccato meo; copiosum est enim. Item in psalmo ·L· Sacrificium Deo spiri- L. 19.
tus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non spernit. Item in Ecclesia-
stico. Quoniam pius et misericors Dominus, et remittet in die tribulationis peccata om- Eccli. II. 13.
nibus exquirentibus se in veritate. Item illic. Si poenitentiam non egerimus, incede- II. 22.
mus *k*) in manus Domini. Secundum magnitudinem eius, et misericordia eius cum ipso 23.
est. Item illic. Qui diligit Dominum, exorabit pro peccatis, et continebit se ab illis, et III. 4.
in oratione dierum exaudietur. Item illic. Paenitentibus autem dedit viam iustitiae, et XVII. 20.
conroboravit deficientes sustinere, et destinavit illis sortem veritatis. Convertere ad Do- 21.
minum, et relinque peccata tua, et nimis odito execrationem *l*). Cognosce iustitias et 23. 24.
iudicia Domini: sta in sorte *m*) propositionis et oratione Altissimi. In partem vade sae- 25.
culi sancti cum iustis et dantibus confessionem. Non demoreris in errore impiorum. 26.

a) Cod. *praecipi* — *b*) Cod. *prestat.* — *c*) Cod. *erug.* — *d*) Cod. evidenter *engas.* — *e*) Cod. *reverentur* — *f*) Cod. *nomino.* — *g*) Cod. *depraecabunt.* — *h*) Ita cod. *v.* pro *b.* Sic et infra. — *i*) Cod. *operui.* — *k*) Cod. *incaedemus* pro *incidemus.* — *l*) Cod. *ex rationem.* — *m*) Cod. *fortem.*

Eccli. II. 27. A mortuo quasi nihil dimittitur confessioni. Vivus et sanus confiteberis, et laudabis
28. Dominum, et gloriaberis in miserationibus illius. Magna misericordia Domini, et pro-
XXI. 1. pitiatio illius convertentibus ad se. Item illic. Fili? peccasti non adicias iterum, sed
2. et de pristinis deprecare, ut tibi demittantur *a*). Item illic. Quasi a facie colo-
3. bri *b*) fuge peccata. Si accesseris ad illa, capient te quasi dentes leonis in devo-
4. rando, interficientes quasi romphaea bis acuta iniquitatium vindex: plagae illius me-
Es. XLVI. 8. della non est. Item in Esaia propheta. Memores estote bonorum, et ingemescite *c*):
XXX. 15. poenitentiam habete, qui erratis convertimini ex corde. Item illic. Sic dicit Domi-
nus sanctus Israhel: cum conversus ingemueris, tunc salvus eris, et scies ubi fue-
ris. Cum confidebas in illis, vana virtus vestra facta est, et nolebatis audire. Item
XXXIII. 2. illic. Domine, miserere nobis: in te enim confidimus. Factum est semen nostrum
in perditionem non credentium: salus autem nostra in tempore tribulationis, pro-
LXIII. 25. pter vocem timoris tui. Item illic. Ego sum qui doleo *d*) iniquitates tuas; et memordi *e*)
LIV. 14. iniquitates tuas prius *f*), ut iustificeris. Item illic. Abstine te ab iniquitate, et non ti-
LV. 6. mebis ea: mors non adpropriat tibi. Item illic. Quaerite Dominum, et mox invene-
7. ritis eum, invocate eum. Statim vero cum adpropinquaverit vobis, relinquat impius
vias suas, et vir iniquus consilia sua, et convertantur ad Dominum, et misericor-
XXX. 19. diam consequentur: quia relinquet *g*) multum peccata vestra. Item illic. Cum clamare
XXXV. 3. coeperis, extraham te de pressura *h*) tua. | Item illic. Convalescite manus dimissae, F. 48.
4. et genua dissoluta consolamini: qui pusillo animo estis, convalescite corde: ne ti-
LXI. 1. meatis: convertimini, et salvi eritis. Item illic. Spiritus Domini super me, propter
quod uncxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prae-
2. dicare captivis remissionem, et caecis visum restituere, vocare annum Domini ac-
3. ceptum, diem retributionis: consolari omnes lugentes, dare eis, qui lugunt *i*) Sion,
gloriam; pro cinere, unctionem laetitiae lugentibus; pro spiritu maestitiae, amictum
4. gloriae: et vocabuntur saecula iustitiae, plantatio Domini in gloriam. Item in Hiere-
Hier. III. 22. mia propheta. Convertimini, fili *k*) revertentes, et sanabo contritiones vestras. Item
II. 35. illic. Ecce *l*) ego iudico adversus te, in eo quod dicis: non peccavi. Quia contempsisti
36. nimis iterando vias tuas, quia reppulit *m*) Deus spem tuam, et non proficies in ea.
IV. 8. Item illic. Cingite vos ciliciis, et plangite et ululate: quoniam non avertit ira Do-
Hier. IV. 14. mini a vobis. Item illic. Ablue *n*) a malitia cor tuum Hierusalem, ut salveris. Usque-
VIII. 4. quo erunt in te cogitationes dolorum tuorum? Item illic. Haec dicit Dominus: num-
5. quid qui cadet, non resurget? aut qui avertit se, non convertetur? Quare conver-
tit populus iste conversionem malignam, et tenuerunt praesumptionem suam, et
6. noluerunt converti? Praebete *o*) ergo aurem, et audite: non est homo poenitentiam
agens a malitia sua, dicens: quid feci? Defecit quia currebat a cursu suo, sicut
7. equus sudans in hinnitu *p*) suo. Et asida in caelo cognovit tempus suum, turtur et
hirundo *q*), cui cellae agri, custodierunt tempora introitus sui; populus autem meus
XVIII. 11. non cognovit iudicium Domini sui. Item illic. Avertatur iam nunc unusquisque a
Baruch. III. 1. via sua mala, et meliora facite studia vestra. Item illic. Domine omnipotens, Deus
2. Israhel, anima in angustia et spiritus anxius clamat ad te: audi me Domine, quia
3. tu Deus misericors, et miserere quia peccavimus in conspectu tuo; quia tu es Deus

a) Ita cod. Etsi paulo ante *dim*. — *b*) Ita cod. — *c*) Ita cod. — *d*) Ita cod., non *deleo*. — *e*) Ita cod. Fortasse scribendum: *et memor dic*. — *f*) Ita cod., non *priores*. — *g*) Ita cod. ob duplicem significatum verbi ἀφίημι, *relinquo*, et *remitto*. — *h*) Cod *praessura*. — *i*) Ita cod. Nempe *lugo, is* pro *lugeo*, non semel in his fragmentis, et in Matthaei etiam vetere textu a nobis aliàs edito. — *k*) Ita cod. — *l*) Cod. *ette*. — *m*) Ita cod. — *n*) Cod. *abluae*. — *o*) Ita cod. 2. m. At 1. *praevete*. — *p*) Cod. *innitu*. — *q*) Cod. *erundo*.

in aeternum. Item illic. Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei *a*) Baruch. I. 15.
nostrae; quia peccavimus in conspectu Domini, et non credidimus ei, et non au- 17.
divimus vocem domini Dei nostri, ut ambularemus in praeceptis eius quae de- 18.
dit nobis. Et non sumus deprecati *b*) Dominum, ut averteremus unusquisque a co- II. 8.
gitationibus cordis sui nequissimi. Peccavimus, impie gessimus, iniquitatem egi- 12.
mus, domine Deus noster, in omnibus iustificationibus tuis. Inclina, Domine, aurem 16.
F. 49. tuam, et audi: aperi, Domine, oculos | tuos et vide: quia non mortui qui in in- 17.
ferno sunt, quorum accepisti spiritum de visceribus eorum, dabunt gloriam et iu-
stificationem Domino. Sed anima anxia in statu quod *c*) ambulat inclinatum et infir- 18.
mum; et oculi deficientes, et anima esuriens dabunt tibi gloriam et iustificatio-
nem, Domine. Item illic. Perscrutemus vias nostras, et convertamur ad Dominum: Thren. III. 40.
mundemus *d*) corda nostra cum manibus nostris, et respiciamus ad Dominum qui ha- 41.
bitat in caelis. Item in Osee *e*) propheta. Revertere, Israhel, ad dominum Deum Os. XIV. 2.
tuum, quia infirmatus es per iniquitates tuas. Sumite vobiscum multos, et conver- 3.
timini ad dominum Deum vestrum. Dicite illi: potens es demittere *f*) peccata, ut ac-
cipiatis bona. Item in Iohel propheta. Et nunc sic dicit dominus Deus vester: con- Iohel II. 12.
vertimini ad me ex toto corde vestro, et ex tota anima vestra: in ieiunio et fletu et
in planctu. Et disrumpite corda vestra, et et non vestimenta vestra: et convertimini ad 13.
dominum Deum vestrum, quia misericors et patiens est et magnianimus *g*), et multum
misericors, et patiens in malignitatibus. Item in Ezechihel propheta. Et iniquus si con- Ezech. XVIII. 21.
vertat se ab omnibus iniquitatibus suis quas fecit, et custodierit omnia mandata mea,
et fecerit iustitiam et misericordiam, vita vivet et non morietur; et omnia delicta *h*) 22.
quaecumque fecit, non erunt in memoria *i*): in sua iustitia, quam fecit, vitam vivet,
dicit Dominus. Numquid enim volo mortem iniqui, quam ut avertat se a via *k*) 23.
sua maligna, et vivat? Item illic. Convertimini, et avertite vos ab omnibus impie- 30.
tatibus vestris, et non erunt vobis in poenam iniquitatis. Proicite a vobis omnes im- 31.
pietates vestras, quas impie fecistis in me, et facite vobis cor novum et spiritum
novum. Et ut quid moriemini, domus Israhel? Item in evangelio secundum Mat- Matth. XVIII. 12.
thaeum. Quis ex vobis habens centum *l*) oves, cui si erraverit una, nonne relictis
nonaginta et novem in montibus, ibit quaerere illam quae errabit *m*)? Si contigerit ut 13.
inveniat eam, amen dico vobis quia gaudebit super illam magis quam propter no-
naginta et novem quae non erraverunt. Sic voluntas non est patris vestri qui est 14.
in caelis ut pereat unus ex istis pusillis. Item in Actibus apostolorum. Poenitentiam Act. III. 19.
agite et convertimini, ut deleantur peccata vestra. Item Paulus apostolus ad Co- II. Cor. VII. 9.
rinthios ·II· Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad
poenitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum pa-
tiamini ex nobis. Nam secundum Deum tristitia poenitentiam in salutem stabilem 10.
operatur. Nam huius mundi tristitia mortem operatur. Item Petrus apostolus in epi- II. Petr. III. 9.
stola ·II· Non tardat Dominus sui promissi *n*), sicut quidam tarditatem existimant, sed
F. 50. expectat propter vos, no|lens aliquem perdere, sed omnes expectat in poenitentiae
locum reverti. Item in Apocalypsi. Et angelo Laodiciae ecclesiae scribe *o*): haec di- Apoc. III. 14.
cit ille amen testis fidelis et verax, principium creaturae Dei: novi opera tua, quia 15.

a) Cod. *et faciei.* — *b*) Cod. *depraec.* — *c*) Ita cod. — *d*) Vulg. *levemus*, quam dicerem levem immutationem ex *lavemus;* nisi graecum ἀναλάβωμεν, et ipse contextus, vulgatae potius lectioni faveret. — *e*) Cod. *Osseae.* — *f*) Ita cod. — *g*) Ita cod. — *h*) Cod. *delecta.* — *i*) Cod. *in memoriam.* — *k*) Cod. *a viam.* — *l*) Cod. *habes centu.* — *m*) Ita cod. *b.* pro *v.* — *n*) Observa verbum *tardo* constructum cum secundo casu. — *o*) Cod. *scribae.*

Apoc. III. 16. [neque frigidus] neque calidus es: utinam frigidus esses aut calidus! sed quoniam te-
17. pidus, evomam te ex ore meo. Quia dicis: dives sum et locupletatus sum, et nihil
18. opus est mihi: et nescis, quia tu es miser et miserabilis et mendicus et nudus et
caecus. Suadeo tibi a me emere aurum igne probatum, ut dives sis et locupleteris;
et vestimenta mea alba, ut induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuae: et
19. collurio *a*) inungue *b*) oculos tuos, ut videas. Ego quoscumque amo, arguo et ca-
20. stigo. Aemulare igitur et age poenitentiam. Ecce sto ad ianuam, et pulso. Si quis
audierit vocem meam, et aperuerit ianuam, introibo ad illum, et caenabo cum illo,
21. et ille mecum. Qui vincit, dabo illi sedere mecum in sede mea; quomodo et ego
vici, et sedeo *c*) cum patre meo in sede ipsius.

CAPITULUM XXIIII.

DE ELEEMOSYNIS *d*).

Ps. CXI. 9. In psalmo ·CXI· Dispersit *e*) dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi.
Prov. III. 27. Item in Proverbiis. Noli abstinere bene facere pauperi, cum quando *f*) habeat manus
8. tua adiuvare. Ne dicas: vade et redi, cras do, cum possis statim bene facere: non
XIII. 8. enim scis quid contingat sequenti *g*) die. Item illic. Redemptio animae hominis, divi-
XIV. 21. 31. tiae ipsius. Item illic. Qui miseretur pauperem, beatus est. Item illic. Qui honorat
XV. 27. Dominum, miseretur pauperem. Item illic. Eleemosynis et fide mundantur peccata:
XIX. 17. qui autem miseretur, misericordiam consequetur. Item illic. Foenerat Dominum qui
22. miseretur pauperem; secundum autem datum eius retribuetur ei. Item illic. Fructus
XXI. 13. hominis eleemosyna est. Item illic. Qui obdurat *h*) aures ut non audiat infirmum, et
XXII. 9. ipse invocavit Dominum, et non erit qui exaudiat eum. Item illic. Qui miseretur pau-
XXVIII. 27. perem, ipse enutrietur; de suis enim panibus dedit pauperi. Item illic. Qui dat pau-
Eccli. III. 33. peribus, non egebit: qui autem avertit oculum suum, in magna inopia erit. Item in
34. Ecclesiastico. Ignem ardentem extinguet aqua, et eleemosyna resistet peccata *i*): et
Deus conspector, qui reddet gratiam, meminit in posterum, et in tempore casus tui
IV. 1. invenies firmamentum. Item illic. Fili, eleemosynam ne defraudes pauperis, et ne
2. 3. avertas oculum tuum ab egeno et inope: animam esurientem *k*) ne dispexeris, et non
4. protrahas datum angustati: rogationem tribulati ne *l*) abicias, et non avertas faciem
5. tuam ab egeno, et ab inope non avertas oculum tuum propter iram: et non relinquas
6. quaerentibus retro *m*) maledicere tibi: maledicentis enim te in amaritudine, exau-
dietur precatio *n*) illius: exaudiet autem qui fecit illum. Declina pauperi aurem
VII. 9. tuam, et redde debitum tuum, | et responde pacifica in mansuetudine. Item illic. Noli F. 51.
10. esse pusillianimis *o*) in anima tua: exorare, et facere eleemosynam non dispicias; et
pauperibus porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio et benedictio tua. Item
XII. 2. illic. Bene fac iusto, et invenies retributionem magnam; et si non ab ipso, certe *p*)
XIV. 11. a Domino. Item illic. Fili, bene fac tecum si *q*) habes, et Domino dignas obla-
12. tiones offer *r*). Memorare quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum de-
13. monstratum est tibi: testamentum huius mundi morte moritur. Ante mortem bene

a) Ita cod. 1. m. pro *collyrio*; at 2. m. *collubrio*. — *b*) Cod. *inunguae*. — *c*) Cod. *sede*. — *d*) Cod. *aelemosynis*. Infra vero *alaemosynis*. — *e*) Ita cod. 2. m. At 1. *disparsit*. — *f*) Ita cod. — *g*) Ergo nonnisi mendum erat *frequenti* cap. XI. p. 20. — *h*) Ita cod. ut cap. XIV. p. 22. — *i*) Ita cod. — *k*) Cod. *aesur*. — *l*) Cod. *tribulatione abicias*. — *m*) Cod. *rero*. — *n*) Cod. *praec*. — *o*) Ita cod. — *p*) Cod. *certae* — *q*) Cod. *se*, ut nunc Itali. — *r*) *offers*.

fac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Non defruderis *a*) a Eccli. XIV. 14
die bono, et particula boni doni non te praetereat *b*). Nonne aliis relinques labores 15.
et dolores tuos? Ante obitum tuum para iustitiam, quoniam non est aput inferos 17.
invenire cibum. Item illic. Eleemosyna viri quasi *c*) signaculum cum eo; et gra- XVII. 18.
tia hominis quasi pupillam conservabit. Item illic. Verumtamen super humilem XXIX. 11.
animo aequitarda *d*), et pro eleemosyna non trahas illum. Perde pecuniam *e*) pro- 13.
pter fratrem et amicum, et non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone 14.
thensaurum tuum in praeceptis Altissimi: proderit tibi magis, quam mater. Con- 15.
clude eleemosynam in corde pauperis, et haec pro te exoravit *f*) ab omni malo.
Item illic. Speciosa misericordia in tempore tribulationis, quasi nubes pluviae in XXXV. 26.
tempore necessitatis. *g*) Item in Osee propheta. Quoniam misericordiam volo, quam Os. VI. 6.
sacrificium; et agnitionem Dei, quam holocausta. Item in Deuteronomio. Non deerit Deut. XV. 11.
egens a terra tua: propter hoc praecipio tibi facere hoc verbum, dicens: aperiens
aperies manus tuas fratri tuo pauperi et egenti in terra tua, unusquisque pro vi-
ribus manuum *h*) suarum, secundum benedictionem domini Dei tui quam dedit tibi.
Item Iob. Viduae oculum non feci flere super me: vel si umquam panem meum Iob. XXXI. 16. &
solus manducavi, et non tradidi pupillo ex ipso; si dispexi nudum transeuntem, 19.
et non vestivi; si infirmorum non me benedixerunt umeri *i*); si de tonsura *k*) ovium 20.
mearum non calefacti sunt; si non aperui ad populum *l*) manum meam, aut non fui 21
adiutorium illis; discedat umerus meus ab *m*) iugulo meo, et brachium meum a iu- 22.
gulo meo disrumpatur. Haec enim facientem timor Domini continebat me. Si per- 22.
misi minimum et inpotentem vacuo gremio exire ianuam meam, non respiciat me 31. gr. 35. gr.
manus Domini: dirigens enim in hoc cor meum timebam Deum. Item Tobias. Tob. IV. 6.
Bene facito coram ipso, et noli ambulare in vias iniquitatis. Nec avertas faciem 7.
tuam ab egeno et paupere, quoniam eleemosyna liberat a morte. Et vide, fili, ne 11.
F. 52. sequaris vias iniquorum, et multitudo peccan|tium non suadeat te. Item illic. Tu au- 12.
tem si operatus fueris veritatem, erit respectus Dei in operibus tuis, et cum omni-
bus qui faciunt iustitiam hereditabis vitam aeternam. Item illic. Non tardes autem 7.
de substantia tua eleemosynam porrigere, nec avertas faciem tuam a paupere: hoc
enim faciente te, non avertet *n*) a te facies Dei: quia restituet unicuique secundum
opera eius. Item illic. Tu autem secundum quod habuerit manus tua, porrige illam: 8.
et si fuerit tibi copiosa substantia, facile tribuens bene fac, et dives esto in ope- 9.
ribus bonis. Sed et si exigua fuerit substantia tua, ex hac ipsa sine tristitia com-
munica, et ne timueris paupertatem faciens eleemosynam, quia indeficiens est in
suis Deus, et tu praemium bonum repones tibi, praeparans praesidium eius in diem 10.
necessitatis. Quoniam eleemosyna eruet a morte, et non patitur ire *o*) in tenebras 11.
facientem bene. Eleemosyna enim acceptabile munus Dei est, et adest omnibus qui 12.
faciunt eam coram Domino. Et de pane tuo communica esurienti: et tege nudos de
vestimentis tuis: ex omni quod superhabundaverit tibi fac eleemosynam, et non
invideat bonae voluntati tuae oculus tuus. Et noli commoveri, fili, quod paupe- 23.
ram *p*) vitam gessimus: habes enim multa bona, si custodieris hereditatem prece-
ptorum meorum: quoniam perfecta est oratio cum ieiunio, et eleemosyna cum iu-

a) Ita cod. — *b*) Cod. *pret.* — *c*) In cod. interponitur *pupillam*, tum deletur. — *d*) Cod. coniunctim *animaequitarda*. Graece v. 8. ἐπὶ ταπεινῷ μακροθύμησον. Et nota insolitum lat. vocabulum. — *e*) Cod. *pecc.* — *f*) Ita cod. *v.* pro *b.* — *g*) Cod. *necessitas.* — *h*) Cod. *manum.* — *i*) Ita cod. sine adspirata, ut etiam Fronto scribit. — *k*) Cod. *consura.* — *l*) Vulg. *pupillum.* cum gr. — *m*) Cod. *ad.* — *n*) Cod. *averte.* — *o*) Cod. *irae.* Sic et infra. — *p*) Ita cod.

stitia. Et in his omnibus etiam modicum cum iustitia melius est, quam plurimum
cum iniquitate: et potius est te *a*) thensaurizare eleemosynam misericordiae, quam
abundantia *b*) pecuniarum. Quoniam eleemosyna liberat a morte, et non patitur ire
in tenebras, et ipsa est quae purgat peccata: et qui faciunt eleemosynam operan-
Rom. XV. 26. tur iustitiam, saturabuntur in vitam aeternam. Item Paulus apostolus ad Romanos.
Placuit autem in Macedonia *c*) et Achaia commemorationem aliquam facere in paupe-
27. res, qui sunt in Hierusalem sanctorum. Debitores sunt enim ipsorum. Si enim spi-
ritalibus eorum communicaverunt gentes, debent et gentes in carnalibus servire
II. Cor. IX. 5. eis. Item ad Corinthios ·II· Necessarium autem existimavi rogare fratres, ut pergant
ad vos, et praeparent ante promissam benedictionem hanc *d*) paratam esse, sed sic
6. qua si *e*) benedictis *f*), non quasi avaritiam. Hoc autem dico, quia qui seminat parce,
[parce] et metet; et qui seminat in benedictione, de benedictione et metet *g*) vitam ae-
ternam. Unusquisque sicut proposuit corde, non ex tristitia aut necessitate: hilarem
Gal. VI. 9. enim datorem diligit Deus. Item ad Galatas. Bonum autem facientes, non deficiamus:
10. tempore enim suo metemus, non deficientes. Ergo dum tempus habemus, opere-
Phil. IV. 17. mur bonum ad omnes homines, | maxime autem ad domesticos fidei. Item ad Phi- F. 53.
lippenses. Non quod quaeram datum, sed requiro fructum habundantem in ra-
18. tione vestra. Habeo autem omnia, et habundo: repletus sum acceptis ab Epaphro-
dito *h*) quae a vobis missa sunt, odorem suavitatis, hostiam acceptavilem *i*) pla-
I. Ioh. III. 17. centem Deo. Item Iohannis *k*) apostolus ·I· Quicumque autem habuerit substantiam
mundi, et viderit fratrem suum egere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo
18. caritas Dei manet in illo? Filioli, non diligamus verbo tantum et lingua, sed opere
Iac. I. 27. et veritate. Item Iacobus apostolus. Sanctitas autem pura et incontaminata haec est
aput Deum patrem visitare orphanos *l*) et viduas in angustia ipsorum, et inma-
II. 13. culatum se servare a mundo. Item illic. Iudicium enim sine misericordia ei *m*) qui
14. non fecit misericordiam; quoniam misericordia praefertur iudicio. Item illic. Quid
prodeest, fratres, si fidem quis dicat in semet ipso manere, opera autem non ha-
15. beat? Numquid potest fides *n*) sola salvare eum? Si frater aut soror nudi fuerint,
16. et defuerit eis cottidianus cibus; dicat autem eis aliquis vestrum: ite in pace, et
calefacimini, et satiemini, et non det eis necessaria corporis, quid prodeest haec di-
17. xisse eis? Sic et fides, quae non habet opera, mortua est circa se. Sicut enim cor-
pus sine spiritu mortuum est, sic et fides sine operibus mortua est. Item in evan-
Matth. V. 42. gelio secundum Matthaeum. Omni petenti *o*) te, tribue: et ab eo qui mutuum vult
VI. 2. accipere, noli te avertere. Item illic. Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante
te, sicut hypocritae faciunt in synagogis et in plateis, ut honorificentur ab ho-
3. minibus: amen dico vobis, quia habent mercedem suam. Te autem faciente elee-
mosynam, nesciat manus tua senestra *p*) quid faciat dextera tua, ut eleemosyna tua
4. in absconso, et pater tuus qui videt in absconso reddet *q*) tibi in palam. Item secun-
Luc XI. 41. dum Lucam. Verumtamen date eleemosynam, ecce omnia munda sunt vobis. Item
XXI. 1. illic. Intendens autem Iesus, vidit eos qui mittebant *r*) munera sua in gazophyla-
2. cium *s*) divites. Vidit autem et quandam *t*) viduam pauperculam mittentem aera mi-
3. nuta duo. Et dixit: vere dico vobis, quia vidua haec paupercula plus omnibus mi-

a) Cod. *potius est dethensaurizare.* — *b*) Ita cod. Quamquam paulo ante et postea cum *h.* — *c*) Cod. *Mached.* — *d*) Cod. *hunc.* — *e*) Cod. *quo si.* — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *mete.* — *h*) Cod. *Epafr.* — *i*) Ita cod. — *k*) Ita cod. — *l*) Cod. *orf.* — *m*) Cod. *his.* — *n*) Cod. *fide.* — *o*) Cod. *paet.* — *p*) Ita cod. populari pronunciatione. — *q*) Cod. *seddet.* — *r*) Cod. *mittebantur.* — *s*) Cod. *gazofil.* — *t*) Cod. *quendam.*

sit. Omnes hi *a*) ex abundanti *b*) sibi miserunt in dona Dei: haec autem ex eo quod Luc. XI. 4.
deest illi, omnem victum quem habuit misit. Item illic. Vendite quae possidetis, XII. 33.
et date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterescunt *c*), thensaurum non
deficientem in caelis, ubi fur non accedit, neque tinea *d*) conrumpit. Ubi enim fue- 34.
rit thensaurus vester, ibi et cor vestrum erit. Item in Actibus apostolorum. Omnis *e*) Act. II. 44.
F. 54. autem qui credebant, | habebant in unum omnia communia, et possessiones et quae- 45.
cumque habebant vendebant, et dividebant cottidie omnibus, prout unicuique opus
erat. Item illic. Multitudinis vero credentium erat cor et anima una: et nemo eo- IV. 32.
rum quae possidebant, quidquam suum proprium esse dicebant, sed erant eis omnia
communia.

CAPITULUM XXV.

SEMPER ORANDUM.

In psalmo ·CXVIII· Memor fui in nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem Ps. CXVIII. 55.
tuam. Item illic. Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiae 62.
tuae. Item in psalmo ·VI· Lavabo per singulas *f*) noctes lectum meum, lacrimis VI. 7.
stratum meum rigabo. Item in psalmo ·CXXXIII· In noctibus extollite manus ve- CXXXIII. 2.
stras in sancta, et benedicite Dominum. Item in Ecclesiastico. Non inpediaris orare Eccli. XVIII. 22.
semper, et non veteris usque ad mortem iustificari: quia mercis *g*) Domini manet in
aeternum. Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tem- 23.
ptat Deum. Item illic. Deprecatio pauperis ex ore festinat usque ad nubes, et iudi- XXI. 6
cium festinato veniet illi, et precationem molesti exaudit. Item illic. Non dispiciet pre- XXXV. 17.
ces pupilli, nec viduam si effundat orationem [Nonne lacrima ad maxillam] discen- 18.
det *h*), exclamatio vero ad caelum ascendit, et Deus exauditor delectans in illis? Item 20.
illic. Qui placet Domino, in oblectatione suscipietur, et precatio illius usque ad nubes
propinquabit. Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et donec propinquet non tar- 21.
dabitur, nec recedet donec inspiciat Altissimus. Item secundum Lucam. Et ait Iesus: Luc XI. 5.
quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi: amice
commoda mihi tres panes; quoniam amicus meus venit ad me de via, et non habeo 6.
quod ponam ante illum? Et ille intus respondens dicet: noli mihi molestus esse, 7.
iam enim osteum *i*) clausum est, et pueri in cubiculo mecum sunt, non possum
surgere et dare tibi. Et ille si perseveraverit pulsans; dico vobis, et si non dabit 8.
ei surgens, eo quod amicus eius est, propter improbitatem autem eius surget, et
dabit illi quantos desiderat. Ego vobis dico: petite et dabitur vobis; quaerite, et 9.
invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quae- 10.
rit, invenit; et pulsanti aperietur. Item illic. Vigilate itaque in omni tempore, ut XXI. 36.
digni habeamini effugire *k*) ista omnia quae futura sunt, et stabitis ante filium ho-
minis. Item ad Philippenses. Dominus in proximo est, nihil solliciti sitis, sed in Phil. IV. 5.
F. 55. omni oratione cum gratiarum actione postulationes vestrae, innotescant apud Deum. 6.
Et pax Dei, quae superat omnem mentem, dirigit *l*) corda vestra et corpora in 7.
Christo Iesu. Item ad Thessalonicenses ·I· Semper gaudete in Domino, sine intermis- I. Thess. V. 16. 17. 18.
sione orate, in omnibus gratias agite: haec est enim voluntas Dei in Christo Iesu ad

a) Cod. *his*. — *b*) Ita rursus cod. sine adspir. *c*) — Ita cod. — *d*) Cod. *inea*. — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *singulas*. Contra alibi *g*. pro c — *g*) Ita cod. — *h*) Ita cod. — *i*) Ita cod. — *k*) Ita cod. — *l*) Ita cod.

*

Colos. IV. 2. vos. Item ad Colossenses. Orationi instate, vigilantes in illa gratiarum actione. Item
I. Tim. II. 8. ad Timotheum ·I· Volo igitur viros orare in omni loco, levantes sanctas *a*) manus
V. 5. sine ira et disceptione *b*). Item illic. Quae autem vere vidua est et desolata, sperat
in Deum et instat orationi *c*) nocte et die.

CAPITULUM XXVI.

DE IRA DEI ET IUDICIO VENTURO.

Deut. XXXII. 22. In Deuteronomio. Quia ignis exarsit ab ira mea, et ardebit usque ad inferos: deorsum comedit terram, et nascentia eius, et concremat fundamenta montium. Item
34. illic. Ecce haec collecta sunt in thensauris meis: in die iudicii reddam in tempore,
35. cum lapsus fuerit pes eorum: quia prope est dies perditionis eorum, et adveniet
36. parata vobis: quia iudicavit *d*) Dominus plebem suam, et in servis suis consolabitur.
XXXII. 41. Item illic. Et retribuam iudicium inimicis, et odientibus me restituam. Item in psal-
Ps. VII. 12. mo ·VII· Dominus iudex iustus fortis et patiens, numquid irascetur per singulos
13. dies? Nisi convertamini, gladium suum vibravit *e*), arcum suum tetendit, et paravit il-
14. lum: et in eo paravit vasa mortis sagittas suas ardentibus operatus est. Item in
XLIX. 3. psalmo ·XLVIIII· Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis in con-
Es. XIII. 6. spectu eius ardebit, et in circuitu eius tempestas valida. Item in Esaia *f*) propheta
9. Ululate; prope est enim dies Domini, et contritio a Deo veniet. Item illic. Ecce
enim dies Domini sine refrigerio adveniet, indignationis et irae: ponere orbem ter-
10. rae desertum, et peccatores perdere ex eo. Nam stellae caeli, et lucifer, et omne
ornamentum caeli, lumen non dabunt, et obscurabuntur sole oriente, et lunae non
11. permanebit lumen. Et mandabo universo orbi mala, et impiis peccata eorum: et
12. perdam contumeliam iniquorum, et contumeliam superborum humiliabo. Et erunt
qui derelicti sunt pretiosi *g*) magis quam aurum, et homo pretiosus magis quam
LXVI. 15. lapis ex sapphir *h*). Item illic. Ecce enim Dominus ut ignis veniet, et ut tempestas
16. currus eius, reddere in ira vindictam, et interitum flammae ignis. In igne enim
XXXIV. 2. Domini iudicabitur omnis terra, et in rhomphaea omnis caro. Item illic. Visitatio
enim erit cum commotione et tonitruis, et terrae motu *i*), cum voce maxima tem-
4. pestas decidens, et flamma ignis consumens. Et convolvetur caelum ut liber, et omnia
sidera eius | cadebunt *k*) ut folia de vite, et ut folia de ficu. Dies enim iudicii Do- F. 56.
Am. V. 18. mini, et annus retributionis. Item in Amos propheta. Vae qui concupiscunt diem
Domini! Et ut quid vobis hunc diem Domini! Et hic est dies tenebrae et non lux.
19. Quemadmodum si fugiat homo a facie leonis, Et incedat *l*) ei ursus; et insiliat in do-
20. mum suam, et infulciat manus suas in parietem, et mordeat eum serpens. Nonne
Iohel I. 13. tenebrae sunt dies illa Domini, et non lux, et nebula sine lumine? Item in Iohel
propheta. Praecingemini *m*), et plangite vos sacerdotes, lugite *n*) deservientes alta-
rio *o*), introite, dormite in ciliciis *p*) qui deservitis Deo: quia cessavit de domo Dei
14. vestri sacrificium et elibatio. Item illic. Sanctificate ieiunium, praedicate deservitio-
nem, convocate seniores et omnes inhabitantes terram in domum domini Dei nostri,
15. et clamate ad Dominum vehementer: vae mihi, vae mihi, vae mihi, in diem Domini!
II. 2. quia prope est dies Domini, dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et nebulae. Ante

a) Cod. *sancta*. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *orationis*. — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. *v*. pro *b*. — *f*) Ita heic recte cod. *Esaia*. — *g*) Cod. *praet*. heic et mox. — *h*) Cod. *saffyr*. — *i*) Cod. *terremotus*. Sic et infra. — *k*) Ita evidenter cod. — *l*) Cod. pro *incidat*. — *m*) Ita cod. — *n*) Ita cod. — *o*) Ita cod. — *p*) Cod. *ciliis*.

conspectum eius turbabitur terra, et movebitur caelum, et sol et luna contenebra- Iohel II. 10.
buntur, et sidera decident, nec dabunt lumen suum. Et Dominus dabit vocem suam 11.
ante conspectum exercitus sui. Quia *a*) multus est nimium exercitus illius, et quia
valida sunt opera sermonum eius, et magnus est dies Domini magnus, et manife-
stus nimium, et quis erit sufficiens illi? Item in Sophonia *b*) propheta. Vox diei Do- Soph. I. 14.
mini amara et dura, constituta dies, potens dies, iracundiae dies ille, dies tribu- 15.
lationis et necessitatis, dies infelicitatis et exterminii, dies tenebrarum et tempesta-
tis, dies nubis et caliginis, dies tubae et clamoris super civitates firmas et super 16.
angulos excelsos. Item illic. Et effundam sanguinem eorum sicut limum *c*), et car- 17.
nes eorum sicut stercora boum, et argentum et aurum eorum non poterit liberare 18.
eos in die irae Domini. Item in Esaia propheta. Et exibunt sancti, et videbunt mem- Es. LXVI. 24.
bra hominum, qui praevaricati sunt in me: vermis enim eorum non morietur, et
ignis eorum non extinguetur, erunt in aspectu omni carni. Item secundum Mat- Matth. XIII. 49.
thaeum. Sic erit in consummatione saeculi huius: exient angeli, et separabunt ma- 50.
los a conversatione iustorum, et mittent illos in caminum ignis: ibi erit fletus eo- XXIV. 29.
rum, et stridor dentium. Item illic. Confestim autem post illos dies tribulationum,
F. 67. sol convertetur in tenebras, | et luna non dabit lumen suum, et stellae cadebunt *d*)
de caelo, et virtutes caelorum movebuntur: et tunc apparebit signum fili homi- 30.
nis in caelo, et tunc plangent se universae tribus terrae, et videbunt filium homi-
nis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et maiestate. Et mittet angelos 31.
suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos eius a quattuor angulis ven-
torum, a summis caeli usque ad summum eorum. Item Petrus apostolus ·II· Ad- II. Petr. III. 10.
veniet autem dies Domini sicut fur, in qua caeli magno impetu transcurrent, et ele-
menta ignis calore solventur *e*), et terra et ea quae in ipsa opera omnia eorum
omnium pereuntium, qualia debent edere exsecrabilibus *f*) escis et impietatibus, non 11.
expectantes *g*) praesentiam diei Domini, per quem caeli ardentes solventur, et elementa 12.
ignis ardore decoquentur. Item in Apocalypsi Iohannis. Dubiis autem et infidelibus Apoc. XXI. 8.
et abominandis et homicidis et adulteris et maleficis et idolis *h*) servientibus et men-
dacibus, pars illorum in stagno ignis ardentis et sulfore *i*), quod est mors secunda.

CAPITULUM XXVII.

DE RESURRECTIONE.

In Iob. Fili *k*) tui erunt sicut viridia agri. Et in consummatione saeculi exurgens Tob. V. 25.
de sepultura *l*) reverteris ut triticum maturum, quod ad tempus suum secatur, et 26.
ascendit in massa areae, quae omni hora adcumulatur. Nam suscitavit *m*) eum de terra
qui sine malitia est, nec obliviscetur illum. Item illic. Quoniam scio quod etsi mor- XIV. 14.
tuus fuerit homo, consummans dies vitae suae, non periet coram te, sed vivet.
Propter quod et ego sustinebo, quousque iterum fiar *n*): et cum vocaveris me, obau- 15.
diam opera manuum *o*) tuarum. Item in Ezechihel propheta. Et facta est super me Ezech. XXXVII. 1.
manus Domini, et duxit me in spiritu Dominus, et posuit me in medio campo, et
hic plenus erat ossibus humanis. Et circumduxit me per gyrum *p*) super faciem eo- 2.

a) Cod. *qua*. — *b*) Cod. *Soffonia*. — *c*) Cod. *sic ultimum*. Graece χοῦν, vulg. *humus*. — *d*) Ita cod. ut antea. — *e*) Cod. heic mendose *calores salvuntur*. Sed recte infra. — *f*) Ita cod. 2. m. At 1. *exsecrabilius*. — *g*) Videtur omnino corruptus locus, atque emendandus ex vulgato: *cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus expectantes* etc. — *h*) Cod. *idoli*. — *i*) Ita cod. — *k*) Ita cod. — *l*) Cod. *saepulturae*. — *m*) Ita cod. *v*. pro *b*. — *n*) Ita cod. non sine aliis lat. exemplis. — *o*) Cod. *manum*. — *p*) Cod. *girum*.

3. rum. et ecce multa nimis super faciem campi arida nimis. Et ait ad me: fili ho-
4. minis, si vivent ossa ista? Et ego respondi: Domine tu scis haec. Et ait ad me:
fili hominis, prophetare super ossa ista, et dices illis: ossa arida, audite ver-
5. bum Domini. Haec dicit Dominus ossibus istis: ecce ego inferam in vobis spiritum
6. vitae, et dabo in vos nervos, et adducam super vos viscera, et extendam super
vos cutem, et dabo spiritum meum in vobis, et vivetis et scietis quia ego sum
7. Dominus. Et prophetavi sicuti mandavit mihi Dominus. Et factum est dum pro-
pheto ego, et ecce terrae motus magnus, et accedebant ossa unumquodque ad
8. conpaginem suam. Et vidi et ecce nascebantur super illa nervi, et carnis *a*), et F. 58.
9. cutis extendebatur; et spiritus non erat in eis. Et ait ad me Dominus: pro-
phetare in spiritu, prophetare fili hominis, et dic: spiritus, haec dicit Domi-
nus: a quattuor ventis caeli veni spiritus, et insuffla in mortuos istos *b*) et vi-
10. vant. Et prophetavi, sicut mandavit mihi: et intravit in eos spiritus vitae, et vi-
11. xerunt, et steterunt super pedes suos, congregatio multa nimis. Et locutus est Do-
minus ad me dicens: fili hominis, ossa haec, domus Israhel est. Et ipsi dicunt:
12. arida effecta sunt ossa nostra, interiit spes nostra. Propterea prophetare, et dic:
haec dicit Dominus: ecce ego aperiam monumenta vestra, et educam vos de mo-
13. numentis vostris, ut inducam vos in terra *c*) Israhel. Et scietis, quoniam ego sum
Dominus, cum aperiam sepulchra *d*) vestra, et educam de monumentis populum
14. meum. Et dabo spiritum meum in vos, et vivetis, et ponam vos in terram ve-
stram, et scietis quoniam ego sum Dominus, et locutus sum, et faciam, dicit Do-
Dan. XII. 2. minus. Item in Danihelo *e*) propheta. Et multi de dormientibus, exurgent in opertio-
3. nem terrae, et exurgent in vitam aeternam. Item illic. Et hii in opprobrium et con-
13. fusionem aeternam. Item illic. Et exurges *f*) in sorte tua in fine dierum. Item in
II. Mach. VII. 23. Machabaeorum *g*) ·II· Dominus ergo qui fecit caelum et terram *h*), et mare; qui fecit
hominem, et omnium inquirit actum, ipse spiritum et animam nobis iterum re-
VII. 9. stituet cum misericordia. Item illic. Tu quidem, scelerate et impie, de praesenti
vita nos perdes; rex autem mundi, qui regnat in aeternum, et regni eius finis non
est, *i*) mortuos nos pro suis sanctis legibus, [ad] aeternae vitae conversationem re-
14. suscitavit *k*). Item illic. Melius est eligere mori ab hominibus, et a Domino spem
denuo futurae resurrectionis habere. Tibi autem tyranne resurrectio in vitam non
29. erit. Item illic. Noli ergo timere carnificem hunc, sed dignus talium fratrum, su-
scipe mortem, ut in ingenti *l*) misericordia cum fratribus, te recipiam. Item in evan-
Ioh. V. 21. gelio secundum Iohannem. Sicut enim pater suscitat mortuos et vivificat, sic et fi-
25. lius quos vult vivificat. Item illic. Amen dico vobis, quia venit hora et nunc est,
28. quando mortui audient vocem fili Dei; et qui audierint, venient *m*). Item illic. Dico
enim vobis, nolite mirari istud, quia veniet hora, in qua omnes qui in monumen-
29. tis *n*) sunt, audient vocem eius. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem
VI. 40. vitae; et qui mala fecerunt, in resurrectionem iudicii. Item illic. Haec est enim
voluntas patris *o*) mei, qui me misit, ut omnis qui videt filium, et credit in eum,
Immo Luc. XXI. 28. habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum novissima die. Item in evangelio se- F. 59.
cundum Matthaeum. Cum coeperint *p*) autem haec fieri, respirabitis et levabitis ca-
I. Cor. XV. 2. pita vestra, quia *q*) adpropriavit redemptio vestra. Item Paulus apostolus ad Corin-

a) Ita cod. — *b*) Cod. mendose *hisinos*. — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. *saepultura*. — *e*) Si desinit in cod. — *f*) Cod. *exurget*. — *g*) Cod. sine diphthongo. Sic et infra. — *h*) Cod. *aeram*. — *i*) Cod. *non mortuos*. — *k*) Ita cod. v. pro *b*. — *l*) Cod. *ingentis*. — *m*) Ita cod. — *n*) Cod. *munumentis*. Sed recte alibi. — *o*) Cod. *patri*. — *p*) Cod. *caeperint*. — *q*) Cod. *qui*.

thios ·I· Nunc autem Christus surrexit ex mortuis, incohatio *a*) dormientium. Nam I. Cor. XV. 21
quia per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in 22.
Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in 23.
suo ordine; initium Christus; deinde hii qui sunt Christi, qui in adventum eius cre- 24.
diderunt; deinde finis. Item illic. Nolite seduci: conrumpunt mores bonos conlo- 33.
quia mala. Subrii *b*) estote et iusti, et nolite peccare: ignorantiam enim Dei qui- 34.
dam habent. Ad verecundiam dico vobis. Sed dicit aliquis: quomodo resurgunt mor- 35.
tui? quo autem corpore veniunt? Insipiens; tu quod seminas, non corpus quod na- 36.
scitur seminas, sed nudum granum, ut puta tritici aut alicuius ceterorum; Deus au- 37
tem illi dat corpus prout vult, et unicuique seminum proprium corpus. Non omnis 38.
caro eadem caro, sed alia quidem hominis, alia pecoris. Alia volatilium, alia autem 39.
piscium. Et corpora caelestia, et corpora terrestria: alia quidem caelestium gloria, 40.
alia autem terrestrium: alia gloria solis, alia gloria lunae, et alia gloria stellarum: 41.
stella enim a stella differt in claritate. Ita et resurrectio mortuorum. Seminatur in in- 42.
teritum, surgit in perpetuitatem. Seminatur in contumelia, surgit in gloria. Seminatur 43.
in infirmitate, surgit in virtute. Seminatur corpus animale, surgit spiritale. Sic etiam 44.
scribtum est: factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam 45.
in spiritu vivificante. Sed non primum quod spiritale est, sed quod animale; deinde
spiritale. Item illic. Ecce dico vobis mysterium: omnes inmutabimur in momento, in 51.
ictu *c*) oculi, in novissima tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos inmutabimur. 52.
Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere in- 53.
mortalitatem. Item ad Corinthios ·II· Sic enim nos qui vivimus, in mortem tradimur II. Cor. IV 11
propter Iesum, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Item illic. Scimus V. 1.
enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedi-
ficationem a Deo habemus, domum non factam, aeternam in caelis. Nam in hoc 2.
gemimus, habitaculum nostrum, quod de caelo est, supervestiri cupientes: si tamen 3.
spoliati *d*), non nudi, inveniamur. Nam et qui sumus in habitaculo hoc, gemimus 4.
F. 60. gravati in eo quod nolumus spoliari, sed supervestiri cupi|entes, ut absorbeatur mor-
tale hoc a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus; qui dedit nobis arrham *e*) 5.
Spiritùs. Item ad Philippenses. Nostra autem conversatio in caelis est, unde et Phil. III. 20
salvatorem expectamus dominum Iesum Christum, qui reformavit *f*) corpus humili- 21.
tatis nostrae conforme *g*) corpori gloriae suae. Item ad Thessalonicenses [·I·] Nolumus I. Thess. IV. 12
autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non tristes sitis, sicut et ceteri
qui spem non habent in Domino. Si enim credimus quia Iesus mortuus est et re- 13.
surrexit, ita et Deus eos, qui dormierunt, per Iesum adducet cum illo. Hoc enim 14.
vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus, in ad-
ventum Domini non praeveniemus dormientes: quoniam ipse Dominus in clamore 15.
archangeli et in tuba Dei discendet de caelo: et mortui qui in Christo, resurgent
primi: deinde nos, qui vivimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in obviam *h*) 16.
Christo, in aere, et ita semper cum Domino erimus. Item in Apocalypsi. Et vidi Apoc. XX 12.
mortuos pusillos et magnos stantes in conspectu sedis. Et libri aperti sunt: et alius *i*)
liber apertus est, qui est vitae, et iudicati sunt mortui secundum ea quae scripta
sunt in libris, et secundum opera sua. Et dedit mare mortuos qui fuerunt in ipso 13.
et mors et infernus dederunt [qui] in ipsis, et iudicati sunt singuli secundum facta sua.

a) Cod. *incoatio*. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *hictu*. — *d*) Ita cod. ex gr. ἐκδυσάμενοι (pro ἐνδυσάμενοι), ut est in variis lect. — *e*) Cod. *arram*. — *f*) Ita cod. *v*. pro *b*. — *g*) Cod. *conformem*. — *h*) Cod. *inobiam*. — *i*) Cod. *alii*, et deinde fit pausa.

CAPITULUM XXVIII.

DE TRIBULATIONIBUS ET PROBATIONIBUS IUSTORUM.

Ps. XIX. 8. In psalmo ·XVIIII· Hii in curribus, et hii in equis ; nos autem in nomine do-
9. mini Dei nostri magnificabimur. Ipsi obligati sunt et ceciderunt, nos vero resurre-
XXXII. 20. ximus et erecti sumus. Item in psalmo ·XXXII· Anima autem nostra patiens est in
21. Domino, quoniam adiutor et protector noster est : et in ipso laetabitur cor nostrum,
22. et in nomine sancto eius sperabimus. Fiat misericordia tua super nos, sicut spera-
XXXIII. 5. bimus *a*) in te. Item in psalmo ·XXXIII· Inquisibi *b*) Dominum, et exaudivit me,
8. et ex omnibus angustiis meis eripuit me. Inmittit Dominus angelum in circuitum ti-
10. mentium eum, et eripiet eos. Timete Dominum sancti eius, quoniam nihil deest ti-
XXXVI· 24. mentibus eum. Item in psalmo ·XXXVI· Cum ceciderit iustus, non conturbabitur,
XLI. 4. quoniam Dominus firmamentum eius est. Item in psalmo ·XLI· Fuerunt mihi lacri-
mae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi cottidie : ubi est Deus tuus?
XLIII. 6. Haec recordatus sum, et effudi in me animam meam. Item in psalmo ·XLIII· In
te inimicos nostros ventilabimus, et in nomine tuo spernimus *c*) insurgentes in nos.
8. Salvasti enim nos, Deus, ex adfligentibus nos, et eos qui nos oderunt confudisti.
12. 17. Dedisti nos tamquam oves escarum, a voce exprobrantis et obloquentis, a facie ini-
18. mici et persequentis. Haec omnia venerunt super nos, et obliti non sumus te, | et inique
19. non egimus in testamento tuo, et non recessit retro cor nostrum. Et declinasti semitas F. 61.
20. nostras a via tua, et operuit nos umbra mortis. Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si
21. 22. expandimus manus nostras ad Deum alienum, nonne Deus requiret ista? Ipse enim no-
vit occulta cordis. Quoniam propter te mortificamur tota die, aestimati sumus ut oves
LIV. 3. occisionis. Item in psalmo ·LIIII. Contristatus sum in exercitatione mea, et contur-
4. batus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris. Cor meum conturbatum est
5. 7. in me, et formido mortis cecidit *d*) super me. Et dixi: quis dabit mihi pinnas sicut
LXV. 10. columbae, et volabo et requiescam? Item in psalmo ·LXV· Quoniam probasti nos,
12. Deus, igne nos examinasti, sicut in igne examinatur argentum. Transibimus *e*) per
CXXV. 5. ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium. Item in psalmo ·CXXV· Qui seminant
6. 7. in lacrimis, in gaudio metent. Euntes ibant et [flebant] mitttentes semina sua ; ve-
Prov. XVII. 3. nientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos. Item in Proverbiis.
VI 3. Sicut probatur argentum in camino et aurum, ita electa corda aput Deum. Item Il-
lic. Fac, fili, quae ego mando tibi, et salvus eris. Venisti enim in manus malorum.
Propter amicum tuum esto infatigabilis. Adtende autem amicum tuum quem spo-
4. 5. pondisti. Ne dederis somnum oculis neque dormites palpebris *f*) tuis, ut evadas sicut
Sap. III. 1. dammula *g*) ex retibus, et sicut avis ex laqueo. Item in libro Sapientiae. Iusto-
2. rum autem animae in manu Domini sunt, et non continget illos tormentum. Visi
4. sunt oculis insipientium mori, et aestimata est malitia *h*) exitus eorum. Et si coram
5. hominibus tormenta passi sunt, spes illorum inmortalitate plena est. Et in paucis
vexati, in multis bene disponentur. Quoniam Deus temptavit illos, et invenit illos
6. dignos se esse. Sicut aurum in fornace provabit *i*) illos, et quasi holocausta *k*) hostiam
7. accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt tamquam stellae in

a) Ita cod. *b*. pro *v*. — *b*) Ut antea. — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. *caecidit*. — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *palphebris*, ut alibi — *g*) Cod. *dammala*. — *h*) Ita cod. Videtur interpres noster legisse vel κάκωσις, unde vulg. *afflictio* ; vel potius κακία, unde haec lectio *malitia*. — *i*) Ita cod. — *k*) Ita cod.

arundinetum discurrentes, iudicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regna- Sap. III. 8.
vit *a*) Dominus illorum in perpetuum. Item in Ecclesiastico. Fili, accedens ad ser- Eccli. II. 1.
vitutem Domini, sta in iustitia et timore, et praepara animam tuam ad temptatio-
nem. Deprime cor tuum, et sustine: declina aurem tuam, et excipe verba intelle- 2.
ctus *b*), et ne festines in tempus abductionis *c*). Sustine sustentationem Domini: con- 3.
iungere Domino, et sustine; ut crescat in novissimo vita tua. Omne quod tibi ad- 4.
plicitum fuerit, accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua habe patientiam:
F. 62. quoniam in igne probatur *d*) aurum et argentum, homines vero iusti in camino | hu- 5.
miliationis. Item illic. Vasa figuli probat fornax, et homines iustos temptatio tribu- XXVII. 6.
lationis. Item in Ecclesiastico *e*). Et Deus quaeret *f*) persecutionem patientem. Item in Eccli.
Tobi. Benedictus dominus Deus noster, quia ecce video te, fili: et benedictum no- Tob. XI. 17.
men illius, quod est magnum: et benedicti omnes sancti angeli eius: et sit nomen
illius sanctum, et benedictum in omnia saecula saeculorum. Quoniam ipse flagella-
vit me in redargutione mea, et ipse misertus est mei, et reddidit lumen oculis
meis, ut viderem filium meum. Item in Iob. Et haec audiens Dominus dixit de Iob. XL. 1.
nube *g*) ad Iob. Ideo magis adcingere sicut vir lumbum tuum; et ego interrogabo 2.
te, et tu responde mihi. Nec potest *h*) alienum esse iudicium meum, et non aesti- 3.
mes *i*) me aliter decrevisse, nisi ut tu minus appareas iniustus. Item illic. Conscius VI. 30.
enim mihi sum, quia non protulit lingua mea quidquam, et numquam non guttur
meum intellectum meditatur. Probatio enim hominis in terra vita eius est, et actus VII. 1.
illius sicut mercis *k*) cotidiana. Item illic. Suscipe in te altitudinem et virtutem, et XL. 5.
claritatem et honorem induere. Dimitte angelos irae, et omnem iniuriosum et su- 6.
perbum extingue. Separa a te impios confestim, et absconde eos omnes *l*) in 7.
terra; et confunde facies eorum ignominia, et redde illis sua. Si autem sint aput 8.
te sine honore, et tunc videbis et confiteberis quoniam potens est dextera mea sal- 9.
vare te. Item illic. Dominus scit *m*) viam meam, et ipse iudicat me tamquam aurum XXIII. 10.
quod probatur igne. Ut procedam in mandatis, ut custodiam iter eius. Et non de- 11.
clinabo a praeceptis eius, nec egrediar vias eius, et non movebor, sed in sinu meo 12.
abscondam verba illius. Quod enim susteneo *n*), scio quod sicut voluit, iudicavit. 13.
Et quis est, qui contradicat illi? Quod enim voluit, hoc fecit. Et propter hoc corre- 14. 15.
ptus festinabo ad ipsum, et sollicitus intendam in eum qui cunctorum *o*) est dominus. 16.
Et ipse emollivit cor meum: et ipse circumdedit me. Item in libro Machabaeorum ·I·
Et adproximaverunt dies Matthatiae, dies moriendi, et dixit filiis suis: nunc con- I. Mach. II. 49.
summata est superviae *p*) pressura *q*), et tempus eversionis et iracundiae et indigna-
tionis. Nunc, fili *r*), aemulamini legi, et date animas vestras propter sponsionem 50.
paternam: et memores estote patrum vestrorum quae fecerunt temporibus suis, re- 51.
linquentes exemplum posteritatibus suis, et suscipite gloriam magnam et nomen sem-
piternale *s*). Abraham nonne in temptationibus inventus est fidelis, et reputatum est 52.
illi ad iustitiam? Ioseph in tempore angustiae custodivit mandatum, et factus est do-
F. 63. minus in Aegypto. Phinees *t*) pater noster cum zelatus fuisset | zelum, accepit spon- 53. 54.
sionem sacerdotii aeterni. Iesus *u*) cum conplesset verbum, factus est iudex super Isra- 55.
hel. Caleb dum testimonium diceret in ecclesia, accepit hereditatem. David in sua 56. 57.

a) Ita cod. — *b*) Cod. *intellecto*. — *c*) Alibi *obductionis*. — *d*) Cod. *in ignem probatum*. — *e*) Hunc locum non inveniebam. — *f*) Cod. *queret*. — *g*) Cod. *nubae*. — *h*) Cod. *potes*. — *i*) Cod. *estimes*. — *k*) Ita cod. — *l*) Cod. *omne*. — *m*) Cod. *Domini sciat*. — *n*) Ita cod. — *o*) Cod. evidenter *cuprae* pro *cunctorum*. Videant ergo critici. — *p*) Ita cod. — *q*) Cod. *praessura* — *r*) Ita cod. — *s*) Cod. *sempiternalem* — *t*) Cod. *Finees*. — *u*) Cod. *Hiesus*.

I. Mach. II. 58. misericordia consecutus est sedem regni aeterni. Helias cum zelatus fuisset zelum
59. legis, elevatus est in caelum. Annanias, Azarias, et Misahel, credentes liberati sunt
60. de flamma. Danihel in simplicitate sua liberatus est de ore leonum. Propter quod et
61. vos considerantes peregrinatioues generationum, quia omnes sperantes in Deum non
62. infirmabantur, a verbis viri peccatoris nolite timere, quia gloria eius in stercore
63. et vermibus erit. Hodie extolletur, et cras non invenietur, quia revertetur ad pul-
64. verem suum, et cogitatio illius periet. Et fili *a*) mei, confortamini, et praevalete
Rom. V. 3. in lege, quia ipsa glorificavit *b*) vos. Item Paulus apostolus ad Romanos. Non solum
autem, sed et gloriamur in tribulationibus; scientes quod tribulatio patientiam *c*)
4. operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non
5. confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum,
VIII. 35. qui datus est nobis. Item illic. Quis ergo nos separavit *d*) a dilectione Christi? tribu-
latio? an angustia? an persecutio? an famis? an nuditas? an periculum? an gla-
36. dius? Sicut scribtum est, quoniam propter te mortificamur tota die, aestimati su-
II. Cor. IV. 8. mus ut oves occisionis. Item ad Corinthios ·II· In omnibus adtribulationem *e*) passi,
9. sed non angustiati; confusi, sed non aporiamur; persecutionem patimur *f*), sed
10. non derelinquimur; deicimur, sed non perimus. Semper mortem domini nostri Iesu
Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita *g*) Christi Iesu in corpore no-
11. stro manifestetur. Sic enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Iesum,
Matth. V. 10. ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Item secundum Matthaeum.
Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum
11. caelorum. Item illic. Beati estis cum vos odio habuerint homines, et abigent et per-
12. sequentur, et exprobrabunt, et dicent adversum vos omne malum. Gaudete et
exultate quoniam mercis vestra multa est in caelis. Sic enim persecuti sunt et pro-
5. phetas ante vos. Item illic. Beati qui lugunt *h*), quoniam ipsi consolabuntur. Item
X. 17. illic. Kavete ab hominibus; tradent enim vos, in concilio est in synagogis suis fla-
18. gellabunt vos: ante reges et praesides stabitis propter me, in testimonium eorum
19. et gentium. Cum autem tradent vos, nolite solliciti esse quid loquamini, dabitur
20. enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui *i*) loquimini, sed F. 64.
28. Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Nec timeatis eos qui occidere corpus pos-
sunt, animam autem non possunt occidere: | timete autem magis eum qui potest ani-
39. mam et corpus occidere, et in gehennam mittere. Item illic. Qui invenit animam
suam, perdet illam: et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet illam.

CAPITULUM XXVIIII.

QUOD NON MANEAT DOMINUS IN HIS QUI A PRAECEPTIS EIUS DEVIAVERINT

Gen. VI. 2. In Genesi. Videntes autem angeli Dei filias hominun quod essent formonsae *k*), acce-
3. perunt sibi mulieres ab hominibus quas eligerunt *l*). Et tunc dixit Deus: non per-
manebit spiritus meus in istis hominibus in aeternum, propter quod sint carnales.
I. Reg. XV. 22. Item in Regnorum ·I· Numquid vult Deus holocausta et sacrificia magis, quam ex-
audiri *m*) vocem suam? Quia dicto audientia melior est, quam sacrificium; et au-
23. dientia mandatorum, quam adeps arietum. Quoniam peccatum inproperium est; do-

a) Ita cod. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *patientia*. — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. nisi mavis dividere. — *f*) Cod. *patiamur*. — *g*) Cod. *vitam*. — *h*) Ita cod. ut alibi. — *i*) Cod. *quid*. — *k*) Ita cod., qui archaismus est etiam in Virgilii interpretibus a me editis ad aen. IV. 149. — *l*) Ita cod. — *m*) Cod. *exaudire*.

lor et gemitus ad te adducentur. Pro quibus sprevisti verbum Domini spernet te
Dominus ne regnes in Israhel. Et Spiritus *a)* Domini recessit ab *b)* Saule, et conprae- I. Reg. XVI. 14.
hendit eum spiritus malus a Domino, et subfocabat eum. Item in Regnorum ·III· III. Reg. XI. 1.
Et rex Solomon erat diligens mulieres; et per haec factum est ut in tempore sene- 4.
ctutis eius non esset cor illius directum a Domino. Et iratus est Dominus super So- 9.
lomonem, quoniam declinaverat cor suum a domino Deo Israhel. Et suscitavit Do- 14.
minus satanan super Solomonem, et erat satanas super Israhel omnibus diebus Solo-
monis. Item in Paralipomenon [·II·] Dominus Deus vester vobiscum est, quamdiu vos II. Paral. XV. 2.
estis cum eo: quod si dereliqueritis eum, derelinquet vos. Item in psalmo ·LXXX· Ps. LXXX. 12.
Et non obaudivit populus vocem meam, et Israhel non intendit mihi; et demisi 13.
illos secundum desideria cordis illorum. Si plebs mea audisset me, Israhel si vias 14.
meas ambulasset, ad nihilum inimicos *c)* eius humiliassem, et super tribulantes eos 15.
misissem manum meam. Item in Sapientia Solomonis. Perversae enim cogitationes Sap. I. 3.
separant a Deo: probata autem virtus arguet insipientes: quoniam in malivola anima 4.
non intravit sapientia, nec habitavit in corpore subdito peccatis. Sanctus enim spi- 5.
ritus disciplinae effugiet *d)* dolum, et auferet se a cogitationibus quae sunt sine in-
tellectu, et auguetur a superveniente iniquitate. Item in Esaia propheta. Quis dedit Es. XLII. 24.
in rapinam Iacob, et Israhel depraedantibus *e)* eum? nonne Deus, cui peccaverunt,
et noluerunt [in viis eius ambulare], neque [audierunt legem eius?]. Et praevaluit
in eos bellum, et non cognoverunt unusquisque eorum, neque posuerunt in ani- 25.
mam suam. Item illic. Numquid non valet manus Domini, ut salvos faciat? aut gra- LIX. 1.
vabit aurem, ut non exaudiat? Sed peccata vestra inter vos et Dominum sepa- 2.
F. 63. rant: et propter peccata vestra avertit | faciem ne misereatur. Manus enim vestrae 3.
sanguine coinquinatae sunt, et digiti *f)* in peccatis: labia autem vestra locuta sunt 4.
iniquitatem, et lingua vestra iniustitiam meditatur. Nemo loquitur iustitiam, nec est
iudicium verum: confidunt in vanis, et loquuntur inania; quia parturiunt dolum, Hier. X. 25.
et pariunt iniquitatem. Item in Hieremia propheta. Et peccata vestra amoverunt 26.
bona a vobis, quoniam inventae sunt in populo meo impietates. Item illic. Sed quo- Baruch. IV. 6.
niam inritastis Dominum, traditi estis adversariis *g)*: exacerbastis enim eum qui vos 7.
fecit Dominum aeternum, sacrificantes daemoniis et non Deo. Item Apostolus ad Rom. I. 22.
Romanos. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam 23.
incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et 24.
quadripedum et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis il-
lorum, in inmunditiam, ut contumeliis adficiant corpora sua inter semet ipsos. Qui 25.
commutaverunt veritatem Dei in mendacio *h)*, et coluerunt et servierunt creaturae 26.
potius, quam creatori qui est benedictus in saecula. Propter quod tradidit illos Deus
in passiones contumeliae.

CAPITULUM XXX.

NON SUPERANDUM SERVUM DEI DETRACTIONE MALORUM.

In Esaia propheta. Audite me qui nostis iudicium, populus meus in quorum corde Es. LI. 7.
lex mea est: nolite metuere *i)* obprobria hominum, et detractione *k)* eorum ne su-
peremini. Nam sicut vestimentum, ita per tempus absumentur *l)*; et velut lanam 8.

a) Cod. *Spiritu*. — *b)* Cod. *ad*. — *c)* Cod. *inimicus*. — *d)* Cod. *es fugiet*. — *e)* Cod. *depred*. — *f)* Cod. *diligit*. — *g)* Cod. *adversarius*. — *h)* Ita cod. — *i)* Cod. *mutuere*. — *k)* Cod. *detractionem*. — *l)* Cod. *adsumentur*.

comedet eos tinea. Iustitia autem mea in aeternum erit, salutare vero meum in
Tob. II. 8. saecula saeculorum. Item Tobias *a*). Omnes proximi mei deridebant me dicentes:
quomodo non timet hic qui iam quaesitus est ut occideretur, huius rei causa, et
9. fugit? Quomodo iterum coepit sepelire mortuos? Ego autem intentus in mandatis
I. Mach. II. 62. Dei, non timebam quid loqueretur homo. Item in Machabaeorum ·I· A verbis viri
63. peccatoris nolite timere, quia gloria eius in stercore et in vermibus erit: hodie
extolletur, et cras non invenietur, quia revertetur ad pulverem suum, et cogitatio
Matth. V. 11. illius periet. Item in evangelio secundum Matthaeum. Beati eritis cum vos odio *b*)
habuerint homines, et abigent, et persequentur et exprobrabunt, et dicent adver-
12. sus vos omne malum. Gaudete, et exultate, quoniam mercis vestra multa est in
caelis. Sic enim persecuti sunt et prophetas, qui ante vos fuerunt.

CAPITULUM XXXI.

NON DETRAHENDUM.

Num. XII. 6. In Numeris. Et dixit Dominus ad Aron *c*) et Mariam: audite verba mea: si fuerit
propheta *d*) Domini in vobis, in visu ei *e*) innotescam, et in somno loquar ei; non F. 66.
7. sicut famulo meo Moysi, qui in tota domo mea fidelis est, os ad os loquar ei *f*)
8. in specie, et non per aenigmata *g*), et honorem Domini vidit. Et quare non ti-
9. muistis detrectare de famulo meo Moysi? Et ira indignationis Domini super vos erit.
Ps. XLIX. 20. Item in psalmo ·XLVIIII· Sedens adversus fratrem suum detrahebas, et adversus
21. filium matris tuae ponebas scandalum. Haec fecisti, et tacui; aestimasti iniquita-
tem, quod ero tibi similis. Arguam et statuam illa contra faciem tuam. Item in
C. 5. psalmo ·C· Detrahentem adversus proximum suum *h*) occulte, hunc persequebar *i*).
LXX. 13. Item in psalmo ·LXX· Confundantur, et deficiant detrahentes animae meae. Item in
Prov. 20. 13? Proverbiis. Noli diligere detrahere, ne eradiceris. Adaperi autem oculos tuos, et iu-
Sap. I. 11. sta videbis. Item in Sapientia. Custodite ergo vos a murmuratione, quae nihil pro-
deest, et a detractione parcite lingua, quoniam responsum obscurum in vacuum
Iac. IV. 11. non ibit: os autem, quod mentitur, occidit animam. Item Iacobus apostolus. Fra-
tres nolite vos detrahere. Qui enim vituperat fratrem suum et iudicat, legem vitu-
12. 13. perat et iudicat. Si legem iudicas, iam non factor legis, sed iudex es. Unus est
enim legum dator et iudex, qui potest salvare et perdere. Tu autem quis es qui
Ps. C. 7. iudicas proximum? Item in psalmo ·C· Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu
8. oculorum meorum. In matutinis interficiebam omnes peccatores terrae, ut disper-
dam eos de civitate Domini, omnes qui operantur iniquitatem.

CAPITULUM XXXII.

DE CORREPTIONE ET DISCIPLINA.

II. 12. 13. In psalmo ·II· Continete disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis a
Prov. IX. 8. via recta, cum exarserit in brevi ira eius. Item in Proverbiis. Argue sapientem, et
9. amavit *k*) te; insipientem, et adiciet odisse te. Item illic. Da sapienti occasionem,
XII. 1. et sapientior erit: notum fac iusto, et adiciet percipere. Item illic. Qui diligit di-

a) Cod *Tobia*. — *b*) Cod. *hodio*. — *c*) Ita cod. — *d*) Ita demum hoc loco *proph*. cum adspirata. — *e*) Cod. distincte sic: *in vis vel innotescam*. — *f*) Cod. *loquarc in sp*. — *g*) Cod. *enigm*. — *h*) Cod. *tuum*. — *i*) Cod. *persequaebar*. — *k*) Ita cod.

sciplinam, diligit sensum: nam qui odit arguentes se, stultus est. Item illic. Non Ps. XV. 12.
diligit indisciplinatus arguentes se, cum sapientibus autem non conloquitur. Item
illic. Qui repellit disciplinam, odit semetipsum: nam qui servat obiurgationem, ad- 32.
quirit prudentiam. Item illic. Timor Domini, disciplina et sapientia. Item illic. Qui 33.
excipit disciplinam, in bonis erit: nam qui custodit increpationes, sapiens fiet. Item XVI. 20.
illic. Pestifero castigato, insipiens astutior fit: si autem arguas virum prudentem, XIX. 25.
intelleget sensum. Item illic. Da in disciplina *a*) cor tuum, et aures tuas para XXIII. 12.
verbis prudentiae. Item illic. Indisciplinatis obviat mors, moritur autem insipiens V. 23.
F. 67. peccatis. Item illic. Si flagellaveris | stultum in medio concilio contumeliam faciendo, XXVII. 22.
non auferes stultitiam eius. Item illic. Melior est vir arguens, quam vir dura cer- XXIX. 1.
vice: subito enim ardenti illi non erit sanitas. Item illic. Qui arguit hominem vias XXVIII. 23.
suas, gratiam habebit, magis quam qui adolatur *b*). Item illic. Plagae et incre- XXIX. 15.
pationes dant sapientiam: puer autem errans confundit patrem. Item in libro Sa-
pientiae. Sapientiam enim et disciplinam qui abicit, infelix est; et vacua est spes Sap. III. 11.
illorum, et labores eorum sine fructu, et inutilia sunt opera illorum. Item illic.
Magna enim sunt iudicia tua, et inenarrabilia: propter hoc indisciplinatae animae XVII. 1
erraverunt. Item in Ecclesiastico. Qui gaudet iniquitate, denotabitur: et qui odit Eccli XIX. 5
correptionem, inminuitur *c*) vita. Item illic. Corripe proximum ante quam conmine- 17.
ris, et da locum timori Altissimi. Item illic. Quam bonum est arguere, quam irasci! XX. 1.
et confitentem in oratione, non prohibere! Item illic. Viro indisciplinato est inven- 9.
tio in detrimentum. Item illic. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris: et XXI. 7.
qui timent Dominum, convertent ad cor suum. Item in Hieremia propheta. Sine causa Hier. II. 30.
percussi filios vestros, disciplinam non recepistis. Item illic. Haec dicit Dominus: VII. 28.
haec gens *d*) quae non audivit vocem Domini, neque exciperunt *e*) disciplinam, de-
fecit fides de ore ipsorum. Item in Amos propheta. Odio *f*) habuerunt arguentem Amos. V. 10.
in portis, et verbum aequissimum abominati sunt. Item Iob. Beatus homo quem Iob. V. 17.
arguet Dominus, quia correptio omnipotentis Dei salus est. Item in Ezechihel pro- Ezech. III. 7
pheta. Domus Israhel nolunt audire te, quia nolunt audire me; quia universa do-
mus Israhel contentiosi sunt, et duro corde. Item Apostolus ad Galatas. Sic stulti Gal. III. 3.
estis? cum spiritu coeperitis, nunc carne perficiemini *g*)? Item ad Thessalonicenses ·I· I. Thess. V. 1
Corripite inquietos, consolamini pusillianimes, suscipite infirmos, patientes estote
ad omnes. Item ad Timotheum ·I· Insta oportune *h*), inportunos *i*) argue, exhor- II. Tim. IV. 2.
tare *k*), increpa, in omni patientia et doctrina.

CAPITULUM XXXIII.

DE PREVARICATORIBUS.

In psalmo ·C· Facientes praevaricationes odivi: non adhaesit *l*) mihi cor pravum. Ps. C. 3.
Item in Proverbiis. Sicut canis cum convertitur ad vomitum suum odibilis efficitur, Prov. XXVI. 11
sic stultus malitia sua conversus in peccatis suis. Item in Ecclesiastico. Initium su- Eccli. X. 14.
perbiae hominis apostatare a Deo: quoniam initium peccati omnis, superbia. Item 15.
illic. In duobus timuit cor meum, et in tertio iracundia mihi advenit; vir bella- XXVI. 25.
F. 68. tor deficiens per inopiam; vir sensutus *m*), contemptus; et qui | transgreditur a iu- 26. 27.

a) Ita cod. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod *invenitur*. — *d*) Cod. *genus*. — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *hodio*. — *g*) Cod. *perficemini*. —*h*) Ita cod. non *opp.* sed *op.* quod et in aliis ms. fieri interdum vidi. — *i*) Ita cod. quia lectum fuit in graeco ἀκαίρους pro ἀκαίρως. — *k*) Cod. *exortare*. — *l*) Cod. *adhesit*. — *m*) Ita cod. etiam alibi interdum.

Is. XXX. 1. stitia in peccatum, Deus parat eum ad romphaeam *a*). Item in Esaia propheta. Vae
fili *b*) apostatae! Haec dicit Dominus: fecistis consilium per me, et pactum non per
LXVI, 24. Spiritum meum, adponendo peccata super peccata. Item illic. Et exibunt sancti, et
videbunt membra hominum, qui praevaricati sunt in me. Vermis enim eorum non
morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt in aspectu omni carni. Item
Ezech. XVII. 15. in Ezechihel propheta. Si dirigit, si liberabitur qui facit adversa; ita et qui prae-
XX. 38. terit testamentum, salvus erit. Item illic. Et eligam ex vobis impios vestros et de-
sertores, quoniam ex incolatu eorum *c*) educam illos: in terram Israhel non intra-
Os. VII. 13. bunt: et cognoscetis, quia ego sum Dominus. Item in Osee propheta. Vae illis!
quoniam exierunt a me: manifesti sunt, quia peccaverunt in me, et non clamave-
II. Petr. II. 21. runt ad me cordibus suis. Item in epistola *d*) Petri apostoli ·II· Melius enim erat illis
non cognovisse viam veritatis, quam post notionem iustitiae apostatare a divino sibi
22. tradito mandato. Contigit illis res vulgaris: sicut canis revertens ad vomitum suum,
Iud. v. 6. et ut sues *e*) lota *f*), quae in volutatione sua coinquinata est. Item in epistola Iudae
apostoli. Angelos quoque, qui non servaverunt ordinem suum, sed reliquerunt ha-
bitaculum suum, in iudicium magni Dei *g*) vinculis eos sanctorum angelorum sub te-
7. nebras reservabit. Sodomam autem quoque, et Gomorrham, et quae circa eas civi-
tates, cum adulterium fecissent, et carnem secutae essent *h*), cinis factae propositae
Num. X. 35. sunt in exemplo ignis aeterni *i*), poenas sustinentes. Item in Numeris. Exurge, Do-
mine, et dispargantur *k*) inimici tui, et fugiant omnes qui oderunt te, et confringan-
tur: et converte, Domine, in milia Israhel.

CAPITULUM XXXIIII.

DE SUPERBIA.

Ps. XXX. 24. In psalmo ·XXX· Et retribuet his, qui habundanter faciunt superbiam. Item in
LXXIII. 6. psalmo ·LXXII· Propterea obtinuit eos superbia eorum: prodivit quasi ex adipe ini-
C. 7. quitas eorum. Item in psalmo ·C· Non habitant in medio domus meae qui faciunt
CXVIII. 51. superbiam. Item in psalmo ·CXVIII· Superbi inique gerebant usquequaque. Item in
Prov. III. 34. Proverbiis. Dominus superbis resistet, humilibus autem dat gratiam *l*). Item illic.
XIII. 3. Qui custodit os suum, servat animam suam: nam qui protervus est labiis, terre-
XV. 25. XVI. 5. bit semet ipsum. Item illic. Domos superborum destruet Dominus. Item illic. In-
XXX. 13. mundus aput Dominum omnis qui exaltat cor suum. Item illic. Filius malus su-
XXI. 24. perbos oculos habet, palpebris *m*) autem suis extollitur. Item illic. Temerarius et su-
XXV. 6. perbus, pestilentia vocatur. Item illic. Noli superbire ante conspectum regis, ne-
7. que in locis potentium subsistas. Melius est enim tibi dici, ascende ad me, quam F. 69.
Eccli. X. 7. humiliari in conspectu potentis. Item in Ecclesiastico. Odibilis coram Deo et homi-
9. nibus superbia. Item illic. Et quid *n*) superbit herba *o*) et cinis? Item illic. Synagogae
III. 30. superborum non erit sanitas: frutex enim peccati radicabitur in illis. Item illic.
X. 14. Initium superbiae hominis apostatare a Deo; quia initium peccati omnis, superbia.
17. Sedes ducum superborum detraxit Dominus, et sedere fecit mites pro illis. Radi-
18. ces mentium superbarum arefecit Dominus, et plantabit humiles ex ipsis gentibus.

a) Cod. tantum *ad rom.* — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *erum.* — *d*) Ita cum *o* heic et postea. Alibi vero cum *u.* — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *lata.* — *g*) Cod. *DI* quod semper ponitur pro *Dei.* Sed tamen gr. ἡμέρας, vulg. *diei.* — *h*) Cod. *esset.* — *i*) Sic interpungitur post *aeterni* in cod., ut apud Luciferum calaritanum. — *k*) Ita cod. — *l*) Paulo aliter in vulg. Sed tamen Iob in eadem vulgata apud Iac. IV. 6. et I. Petr. V. 5. citatur ut heic legitur. — *m*) Cod. *palphebris*, ut alibi. — *n*) Cod. *qui.* — *o*) Cod. *erba.*

Perdidit Dominus memoriam superborum, et reliquid *a*) memoriam humilium sen- Eccli. X. 21.
su *b*). Non est creata hominibus superbia, neque iracundia nationi mulierum. Item 22.
illic. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: et qui communicat superbo, induet XIII. 1.
superbiam. Item illic. Domus quae nimie locuplebs *c*) est, adnullabitur superbia. XXI. 5.
Item in Esaia propheta. Omnis autem deficiet iniquus, et peribit superbus, et dis- Es. XXIX. 20.
perierunt qui inique agunt in maestitia, et qui faciunt peccare homines in sermone. 21.
Item illic. Et qui superbi sunt, contumelia conterentur, et humiliabuntur, et ca- X. 33.
dent excelsi gladio. Item illic. Et contumeliam *d*) superborum humiliabo. Item illic. XIII. 11.
Cessavit superbia, et divitiae impiorum *e*). Item in Amos propheta. Quia iurabit *f*) Amos. VIII. 7.
Dominus per semet ipsum, quia ego abominor omnem superbiam Iacob; et regiones
illius odivi. Item in Abbacum. Iustus autem ex fide mea vivit; sibi placens autem, Abb. II. 4. 5.
contemptor, et vir superbus, nihil proficiet. Item in Deuteronomio. Et omnis qui- Deut. XVII. 12.
cumque fecerit in superbia, aut non exaudiat sacerdotem qui adstat ministrare in
nomine Dei sui, aut iudices qui fuerint in diebus illis, morietur homo ille, et
auferetis malum ex Israhel: et omnis populus cum audierit, timebit, et non faciet 13.
iniustitiam. Item in Iob. Et quia anni dinumerati sunt superbiae, et sic sunt dispo- Iob. XV. 20.
siti in aures Domini: et cum videbuntur pacificari, eveniet illis eversio. Quia qui 21.
in altis habitat, videt iniuriam facientem, et humiliat superbos. Item Tobi. Propter Tob. IV. 14.
quod et tu, fili, dilige fratres tuos; et noli superbo corde agere cum filiabus fi-
liarum populi tui; nec accipias quemquam ex his in subiectione, causa inopiae et
necessitatis: quoniam in superbia habundat perditio, et infidelitas: nec consistit
fortiter cui gradus in tabulis figitur: quia fructus stillionatus, decoloratio et demi-
nutio vitae est. Item in evangelio secundum Matthaeum. Vos autem quaeritis in Matth. XX. 28.
modicis extolli, et de maximis minui *g*). Item illic *h*). Quia quod excelsum est in
F. 70. hominibus, | abominatio est ante Dominum.

CAPITULUM XXXV.

DE MANSUETUDINE.

In Numeris. Et erat Moyses mansuetus prae omnibus hominibus, qui sunt super Num. XII. 3.
terram. Item in psalmo ·XXIIII· Dulcis et mansuetus Dominus: propter hoc legem Ps. XXIV. 8.
statuit delinquentibus in via: diriget mites in iudicio: docebit mansuetos vias suas. 9.
Item in Proverbiis Solomonis. Mansuetus vir, cordis medicus est: tinea autem os- Prov. XXV. 20.
sibus, cor intelligens. Item illic. Melior est mansuetus cum humilitate, quam qui XVI. 19.
dividit *i*) praedam cum contumeliosis. Item in Ecclesiastico. Fili, in mansuetudine Eccli. III. 19.
opera tua perfice, et ab omni homine diligeris. Item illic. Esto mansuetus ad au- V. 13.
diendum verbum, ut intellegas: et cum sapientia loquere responsum verum. Item
illic. Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum dig- X. 31.
nitatem suam. Item Apostolus ad Ephesios. Obsecro ergo vos ego vinctus in Do- Ephes. IV. 1.
mino, ut digne ambuletis vocatione *k*), qua vocati estis, cum omni humilitate animi 2.
et mansuetudine, cum multa patientia, subportantes invicem in caritate, solliciti ser- 3.
vare unitatem spiritus in vinculo pacis. Item Iacobus apostolus. Quis prudens et sciens Iac. III. 13.
vestrum? Monstret de bona conversatione opera sua in mansuetudine et prudentia.

a) Ita cod. — *b*) Cod *sensum*. — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. *contumelia*. — *e*) Quaerendus locus. — *f*) Ita cod. — *g*) Apud Matth. XX. 28. in antiquis codd. ex parall. Luc. XIV. 10. Locum habes longiorem apud nos Script. vet. T. III. ubi Matthaei evangelium ex antiq. interpr. edidimus. — *h*) Immo Luc. XVI. 15. — *i*) Cod. *divit*. — *k*) Cod. *vocationem*.

CAPITULUM XXXVI.

DE PATIENTIA.

Prov. XIV. 33? In Proverbiis. In corde viri boni invenietur patientia: nam in corde insipientium
XVI. 32. non agnoscitur. Item illic. Melior est vir patiens, quam fortis: nam qui retinet
XVII. 27. iram, melior est quam qui civitatem capit. Item illic. Qui parcit verbum proferre
XIV. 29. durum, prudens est: patiens autem vir, sapiens est. Item illic. Patiens vir, co-
I. Thess. V. 14. piosus in sapientia: pusillianimis autem, vehementer insipiens. Item Apostolus ad
15. Thessalonicenses ·I· Patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui
reddat, sed semper quod bonum est sectamini in invicem et in omnes.

CAPITULUM XXXVII.

DE HUMILITATE.

Prov. XVI. 2. In Proverbiis. Omnis opera humilis manifesta aput Deum: nam impii in die malo-
Eccli. VII. 19. rum cadebunt *a*). Item illic *b*). Humilia valde spiritum tuum; quoniam vindicta car-
Prov. XV. 1. nis impii, ignis et vermis. Item illic. Responsum humile avertit iram. Item illic.
Ps. XXXIII. 19. Humilitas exaltat gentes. Item in psalmo ·XXXIII· Iuxta est Dominus his qui tri-
Es. XLIX. 13. bulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. Item in Esaia propheta. Quia miser-
LXVI. 2. tus est Deus populo suo, et humiles populi sui consolatus est. Item illic. Et ad
quem respiciam, dicit Dominus, nisi ad humilem et quietum | et trementem verba F. 71.
Matth. XXIII. 12. mea? Item in evangelio secundum Matthaeum. Quicumque autem humiliaverit se,
I. Petr. V. 5. exaltabitur; et qui se exaltaverit, humiliabitur. Item in epistola Petri ·I· Omnes
autem quietem et humilitatem animi induite: quia Dominus superbis resistit, hu-
Iac. IV. 7. milibus autem dat gratiam. Item Iacobus apostolus. Humiliate vos Deo, et resistite
X. 10. diabulo, et a vobis proximate Deo, et proximavit *c*) vobis. Item illic. Humiliamini
ante conspectum Domini, et exaltabit vos.

CAPITULUM XXXVIII.

DE SAPIENTE.

Prov. III. 13. 14. In Proverbiis. Beatus homo qui invenit sapientiam, et inmortalis qui invenit pru-
15. dentiam. Melius est enim illa mercari, quam auri et argenti thensauros. Item illic.
XVIII. 15 gr. Gloriam sapientes possidebunt, et insipientes divident contumeliam. Item illic. Sen-
sus bonus accedit ad eos *d*) qui noverunt eum; vir autem prudens inveniet eum.
XX. 19 Item illic. Ornamentum adulescentibus, sapientia; gloria autem seniorum, cani.
IX. 9 Item illic. Da sapienti occasionem, sapientior erit: notum fac iusto, et adiciet per-
X. 8. 14. cipere. Item illic. Sapiens corde percipiet mandata. Item illic. Sapientes celabunt *e*)
X. 17. XII. 15? intellectum. Item illic. Vir autem sapiens quiete agit. Item illic. Vír sapiens sedis *f*)
XIII. 14. XV. 14. est intellectus. Item illic. Lex sapienti fons vitae. Item illic. Cor sapientium possi-
XXI. 20. debit sensum. Item illic. Thensaurus desiderandus requiescit in ore sapientis. Item

a) Ita evidenter cod. — *b*) Immo *Eccli.* — *c*) Ita cod. *v.* pro *b.* — *d*) Cod. *adeus.* — *e*) Cod. *caelabunt.* — *f*) Ita cod.

illic. Melior est vir sapiens, quam fortis: et vir prudentiam habens, quam ager Prov. XVI. 32.
magnus. Item illic. Sapientes non declinant de ore Domini, sed cogitant in consi- XII. 15?
liis. Item illic. Qui ambulat sapienter, salvus erit. Item in Ecclesiastico. Cor sa- XXVII. 18. Eccli. III. 31
pientis intellegitur in sapientia. Item illic. Non abscondas sapientiam tuam in de- IV. 28.
core *a*); in lingua enim cognoscitur sapientia, et sensus et scientia doctrinae in ver- 29.
bis veritatis, et firmamentum in operibus iustitiae. Item illic. Sapientia humilis exal- XI. 1.
tabit caput illius, et in medio magnatorum considere illum faciet. Item illic. Felix XIV. 22.
sapiens, qui in sapientia *b*) sua veritatem et iustitiam meditatur, et in sensu suo co- Eccli.
gitabit circuminspectionem Dei! Item illic. Homo sapiens in omnibus metuebit *c*). XVIII. 27.
Item illic. Sensati in verbis sapienter egerunt, et intellexerunt veritatem et iusti- 29.
tiam, et ploraverunt ad proverbia et iudicia. Item illic. Homo sapiens tacebit usque XX. 7.
in tempus: lascivus autem et inprudens, non servabunt tempus. Item illic. Sapiens 13.
in verbis se ipsum adfabilem facit. Item illic. Os prudentis quaeritur in ecclesia *d*) XXI. 20.
F. 72. et verba illius cogitabunt in cordibus suis. Item illic. Homo pius in sapientia | manet XXVII. 12.
sicut sol; nam stultus quasi luna inmutatur. Item illic. Homo sensutus *e*) credit XXXIII. 3.
legi Dei. Item illic. Vir peritus multos erudibit *f*), et animae suae suavis est. Item XXXVII. 22.
illic. Vir sapiens inplebitur benedictione, et videntes illum laudabunt. Item illic. 27.
Sapiens populo hereditabit honorem, et nomen eius erit vivens in aeternum. Item 29.
in Ecclesiaste. Cor sapientium in domo luctus, et cor insipientium in domo luxo- Eccle. VII. 5.
riae *g*). Item illic. Verba sapientium in requiem audientium. Item illic *h*). Quoniam IX. 17.
sapientia est timere Dominum; abstinere autem se a malis, scientia est. Item Tobi. Iob. XXVIII. 28.
Adtende autem tibi, fili, in omnibus operibus tuis, et esto sapiens in universis ser- Tob. IV. 16.
monibus tuis; et quod nolueris tibi fieri, alio *i*) ne feceris. Item in Proverbiis. Prov. XIV. 16.
Sapiens timendo declinat a malo; stultus vero sibi confidens, miscetur iniquo.

CAPITULUM XXXVIIII.

DE CONVERSATIONE IUVENUM.

In psalmo ·CXVIII· In quo corrigit iuvenior viam suam? in custodiendo sermones Ps. CXVIII. 9.
tuos. Item in Proverbiis Solomonis. Scire sapientiam et disciplinam, et intellegere Prov. I. 2.
sermones prudentiae, ac percipere versutias sermonum, adque intellegere iustitiam 3.
veram, et iudicium dirigere iustum: ut det innocentibus astutiam, puero autem 4.
iuniori sensum et peritiam: his enim auditis, sapiens sapientior erit. Item illic. II. 16. 17.
Fili, non te conprehendat mala cogitatio, quae dereliquid *k*) doctrinam adulescen-
tiae, et testamentum divinum oblita est. Posuit enim aput mortem domum suam, 18.
et aput infernum cum terregenis *l*) sunt cursus eius. Omnes qui vadunt per illam, 19.
non revertentur, sed in poenitentiam venient. Item illic. Fili, ne deficias; serva III. 1.
autem meum consilium et cogitationem: ut vivat anima tua semper, et gratia sit 2.
circa tuam cervicem. Tunc sanitas erit carnibus tuis, et diligentia ossibus tuis. Item 8.
illic. Vias impiorum noli ingredi, neque aemuleris vias iniquorum: in quocumque IV. 14.
loco castra constituerint, non eas illuc; diverte autem ab eis, et declina. Item il- 15.
lic. Omni custodia serva cor tuum: ex his enim exitus sunt vitae. Aufer *m*) a te pra- 23. 24.

a) Cod. *inde deore*. — *b*) Cod. *sapiensa*, ut nunc rustici itali pronunciant. — *c*) Ita evidenter cod. — *d*) Cod. *ecclesiam* — *e*) Ita cod. — *f*) Ita cod. — *g*) Ita cod. ut alibi. — *h*) Immo *in Iob*. — *i*) Ita cod. etiam alibi. — *k*) Ita cod. — *l*) Ita cod. — *m*) Cod. *aufers*.

Prov. III. 25. vum os, et iniqua labia longe expelle a te. Oculi tui recta videant, palpebrae *a)* au-
26. tem tuae adnuntient iusta. Recta itinera fac tuis pedibus, et vias tuas dirige, nec
27. declines in dextram vel in senestram *b)*; averte autem pedem *c)* tuum a via mala.
XX. 29. Item illic. Ornamentum adulescentibus, sapientia; gloria autem seniorum, cani.
Eccli. VI. 18. Item in Ecclesiastico. Fili, a iuventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos
19. invenies sapientiam. Quasi is *d)* qui arat et seminat, accede ad illam, et sustine
20. bonos fructos *e)* | illius. In opere enim illius exiguum laborabis, et cito edes de ge- F. 73.
21. nerationibus illius. Quam aspera est nimium indoctis! et non permanebit in illa
XXXVII. 15. excors. Item illic. Cum sancto adsiduus esto, quemcumque cognoveris conservantem
VI. 35. timorem Domini. Item illic. In multitudine *f)* presbyterorum *g)* prudentium sta,
et sapientiae illorum ex corde coniungere, et omnem narrationem Dei velis audire,
36. et proverbia laudis non effugiant te. Videns sensutum *h)*, evigila ad illum, et gra-
37. dus osteorum *i)* illius exprimat pes tuus. Agitatum *k)* habe in praeceptis Dei, et
in mandatis eius adsiduus esto; et ipse cor dabit tibi, et concupiscentia sapientiae
XXXVII. 30. 31. dabitur tibi. Item illic. Fili, in vita tua tempta enim animam tuam; et si fuerit
XXXII. 10. nequa, non des ei potestatem. [Non] omni animae omne *l)* genus placet. Item illic.
11. 12. Adulescens *m)* loquere intuitu: interrogatus habeat caput responsum tuum. In multis
13. esto quasi inscius simul et quaerens *n)*. In medio magnatorum ne praesumas; et
14. ubi sunt senes, non multum loquaris. Ante grandinem praecedit coruscatio, et ante
15. hominem verecundum praecedit gratia. Et si hora est surgendi, non [te trices].
16. Praecurre autem prior in domum tuam: illico vocare *o)*, illic lude et age conce-
17. ptiones tuas, et non in delictis *p)* aut verbo superbo, sed in benedicendo eum qui
Eccle. XI. 9. te benedixit; qui te replebit bonis suis, et satiat te bonis suis. Item in Ecclesiaste.
[Laetare] adulescens in iuventute tua, et bene disponat *q)* cor tuum in diebus adule-
scentiae tuae: ambula in via cordis tui sine macula, et non in audaci *r)* aspectu oculo-
10. rum tuorum. Et scito, quod super haec omnia adducet te Deus in iudicium. Repelle
iram a corde tuo, et remove nequitiam a carne tua; quia adulescentia et stultitia
XII. 1. vanitas est: et memor esto eius, qui te creavit, in diebus adulescentiae *s)* tuae. Item
Thren. III. 24. 25. in Hieremia propheta. Sors mea Dominus, dixi: ideo sustinebo ipsum. Bonus est
26. Dominus sustinentibus eum. Anima quae quaesierit eum, bonum est sustinere, et
27. sperare in salutare Dei. Bonum est viro cum portaverit iugum grave in iuventute
28. 29. sua: sedebit singulariter et silebit, quia tulit super se iugum grave. Dabit in fossa
30. os suum, si tamen est spes patienti. Dabit percutienti maxillam suam, et satiabitur
31. 32. in obprobriis. Quia non repellit me in aeternum Dominus: quia cum humiliaverit,
Tob. IV. 6. miserebitur secundum multitudinem misericordiae suae. Item Tobi. Tu autem in
omnibus diebus vitae tuae, fili, time Deum tuum, et ne velis peccare, vel prae-
terire praecepta eius *t)*; quoniam misericordia et ira ab ipso est. Diligens autem,
iustitiam | in omnibus diebus vitae tuae bene facito coram ipso, et noli ambulare in F. 74.
XIV. 10. viis iniquitatis *u)*. Item illic. Et nunc, filioli, hoc est quod mando vobis, ut in quo
11. instituo vos, serviatis Deo, et faciatis coram illo quod placet illi. Sed et vos man-
date filiis vestris ut operentur iustitiam, et facientes eleemosynam *x)*, memores sint
Dei in omnibus viis suis, et benedicant nomen illius in omni tempore, in veritate

a) Cod. *palphebrae*, ut alibi. — *b)* Ita cod. ut paulo ante. — *c)* Cod. *pedum*. — *d)* Cod. *his*. — *e)* Ita cod. — *f)* Cod. *multitudinem*. — *g)* Cod. *praesb*. — *h)* Ita cod. ut paulo supra. — *i)* Cod. *os tuorum*. Scripsi more codicis *osteorum* pro *ostiorum*. — *k)* Ita cod. pro *cogitatum*. — *l)* Cod. *omni*. — *m)* Cod. mendose *adobscent*. — *n)* Cod. *querens*. — *o)* Ita cod. — *p)* Cod. *delectis*. — *q)* Ita cod. — *r)* Cod. *audacia*. — *s)* Cod. hoc loco *adulscentiae*. — *t)* In cod. additur *et*. — *u)* Cod. *iniquitatibus*. — *x)* Cod. *elymosynam*.

et in tota virtute sua. Item Apostolus ad Timotheum [·II·] Iuvenalia autem desideria II. Tim. II. 22.
fuge: sectare vero iustitiam, fidem, caritatem, pacem, cum his qui invocant Deum
de corde puro.

CAPITULUM XL.

NON PERIURANDUM.

In Levvitico. Non iurabitis nomine meo iniuste, et non profanabitis nomen san- Lev. XIX. 12.
ctum: ego sum Dominus vester. Item in psalmo ·XIIII. Qui iurat proximo suo, et Ps. XIV. 4.
non decepit eum. Item in psalmo ·XXIII· Qui non accepit in vano *a*) animam suam, XXIII. 4.
nec iuravit proximo suo in dolo, hic accipiet *b*) benedictionem a Domino, et miseri- 5.
cordiam a Deo salutari suo. Item in libro Sapientiae. Aut enim dum laetantur, in- Sap. XIV. 28.
sani fiunt, aut vaticinantur *c*) falsa, aut vivunt iniuste, aut periurant cito. Dum 29.
enim confidunt in idola, quae sunt sine anima *d*), iurantes laedi *e*) se non sperant, 30.
et iniuste iuraverunt, ficte contemnentes iustitiam. Item in Zacharia propheta. Et Zach. VIII. 17.
iuramentum falsum nolite diligere; quia haec omnia odivi, dicit Dominus omnipotens.

CAPITULUM XLI.

NON IURANDUM.

In Ecclesiastico. Iurationi non adsuescas os tuum; multi enim casus in illa: et no- Eccli XXIII. 9.
minibus non admiscearis, quoniam non eris inmunis ab eis. Sicut enim servus in- 11.
terrogatus adsidue a livore minuitur; sic omnis iurans et nominans, in toto *f*) a pec- 12.
cato non purgabitur. Vir multum iurans, inplebitur iniquitate, et non discedet *g*) a 13.
domo illius plaga: et si vane iuraverit, non iustificabitur. Item illic. Loquella *h*) mul- XXV. II. 15.
tum iurantis horrepilationem statuet. Item secundum Matthaeum. Audistis quia di- Matth. V. 33.
ctum est: non perierabis, sed reddes Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, 34.
ne omnino iuretis *i*), neque per caelum, quia sedis *k*) Dei est; neque per terram, 35.
quia scabillum *l*) est pedum eius; neque per Hierusolymam *m*), quia civitas est magni 36.
regis; neque per caput tuum iuraveris, quia non potes ullum capillum album facere
aut nigrum. Sit autem sermo vester, est est, non non: quod autem amplius est, a 37.
malo est.

CAPITULUM XLII.

NON DICENDUM FALSUM TESTIMONIUM.

In Exodo. Non dices falsum testimonium adversus proximum tuum. Non consen- Exod. XX. 16.
ties cum iniusto fieri testis iniustus. Item in psalmo ·XXXIIII· Exurgentes testes ini- XXIII. 1.
F. 75. qui, quae ignorabam interrogabant me, | retribuebant mihi mala pro bonis. Item in Ps. XXXIV. 11. 12.
Proverbiis. Accendit falsa testis iniustus, et inmittit iudicia inter fratres. Item illic. Prov. VI. 19.

a) Sic modo loquimur Itali. — *b*) Cod. *accepiet* — *c*) Cod. *vatiginantur*. — *d*) Cod. *animale*. — *e*) Cod. *ledi*. — *f*) Sic nunc Itali dicimus *in tutto*. — *g*) Cod. *discedat*. — *h*) Cod. *loqui illa*. — *i*) Cod. *iuratis*. — *k*) Ita cod. passim — *l*) Ita cod. — *m*) Ita cod.

*

Prov. XII. 19. Testis autem velox linguam habet iniquam. Item illic. Eripiet de malis animam tes-
XIV. 25. XVII. 20. tis fidelis; incendit autem falsa dolosus. Item illic. Vir mutabilis lingua, incadet *a*)
XIX. 5. in mala. Item illic. Testis falsus non erit inpunitus: qui autem accusat iniuste, non
XXI. 28. evadet. Item illic. Testis mendax peribit. Vir autem oboediens caute loquetur *b*).
XXIV. 28. Item illic. Noli esse testis mendax in civem tuum, neque delateris *c*) labiis tuis. Item
XXV. 18. illic. Clava et gladius et sagitta, perniciosa sunt; sic et vir, qui adversus amicum
XXVI. 28. suum testimonium falsum dicit. Item illic. Lingua mendax odit veritatem, os autem
incontinens facit seditiones.

CAPITULUM XLIII.

NON MENTIENDUM

Lev. XIX. 11. In Levvitico *d*). Non facietis furtum, et non mentiemini, nec calumniam faciet quis-
Sap. I. 11. quam proximo suo. Item in libro Sapientiae. Os autem quod mentitur, occidit ani-
Eccli. VII. 13. mam. Item in Ecclesiastico. Noli narrare mendacium adversus fratrem tuum, neque
14. in amico similiter facias. Item illic. Noli velle mentiri omne mendacium: adsiduitas
XX. 26. enim illius, non bona. Item illic. Supervacuitas nequa homini mendacium: in ore
Hier. IX. 3. indisciplinatorum adsidue erit. Item in Hieremia propheta. Mendacium et non fi-
des invaluit super terram, quia a malis mala exierunt, et me non cognoverunt.
Prov. XIX. 1. Item illic. Melior est pauper ambulans in veritate, quam dives mendax. Item Pau-
Ephes. IV. 25. lus apostolus ad Ephesios *e*). Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquis-
Coloss. III. 9. que cum proximo suo, quia sumus invicem membra. Item ad Colossenses. Nolite
I. Ioh. II. 21. mentiri invicem, spoliantes vos veterem hominem cum actibus suis. Item Iohannis
apostolus. Omne mendacium non est ex veritate *f*).

CAPITULUM XLIIII.

DE INTERDICTU IDOLOLATRIAE *g*).

Exod. XIX. 25. In Exodo. Discendit autem Moyses ad populum, et dixit illis: locutus est Domi-
XX. 1. nus omnia haec verba, dicens: ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de Ae-
3. gypto, de domo servitutis. Non erunt tibi dii alii praeter me: non facies tibi ido-
4. lum, nec cuiusquam similitudinem, quaecumque in caelo sunt susum *h*), aut quae-
5. cumque in terra deorsum: non adorabitis eos, neque servietis illis: ego sum domi-
XX. 22. nus Deus vester. Item illic. Et dixit Dominus ad Moysen: haec dices *i*) domui
Iacob, et testaberis filiis Israhel, dicens: vos vidistis, quoniam de caelo locutus
23. sum ad vos: non facietis vobis deos argenteos, neque deos aureos, nec facietis vo-
XXII. 20. bis ipsis idolum. Item illic. Sacrificans diis, eradicabitur, nisi Domino soli. | Item F. 76.
XXIII. 13. illic. Et nomina deorum alienorum non recordabitis, nec audiantur de ore ve-
24. stro. Item illic. Non adorabitis deos eorum, neque servietis illis. Non facies se-
cundum opera illorum, sed depones et exterminabis et confringes simulacra eorum,
25. et servietis domino Deo vestro. Et benedicam panem tuum, et aquam tuam, et aver-

a) Ita cod. — *b*) Ita prorsus gr. vatic. φυλασσόμενος λαλήσει. — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. mendose *in Exodo*. — *e*) Cod. *Ef*. — *f*) Cod. *non est veritatem*. — *g*) Cod. *idolatriae*, etiam in indiculo. Et sic nunc dicunt Itali. — *h*) Ita cod. 1. manu, qui est notus archaismus. Sed 2. manu *sursum*. Itali interdum dicunt *suso*. — *i*) Cod. *dicis*.

tam infirmitatem a vobis. Item illic. Adtende tibi, ne casu disponas testamentum Exod. XXXIV.
[his] qui sedent super terram in quam intraturus es; ne sit offensio eorum in vobis. 12.
Aras illorum destruetis, et titulos illorum conminuetis, et lucos eorum excidetis. 13.
Non enim adorabitis Deo alio *a*); ego enim sum dominus Deus tuus, zelo[tes] nomen, 14.
Deus zelans est. Ne casu disponas *b*) testamentum his, qui sedent super terram, et for- 15.
niceris post deos eorum, et invitent te, et manduces de sacrificiis eorum: et su- 16.
matis ex filiabus illorum filiis vestris, et filias vestras detis filiis illorum: et forni- 17.
centur filiae tuae post deos eorum. Et deos fusiles non facietis vobis. Item in Lev- Lev. XIX. 4
vitico. Non servietis idolis, et deos fusiles non facietis vobis: ego sum dominus
Deus vester. Item illic. Nolite manducare in montibus: non auspicabitis, non augo- 26
rabitis *c*). Item illic. Non sequemini *d*) ventriloquos, et incantatoribus non adhaerebi- 31
tis *e*) ut coinquinemini in eis: ego sum dominus Deus vester. Item illic. Et anima XX. 6.
quae secuta fuerit ventriloquos aut incantatores, ita ut fornicentur sectando eos, et
constituam vultum meum super animam illam, et perdam illam ex populo suo. Et
eritis sancti, quia sanctus sum ego dominus Deus vester. Item illic. Non facietis vo- XXVI. 1.
bis idola manu facta, neque sculptilia, neque stantes lapides constituetis vobis, ne-
que lapidem sculptum perspicuum ponetis in terra vestra, ut adoretis ea: ego sum do-
minus Deus vester. Item in Numeris. Et auferetis speculas eorum, et omnia simulacra Num. XXXIII. 52.
eorum conflatilia perdetis, et omnes lapides statutos eorum auferetis. Item in Deute- Deut. IV. 16.
ronomio. Videte ne faciatis iniquitatem, neque faciatis vobis ipsis sculptile simulacrum 17.
masculi neque feminae, aut simulacrum omnis pecoris quae sunt super terram, aut si-
militudinem avium volantium sub caelo, aut similitudinem serpentium super terram, 18.
aut simulacrum piscium quae sunt in aquis sub terra. Et ne respicientes in caelum, et 19.
videntes solem et lunam aut stellas et omnia ornamenta caeli, exerretis, et adoretis
ea, et serviatis illis quae disposuit Deus omnibus gentibus quae sunt sub caelo. Vos au- 20.
tem adsumpsit Deus, et eiecit de fornace ferrea ex Aegypto, ut essetis populus in sor-
F. 77. tem in hunc diem. Item illic. Adtendite vobis, | ne obliviscamini testamentum domini 23
Dei vestri, quod disposuit *f*) ad vos; et faciatis vobis ipsis sculptile simulacrum omnium
quae praedixit vobis dominus Deus vester: quia dominus Deus vester ignis concre- 24.
mans est et zelans. Item illic. Aras eorum deponetis, et titulos eorum conminuetis, VII. 5.
et lucos eorum excidetis, et sculptilia eorum cremabitis igni: quia plebs sancta do- 6.
mino Deo tuo, et te sibi elegit dominus Deus tuus, ut *g*) esses ei populus aeternus
super omnes gentes quae sunt super faciem terrae. Item illic. Sculptilia deorum cre- 25.
mabis igni. Non concupisces argentum vel aurum ex illis, et non accipies tibi ipsi,
ne delinquas propter illud; quia abominatio est domino Deo tuo. Nec inferes spur- 26.
citiam in domo tua. Eris anathema, sicut et illud est. Odio odietis, et abomi-
natione abominabitis illa, quia anathema est. Item illic. Et erit, si oblitus fueris VIII. 19.
dominum Deum tuum, et abieris post deos alienos, et servietis illis, et adorave-
ritis eos; ecce testor vobis hodie caelum et terram, quia perditione peribitis, et *h*) 20.
ceterae gentes, quos *i*) dominus Deus perditurus est a facie vestra: sic perietis, si
non audieritis vocem domini Dei vestri, Item illic. Si fili *k*) estis Dei, non timebi- XIV. 1.
tis, et non vacionabitis *l*). Item illic. Maledictus homo qui fecerit sculptilem aut XXVII. 15.
conflatilem abominationem Deo, et opus manuum artificum, et posuerit illud in ab-

a) Ita cod. — *b*) Cod. *disponans*; sed recte supra, ubi eadem sententia scribitur. — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. *sequemin* — *e*) Cod. *adher.* — *f*) Cod. *dispossuit.* — *g*) Cod. *et.* — *h*) Ita cod. pro *ut.* — *i*) Ut apud Matth. XXVIII. 19. *docete omnes gentes, baptizantes eos.* — *k*) Ita cod. — *l*) Ita evidenter codex. Num pro *vacillabitis?* Vulg. *non vos incidetis.* Confer infra cap. LXIV. voc. *vigiolatis.*

Deut. XXXII. 17. sconso. Et respondens dicit omnis populus: fiat fiat *a*). Item illic. Sacrificaverunt dae-
moniis et non Deo: deos quos non noverunt, novi venerant *b*), quos nescierunt pa-
39. tres eorum. Item illic. Videte quoniam ego sum, et non est Deus praeter me. Ego
occidam, et vivere faciam; percutiam, et ego sanabo; et non est qui eripiat de ma-
Ios. XXIII. 6. nibus meis. Item in libro Iesu Nave. Et ideo invalescite vehementer custodire et fa-
cere omnia quae scribta sunt in libro legis Moysi, ut non *c*) egrediamini dextera vel
7. senestra *d*). Et ne intrantes ad gentes istas, communicetis. Et nomina deorum illorum
8. nec nominentur in vobis, neque deserviatis illis, aut adoretis illos, sed adhaerebi-
9. tis *e*) domino Deo vestro, sicut fecistis usque in hunc diem. Et ipse Dominus exter-
XXIV. 19. minavit illos a facie vestra. Item illic. Et dixit Iesus ad populum: si servieritis diis
alienis, non poteritis servire Domino: quia Dominus sanctus est: et cum zelaverit
20. vos, non sustinebitis patienter peccata vestra: sed in qua die reliqueritis Domi-
num, superveniens ira vexabit vos, et exterminabit vos. Quare diis alienis serviatis,
21. cum ille in omnibus bene fecerit vobis? Et respondit populus ad Iesum dicens: non
22. adorabimus diis alienis, sed serviemus Deo nostro. Et dixit Iesus ad populum: testes
23. ergo estis vos ipsi, quia vos elegistis servire Domino. Et nunc auferte deos alienigena|- F. 78.
24. rum *f*) qui sunt in vobis: et dirigite cor vestrum, Israhel. Et respondit omnis popu-
I. Regn. VII. 3. lus ad Iesum, dicens: Domino serviemus, et vocem eius audiemus. Item in Regno-
rum ·I· Et locutus est Samuhel ad omnem domum Israhel, dicens: si in toto corde
vestro vos convertitis ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestrum, et exci-
dite lucos eorum, et praeparate corda vestra ad Dominum, et ipsi servite soli; et
4. liberabit vos de manu alienigenarum. Et his auditis abstulerunt filii *g*) Israhel Baha-
lim, et averterunt *h*) lucos Astraroth, et servierunt *i*) Domino soli. Item in psal-
Ps. LXXX. 9. mo ·LXXX· Audi populus meus, et loquar; Israhel, et testificabor tibi. Israhel, si
10. 11. me audieris, non erit in te Deus recens, nec adorabis deo alieno: ego enim sum
XCV. 5. dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Item in psalmo ·XCV· Quo-
XCVI. 7. niam omnes dii gentium daemonia, Dominus vero caelos fecit. Item in psalmo ·XCVI·
Confundantur omnes qui adorant sculptilibus, qui gloriantur in simulacris suis. Item
CXIII. 4. in psalmo ·CXIII· Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum:
5. 6. os habent, et non loquuntur: oculos habent, et non videbunt: aures habent, et
7. non audient: nares habent, et non odorabunt: manus habent, et non palpabunt:
pedes habent, et non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo: neque enim est
8. spiritus in ore ipsorum. Similes illis fiant omnes qui faciunt ea, et omnes qui con-
Sap. XIII. 1. fidunt in eis! Item in libro Sapientiae. Neque operibus adtendentes agnoverunt quis
2. esset artifex, sed aut ignem, aut primitum *k*), aut citatum aerem, aut gyrum stel-
larum, aut nimiam aquam, aut solem, aut lunam, rectores orbis terrae deos pu-
3. taverunt: quorum si propter speciem hoc aestimaverunt, sciant quanto his Dominus
10. specior *l*) est: speciei enim generator haec omnia constituit. Item illic. Infelices
autem sunt, et inter mortuos spes illorum hominum est, qui appellaverunt deos
opera manuum suarum, et argentum, et artis inventionem, et similitudinem anima-
18. lium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquae *m*). Item illic. Non erubescet loqui
cum eo, qui sine anima est: et pro sanitate quidem, infirmum deprecatur; pro vita
19. autem, mortuum rogat; et pro itinere, petit ab eo qui ambulare non potest; et de

a) Cod. secundo loco *stat* pro *fiat*. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *utinam*, pro *ut non*, vel *uti non*. — *d*) Ita cod. ut retro. — *e*) Cod. *adher*. — *f*) Cod. *alienigenarum*. Sic et mox. — *g*) Cod. *filus*. — *h*) Ita cod. non *ev*. — *i*) Cod. *ferv*. — *k*) Ita evidenter cod., non *spiritum*. — *l*) Ita cod., non *speciosior*. — *m*) Cod. fortasse *antiquorum*.

adquirendo, et de operando, et de omnium rerum eventu petit ab eo *a*) qui in omni-
bus inhabilis *b*) est. Item illic. Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum ; Sap. XIV. 12.
et adinventio illorum, corruptio vitae est. Item in Esaia propheta. Et abominabis Es. XXX. 22.
simulacra inargentata et inaurata: minutata facies, et ventilabis tamquam aquam mu-
F. 79. lieris inmundae, et ut stercus | auferes ea. Tunc erit pluvia semini terrae tuae, et 23.
panis generationis terrae tuae, et erit in saturitate et pinguedine. Item illic. Adpro- XLI. 22.
prient, et adnuntient vobis quae ventura sunt, aut priora quae fuerunt dicite, et
intendemus mente, et cognoscemus quae erunt novissima, et quae ventura sunt in 23.
novissimo, et scimus quoniam dii estis. Benefacite vel nocete, et mirabimur, et vi-
debimus. Etenim unde estis vos, et unde fabricatio vestra? De terra abominationis 24.
eligerunt *c*) vos. Nam ex gentibus ecce nemo est, nec a simulacris eorum, qui nun-
tient. Et si interrogavero unde estis? non respondebunt mihi: sunt enim qui vos
faciunt, et qui vane seducunt vos. Item illic. Erubescite rubore qui confiditis *d*) XLII. 17.
in sculptilibus, qui dicitis conflatilibus: vos estis dii nostri. Surdi audite, et caeci *e*)
respicite ut videatis. Et qui caeci, nisi pueri mei? Et qui surdi, nisi qui dominan-
tur eorum? et excaecati sunt servi Dei. Item illic. Nonne ab initio audistis, et nun- XLIV. 8.
tiavi vobis? Testes vos estis, si est Deus praeter me. Et tunc non erant qui finge- 9.
rent et sculperent deum. Omnes vani, qui faciunt ea quae placent animis suis, quae 10.
non prodeerunt eis: sed erubescent universi qui fingunt deum, et sculpunt inuti- 11.
lia. Et omnes unde facti sunt, aruerunt. Sunt enim surdi ab hominibus. Scitote 20.
quoniam cinis est cor eorum et terra, et nemo potest eripere animam eorum. Vi-
dete ergo, non dicetis quia mendacium est in dextera mea. Memor esto horum, 21.
Iacob et Israhel, quia puer meus es tu: et Israhel, ne obliviscaris mei. Ecce
enim delevi ut nivem iniquitates tuas, et ut caliginem peccata tua. Item illic. Me- 22.
mores estote horum, et ingemiscite: poenitentiam habete, qui erratis: conver- XLVI. 8.
timini ex corde, et rememoramini priorum ab aevo *f*), quod ego sum Dominus, 9.
et non est praeter me. Item illic. Populus iste, qui me inritat: contra me semper LXV. 3.
isti sacrificant in hortis, et incendunt super lateres daemoniis quae nihil sunt, et
in monumentis et in speluncis dormiunt propter *g*) somnia; qui edunt carnes suel- 4.
las *h*). Item in Hieremia propheta. Haec dicit Dominus: secundum vias gentium nolite Hier. X. 2.
ambulare, et a signis caeli nolite timere, timentes a conspectu facies *i*) eorum: quia 3.
legitima gentium vana sunt: lignum de silva excisum, opus fabri et conflatum, 4.
argento et auro exornata sunt, et malleis et clavis confirmant ea: et non move-
buntur, quia fixa sunt. Item illic. Numquid est in idolis gentium qui ploat *k*)? XIV. 22.
Et si caelum dabit satietatem suam, nonne tu es *l*) ipse? Et sustinebimus te, Domi-
ne, quia tu fecisti haec omnia. Item illic. Domine fortitudo mea, et adiutorium XVI. 19.
F. 80. meum, et refugium | meum in die malorum. Ad te gentes venient ab extremo ter-
rae, et dicent: quam falsa possiderunt *m*) patres nostri idola! nec est in illis uti- 20.
litas, si faciet sibi homo deos, et ipsi non sunt dii. Item in Osee propheta. Ego Os. XIII. 4. gr.
autem dominus Deus tuus, qui firmo caelum, et creo terram, cuius manus crea-
verunt omnem militiam caeli, et non ostendi tibi ut ires post illa. Item in Ezechiel Ezech. VII. 19.
propheta. Argentum eorum proicietur in plateis, et aurum eorum disperdetur; ani-

a) Cad. *habeo* — *b*) Cod. *inabilis*. — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. *confidentis* — *e*) Cod. *ceci*. Sic et mox. — *f*) Cod. ***habeo***, quod alibi scribitur mendose pro *ab eo*; heic tamen puto pro *ab aevo*, quia gr. *ἀπὸ τοῦ αἰῶνος*; vulg. *saeculi*. — *g*) Cod. *praeter*, gr. *διά*. — *h*) Ita cod. — *i*) Ita cod. — *k*) Ita cod. — *l*) Cod. *vacues*. pro ***tu es***. Gr. vat. *οὐχὶ σὺ εἶ αὐτός;* — *m*) Ita cod.

mae eorum non fruentur, et ventres eorum non inplebuntur. Quoniam tormentum
Ezech. VII 20. iniquitatium *a*) eorum factum est. Electa mundi in superbiam posuerunt, et ima-
Dan. III. 16. gines abominationum suarum fecerunt ex eis. Item in Danihelo. Et responderunt
Sedrac, Misac, et Abdenago, Nabucodonosor: non habemus causam de hoc sermone
17. respondere tibi: est enim Deus in caelo, cui nos servimus, potens ad liberandos
18. nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis eripere, et salvos facere. Scire
itaque debes, rex, quia diis tuis non servimus, et imaginem quam statuisti, non
I. Cor. VIII. 4. adoramus. Item Paulus apostolus ad Corinthios ·I· De escis ergo sacrificatorum sci-
X. 19. mus quia nihil est idolum, et quia nemo Deus nisi unus. Item illic. Quid ergo dico?
20. quod idolis immolatum, sit aliquid? Non quod idolum sit aliquid; sed quae sacri-
21. ficant, daemoniis sacrificant. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum. Non potestis
calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum. Non potestis mensae Domini parti-
Gal. IV. 8. cipare, et mensae daemoniorum. Item ad Galatas. Tunc quidem ignorantes Deum,
9. his qui non sunt dii servistis; nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti
estis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus
10. iterum servire vultis? Dies observatis et menses et tempora et annos. Timeo ne forte
11. 12. sine causa laboraverim in vos. Estote sicut ego, quia et ego sicut vos. Item Io-
I. Ioh. V. 21. hannis apostolus. Flioli, custodite vos a simulacris. Item in Actibus apostolorum.
Act. XVII. 29. Cum igitur simus *b*) genus Dei, non devemus *c*) aestimare auro vel argento vel la-
pidi *d*), sculpturae artis, et concupiscentiae hominis, divinum esse simile *e*). Item
Apoc. XIV. 9. in Apocalypsi. Si quis adorat bestiam et imaginem eius, et accipit character *f*) in fronte
10. sua, aut in manu sua dextra; et hic bibet de indignatione Dei, quae mixta est mera
in calice irae eius, et cruciabitur in igne et sulfore *g*), in conspectu angelorum et
11. agni. Et fumus et cruciatus eorum in saecula saeculorum ascendit, et non habent
requiem | die ac nocte, qui adorant bestiam et imaginem eius, et qui accepit cha- F. 81.
racter nominis illius.

CAPITULUM XLV.

NON FORNICANDUM

Exod. XX. 14. 17. In Exodo. Non fornicaberis, non concupisces uxorem proximi tui. Item in Levvitico.
Lev. XX. 10. Homo quicumque moechatus fuerit uxorem proximi sui, morte moriatur, qui moe-
20. chatus fuerit et quae moechata fuerit. Quicumque dormierit cum cognata sua, tur-
21. pitudinem cognationis suae retexit: sine filiis morientur. Quicumque acciperit *h*)
uxorem fratris sui, inmunditia est; turpitudinem fratris tui detexit: sine filiis morien-
Deut. V. 18. XXIII. 17. tur. Item in Deuteronomio. Non moechaberis. Item illic. Non erit fornicarius a filiis
Prov. VI. 26. Israhel, et non erit fornicaria a filiabus Israhel Item in Proverbiis Solomonis. Mulier
27. autem virorum pretiosas *i*) animas capit. Alligabit, quis in sinu ignem|, vestimenta
28. autem non conburet? Aut ambulavit *k*) supra carbones ignis, pedes vero non conbu-
29. ret? Sic qui intrat ad uxorem proximi sui non erit inpunitus, neque omnis qui tangit
32. eam. Item illic. Adulter autem propter inopiam sensus, interitum animae suae adqui-
33. rit, dolores et turpitudines sufferet, obprobrium autem eius non delebitur. Item illic.

a) Ita cod. — *b*) Cod. *sumus*. — *c*) Ita cod. *v*. pro *b*. — *d*) Cod. *lapides*. — *e*) Cod. mendose *lapides - sculpturam - concupiscentia - similem*. — *f*) Ita cod. quarto casu etiam alibi. — *g*) Ita cod. — *h*) Ita cod. — *i*) Cod. *praet*. — *k*) Ita cod. *v*. pro *b*.

Abominatio est Domino cogitatio iniqua, sanctorum autem sermones pudici sunt. Item XV. 26.
illic. Viri amantis sapientiam laetatur pater: qui autem pascit meretrices, perdit divi- XXIX. 3.
tias. Item in Ecclesiastico. Non des fornicariis animam tuam in nullo, ne perdas te et Eccli. IX. 6.
hereditatem tuam. Item in Iob. Vel si oculum meum subsecutum est cor meum; vel Iob. XXXI. 7.
si palpavi munus manibus meis, dispargar et non congreger. Aut si secutus est sen- 8. 9.
sus meus uxorem alterius viri, vel si frequentavi in concupiscentia *a*) ianuas eius, 10.
auferatur uxor mea, et detur alii. Item in Ecclesiastico. Vinum et mulieres aposta- Eccli. XIX. 2.
tare faciunt sapientes, et arguunt sensatos. Et qui se iungit fornicariis, erit nequam: 3.
putredo et vermes hereditabunt illum. Item in Hieremia propheta. Vae qui insani- Hier. V. 8.
entes *b*) in feminas facti sunt! Unusquisque in uxorem proximi sui hinnibat. Num- 9.
quid in his non visitabo, dicit Dominus? aut in natione *c*) tali non vindicabit anima
mea? Item Tobi ad filium. Adtende autem tibi ab omni fornicatione. Item in psal- Tob. IV. 13.
mo ·LXXII· Quia ecce qui elongant se a te, peribunt. Perdedisti *d*) omnes qui forni- Ps. LXXII. 27.
cantur abs te. Mihi autem adhaerere *e*) Deo bonum est, ponere in Deo spem meam, 28. 29.
ut enarrem omnia promissa tua in portis filiae Sion. Item in Osee propheta. Prin- Os. VII. 3. 4.
cipes adulteria committentes omnes sicut clibanus ardens ad coquendum, conbustio
F 42. flammae. Item in evangelio secundum Matthaeum. Audistis quia dictum | est: non moe- Matth. V. 27.
chaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscen- 28.
dam eam, iam moechatus est in corde suo. Item illic. Omnis qui dimittit uxorem 32.
suam, et aliam ducit, moechatur: qui dimissam a viro ducit, moechatur. Item Pau-
lus apostolus ad Corinthios ·I· Nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt? I. Cor. VI. 15.
Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. Nescitis, quia qui 16.
iungit se meretrici, unum corpus est? Erunt enim duo in carne una. Qui autem iun- 17.
git se Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque 18.
fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Aut 19.
nescitis, quoniam membra vestra, templum est *f*) Spiritus sancti, qui in vobis est,
quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio *g*). Glorificate et 20.
tollite Dominum in corpore vestro.

CAPITULUM XLVI.

DE NEGLEGENTIA SACERDOTUM.

In Hieremia propheta. Et sacerdotes non dixerunt: ubi est Deus? Et cultores le- Hier. II. 8.
gis meae nescierunt me; et pastores impie egerunt in me. Item illic. Horrebilia *h*) V. 30.
facta sunt super terram: prophetae prophetant *i*) inique; et sacerdotes plause- 31.
runt manibus suis; et populus meus dilexerunt *k*) eos. Quid facietis in futurum?
Item illic. A sacerdote usque ad pseudoprophetam omnes fecerunt mendacium, di- VI. 13. 14.
centes: pax, pax. Et ubi est pax? Item illic. Quomodo dicitis: sapientes sumus nos, VIII. 8.
et lex Domini nobiscum? In vanum facta est metatura *l*) vestra. Scribae confusi sunt 9.
sapientes territi sunt, quia verbum Domini reprobaverunt: sapientia quae est in il-
lis? Item illic. Tabernaculum tuum miserum factum est; periit, et omnes pelles X. 20.

a) Cod. *concupiscentiam*. — *b*) Cod. *insanet estis*. — *c*) Cod. *in nationi*. — *d*) Ita cod. — *e*) Cod. *adherere*. — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *praetio*. — *h*) Ita cod. — *i*) Cod. mire inconstans *profetae prophetant*. — *k*) Cod. *dixerunt*. — *l*) Cod. *metatur*. Sed mirum est, quod Lactantius inst. lib. IV. cap. XI. 13. citans ex Hieremia secundum veterem interpretationem, scribit *metatura*, cuius latini vocabuli hoc unum exemplum superest. Consentit in sensu gr. vat. σχ ῖ ος.

Hier. X. 21. eius ruptae sunt: quia pastores insipienter gesserunt, et Dominum non inquisive-
XXIII. 2. runt: ideo non intellexerunt. Item illic. Propterea haec dicit Dominus in pastores
qui regunt populum meum: vos dispersistis oves meas, et expulistis eas, et non vi-
4. sitastis eas. Ecce ego vindico in vos, secundum mala studia vestra. Et suscitabo
illis pastores, qui pascant eas; et ultra non timebunt neque terrebuntur, dicit Do-
Os. III. 7? minus. Item in Osee propheta. Absconderunt sacerdotes viam Domini, et ignis co-
Mich. III. 11. medit iudices eorum, et non fuit in eis qui invocaret me. Item in Michaea pro-
pheta. Et sacerdotes cum muneribus respondebant, et in Domino requiescebant di-
Hier. XXIII. 1. centes: nonne Dominus est in nobis? Item in Hieremia propheta. O mali pastores!
conrupistis oves meas, docentes eas secundum voluntates vestras; et quae vera sunt,
Soph. III. 4. non docuistis eas. Item in Sophonia propheta. Sacerdotes eius contaminant sanctum *a*), F. 83.
Mal. I. 6. 7. et reprobant legem. Item in Malachihel propheta. Vos sacerdotes, qui fallitis nomen
10. meum. Et dixistis: in quo *b*) refellimus nomen tuum? Offerentes ad altarium *c*) meum
panes pollutos. Non est mihi voluntas, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non
Ezech. XXXIV. 2. accipiam de manibus vestris. Item in Ezechihel propheta. Et ideo, pastores, audite ver-
3. bum Domini *d*): ecce lac devoratis, et lanis eorum cooperitis vos, et quod grassum *e*)
4. est iugulastis *f*), et oves meas dispersistis: quod infirmum erat non confortastis, et
quod male habebat non curastis, et contritum non alligastis, et quod errabat non con-
5. vertistis, et quod periebat *g*) non requisistis, et fortem oppressistis *h*) labore. Et di-
spersae sunt oves meae, eo quod non sint pastores; et factae sunt in devorationem *i*)
6. omnibus besteis *k*) agri. Et dispersae sunt oves meae super omnem montem, et in
omnem collem altum, et super faciem totius terrae depressae *l*) sunt, nec erat qui
Mal. II. 17. requireret, neque qui revocaret. Item in Malachihel propheta. Quia inritastis Dominum
in verbis vestris. Et dixistis: in quo inritabimus *m*) eum? In eo quod dicatis: omnis qui
facit malum, bonum est coram Domino, et ipsi in eis placuit. Et ubi est Deus iu-
Os. IX. 4. stitiae? Item in Osee prepheta. Sacrificia eorum tamquam panis luctus: omnis *n*) qui
Num. XVI. 26. manducant ea, contaminabuntur. Item in Numeris. Separamini *o*) a tabernaculis isto-
rum durissimorum, et nolite tangere ab omnibus quae sunt eis, ne simul perea-
tis in peccato eorum.

CAPITULUM XLVII.

DE SANCTIFICATIONE SACERDOTUM VEL MINISTRANTIUM DEO, ET OMNI ORDINATIONE *p*) ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE.

Exod. XIX. 22. In Exodo. Et sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne forte dere-
XXVIII. 42. linquat eos Dominus. Item illic. Et facies illis bracas lineas, ut tegant inverecun-
XXIX. 37. tiam *q*) corporis, a lumbis usque ad genicula. Item illic. Omnis qui tetigerit altare,
Lev. XXI. 6. sanctificetur. Item in Levvitico. Sancti erunt Domino suo, et non coinquinabunt no-
7. men domini Dei sui, et dona ipsi offerent, erunt sancti. Mulierem meretricem et
coinquinatam non accipient, mulierem eiectam a viro non accipient, quia sancti sunt
8. domino Deo suo. Et sanctificabis eos. Dona enim domini Dei vestri hii offerunt: sancti
X. 8. erunt, quia sanctus sum ego Dominus qui sanctifico eos. Item illic. Et locutus est Do-

a) Cod. *sanctam*. — *b*) Cod. *qua*. — *c*) Ita cod. ut alibi. — *d*) Cod. *Dominus*. — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *iulastis*. — *g*) Ita cod., non *perierat*. — *h*) Cod. *oppraess*. — *i*) Cod. *devoratione*. — *k*) Ita cod. — *l*) Ita cod. — *m*) Ita cod. *b*. pro *v*. — *n*) Ita cod. *pro omnes*. — *o*) Cod. *separaminis*. — *p*) Cod. *et eccl*. — *q*) Ita cod. Contra superius *astudia* pro *astutia*

minus ad Aron, dicens: vinum et sicera non bibetis tu et filii tui tecum, quando in- Lev. X. 9.
troibitis in tabernabulo *a*) testimonii, vel cum accedetis ad altare, ne moriamini.
F. 84. Estote sancti, quia sanctus sum ego dominus Deus vester. | Item in Paralipomenon ·I· I. Par. XV. 11
Et vocavit David Saddoc et Abiathar sacerdotes, et levvitas Ariel, Asea, Iohel, Ami-
nadab. Et dixit illis: vos principes familiarum levvitarum purificamini vos et fratres 12.
vestri, et reportate arcam domini Dei Israhel ubi paravi ei. Et purificati sunt sa- 14.
cerdotes et levvitae ut portarent arcam Domini Israhel. Item Paulus apostolus ad Ti-
tum. Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut quae deerant corrigas, et constituas Tit. I. 5.
per civitates presbyterium, sicut ego tibi disposui. Si quis est sine crimine, unius 6.
uxoris, vir, filios habens fideles, non in accusatione luxoriae *b*), aut non subditos.
Oportet enim episcopum sine crimine esse, tamquam Dei dispensatorem, non super- 7.
bum, non iracundum, non vinolentum, non turpis lucri adpetitorem; sed hospitalem, 8.
benignum, prudentem, iustum, sanctum, continentem, obtinentem secundum doctri- 9.
nam fidele verbum, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et contradicentes revin-
cere. Sunt enim multi etiam non oboedientes, vaniloqui et seductores. Item ad Timo- 10.
theum ·I· Humanus sermo si quis episcopatum cupit, bonum opus desiderat. Oportet I. Tim. III. 1. 2.
enim episcopum inrepraehensibilem esse, unius uxoris virum, subrium *c*), prudentem,
ordinatum *d*), hospitalem, docibilem, non vinolentum, non percussorem, sed mode- 3.
stum, non litigosum *e*), non cupidum, domum suam bene regentem, filios habentem 4.
subditos cum omni castitate. Si quis autem suae domui praeesse nescit, quomodo eccle- 5.
siae *f*) diligentiam habebit? Non neophytum *g*), ne in superbiam elatus, in iudicium in- 6.
cedat *h*) diabuli. Oportet autem eum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt 7.
ut non in opbroprium *i*) incedat et laqueum diabuli. Diaconos similiter castos et pudicos, 8.
non bilingues, non multo vino deditos *k*), non turpis lucri adpetitores, non cupidos, 9.
habentes sacramentum fidei in conscientia pura. Et hii quoque probentur primum, et 10.
sic ministrent, nullum crimen habentes. Item illic. Diacones *l*) sint unius uxoris *m*) 12.
viri, qui filiis bene praesunt et suis domesticis. Qui enim bene ministraverint, gradum 13.
bonum sibi adquirunt, et multam fiduciam in fide *n*) quae est in Christo Iesu. Item Pe- I. Petr. V. 1.
trus apostolus in epistola ·I· Seniores autem qui in vobis sunt obsecro ego testis *o*)
F. 85. Iesu Christi passionum, similiter maior natu et futurae decla|rationis laudis socius,
ut regatis plebem Domini, curae habentes non in avaritia neque in dominatione fra- 2.
trum, sed voluntarie ex animo libenter, et sine repraehensione; ut forma sitis 3.
ovibus, in operibus bonis, in omni conversatione quae secundum Deum est. Ut cum 4.
apparuerit princeps pastorum, rationem reddatis de ovibus, et percipiatis illam flo-
ridam et inmarciscibilem gloriae coronam. Similiter et iuniores subiecti estote senio- 5.
ribus. Omnes autem quietem et humilitatem animi induite: quia Deus superbis re-
sistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliate ergo vos sub potente dextera Dei, ut 6.
vos exaltet in tempore visitationis suae; omnem sollicitudinem vestram proicientes 7.
in eum, quoniam ipsi cura est de omnibus. Item in evangelio secundum Matthaeum. Matth. XXIV. 45.
Quisnam est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus super familiam suam
ut det illis cibariam *p*) in tempore? Beatus servus ille, quem veniens dominus eius, 46.

a) Ita cod. — *b*) Ita cod. — *c*) Ita cod. ut alibi interdum. — *d*) Ita cod. In II. Thess. III. 6. *ab omni fratre ambulante inordinate* — *e*) Ita cod. — *f*) Deest in cod. *Dei*, quod quia solet scribi *DI*, fortasse crasim fecit cum *di* sequentis vocabuli. — *g*) Cod. *neofitum*. — *h*) Ita cod. — *i*) Cod. *opbroprium*. — *k*) Cod. *debitos*. — *l*) Ita cod. — *m*) Cod. *uxores*. — *n*) Cod. *sede*. — *o*) Cod. *estis*. — *p*) Cod. *cibaria*, superposita lineola in fine, qua solet indicari littera *m*. Itaque revera est *cibariam*. Sed quia illa linea in fine verborum ponitur interdum absurde in nostro codice, ideo iudico legendum potius, ut solet, *cibaria*. Et quidem *cibaria* heic est in codd. aliis apud Sabaterium.

*

Matth. XXIV 47. inveniat sic facientem. Amen dico vobis, quia super omnia quae possidet, consti-
48. tuet illum. Quod si dixerit malus ille servus: tardat dominus meus venire, et coe-
49. perit percutere conservos suos sedentes et bibentes *a*) cum luxoriosis, veniet autem
50. Dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua non sentiet, et dividet eum,
51. partemque eius cum infidelibus ponet: illic erit fletus et stridor dentium. Item Pau-
Coloss. IV 17. lus apostolus ad Colossenses. Dicite Archippo *b*): vide ministerium quod accepisti,
Lev. VIII 33. ut illud inpleas. Item in Levvitico. Ab osteo *c*) tabernaculi testimonii non exies se-
35. ptem diebus, donec inpleatur dies consummationis vestrae. Item illic. Ad osteum
tabernaculi testimonii sedebitis septem diebus die et nocte. Custodite observationes
Domini, ne moriamini.

CAPITULUM XLVIII.

DE SANCTIFICATIONE POPULI.

Exod. XIX. 14. In Exodo. Discendit autem Moyses de monte ad populum, et dixit illis, et sancti-
15. ficavit eos, et laverunt vestimenta sua, et dixit ad eos: estote parati tribus diebus,
Deut. IV. 5. et ne accesseritis ad mulierem. Item in Deuteronomio. Ecce ostendi vobis iudicia
et iustitias, sicut mandavit mihi Dominus facere sic, in terra in qua *d*) vos introi-
6. bitis ibi possidere eam. Et servate et facite, quia haec est prudentia vestra, et in-
tellectus coram omnibus gentibus, quaecumque audierint iustitias istas, et dicent:
7. ecce populus prudens et sciens, gens tam magna haec. Quia quae est tam magna
gens, cui sit Deus adpropinquans, sicut dominus Deus noster in omnibus in quibus-
8. cumque, invocaverimus eum? Et quae alia gens, est *e*) tam magna, quae habeat iu- F. 86
stitiam et iudicia iusta secundum omnem legem istam quam ego trado vobis coram
9. vos *f*) hodie? Adtende tibi, et serva animam tuam, ne obliviscaris omnia verba, quae
viderunt oculi tui, et ne recedant de corde tuo omnibus diebus vitae tuae. Et in-
II. Par. XXIII 19. strues filios tuos, et filios filiorum tuorum. Item in libro Paralipomenon ·II· Ioa-
das sacerdos. Et statuit ostiarios super portas domus Domini, et non intrabit in-
I. Petr. I. 15. 16. mundus in omni re. Item Petrus apostolus ·I· Et vos sancti in omni conversatione
estote quia scribtum est sancti estote, quia et ego sanctus sum.

CAPITULUM XLVIIII.

DE CONTENSIONE VITANDA.

Prov. X 12. In Proverbiis. Odium suscitat contentio; omnes autem non contendentes protegit ami-
XVIII. 18. citia. Item illic. Contradictiones sedat tacitus; inter potentes autem definit. Item il-
XXV. 8. lic. Noli procedere in rixam cito, ne postmodum poeniteat te. Cum tibi maledi-
9. 10. xerit amicus tuus, recede retro. Noli contendere, cum te exprobrabit amicus. Gratia
et amicitia liberant, quam serva tibi, ne in opprobriis sis, sed custodi vias tuas
XXIX. 22. bene conservando. Item illic. Vir animosus fodit contentionem; vir autem iracun-
I Cor. III. 3. dus exobruet peccata. Item Apostolus ad Corinthios ·I· Cum enim sit inter vos ae-
mulatio et contentiones, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?
Phil. II. 1. Item ad Philippenses. Si qua ergo consolatio *g*) in Christo, siqua adlocutio cari-

a) Immo dicendum est *manducans et bibens*. — *b*) Cod. *Arcippo*. — *c*) Ita cod. ut alibi. — *d*) Ita cod. — *e*) Cod. *et*. — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *consulatio*, et mox *adlucutio*.

tatis, siqua societas spiritus, siqua viscera miserationis, inplete gaudium meum, ut Phil. II. 2
idpsum dicatis omnes, eandem caritatem habentes, unianimes, unum sentientes,
nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed humilitate *a*) mentis invi- 3.
cem existimantes sibimet ipsos superiores: non sua singuli respicientes, sed aliorum. 4.

CAPITULUM L.

DE HAERETICIS *b*) ET PSEUDOPROPHETIS VITANDIS, SEU CONTENTIONIBUS LEGIS.

In Hieremia. Et dixit ad me: falsa prophetae *c*) in nomine meo: non misi illos, et Hier. XIV 14.
non mandavi illis, neque locutus sum ad eos; quia visiones falsas, et divinationes
et praesumptiones cordis sui ipsi prophetant vobis. Item illic. Nolite audire ser- XXIII. 16.
mones prophetarum, quia vani sunt, et visiones cordis sui loquuntur, et non ab 17.
ore Domini. Dicunt his qui repellunt verbum Domini: pax erit vobis. Item in Esaia Es. XXIX. 13.
propheta. Populus hic labiis me diligit, cor autem eorum longe est a me: sine causa
F. 87. enim colunt me, docentes doctrinas mandata hominum. Item in Ezechihel. | Et extendam Ezech. XIII 9
manum meam super prophetas qui vident mendacia, et loquuntur vana: in disciplina
populi mei non erunt, neque in scriptura domus Israhel scribentur, et in terram
Israhel non intrabunt. Eo quod populum meum seduxerunt: pax pax, et non erat 10.
pax. Item illic. Vae qui adsumunt cervicalia sub omnem cubitum manus, et faciunt 18.
velamina super omne caput universae aetatis ad subvertendas *d*) animas. Et contami- 19.
nabant me, et populum meum seducebant *e*), ad occidendas animas quas non opor-
tebat mori, et ad liberandum animas quas non oportebat vivere, dum loquemini
populo exaudienti eloquia vana. Eo quod evertebatis cor iusti, et confirmabatis ma- 22.
nus iniqui, ne omnino se averteret a via sua mala, et viveret. Item Paulus apo-
stolus ad Romanos. Obsecro vos, fratres, diligenter observate tumultuosos, et scan- Rom XVI. 17.
dala praeter doctrinam quam vos didicistis, dicentes aut facientes. Declinate ab ipsis.
Nam huiusmodi domino nostro Christo non serviunt, sed ipsorum ventri, et suavi- 18.
tudine verborum et benedictione seducuntur corda innocentium. Obauditio autem ve- 19.
stra in omnes transeat. Gaudeo autem super [vos *f*)], et volo vos prudentis esse ad
bonum, simplicis autem ad malum. Dominus autem pacis conterat alienum sub pe- 20.
des vestros quo celerius *g*). Item ad Corinthios ·II· Quod autem facio et faciam, ut II. Cor. XI. 12.
amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem; ut in quo gloriantur, inve-
niantur sicut et nos. Nam huiusmodi pseudoapostoli, operarii nequitiae, dolosi, 13
transfigurantes se in apostolos Christi. Sed non mirum, cum ipse Satanas transfi- 14.
guret se velut angelum lucis, non est magnum si ministri eius transfigurantur ve- 15.
lut ministri iustitiae, quorum finis est secundum eorum [opera]. Item ad Philip- Phil. III 2
penses. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. Nos enim sumus 3.
circumcisio, qui spiritu Deo servimus, et gloriamur in Christo, et non in carne
confidemus *h*). Item illic. Nam multi ambulant, quos saepe dicebam vobis, nunc 18.
autem flens dico, inimicos crucis Christi: quorum finis est interitus, quorum Deus 19.
venter est, et gloria in confusione ipsorum: qui terrena *i*) sapiunt: nostra autem 20
conversatio in caelis est. Item ad Colossenses. Nemo ergo vos iudicet in cibo *k*), Coloss. II. 16

a) Cod. *humilitatem*. — *b*) Cod. *her*. — *c*) Vel deest verbum *vaticinantur*, vel dic *prophetant*. — *d*) Cod. *subvertentias*. — *e*) Cod. *sedocebant*. — *f*) Ita gr. addit ὑφ' ὑμῖν. — *g*) Cod *cael*. — *h*) Ita cod. — *i*) Cod. *terrenas*. — *k*) Cod. *cybo*.

aut in potu, aut in parte *a*) diei festi, aut initiis mensium *b*), aut in neomeniis *c*),
Coloss. II. 17. aut in ieiuniis, aut in sabbato, quod est umbra futurorum, corpus autem Christi. | F. 88.
18. Nemo vos seducat, volens in humilitate sensus et superstitione angelorum quae vi-
19. dit ambulans, extollens se sine causa inflatus sensus *d*) carnis suae, et non tenens
caput ex quo omne corpus per nexus et coniunctiones *e*) productum et porrectum cre-
20. scit in augmentum Dei. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mun-
21. di, quare tamquam viventes in hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque gusta-
22. veritis, neque contrectaveritis quae sunt omnia in interitum, ipso usu, secundum
23. praecepta et mandata hominum, quae sunt quidem rationem habentia sapientiae:
in religione et humilitate cordis, non purando *f*) corpori, non in honore aliquo ad
I. Tim. I. 5. saturitatem carnis. Item ad Timotheum ·I· Finis autem praecepti est caritas de cor-
6. de puro, et conscientia bona, et fide non ficta. A quibus quidam *g*) excidentes
7. conversi sunt in vaniloquium, volentes esse se legis doctores, non intellegentes ne-
VI. 2. que quae loquuntur, neque de quibus adfirmant. [Item illic.] Haec doce et ex-
3. hortare *h*). Si quis aliter docet, et *i*) non adquiescet sanis sermonibus Domini no-
4. stri Iesu *k*) Christi, et ei quae secundum pietatem est doctrinae; inflatus est autem
nihil sciens, sed aegrotat *l*) circa quaestiones et verborum pugnas: ex quibus na-
5. scuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, conflictationes ho-
6. minum mente corruptorum et a veritate destitutorum, existimantium quaestum esse
II. Tim. II. 16. culturam Dei. Discede ab eiusmodi. Item ad quem supra ·II· Profanas autem vo-
17. cum novitates devita *m*): multum enim proficient ad impietatem; et sermo eorum
I. Tim. VI. 20. ut *n*) cancer serpit. Item illic. O Timothee, mandatum custodi, devitans profanas
21. vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promitten-
II. Tim. III. 1. tes, circa fidem exciderunt. Item ad Timotheum ·II· Hoc autem scito, quoniam in
2. novissimis temporibus advenient tempora periculosa: erunt homines se ipsos aman-
tes, cupidi, superbi, fastidiosi, blasphemi, parentibus non oboedientes, ingrati, sce-
3. lesti, infideles *o*), sine affectione, pactum custodientes detractare *p*), incontinentes,
4. inmites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluntatum *q*) amatores ma-
5. gis, quam Dei; habentes formam pietatis, virtutem autem eius negantes. Et hos de-
6. vita. Ex his sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas | oneratas pec- F. 89.
7. catis, quae ducuntur variis desideriis, semper discentes, et numquam ad scientiam
8. veritatis pervenientes. Quemadmodum enim Iamnes et Mambres restiterunt Moysi,
9. ita et hii resistunt veritati: homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Sed ul-
tra non proficient: dementia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum
I. Tim. I. 3. fuit. Item illic. Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi *r*) cum irem in Macedoniam *s*)
4. ut denuntiares quibusdam ne aliter doceant, neque intendant fabulis iudaicis et ge-
nealogiis infinitis, quae quaestiones praestant magis quam aedificationem Dei, quae
Tit. III. 9. est in fide. Item ad Titum. Stultas autem quaestiones, et genealogias, et conten-
10. tiones, et pugnas legis devita; sunt enim inutiles et vanae. Haereticum *t*) homi-
11. nem post unam correptionem devita, sciens quoniam perversus est eiusmodi, et pec-
Ad Laod. v. 4. cat, cum sit suo iudicio damnatus. Item ad Laodicenses *u*). Neque destituat vos quo-

a) Cod. *partem*. — *b*) Cod. *mensum*. — *c*) Cod. *numinius*. — *d*) Ita cod. — *e*) Cod. *coniunctione*. — *f*) Ita cod. evidenter. — *g*) Cod. *quidem*. — *h*) Cod. *exortare*. — *i*) Cod *ei*. — *k*) Cod. *Iesus*. — *l*) Cod. *egr*. — *m*) Cod. *debita*. — *n*) Cod. *et*. — *o*) Cod. *infidelis*. — *p*) Ita cod. Sed dic *pactum custodire detrectantes*, *detractores* etc. — *q*) Ita cod. Nam *voluntas* et *voluptas* promiscui sunt usus in codd. — *r*) Cod. *Efesim*. — *s*) Cod. *Mached*. — *t*) Cod. *her*. — *u*) De hac ad Laodicensium epistola, quae extra sacrum canonem est, satis disseruit Fabricius Cod. apocr. N. T. vol. II. p. 853. seqq. Nos quoque eam observavimus in antiquissimo codice Cavensi inter epp. ad Coloss. et I. ad Thessal.,

rundam vaneloquentia *a*) insinuantium *b*), ut vos avertant *c*) a veritate evangelii, quod
a me praedicatur. Item apostolus Iohannis. Karissimi, nolite credere omni spiritui, I. Ioh. IV. 1
sed provate *d*) spiritus si ex Deo sunt, quoniam multi pseudoprophetae exierunt in
hunc mundum. Item Iohannis apostolus ·II· Si quis venit ad vos, et hanc doctri- II. Ioh. 10.
nam non adfert, nolite eum recipere in domum, et habe *e*) ne dixeritis ei. Qui 11.
enim dicit illi habe, communicat operibus eius malignis. Ecce praedixi vobis, ne in
diem *f*) Domini condemnemini. Item in evangelio secundum Matthaeum. Adtendite Matth. VII. 15.
vobis a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intus autem sunt lupi 16.
rapaces: ex fructibus eorum cognoscetis eos. Item ad Ephesios. Provate *g*) autem Eph. V. 10.
quid sit quod placeat Deo, et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum; 11.
magis autem et redarguite: quae enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est etiam dicere. 12.

CAPITULUM LI.

DE CONTINENTIA ORIS.

In psalmo ·CXXXVIIII· Vir linguosus non dirigetur super terram. Item in Pro- Ps. CXXXIX. 12.
verbiis. Ex multiloquio non effugies peccatum; parcens autem labiis, sapiens eris. Prov. X. 19.
Item illic. Qui multis utitur verbis, laedit *h*) animam suam. Item illic. Mutum te XIII. 3. XVII. 28.
faciens, videris sapiens esse. Item illic. Qui respondit *i*) verbum prius quam au- XVIII. 13.
F. 90. diat, stultitia est illi et opprobrium. Item illic. Mors et vita in manibus linguae: 21.
qui autem continens est, edet fructus eius. Item illic. Qui custodit os | suum et XXI. 23.
linguam, conservat de angustiis animam suam. Item illic. Laquei *k*) enim fortes VI. 2.
sunt viro sua labia, et capitur verbo oris sui. Item illic. Abominatio est Domino 17? an XVI. 5.
defigens oculum, et indocti incontinentes sunt lingua. Item illic. Si videris virum XXIX. 20.
velocem in verbis, scito *l*) quia spem habet magis insipiens quam ille. Item illic.
Noli citatus esse in lingua tua, et inutilis et remissus in operibus tuis *m*). Item illic. immo Eccli. IV. 34.
Non appelleris susurrio *n*), et lingua tua capiaris; super furem enim est confu- V. 16
sio et poenitentia; susurratori autem odium et inimicitiae et contumelia. Item illic.
Ne iteres verbum durum et nequam. Item illic. Est tacens, qui invenitur sapiens; XX. 5.
et est tacens, qui non habet sensum loquellae *o*); et est tacens [sciens] tempus *p*) apti
temporis. Item illic. Homo sapiens tacebit usque in tempus: lascivus autem et in- 7.
prudens non servabunt tempus. Qui multis utitur verbis, laedit animam suam; et qui
potestatem sibi adsumit iniuste similiter processus est in malis. Item illic. Qui su- XXI. 31
surrio est in omnibus et non necesse, odietur. Item illic. Tacitus et sensatus honore 31.
honorabitur. Item illic. In medio sensatorum serva verbum temporis: in medio autem XXVII. 13.
tractantium adsiduus *q*) esto. Item illic. Homo iracundus incendit litem, et vir pecca- XXVIII. 11.
tor turbabit amicos, et in medium pacem habentium inmittet delaturam. Secundum 12.
virtutem hominis, iracundia illius; et secundum substantiam suam, exaltabit litem.
Testamentum festinatum incendit ignem; et lis festinans *r*) effundit sanguinem; et lin- 13.

eamque habuit alius quoque vetustissimus codex, inter epp. ad Titum et I. Iohannis Denique et tertius vaticanus codex; unde nos propter varias lectiones repetendam iudicavimus in Spicil. rom. T. IX. part. penult. p. 74; eiusque varias lectiones post canones Priscilliani posuimus. Notabilis clausula est in codice Cavensi: *et facite legi Colossensium vobis.* Nempe monet Laodicenses auctor, ut illam quoque ad Colossenses scriptam curent sibi legi. — *a*) Var. vat. *vaniloquentia.* — *b*) Var. vat. *insinuantium se.* — *c*) Var. vat. *evertant.* — *d*) Ita cod. *v.* pro *b.* — *e*) Ita cod. heic et mox, pro *ave.* Adspiratur certe hoc vocabulum etiam apud Frontonem ed. rom. p. 20. 21. — *f*) Ita cod. — *g*) Ita cod. ut supra. — *h*) Ita cod. heic et infra recte *laed.* — *i*) Ita cod. — *k*) Cod. *laqueos.* — *l*) Cod. *cito.* — *m*) Hoc simile pacuviano illi: *odi homines ignava opera, philosopha sententia.* — *n*) Ita cod. — *o*) Ita cod. constanter. — *p*) Ita cod. Confer Sabaterium. Gr. εἰδὼς καιρόν. — *q*) Cod. *adsiduos.* Cod. *saec.* — *r*) Cod. *festinantes.*

Eccli. XXVIII. 14. gua testificans adducet mortem: si sufflaveris, quasi scintilla *a*) exardebit, et utra-
15. que ex ore proficiscuntur. Susurrio et bilinguis maledictus; multos enim turbabit
16. pacem habentes. Item illic. Lingua tertia multos commovit et disparsit illos de gente
17. 18. in gentem: civitates divitum distraxit, et domos magnatorum effodit: virtutes po-
20. pulorum concidit, et gentes fortes *b*) dissolvit. Qui ad illam expectat *c*) non ha-
21. bebit requiem: nec habitabit cum requie. Item illic. Flagelli plagae livorem fa-
22. ciunt, plaga autem linguae comminuet ossa. Multi ceciderunt in casus gladii, sed
23. non sic *d*) quasi qui interierunt per linguam. Felix qui liberatus est a lingua nequam,
24. qui in iracundiam *e*) illius non transivit, et vinculis illius non est ligatus! Iugum
25. enim illius, iugum ferreum est; mors illius, mors nequissima *f*) inutilis inferi *g*).
XXVIII. 29. Item illic. Aurum tuum et argentum tuum confla, et verbis tuis *h*) facito stateram,
30. et frenos ori tuo rectos; | et adtende ne forte labaris lingua, et cadas in conspectu F. 91.
XXII. 33. inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis. Item illic. Quis dabit ori
meo conservationem, et super labia mea signaculum certum, ne cadam ab illis
XXIII. 1. et lingua mea perdat me? Deus pater et dominator vitae meae, ne derelinquas me
3. cadere in illis: ne aderescant ignorantiae meae, et adpraehendar in conspectu con-
17. trariorum, et gaudeat inimicus meus. Item illic. Indisciplinosae [loquellae] non
Eccle. V. 1. adsuescas os tuum, est enim in illa verbum peccati. Item in Ecclesiaste. Noli fe-
stinare in ore tuo, et cor tuum non adceleret ut proferas verbum ante faciem
Dei: quia Deus in caelo est, et tu in terra: propterea pauca sint verba tua. Item
5. illic. Noli dare os tuum ut peccet caro tua: et ne dicas ante faciem Dei, quia igno-
rantia est, ut non irascatur Dominus in verbis tuis, ut perdat opera manuum *i*)
Iob. V. 21. 22. suarum. Item in Iob. Et ideo a nequissima lingua absconde, et non timebis a su-
VIII. 22. pervenientibus malis. Deride iniustos et infrena os scelestorum. Item illic. Et si in
Ps. XIII. 3. multiloquio extollamur, coram Domino non absolvetur. Item in psalmo ·XIII· Lin-
guis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum: quorum os maledi-
XXXIII. 13. ctione et amaritudine plenum est *k*). Item in psalmo ·XXXIII· Quis est homo qui
14. vult vitam, et cupit videre dies bonos? Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua
15. ne loquantur dolum: declina a malo, et fac bonum; inquire pacem, et sequere
XXXVIII. 1. eam. Item in psalmo ·XXXVIII· Dixi: custodiam vias meas, ut non delinquam *l*)
in lingua mea. Posui ori meo custodiam, dum consistit peccator adversum me. Item
CXL. 3. in psalmo ·CXL· Pone custodiam ori meo, et osteum *m*) circumstantiae labiis meis.
4. Non declines cor meum in verba mala ad excusandas excusationes in peccatis. Cum
hominibus operantibus iniquitatem, et non conbinabo cum electis eorum. Item Apo-
Eph. IV. 29. stolus ad Ephesios. Omnis sermo malus de ore vestro non procedat; sed si quis bo-
30. nus est ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Et non contristaveritis *n*)
Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Omnis amaritudo
et ira et indignatio et clamor et convicium tollatur a vobis cum omni malitia. Item
Eccli. VIII. 4. in Ecclesiastico. Non litiges cum homine linguato, et non mittes in igne *o*) illius
Iac. I. 19. ligna. Item Iacobus apostolus. Sit vero omnis homo citatus audire, et ardus loqui.
26. Item illic. Si quis putat superstitiosum *p*) se esse, non re frenans linguam suam, sed F. 92.
III. 1. fallens cor sum, huius vana religio est. Item illic. Nolite multiloqui esse, fratres

a) Cod. *sccntilla*. — *b*) Cod. *sortes*. — *c*) Ita cod. pro *spectat*, quod in latina lingua non est plane insolitum. — *d*) Cod. *sit*. — *e*) Cod. *iracundia*. — *f*) Cod. *nequissimae*. — *g*) Ita cod. — *h*) Cod. *tui*. — *i*) Cod. *manum*. — *k*) Animadverte lectos quoque fuisse ab Augustino in psalmo hos versiculos, ut a Cyrillo; apud quem nos disputavimus comm. ad hunc psalmum. — *l*) Cod. *delinquam*. — *m*) Ita cod. — *n*) Cod. *contristaveris*. — *o*) Ita cod. — *p*) Alibi iam monuimus *superstitiosum* recto sensu dici interdum a latinis pro *religioso*.

mei; quia maius iudicium accipietis: multa enim omnes delinquimus. Si quis in ver- Iac. III. 2
bo non delinquid *a*), hic perfectus vir est; potest frenare totum corpus et diri-
gere. Quare ergo equis frena in ora mittuntur, nisi in eo ut suadeantur a nobis, 3.
et totum corpus circumducamus? Ecce et naves quae tam *b*) inmensae sunt, sub 4.
ventis duris feruntur, et circumducuntur a parvissimo gubernaculo, ubi impetus di-
rigentis voluerit. Sic et lingua pars membri est, sed est magniloqua. Et sicut par- 5.
vus ignis magnam silvam incendit, ita et lingua ignis est: et mundus iniquitatis per 6.
linguam constat in membris nostris, quae maculat totum corpus, et inflammat ro-
tam *c*) geniturae et inflammatur a genitura. Omnis enim natura bestiarum et avium 7.
et serpentium et beluarum maritimarum domatur et subiecta est naturae humanae:
linguam autem hominum domare nemo potest, nec retinere a malo, quia plena est 8.
mortali veneno.

CAPITULUM LII.

FUGIENDAM EBRIETATEM.

In Proverbiis. Qui est iucundus in vini conmorationibus, relinquet contumeliam. Prov. XII. 11
Item illic. Proterva res est vinum; et iniuriosum, ebrietas. Omnis autem stultus his XX. 1.
conmiscetur. Item illic. Noli esse vinolentus, neque extendas te ad emendam car- XXIII. 20
nem: omnis enim ebriosus et fornicarius mendicabit, et vestiet conscissos pannos, 21.
et omnis somniclosus *d*). Item illic. Cui vae? cui tumultus? cui iudicia, lites, et ri- 29.
xae? cui contritiones supervacuo? cuius lividi oculi? nonne eorum qui conmoran- 30.
tur in vino? nonne eorum qui investigant ubi convivia fiant? Nolite ergo vos in-
ebriari vino; sed loquimini cum viris iustis, et fabulamini in deambulationibus. Si 31.
enim in phialas *e*) et calices dederitis oculos vestros, novissime ambulavitis *f*) nu-
diores pilo. Item illic. Potentes, iracundi sunt; vinum non bibant, ne cum bi- XXXI. 4.
berint *g*), obliviscantur sapientiam, et rectum non possint iudicare infirmibus *h*). 5.
Item illic. Spinae nascuntur in manibus ebriosi. Item in Ecclesiastico. Operarius ebrio- XXVI. 9.
sus non locupletabitur. Et qui spernit modica, paulatim decidit. Vinum et mulie- Eccli. XIX. 1. 2.
res apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos. Et qui se iungit fornicariis, 3.
erit nequam *i*); putredo et vermes hereditabunt illum. Item illic. Mulier ebriosa et XXVI. 11.
erronia, magna ira, et contumelia et turpitudo illius non contegetur. Item illic. Et XXXI. 21.
I 93. in medio multorum sedisti, prior illis non poscas bibere. Quod | sufficiens sit homini
disciplinato, vinum exiguum; et in dormiendo non laborabis ab illo, et non senties 22.
dolorem. Vigilia et cholerum *k*) et tortio viro infronito *l*): somnus sanitatis in ho- 23.
mine parco: dormiet usque in mane, et anima illius cum ipso deliciabitur *m*). Item 24.
illic. Diligentes vinum noli provocare: multos enim exterminavit vinum. Ignis pro- 30. 31.
bat ferrum durum, sic vinum corda superborum *n*) arguit. Aequa vita homini- 32.
bus, vinum non in ebrietate: si bibas illud moderate, ut sis *o*) subrius: quia de- 34.
fraudat vitam mors. Vinum in iucunditate creatum est, non in ebrietate ab initio. 35.
Exultatio animae et cordis vinum modice potatum: vinum multum potatum inri- 38. 40.
tationem et iram, et ruinas multas facit ebriositatis animositas. Item in Ecclesiaste. Eccle. VII. 3.

a) Ita cod. — *b*) Cod. *quietam*. — *c*) Cod. 1. m. *rotum*, 2. *otum*. — *d* Ita cod. — *e*) Cod. *fialas*. — *f*) Ita cod. *v*. pro *b*. — *g*) Cod. *biberent*. — *h*) Ita cod. non sine aliis exemplis. Vide glossarium nostrum in Spicil. rom. T. IX. — *i*) Cod. *nequa*. — *k*) Cod. *colerum*. — *l*) Ita cod. — *m*) Cod. *diliciabitur*. — *n*) Cod. *superbos*. — *o*) Cod. *si*.

Iohel. I. 5. Optimun est ire in domum luctus, quam ire in domum potationis. Item in Iohel
propheta. Sobrii *a*) estote qui ebri *b*) estis a vino vestro: plorate et ululate omnes
qui bibitis vinum in ebrietate, quia *c*) ablata est de ore vestro iucunditas et gau-
Rom. XIII. 13. dium. Item Apostolus ad Romanos. Sicut in die honeste ambulemus, non comisa-
tionibus, non ebrietatibus, non concubitibus et inpudicitiis, non contentione et ae-
14. mulatione; sed induite vos dominum Iesum Christum. Item ad Corinthios ·I· Non
I. Cor. VI. 10. non avari, non ebriaci, non maledici regnum Dei possidebunt. Item ad Ephesios.
Eph. V. 18. Nolite inebriari vino, in quo est luxoria, sed inplemini Spiritu sancto.

CAPITULUM LIII.

MULIERIS MALITIAM ESSE VITANDAM.

Prov. V. 2. In proverbiis Salomonis. Noli intendere fallaci mulieri: mel enim destillat a labiis
3. 4. mulieris meretricis, quae ad tempus inpinguat tuas fauces; novissime tamen ama-
5. rius felle invenies, et acutiorem magis quam gladium ex utraque parte acutum. Ve-
6. stigia enim eius non conveniunt vitae; vias enim vitae non exsequitur; fallaces enim
8. viae eius, et non bene cogitantes. Longe fac ab ea viam tuam: noli adpropinqua-
9. re ad ianuas domus eius, ut non derelinquas aliis vitam tuam, et substantiam tuam
V. 20. his qui sine misericordia sunt. Item illic. Noli nimius esse ad alienam, neque con-
VI. 25. iungaris amplexibus eius quae non est tua. Item illic. Fili, non te vincat formae
26. desiderium, neque capiaris oculis tuis, neque rapiaris palpebris *d*) tuis. Pretium
enim meretricis quantum est? unus panis: mulier autem virorum pretiosas *e*) ani-
27. mas capit. Item illic. Alligabit quis in sinu ignem, vestimenta autem non conbu-
28. ret? Aut ambulabit supra carbones ignis, pedes autem non conburet? Sic qui intrat
29. ad uxorem proximi sui, non erit inpunitus, neque omnis qui tangit eam. | Item il- F. 94.
IX. 13. lic. Mulier stulta et paudax *f*), inops prudentia efficitur, quia nescit ruborem. Item
XXV. 20. illic. Sicut tinea *g*) vestimento, et vermes ligno, ita virum perdet mulier maligna.
Eccli. IX. 3. Item in Ecclesiastico. Ne respicias mulierem multivolam, ne forte incedas *h*) in la-
4. queos eius. Cum saltrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in ef-
6. ficaciis illius. Item illic. Non des fornicariis animam tuam, ne perdas te et here-
7. 8. ditatem tuam. Noli videri in vicis civitatis, nec vageris in plateis eius. Averte fa-
10. ciem tuam a muliere conposita, et non respicias speciem alienam. Omnis mulier
11. quae est varia, quasi stercus in via concalcatur *i*). Speciem alienae mulieris multi
12. mirati, reprobati sunt: conloquium enim eius quasi ignis exardet. Cum aliena mu-
13. liere non adcumbas supra cubitum, et non alterceris cum illa in vino, ne forte de-
IX. 2. clinet cor tuum in illam, et sanguine tuo labaris in perditionem. Item illic. Non
des mulieri potestatem animae tuae, ne ingrediatur in virtute tua *k*) et confunda-
XXV. 26. ris. Item illic. Breves omnes malitiae super malitiam mulieris: sors peccatoris ca-
27. dat super illam. Item illic. Sicut ascensus in pedibus veterani, sic mulier lingua-
28. ta homini quieto. Non adtendas in mulieris speciem, et non concupiscas formam

a) Ita cod. modo *sob.* modo ***sub.*** — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *qui.* — *d*) Cod. *palphebris*, ut et mox, et alibi. — *e*) Cod. *praet.* — *f*) Ita evidenter codex. Vix tamen dubito quin sit pro *audax*; nam gr. heic θρασεῖα. Vulgatus tamen *clamosa.* Ceteroqui si forte sit legendum *pandax* pro *paudax*; *pandax* quidem apud Isidorum (Areval. T. VII. p. 479. adn. explicatur *qui semper pandit ora ad potandum*. In meo autem thesauro lat. AA. Class. T. VIII. p. 478. *pandox* est *ebriosus*, vel *gulosus*, *qui semper pandit ora ad escas*. Porro hi significatus ab hoc Speculi loco non abhorrent. — *g*) Cod. *inea.* quia *t* absorbetur a priore. — *h*) Ita cod. ut alibi pro *incidas*. — *i*) Ita evidenter codex. — *k*) Ita cod.

mulieris. Ira et inreverentia et confusio viri magna, mulier si primatum habeat, et Eccli. XXV. 29. 30.
administret viro suo. A muliere initium factum est peccati, et propter hanc omnes 33.
morimur. Item illic. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris XXVI. 12.
eius agnoscitur. Item in Ecclesiaste. Et dicam amariorem morte mulierem. Retia Eccle. VII. 27.
et captio est cor eius, et laqueus in manibus eius. Mulier nequa; qui tenet eam, Eccli XXVI. 10.
quasi qui tenet scorpionem. Item in Proverbiis. Sicut inaures in auribus porci, ita Prov. XI. 22.
mulieri malae pulchritudo. Item in Ecclesiastico. Anima humilis et facies tristis et Eccli. XXV. 31
plaga cordis, mulier nequa et contraria viro suo. Item illic. Manus dissolutae ad 32.
ilia *a*), mulier quae non consentit in angusto viro suo. Item illic. Mulier ebriaca XXVI. 11.
et erronia, magna ira; et contumelia, et turpitudo eius, non contegetur.

CAPITULUM LIIII.

QUOD TONITRUA, PLUVIAE, CORUSCATIONES, NIVES, GRANDINES, STILLICIDIA *b*), VENTI, FULGORA, ET NUBES, A DOMINO SINT.

In Exodo. Et extendit Moyses manum in caelum, et Dominus dedit voces et gran- Exod. IX. 23.
dinem, et percurrebat ignis super terram Aegypti. Item illic. Factum est autem die XIX. 16.
tertio cum mane *c*) factum esset, factae sunt voces, et coruscationes, et nubes ca- 18.
F. 95. liginosae super montem Syna, et vox tubae sonabat magna, quia discenderat Do- 19.
minus in montem in similitudinem ignis: et ascendebat fumus velut fumus camini 20.
magni. Item in Genesi. Et locutus est Dominus ad Noe, dicens: post septem dies Gen. VII. 4.
inducam diluvium aquae per dies quadraginta totidemque noctes, et deleam *d*) omnem
generationem quam feci, a facie terrae. Et eruperunt omnes fontes abyssi, et ca- 11.
taractae caeli apertae sunt, et factae sunt pluviae diluvii *e*) super omnem ter-
ram. Et tunc misit Dominus spiritum, et abstinuit aquam. Item in libro Iesu Nave. VIII. 1.
Et factum est cum fugirent *f*) a facie filiorum Israhel in discensu Bitoron, disie- Ios. X. 11.
cit Dominus super illos lapides grandinis de caelo: et persecuta est eos ira Domini
usque ad Zecchaea. Mortui sunt plures lapidibus grandinis, quam quos interfece-
runt filii *g*) Israhel gladiis in bello. Item in Regnorum ·I· Et invocavit Samuhel do- I. Regn. XII. 18.
minum Deum, et dedit voces et pluvias. In illa die timuerunt omnes populi domi- 19.
num Deum vehementer, et Samuhelem. Item in Regnorum ·III· Et factum est ver- III. Regn. XVIII. 1.
bum Domini ad Heliam in anno tertio, dicens: vade et appare ad Achab, et dabo
pluviam super terram. Item in psalmo ·CXLVII· Qui dat nivem velut lanam, ne- Ps. CXLVII. 16.
bulam sicut cinerem spargens. Qui emittit crystallum suum *h*) tamquam frusta panis: 17.
ante faciem frigoris eius quis subsistit? Emittit verbum suum, et liquefaciet ea: fla- 18.
vit spiritus eius, et fluunt aquae. Item in psalmo ·CXLVIII· Laudate Dominum sol CXLVIII. 3.
et luna, laudate eum omnes stellae et lumen. Laudate eum caeli caelorum, et aquae 4.
quae super caelos sunt, laudent nomen Domini. Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse 5.
mandavit et creata sunt. Item illic. Laudate Dominum de terra dracones et omnes 7.
abyssi: ignis, grando, nix, glacies *i*), et spiritus tempestatis, quae faciunt verbum 8.
eius. Item in Hieremia. Dominus qui fecit terram in virtute sua, et in sua pruden- Hier. LI. 15.

a) Cod. *manu hissolutae ad ilha.* — *b*) Cod. *cillicidia.* In indiculo non est hoc vocabulum. — *c*) Cod. *commune.* — *d*) Ita cod. Nequeo autem scribere *ut deleam*, quia graece heic est futurum tempus καὶ ἐξαλείψω. — *e*) Cod. *dilluvii.* — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *interfuerunt filius.* — *h*) Ita cod. non *suam.* — *i*) Cod. *gladies.*

Hier. LI. 16. tia extendit caelum, et multitudinem aquae in caelo, et eduxit nubes ab extremo
17. terrae, et fulgora, et coruscationes in pluviam fecit. Et eduxit lumen de thensauris
XIV. 22. suis, et evanuit omnis homo ab scientia sua. Item illic. Numquid est in idolis gen-
tium qui ploat *a*). Et si caelum dabit satietatem suam, nonne tu es ipse? Et susti-
Lev. X. 1. nebimus te, Domine, quoniam tu fecisti haec omnia. Item in Levvitico. Et obtule-
runt in conspectu Domini ignem alienum Nadab et Abiud fili *b*) Aron, quod non prae-
cepit eis Dominus. Et processit ignis a Domino, et consumpsit eos, et mortui sunt
Iob. XII. 13. in conspectu Domini. Item illic *c*). Quia aput Dominum prudentia, altitudo cogitatio-
14. nis est, et intellectus. Et si Deus distruxerit *d*), quis aedificabit? Si ille concluserit, |
15. quis aperiet? Si siccaverit aquas, quis inrigabit terram? Et si multiplicaverit im- F. 96
16. brem, ipse evertit eam. Quoniam aput illum omnis potentia est.

CAPITULUM LV.

NON LUSTRANDUM, NEQUE DIVINANDUM.

Deut. XVIII. 10. In Deuteronomio. Non invenietur in te lustrans filium suum aut filiam in igne, et
11. divinans divinationem, augorans et arospicans *e*), et medicaminibus infuscans, in-
12. cantator, ventriloquus, et portenta inspiciens, et interrogans mortuos. Est enim
abominandus domino Deo tuo et omnis qui facit haec. Propter has enim abomina-
13. tiones Dominus eradicabit eos a te. Tu autem consummatus eris coram domino Deo
tuo. Gentes enim istae, quas tu possidebis, auguria et divinationes audiunt: tibi
Sap. XII. 3. autem non ita dedit dominus Deus tuus. Item in libro Sapientiae. Ut illos enim an-
4. tiquos sanctae terrae tuae oderas, quoniam odibilia tibi opera faciebant per medi-
5. camina, et sacrificia iniusta, et filiorum necatores *f*) sine misericordia.

CAPITULUM LVI.

DE FACTURA MUNDI, ET QUOD *g*) EX NIHIL *h*) FACTA SINT OMNIA.

Gen. I. 1 In Genesi. In principio fecit Deus caelum et terram. Item in Exodo. Quia sex die-
Exod. XX. 11. bus fecit Deus caelum, et terram, mare, et omnia quae sunt in eis. Item in Esdra.
II. Esdr. IX. 6. Tu Deus domine fecisti caelum et terram, et caelum caeli, et virtutes eorum. Tu
fecisti terram et omnia, quae sunt in illa, maria et quae in eis sunt, et tua vir-
tute vivificantur universa. *i*). Virtutes etiam caelorum te adorant semper, Domine.
Ps. XXXII. 6. Item in psalmo ·XXXII· Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritu oris eius om-
LXXIII. 16. nis virtus eorum. Item in psalmo ·LXXIII· Tuus est dies, et tua est nox; tu feci-
17. sti solem et lunam. Tu fecisti omnes terminos terrae; aestatem *k*) et ver tu fecisti
LXXXVIII. 12. ea. Item in psalmo ·LXXXVIII· Tui sunt caeli, et tua est terra, orbem terrarum
CXLVIII. 1. et plenitudinem eius tu fundasti. Item in psalmo ·CXLVIII· Laudate Dominum de cae-
2. lis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes
3. virtutes eius. Laudate eum sol et luna, laudate eum omnes stellae et lumen. Lau-
4. 5. date eum caeli caelorum, et aquae quae super caelos sunt laudent nomen Domini.
6. Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Statuit ea in aeternum

a) Ita cod. — *b*) Ita cod. — *c*) Immo *in Iob.* — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *negatores.* — *g*) Cod. *quid.* — *h*) Ita cod. Sed infra *ex nihilo.* — *i*) Cod. *universae.* — *k*) *aestate.*

et in saeculum saeculi. Item in Machabaeorum [·II·]. Oro te *a*) ergo, respice caelum et II. Mach. VII. 28.
terram et mare et omnia quae in eis sunt, et videns scito *b*) quoniam ex nihilo haec
creata sunt a domino Deo, qui et hominum genus fecit similiter; et ipse iudicabit or-
bem terrarum. Item in Esaia propheta. Manus mea fundavit terram, et dextera mea Es. XLVIII. 13.
F. 97. solidavit caelum. | Item illic. Quoniam caelum ut fumus solidatus est. Item illic.
Ego feci terram, et hominem super eam, et manus mea solidavit caelum. Ego om- LI. 6. XLV. 12.
nibus sideribus praecepi lucere. Item in evangelio secundum Iohannem. In princi- Ioh. I. 1.
pio erat Verbum, et Verbum erat aput Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ip- 3.
sum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Item ad Ephesios. Sacramenti abscon- Eph. III. 9.
diti a saeculo in Deo, qui universa creavit. Item ad Colossenses. Qui eripuit nos de Coloss. I. 13
potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii claritatis suae, in quo habemus 14.
redemptionem remissionem peccatorum. Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus 15.
totius creaturae. Quoniam in ipso creata sunt omnia in caelo et in terra, visibilia 16.
et invisibilia, sive throni sive dominationes, sive principatus, sive potestates; om-
nia per ipsum et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia ipsi constant. 17.
Item in Hieremia. Dominus qui fecit terram in virtute sua, et in sua prudentia ex- Hier. LI. 15.
tendit caelum, et multitudinem aquae in saeculo, et eduxit nubes ab extremo ter- 16.
rae, et fulgora et coruscationes in pluviam fecit, et eduxit nubes de thensauris
suis. Item Tobi. Benedicant te caeli et omnes creaturae *c*) totius terrae; quia dixi- Tob. VIII. 7
sti, et facta sunt omnia, et confirmans universa verbo tuo. Tu fecisti Adam, et de- 8.
disti ei adiutorium Evam. Item in Actibus apostolorum. Nos similiter et vos passi- Act. XIV. 14.
biles sumus homines, evangelizantes vobis Deum, ut ab his vanis convertamini ad
Deum vivum, qui fecit caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt. Qui in 21.
praeteritis generationibus reliquid *d*) omnes gentes ingredi itinera sua. Et quidem 16.
non sine testimonio semet ipsum reliquid, bene faciens e caelo, dans vobis pluviam
aeternam *e*) fructiferam, inplens cibo *f*) et laetitia corda vestra. Item illic. Deus qui XVII. 24.
fecit hunc mundum, et omnia quae in eo sunt. Hic cum sit caeli et terrae Domi-
nus, non inhabitat in manufactis templis.

CAPITULUM LVII.

QUOD TENEBRAE A DEO CREATAE SINT.

In Esaia. Ego qui creavi lucem, et feci tenebras, faciens pacem, et creans bona. Es. XLV. 7.
Ego Dominus facio omnia ista. Item in Iob. Intuere itaque, Iob, haec, et tace corre- Iob. XXXIII. 31.
ptus virtute Domini, qui ordinavit opera sua, faciens lumen de tenebris.

CAPITULUM LVIII.

DE HOMICIDIO CASUALI.

In Exodo. Si quis autem percusserit servum suum aut ancillam suam virga, et mor- Exod. XXI. 20.
tuus fuerit sub manu eius, iudicio vindicetur. Si vero supervixerit diem unum vel 21.
duos, non vindicabitur; pretium *g*) enim eius est. Item illic. Si autem rixabuntur | 18.
F. 98. duo viri, et percusserit aliquis ex his proximum suum lapide aut pugno aut ferro,

a) Cod *orate*. — *b*) Cod. *cito*. — *c*) Cod. *creatura*. — *d*) Ita cod. Sic et mox. — *e*) Sic etiam ms. floriac. apud Sabaterium. Gr. *καὶ καιροὺς*, vulg. *et tempora*. — *f*) Cod. *cybo*. — *g*) Cod. *praet*.

Exod. XXI. 19. et non fuerit mortuus, decubuerit autem in lecto suo; et si exsurrexerit homo, et
ambulaverit cum baculo, innocuus erit qui percussit; tantum quod cessationes eius
22. dabit et curationes. Item illic. Si autem duo viri rixabuntur, et percusserint mulie-
rem praegnantem, et abortaverit inmaturum, detrimentum patietur: quodcumque
23. vir mulieris petit, dabit cum postulatione. Quod si formatum fuerit, dabit animam
24. pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro
25. pede, conbustionem pro conbustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.

CAPITULUM LVIIII.

DECIMAS FRUGUM PRAECEPTO LEGIS ECCLESIAE DARI OPORTERE.

Gen. XIV. 20. Abraham Melchisedech in Genesi. Et dedit ei decimas ab omnibus suis. Item illic.
XXVIII. 20. Et vovit Iacob votum dicens: si fuerit dominus Deus mecum, et custodierit me in
hac via qua ego iter facio, et dederit mihi panem manducare, et vestimentum quod *a*)
21. cooperiar; et reduxerit me cum sanitate in domo *b*) patris mei; et erit Domi-
22. nus in Deum; et lapis quem statuerit mihi, domus Dei: et omnium quaecumque
Lev. XXVII. 30. mihi dederit Dominus, decimas decimabo ex illa *c*) tibi. Item in Levvitico. Omnis
31. decima terrae, a semine terrae, et a fructibus arborum, sanctum est Domino. Quod
si redimens redimet homo decimam; quod adiectum fuerit, adiciet ad ipsum, et
32. erit ei. Item illic. Et omnis decima boum et ovium, et omne quodcumque transiet
33. sub virga in numero, decimum quodcumque erit sanctum Domino. Non mutabis
Num. XVIII. 30. illud bonum malo, neque malum bono. Item in Numeris. De initio areae tuae et la-
cus, non fraudabis initia omnium fructuum terrae tuae, inferens in domum domini
XV. 19. Dei tui. Item illic. Primitias consparsurae vestrae, panem oblationis, separabitis eum:
20. sicut oblationem de area, sic auferetis eum primitias consparsionis vestrae. Item il-
XVIII. 12. lic. Et dixit Dominus ad Aron: omnes primitiae vini et tritici, primitias illas quas-
20. cumque dabunt Domino; tibi dedi ea. Item illic. In terra eorum non possidebitis,
22. et portio non erit tibi aput eos; quia ego sum portio tua, et hereditas tua. Et fi-
liis Levvi ecce dedi omnem decimationem in sortem pro deservitionibus eorum, qui-
Deut. XII. 5. bus deserviunt ipsi in tabernaculo testimonii. Item in Deuteronomio. Et erit lo-
6. cus quem eligerit *d*) dominus Deus vester invocari nomen | suum ibi, adferetis omnia F. 99.
quae praecipio vobis hodie holocausta *e*) vestra et sacrificia, et decimas vestras, et
primitias, et dona vestra, et omnia quae eligerit de manibus vestris, quaecumque
XIV. 22. voverit domino Deo vestro. Item illic. Decimas decimabis omnis seminis tui. De *f*)
23. quod natum est in agro tuo, ab anno in annum, afferes decimas tritici tui, et vini
tui, et olei tui, et primitiva boum tuarum, et ovium tuarum; ut discas timere do-
29. minum Deum tuum omnibus diebus vitae tuae. Et Levvitis, quia non est illis portio;
neque sors tecum, et advena et orphanus *g*) et vidua quae est in civitatibus tuis,
et manducabunt et satiabuntur. Et benedicet te dominus Deus tuus in omnibus ope-
Tob. I. 6. ribus tuis, quaecumque facies. Item Tobi. Ego ibam in Hierusalem in diebus festis,
servans quod scribtum est fieri oportere ab omni Israhel. Et custodiens praeceptum
sempiternum constitutum a Deo, primitias et decimas armenti *h*) et pecorum, et ini-
7. nitia tonsurae ovium mearum, portabam mecum, et dabam sacerdotibus filiis Aron.

a) Ita cod. — *b*) Ita cod. — *c*) Ita cod. quod dici videtur pro *exinde*, ut *post illa* apud alios auctores pro *postea*. — *d*) Ita cod. Sic et mox. — *e*) Cod. *olocausta*. — *f*) Ita cod. *de quod*. Deest ergo *eo*. — *g*) Cod. *orf*. Sic et infra. — *h*) Cod. *argenti*.

Et secundum morem legis de tritico et vino et ficis et ceterorum fructuum primi-
tivis deferebam *a*) levvitis et omnibus quotquot *b*) ministrabant in Hierusalem Do-
mino et secundum legem decimationis *c*) quod conmutandum erat, conmutabam; et Tob. I. 8.
congregabam pretium *d*) redemptorum per sexsennium *e*), et postea ibam, et conpu-
tabam uniuscuiusque anni fructum *f*), adnumerabam pecuniam in loco sancto, ita 9.
ut tertii anni decimationem darem proselytis *g*) et orphanis et viduis, faciens *h*)
omnia quae praecepta sunt a Domino Israhel. Item Aggaeus propheta. Seminastis Agg. I. 6.
multa, et intulistis minima, et exsufflavi ea. Item illic. Haec dicit Dominus: pro- 9.
pter quod domus mea deserta est, vos autem satis agitis unusquisque in domum
suam. Ideo cessabit caelum a rore, et terra subtrahet fructus suos. Et inducam gla- 10.
dium super terram, et super frumentum, et super vinum, et super oleum, et su- 11.
per homines, et super pecora, et super omnes labores manuum eorum. Item in Ma- Malach. III. 8.
lachihel. Si subplantabit homo Dominum, quia vos subplantastis me? Et dixistis, in
quo subplantabimus *i*) te? Quia decimae meae, et primitiae vobiscum sunt. Et dis- 9.
simulantes vos dissimulastis, et vos me subplantastis. Et intulistis vos pignera in 10.
thensauris vestris, et erit rapina in domibus vestris. Item illic. Maledictus homo qui I. 14.
potens erat, et erat in grege eius masculus, et votum eius super illum, et immolat
F. 100. inqui|natum Domino.

CAPITULUM LX.

PARVULOS EMENDANDOS INSTANTER.

In Proverbiis Solomonis. Qui parcit baculo, odit filium suum: nam qui diligit, di- Prov. XIII. 24.
ligenter erudit. Non laetatur pater non erudito. Item illic. Noli cessare parvulum XXIII. 13.
emendare, quoniam si percusseris eum virga, non morietur: tu quidem percuties 14.
eum virga, animam autem eius liberabis a morte. Item illic. Erudi filium tuum, XXIX. 17.
et exhilarabit *k*) te, et dabit decorem animae tuae. Item illic. Iuvenis qui cum san- XX. 11.
cto directa est via eius, auris audit, et oculus videt: opera Domini utraque. Item
in Ecclesiastico. Filii tibi sunt? erudi illos a pueritia illorum. Filiae tibi sunt? serva Eccli. VII. 25. 26.
corpus illarum, et non hilarem faciem tuam ostendas ad illas. Item illic. Qui dili- XXX. 1.
git filium suum, adsiduat illi flagella, ut laetetur in novissimo suo, et non palpet
ostea *l*) proximorum. Qui docet filium suum, laudabitur in illo; et in medio ami- 2.
corum laudabitur in illo. Item illic. Qui docet filium suum, in [zelum] mittit *m*) ini- 3.
micum. Mortuus est pater, et quasi non est mortuus, similem enim reliquid *n*) post 4.
se. Item illic. Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadit praeceps. 8.
Curva cervicem eius in iuventute, et tunde latera illius dum infans est, ne forte in- 12.
duret, et non obaudiat te, et erit tibi dolor animae.

CAPITULUM LXI.

SANCTORUM CONVERSATIONI ET TRACTATUI ADHAERENDUM *o*).

In Proverbiis. Iuvenis qui cum sancto directa est via eius, auris audit, et ocu- Prov. XX. 11.
lus videt: opera Domini utraque. Item in Ecclesiastico. Cum sancto adsiduus esto, Eccli. XXXVII. 15.

a) Cod. *deferam.* — *b*) Cod. *quodquod.* — *c*) Cod. *dominationis.* Sed recte infra. — *d*) Cod. *praet.* — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *fructu.* — *g*) Cod. *prosilitis.* — *h*) Cod. *qui faciens.* — *i*) Ita cod. *b.* pro *v.* — *k*) Cod. *exil.* — *l*) Ita cod. — *m*) Cod. tantum *inmittit.* — *n*) Ita cod. — *o*) Cod. *adher.*

Eccli. VI. 35. quemcumque cognoveris conservantem timorem Dei. Item illic. In multitudine pres-
byterorum *a*) prudentium sta, et sapientiae illorum ex corde coniungere: et omnem
36. narrationem Dei velis audire, et proverbia laudis non effugiant te: et si videris sen-
VII. 31. satum, evigila ad illum, et gradus osteorum *b*) illius exprimat pes tuus. Item illic.
32. In tota anima tua time Dominum, et sacerdotes illius sanctifica. Ex tota virtute tua
33. time eum qui te fecit, et ministros eius non derelinquas. Honora Dominum ex tota
VIII. 9. anima tua, et honorifica sacerdotes. Item illic. Non dispicias narrationem presbyte-
10. rorum sapientium, et in proverbiis illorum conversare: ab ipsis enim disces do-
XXVII. 13. ctrinam intellectus: et ipsi enim didicerunt *c*) a patribus. Item illic. In medio tra-
IV. 7. ctantium adsiduus esto, et congregationi pauperum adfabilem te facito, et presby-
IX. 21. tero humilia animam tuam, et magnato humilia caput tum. Item illic. Secundum
22. virtutem tuam | cave tibi a proximo, et cum sapientibus et sensatis tracta. Item il- F. 101.
23. lic. Viri iusti *d*) sint tibi convivae, et in timore Domini sit tibi gloria. Cum sensatis sit
24. tibi tractatus, et omnis narratio tua in praeceptis Altissimi. In manibus artificum,
opera laudabitur; in sensu vero seniorum, verbum.

CAPITULUM LXII.

NON ACCIPIENDAS USURAS.

Lev. XXV. 37. In Levvitico. Pecuniam tuam non dabis in usuram, et in additamentum recipiendi
38. gratia non dabis ei escas tuas: ego sum dominus Deus vester, qui eduxi vos de
Deut. XXIII. 19. terra Aegypti. Item in Deuteronomio. Non exiges a fratre tuo usuram pecuniae, et
usuram escarum et usuram omnium rerum quaecumque *e*) feneraveris. Item in psal-
Ps. XIV. 1. 5. mo ·XIIII· Qui iurat proximo suo, et non decepit eum: qui pecuniam suam non
dedit usuram *f*).

CAPITULUM LXIII.

QUOD NEGOTIATOR MENDACIO EXSUI NON POSSIT.

Eccli XXVI. 28. In Ecclesiastico. Duae species difficiles et periculosae mihi apparuerunt: difficile exui-
XXVII. 2. tur *g*) negotians a mendacio, et non iustificabitur caupo a peccato. Si *h*) in medio
conpaginis lapidum palus figitur, sic in medio venditionis et emptionis angustabi-
tur peccatum.

CAPITULUM LXIIII.

DUPPLICIA *i*) PONDERA NON HABENDA.

Deut. XXV. 13. In Deuteronomio. Non erit in domo tua pondus grande aut pusillum, et non erit
14. in domo tua mensura grandis aut pusilla: pondus verum et iustum erit tibi: ut
15. 16. multorum dierum sis super terram quam dominus Deus dabit tibi in sortem: quia
Prov. XI. 1. abominandus est Domino omnis qui facit iniusta. Item in Proverbiis. Statera iniqua

a) Cod. *presbit*. Sic et mox. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *dedicerunt*. — *d*) Cod. *iustis*. — *e*) Ita cod. — *f*) Ita cod. sine *ad* vel *in*. — *g*) Ita heic. *ex*., etsi paulo ante *exs*. — *h*) Ita cod. — *i*) Ita cod.

abominatio est coram Domino: pondus autem aequum acceptum est ei. Item illic. Abo- Prov. XX. 23.
minatio est Domino dupplex *a*) pondus, et statera dolosa non est bonum ante eum.
Item illic. Pondus magnum et minimum, et mensurae duplices, inmunda ante Do- 10.
minum utraque; et qui facit ea, in studiis suis inpedietur Item in Amos prophe- Amos. VIII. 4
ta *b*). Audite igitur haec qui opprimitis *c*) in mane pauperes, et vigiolatis *d*) ino-
pes a terra, dicentes: quando transiet messis, ut vendentes adquiramus? et sabba- 5.
ta, ut aperiamus thensauros, et faciamus mensuram minorem, et ut adampliemus
pondus, et faciamus stateram iniquam? ut possideamus pecunia pauperes, et ino- 6.
pes pro calciamentis, et ab omni negotio mercabimur? Iuravit Dominus adversus su- 7.
perbiam Iacob: si obliviscetur omnia opera eius; et pro his non turbabitur *e*) terra, 8.
F. 102. et lugebunt omnes qui ha|bitant in ea.

CAPITULUM LXV.

VOTA DOMINO STATIM SOLVI OPORTERE.

In Deuteronomio. Si autem voveris votum domino Deo tuo, non tardabis reddere Deut. XXIII. 21
illud: quia exquirens exquirit dominus Deus tuus a te, et erit in peccatum. Si au- 22.
tem nolueris vovere, non erit in te peccatum. Quae exeunt per labia tua custo- 23.
dies, et facies quemadmodum voveris Deo tuo votum quod locutus es ore tuo.
Item in Ecclesiaste. Statim voveris votum Domino, non tardabis *f*) reddere illud. Tu Eccle. V. 3.
itaque quae voveris redde. Bonum est non vovere, quam vovisse et non solvere. 4.

CAPITULUM LXVI.

NON STULTE RIDENDUM.

In Ecclesiastico. Stultus in risu exaltat vocem suam, et vir sapiens vix tacite ri- Eccli. XXI. 23.
debit. Item illic. Narratio peccantium odiosa *g*), et risus illorum in delictis *h*) pec- XXVII. 14.
cati. Item illic. Melior est indignatio quam risus, quia in vultu *i*) oblectabitur cor. immo Eccle. VII. 4.
Cor sapientium in domo luctus, et cor insipientium in domo luxoriae. Item illic. Si- 5.
cut strepitus spinarum sub olla *k*), sic qui audit risum insipientium. 7.

CAPITULUM LXVII.

NON ACCIPIENDUM TESTIMONIUM TESTIS UNIUS.

In Deuteronomio. Non inminebit testis unus, qui testimonium det adversus homi- Deut. XIX. 15.
nem secundum omne *l*) peccatum et contra omne *m*) delictum quodcumque peccaverit: in ore duorum testium, et in ore trium testium stabit omne *n*) verbum.

a) Ita cod. Sed paulo post *duplices*. — *b*) Ita recte cod. cum *ph*. — *c*) Cod. *opr*. — *d*) Ita cod. evidenter. Num pro *violatis*, vel *iugulatis*, vel potius *desolatis*, quia vulgatus habet *deficere facitis*? An *vi* separandum est? Discernant critici; neque enim quicquam definio. Confer voc. *vacionabitis* cap. XLIV.) In gr. est καταδυναστούοντες. — *e*) Cod. *et pro his conturbabitur*. Gr. vat. οὐ ταραχθήσεται, vulg *non commovebitur*. — *f*) Cod. *dartabis*. — *g*) Cod. *odisa*. — *h*) Ita cod., mendose fortasse pro *deliciis*, quod habet vulgatus, cui consonat gr. ἐν σπατάλῃ. — *i*) *Vultus*, id est tristitia vultus, ut habet vulg., recte a latinis dicitur. — *k*) Cod. mendose *si bolla*. — *l*) Cod. *omnem*. — *m*) cod. *omnem*. — *n*) Cod. *omnem*.

CAPITULUM LXVIII.

NON INDUENDAS VESTES VIRI A MULIERE NEQUE MULIERIS A VIRO.

Deut. XXII. 5. In Deuteronomio. Non erunt res viriles super mulierem, nec induetur vir vesti-
mentum muliebre *a*) quia *b*) abominatio est Domino et qui fecerit haec.

CAPITULUM LXVIIII.

NON INPUTARI PECCATUM PARENTUM FILIIS, NEQUE FILIORUM PARENTIBUS.

Deut. XXIV. 16. In Deuteronomio. Non morientur parentes pro filiis, et fili *c*) non morientur pro
Hier. XXXI. 29. parentibus: unusquisque in suo peccato morietur. Item in Hieremia. In diebus illis
non dicent: patres manducaverunt uvam acervam *d*), et dentes filiorum obstipuc-
30. runt *e*); sed unusquisque in peccato suo morietur; et qui manducaverit uvam acervam,
Ezech. XVIII. 20. dentes eius stupebunt. Item in Ezechihel. Anima autem quae peccaverit, morietur.
Filius vero non acceperit iustitiam patris, neque pater accipiet iniustitiam fili *f*):
iustitia iusti super ipsum erit, et iniquitas iniqui super ipsum erit.

CAPITULUM LXX.

NUTRIENDOS A PARENTIBUS IN TIMORE DOMINI FILIOS.

Deut XI. 18. In Deuteronomio. Et erunt verba haec quaecumque praecipio tibi hodie in corde
19. tuo et in anima tua, et demonstrabis ea filiis tuis, et loqueris eis sedens in domo
tua, et cum iter facies in via, et in | quiete et vigiliis: et obligabis ea in signo su- F. 103.
20. per manum tuam, et mobilia ante oculos tuos: et scribes ea super limina domus
Ephes. VI. 4. tuae et in ianuis tuis. Item Paulus apostolus ad Ephesios. Et vos parentes nolite
in iram provocare filios vestros, sed enutrite illos in disciplina et correptione Do-
I. Tim III. 4. mini. Item ad Timotheum [·I·] Domum suam bene regentem, filios habentem subditos
12. cum omni castitate. Item illic. Diacones sint unius uxoris viri, qui filiis bene prae-
Coloss. III. 21. sunt et suis domesticis. Item ad Colossenses. Patres nolite ad indignationem provo-
care filios vestros, ne pusillo animo fiant.

CAPITULUM LXXI.

SEMINANDAM ANTE IUSTITIAM, ET POSTEA METENDOS FRUCTUS EIUS.

Os. X. 12. In Osee propheta. Seminate vobis iustitiam, et vindemiate fructum vitae: exqui-
rite vobis lumen scientiae: sustinete Dominum, donec veniat vobis fructus iustitiae.
13. Ut quid dilexistis impietatem, et iniquitates eius vendemiastis *g*)? Item in Ecclesia-
Eccli. VI. 18. stico. Fili, a iuventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapien-
19. 20. tiam. Quasi is *h*) qui arat et seminat, accede ad illam, et sustine bonos fructus illius:
in opere enim illius exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius. Item

a) Cod. *muliebrem*. — *b*) Cod. *qui*. — *c*) Ita cod. — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. — *f*) Ita cod. — *g*) Ita cod. ut nunc loquimur Itali. Sed paulo ante *vind*. — *h*) Cod. *his*.

in Hieremia propheta. Innovate vobis novitatem, et nolite serere in spinis. Circum- Hier. IV. 3.
cidemini *a*) Deo vestro, et circumcidite praeputium cordis vestri, viri Iuda et qui ha- 4.
bitatis in Hierusalem: nequando exeat sicut ignis indignatio mea, et exardescat, et
non erit qui extinguat a facie nequitiae cogitationum vestrarum. Item in psalmo ·CXXV· Ps. CXXV. 5.
Qui seminant in lacrimis, in gaudium *b*) metent *c*). Euntes ibant et flebant, mitten- 6.
tes semina sua: venientes venient in exultatione, portantes manipulos suos. Item Apo- Gal. VI. 7.
stulus *d*) ad Galatas. Nolite errare; Deus non deridetur. Quae enim seminaverit homo, 8.
haec et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem: qui
autem seminat in spiritu, de spiritu et metet vitam aeternam. Bonum autem facien- 9.
tes, non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes.

CAPITULUM LXXII.

IN MORTUO LACRIMAS PRODUCENDAS.

In Ecclesiastico. Fili, in mortuo produc lacrimas; et quasi dira passus, incipe plo- Eccli. XXXVIII. 16.
rare; et secundum iudicium contege corpus eius, et non dispicias sepulturam illius.
Propter delaturam, amare fer *e*) luctum illius unius diei *f*); et consolare *g*), propter 17.
tristitiam.

CAPITULUM LXXIII.

NEMINEM ESSE SINE PECCATO.

F. 104. In Proverbiis. Quis gloriabitur purum se habere cor? Aut quis audebit dicere mundum Prov. XX. 9.
se esse a peccato? Item in Iob. Quoniam si fuero iustus, non dubito quod *h*) os Iob. XV. 13.
meum admiserit iniquitatem. Et si dixero sine querella sum, aeque *i*) difficilia lo-
cutus sum. Quis enim hominum vel virorum ab operibus suis mundus et inmacula- 14.
tus est coram Domino? Quia nemo mundus a sorde, nec unus quidem, etiam si una
die fuerit vita eius super terram. Quis enim hominum est sine querella? aut quis po-
terit iustus esse, qui natus est ex muliere? Nam si nec caelum mundum est ante 15.
conspectum Domini, quanto magis exsecrabilis et inmundus *k*) sit? Item Iohannis I. Ioh. I. 8.
apostolus ·I· Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et
veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis et iustus est qui di- 9.
mittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate.

CAPITULUM LXXIIII.

NON FURANDUM.

In Exodo. Non facietis furtum, et non mentiemini. Item in psalmo ·XLVIII· Si vi- Exod. XX. 15.
debas furem, simul cum eo currebas, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Ps. XLIX. 18.21.
Item illic. Arguam te, et statuam illam *l*) contra faciem tuam. Item in Proverbiis. Prov. XXIX. 24.
Qui partitur cum fure, odit animam suam. Item ad Corinthios ·I· Non fures, non I. Cor. VI. 10.
avari, non ebriaci, non maledici, non rapaces, regnum Dei possidebunt. Item in

a) Ita cod. — *b*) Ita cod. — *c*) cod. *mentent*. — *d*) Ita hoc loco cod., sicut alibi interdum *epistula*, et *diabulus*. — *e*) Cod. *fers*. — *f*) Cod. *diae*. — *g*) Cod *consulare*, sicut retro *consulatio*. — *h*) Cod. *quid*. — *i*) Cod *adquae*. — *k*) Cod. *inmundo* — *l*) Ita cod. Num pro *illa*?

Zacch. V. 1. Zaccharia propheta. Et conversus adlevavi oculos meos, et vidi et ecce falcem *a*)
2. volantem, statu cubitorum *b*) viginti, et latitudo cubitorum decem. Et dixit mihi:
hoc est maledictum, quod exiit ad maleficos qui sunt super faciem totius terrae:
4. quia omnis fur et periurus ex ea usque ad mortem punietur. Et proferam illam,
dicit Dominus omnipotens, et introibit in domum furis, et in domum periurantis in
nomine meo, et mendabo *c*): et requiescet in media domo eius, et consummabit
Exod. XXII. 1. eum, et materiam eius, et lapidem eius. Item in Exodo. Quod si quis involaverit vi-
tulum aut ovem, et occiderit eum *d*), aut vendiderit, quinque vitulos reddet pro
3. uno vitulo, et quattuor oves pro una ove. Item illic. Quod si pauper est, et non
4. habet unde reddat, veniat *e*) pro furto. Quod si praehensus fuerit, et inventum fue-
rit in manibus eius furtum, ab asino usque ad ovem viventem, dupla reddet.

CAPITULUM LXXV.

NON GLORIANDUM IN SAPIENTIA MUNDI.

Prov. III. 5. In Proverbiis. Esto confidens toto corde in Domino. Tu autem sapientia noli ex-
7. 8. tolli. | Item illic. Noli esse sapiens aput te: time autem Dominum, et declina ab omni F. 105.
XXVI. 12. malo. Tunc sanitas erit corpori tuo, et diligentia ossibus tuis. Item illic. Vidi vi-
rum aestimantem se sibi sapientem esse; spem autem habuit magis insipiens quam
Es. V. 21. ille. Item in Esaia. Vae his qui prudentes sunt aput se, et in conspectu suo sa-
XXIX. 14. pientes. Item illic. Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium repro-
Hier. IX. 23. babo. Item in Hieremia. Haec dicit Dominus: non glorietur sapiens in sua sapien-
tia, et non glorietur fortis in sua fortitudine, et non glorietur dives in divitiis suis;
24. sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et intellegere quia ego sum Dominus, qui
facio misericordiam et iudicium et iustitiam super terram: quia in his est voluntas
Rom. I. 22. mea, dicit Dominus. Item Apostolus ad Romanos. Dicentes enim esse se sapientes *f*),
I. Cor. I. 20. stulti facti sunt. Item ad Corinthios ·I· Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hu-
26. ius saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam mundi? Item illic. Videte vo.
cationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi
27. potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt huius mundi elegit Deus, ut con-
28. fundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia et
29. contemptibilia elegit, quae non sunt, ut quae sunt destituat: ut non glorietur omnis
III. 18. caro coram Deo. Item illic. Nemo se fallat. Si quis videtur sapiens esse in hoc sae-
19. culo, stultus fiat, ut sit sapiens. Nam sapientia huius mundi, stultitia est aput Deum.
20. Scribtum est enim: conpraehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum: Dominus
novit cogitationes sapientium, quoniam vanae sunt.

CAPITULUM LXXVI.

NON AMBIENDOS HONORES.

immo Prov. XXV. 6. In Ecclesiastico. Noli superbire ante conspectum regis, neque in locis potentium
7. subsistas: melius est enim dici tibi, ascende ad me, quam humiliari in conspectu

a) Ita cod. Et sic etiam apud Sabaterium; et gr. δρέπανον, cum arabico in polyglottis. At vulg. *volumen* cum hebr. chald. et syr. Varietates huius lectionis adnotat etiam S. Hieronymus in commentario ad hunc locum. — *b*) Cod. heic *gub.* Sed mox *cub.* — *c*) Ita cod. evidenter. Num pro *et mendose?* Vulg. *mendaciter*; gr. ἐπὶ ψευδεῖ. — *d*) Ita cod., qui est archaismus. Mox tamen gen. fem. — *e*) Ita cod. pro *veneat.* — *f*) Cod. *sapiens.*

potentis. Noli quaerere cathedram honoris: non iustifices te ante Dominum, quoniam Eccli. VII. 4
agnitor cordis est. Noli quaerere elegi *a*) iudex, nisi [si vales] virtute inrumpere iniquita- 6.
tes: ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in astutia tua. Item in
evangelio secundum Matthaeum. Accessit ad Dominum mater filiorum Zebedaei *b*) cum Matth. XX. 20
filiis suis, adorans eum, et postulans aliquid ab eo. Ille autem ait: quid vis? Dicit 21.
illa: ut sedeant isti duo fili *c*) mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad senestram *d*)
in regno tuo. Ait autem, Iesus: nescitis quid postuletis: potestis bibere calicem quem 22.
F. 106. ego bibiturus sum? Illi autem dixerunt: possumus. Ait illis *e*) Iesus: calicem meum | 23.
quidem bibetis, sedere autem ad dexteram vel ad senestram meam, non est meum dare
vobis, sed quibus paratum est a patre meo. Quo audito, ceteri decem discipuli in- 24.
dignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem advocavit eos, et dixit: scitis quo- 25.
niam principes gentium dominantur eorum, et magnam potestatem exercent in eos.
Non sic est inter vos; sed quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester ser- 26. 27
vus: sicut et filius hominis non venit ut illi ministretur, sed ut ministret, et det 28.
animam suam redemptionem pro multis. *f*) Vos autem quaeritis in modicis extolli, et de maximis minui. Cum autem introieritis ad caenam vocati, nolite recumbere in honorificis locis, ne forte dignior te superveniat, et accedens invitator dicat tibi: adhuc infra accede; et confundaris. Si autem recubueris in inferiori loco, adveniet inferior te, et dicet *g*) qui te ad caenam invitavit: accede adhuc in superiori loco; et erit hoc tibi utilius. Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui
se humiliat exaltabitur. Item in Ezechihel propheta. Et cognoscent omnia ligna campi, Ezech. XVII. 24.
quia ego sum Dominus, qui humilio lignum altum, et exalto lignum humile *h*), et arefacio lignum viride *i*) et reviriscere *k*) facio lignum aridum. Ego Dominus locutus sum, ut faciam.

CAPITULUM LXXVII.

QUOD QUI HOMINEM DEI SPERNIT, DOMINO *l*) SPERNIT.

In Deuteronomio. Et homo quicumque fecerit in superbiam, ut non exaudiat sa- Deut. XVII. 12.
cerdotem qui adstat ministrare in nomine Dei tui, aut iudices qui fuerint in diebus
illis, morientur homo ille, et auferes malum ex Israhel. Et omnis populus cum au- 13.
dierit, timebit, et non facient iniustitiam. Item in Regnorum ·I· Dominus ad Samu- I. Reg. VIII. 7.
helem: non te spernunt, sed me, ne regnes *m*) super illos. Item in Ezechihel propheta. Ezech. III. 7
Domus autem Israhel nolunt audire te, quia nolunt audire me: quia universa domus,
Israhel contentiosi sunt et [duro] corde. Item in Exodo. Non enim ad nos est murmu- Exod. XVI. 8.
ratio vestra, sed adversus Deum. Item in evangelio secundum Lucam dominus Iesus: Luc. X. 16.
qui audit vos, me audit; et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit
eum qui me misit. Item Apostolus ad Thessalonicenses [·I·] Quapropter qui spernit, non I. Thess. III. 8
hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum sanctum in nobis. Item ubi supra ·II·

a) — Ita cod. — *b*) Cod. *Zebedei*. — *c*) Ita cod. — *d*) Ita cod. ut alibi. — *e*) Cod. *illi*. — *f*) Quae sequuntur, absunt a vulgato Matthaei textu, eaque iam mihi ipsi in duobus vetustissimis comperta sunt codicibus, non sine aliqua inter se varietate; vaticano scilicet quem edidi in Script. vet. tomo tertio, et nunc rursus in sessoriano augustiniani Speculi codice. Porro et in aliis antea observatum fuerat id fragmentum codicibus, ut late patet apud Sabaterium. Est autem id additamentum ex parallelo Lucae XIV. 10. — *g*) Cod. *tibi*, pro *dicet*. — *h*) Cod. *humilem*. — *i*) Cod. *viridem*. — *k*) Ita cod. — *l*) Ita cod. Sed infra, nec non in indiculo, cum 4. casu. — *m*) Ita cod. At vulg. *regnem*. Ambiguus quodammodo graecus τοῦ μὴ βασιλεύειν.

II. Thess. III. 13. Vos autem, fratres nolite dificere *a*) bene facientes. Si quis autem non obaudit
14. verbo nostro, hunc per epistolam notate, et non conmisceamini cum illo, et confundar *b*). | F. 107.

CAPITULUM LXXVIII.

DE OBOEDIENTIA *c*).

Exod. XV. 26. In Exodo. Si audieris *d*) vocem domini Dei tui, et quae ei placent feceris coram ipso, et audieris praeceptis *e*) eius, et custodieris *f*) omnem iustitiam eius, omnem infirmitatem, quam inportavi Aegyptiis, non inportabo in te. Ego enim sum Dominus qui
Prov. XXV. 11. salvum facio te. Item in Proverbiis. Malum aureum in monile sardino *g*), inaure
12. auris aurea et sardino pretioso *h*), ita sermo sapiens in aure oboedientis Item in
Eccli. III. 1. Ecclesiastico. Filii sapientiae, ecclesia iustorum; et natio eorum, obaudientia et ca-
Rom. VI. 17. ritas. Item Apostolus ad Romanos. Gratia autem Deo, quod fuistis servi peccati,
18. sed obaudistis ex corde in eam formam doctrinae, in quam traditi estis. Liberati au-
V. 19. tem a peccato, servi facti estis iustitiae. Item illic. Sicut enim per inoboedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt plurimi, ita et per unius oboedientiam iusti
II. Cor. II. 9. constituentur multi. Item ad Corinthios ·II· Ideo enim scribsi vobis, ut cognoscam experimentum vestrum, si in omnibus oboedientes estis. Item Petrus apostolus ·I·
I. Petr. I. 22. Animas itaque vestras castificate ad oboediendum fidei per Spiritum.

CAPITULUM LXXVIIII.

PUSILLIANIMEM NON SCANDALIZANDUM, SED POTIUS *i*) CONSOLANDUM.

Matth. XVIII. 6. In evangelio secundum Matthaeum. Qui scandalizaverit unum pusillum ex his, qui in me credunt, bonum est illi magis ut circumligetur mola asinaria collo eius, et
Rom. XIII. 14. proiciatur in profundum. Item Apostolus ad Romanos. Carnis curam ne feceritis in
XIV. 1. desideriis. Infirmum in fide adsumite, non in disceptationes cogitationum. Item ad Ga-
Gal. VI. 1. latas. Fratres *k*), et si praeventus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis; considerans te ipsum, ne et tu
2. tempteris. Alter alterius onera portate, et sic implebitis legem Christi. Item ad Thes-
I. Thess. V. 14. salonicenses ·I· Oramus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusilli-
15. animes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes, videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini in invicem et in omnes.
Rom. XV. 1. Item ad Romanos. Debemus autem nos potentes infirmitates eorum qui inpotentes
2. sunt baiulare, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo placeat ad bo-
3. nam *l*) aedificationem. Christus autem non sibi placuit, sed secundum quod scribtum
4. est, opprobria opprobrantium ceciderunt super me. Quae autem scribta sunt, ad nostram doctrinam scribta sunt, ut per patientiam et consolationem scribturarum | spem F. 108.
5. habeamus. Deus autem omnium det vobis id ipsum sapere in invicem secundum
6. Christum Iesum, ut unianimes uno more *m*) magnificetis Dominum et patrem domini

a) Ita cod. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. hoc loco *obaedientia*. Sed alibi, immo et mox, *oboed.* et *obaud.* — *d*) Cod. mendose *audieritis*. — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *custodieritis*. — *g*) Cod. *sardiam*. — *h*) Ita cod. in quo nihil muto. — *i*) Cod. *positius*. — *k*) Cod. mendose *stares*. — *l*) Cod. *bonum*. — *m*) Ita cod.

nostri Iesu Christi. Propter quod suscipite in invicem, sicut et Christus suscepit vos Rom. XV. 7.
in gloria Dei. Item illic. Deus autem spei adimpleat vos omni gaudio et pace, ut 13.
abundetis in omnem spem, in virtute Spiritus sancti. Certus sum autem, fratres, de 14.
vobis quoniam adimpleti estis dilectione et omni scientia, ut alterutrum possitis co-
hercere. Item ad Corinthios ·II· Si quis autem contristavit, non me contristavit, sed II. Cor. II. 5.
ex parte, ut non onerem vos. Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio haec quae 6.
fit a pluribus. Ita ut e contra magis donetis, et consolemini *a*), ne forte maiori tristi- 7.
tia absorbeatur qui eiusmodi est. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum 8.
caritatem. Ideo enim scribsi, ut cognoscam experimentum vestrum, si in omnibus 9.
oboedientes estis. Si cui autem aliquid donatis, et ego. Nam quod donavi propter 10.
vos, in persona Christi; ut non possideamur a Satana. Non enim ignoramus cogi- 11.
tationes eius. Item ad Colossenses. Induite ergo vos tamquam electi Dei, ut sancti Coloss. III. 12.
et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, lenitatem, iustitiam, pa-
tientiam, subportantes invicem, et donantes vobis ipsis, si quis adversus aliquem ha- 13.
bet querellam: sicut et Dominus donavit vobis, sic et vos facite.

CAPITULUM LXXX.

DE LAUDE VIRGINUM.

In libro Sapientiae. Quoniam felix sterelis et incoinquinata quae nescit thorum *b*) Sap. III. 13.
in delicto! habebit fructus in resurrectione animae. Et spado qui non est operatus 14.
per manus iniquitatem, nec cogitavit adversus Dominum nequissima. Dabitur enim
illi *c*) fidei donum electum, sors in templo Dei oblatior. Bonorum enim laborum fru- 15.
ctus bonae famae, et quae non excedat *d*) radix sapientiae. Item Paulus apostolus I. Cor. VII. 25.
ad Corinthios ·I· De virginibus autem praeceptum Domini non habeo; consilium
autem do, sicut misericordiam consecutus, ut fidelis essem. Existimo ergo hoc bo- 26.
num esse propter praesentem necessitatem, quia optimum est homini sic esse. Item
illic. Hoc autem dico, fratres; tempus breve est: reliquum est, ut et qui habent 29.
uxores, tamquam non habentes sint; et qui flent, tamquam non flentes sint; et qui gau- 30.
dent, tamquam non gaudentes sint; et qui emunt, tamquam non possidentes; et qui 31.
utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: praeterit enim habitus huius mundi.
F. 109. Volo vos sine sollicitudine esse quae Domini sunt, quomodo pla|ceat Deo. Qui au- 32. 33.
tem uxorem habet, cogitat quae sunt huius mundi, quomodo placeat uxori. Sepa-
rata est mulier, et virgo. Quae non est nupta, cogitat quae Dei sunt, ut sit sancta 34.
et corpore et spiritu. Quae autem nupta est, cogitat quae sunt huius mundi, quo-
modo placeat viro. Item illic. Itaque et qui nuptum dat virginem suam, bene facit; 38.
et qui non dat, melius facit. Item in evangelio secundum Matthaeum. Dico autem Matth. XIX. 9.
vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa adulterii, facit illam
moechari. Dicunt ei discipuli: si talis viri causa est cum uxore *e*), non expedit nu- 10.
bere. Iesus autem respondit eis: non omnes capiunt verbum istud, sed hii quibus 11.
concessum est. Sunt enim spadones qui ex utero matris nati sunt; spadones qui facti 12.
sunt ab hominibus; [spadones] qui se ipsos spadonaverunt propter regnum. Qui pot-
est capere, capiat.

a) Cod. *consulemini*, ut interdum alibi. — *b*) Cod. *nescithorum*. — *c*) Cod. *ille* — *d*) Ita cod. pro *excidat*. — *e*) Cod. *cum uxorem*.

CAPITULUM LXXXI.

DE CONCORDIA CONIUGALI, ET HABITU MULIERUM.

Eccli. XXV. 1. In Ecclesiastico. In tribus placitum est spiritui meo, quae sunt probata coram Deo
2. et homine, concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier sibi consen-
Coloss. III. 19. tientes. Item Apostolus ad Colossenses. Viri diligite uxores vestras, et nolite amari
18. esse adversus illas. Mulieres subditae estote viris sicut in Domino. Item ad Timo-
I Tim. II. 8. theum ·I· Volo igitur viros orare omni in loco levantes sanctas manus sine ira et
9. disceptatione. Similiter et mulieres in habitu ordinato *a*), cum verecundia et casti-
tate, ornantes se non intortis crinibus aut auro aut margaritis aut veste pretiosa *b*);
10. 11. sed quod decet mulieres, promittentes castitatem per opera *c*) bona. Mulier in si-
12. lentio discat in omni subiectione. Docere *d*) autem mulieri non permitte *e*), neque do-
13. minari in virum, sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Eva.
14. Et Adam non est seductus, sed mulier seducta in praevaricationem fuit. Salva au-
15. tem erit per filiorum generationem, si maneat in fide et veritate et sanctitate cum
Tit. II. 1. sobrietate. Item ad Titum. Tu vero loquere quae decent sanam doctrinam; senes
2. 3. subrios *f*) esse, castos, prudentes, sanos in fide et caritate et patientia. Anus si-
militer in habitu sancto, non criminatrices, non vino multo servientes, bene do-
4. centes, ut prudentiam doceant: adulescentulas *g*) autem ut diligant viros suos, et di-
5. ligant filios. Prudentes, castae, domum custodientes, benignae sint et subditae viris
suis. Iuvenes similiter hortare ut prudentes sint in omnibus. Item Petrus apostolus
I Petr. III. 1. in epistola ·I· | Mulieres subditae estote viris vestris: ex quibus si qui non credunt F. 110
2. huic verbo, per mulierum suarum conversationem sine verbo lucrificant, conside-
3. rantes vestram in timore castam conversationem: quarum sit non extrinsecus capil-
lorum implicatus, aut auri circumpositio, aut habitus vestimentorum aut ornamen-
4. torum, sed ille absconsus cordis homo incorruptus, mansueti et modesti spiritus;
5. quod est magnificum in conspectu Dei. Sic enim quondam sanctae mulieres, quae
6. in Dominum sperabant *h*), ornabant se, subiectae fortiori vaso *i*) viri; sicut Sarra
obsequebatur Abrahae, dominum illum vocans; cuius *k*) estote filiae bene dicentes
7. et bene facientes, nec timentes ullam perturbationem. Viri similiter conmorantes se-
cundum scientiam, tamquam infirmiori vaso muliebri inpertientes honorem, tamquam
coheredi gratiae et vitae, ad hoc ne inpediantur orationes vestrae.

CAPITULUM LXXXII.

DE SANCTITATE ET OPERE VIDUARUM.

III Reg. XVII. 8. 9. In libro Regnorum ·III· Et dixit Dominus ad Heliam: exurge, et vade in Sarapta *l*)
10. Sidonis: ecce praecepi *m*) ibi mulieri viduae ut pascat te. Et surrexit, et abiit in Sa-
rapta Sidonis. Et ut venit ibi, ecce ad portam civitatis ipsius mulier vidua collige-

a) Ita cod. — *b*) Cod. *vestes praetiosa*. — *c*) Cod. *propera*. — *d*) Cod. *decore*. — *e*) Ita cod. Sed vulg. *permitto*, cum gr. ἐπιτρέπω, nec non aliquot patribus apud Sabaterium. — *f*) Ita cod. heic *sobr*. — *g*) Cod. *aduliscentulas*. — *h*) Cod. *spernabant*. — *i*) Ita cod. heic et mox, a *vasum*, *i*. Reapse habemus pluraliter *vasorum* et *vasis*. — *k*) Cod. mendose *osculus*, pro *cuius*. — *l*) Ita cod. — *m*) Cod. *praecipi*.

bat ligna. Et exclamavit depost illam Helias, et dixit ei: eice mihi pusillum in vas
ut bibam. Et cum abisset illa ut acciperet et deferret aquam, exclamavit iterum de- III. Reg. XVII. 11.
post illam Helias, et dixit: adfer *a*) mihi panem ut edam. Et illa dixit: vivit do- 12
minus Deus tuus, si est mihi focacium, nisi pusillum farinae in hydria *b*), et mo-
dicum oleum in vas *c*). Et ecce ego ideo colligo duo ligna, ut introeam et faciam
illum mihi et filiis meis, et edemus, moriemur *d*). Et dixit Helias: aequo animo 13
esto: intra, et fac secundum verbum tuum. Sed fac mihi inde focacium pusillum in
primis; tibi autem et filiis tuis facies postea. Quoniam haec dicit Dominus: fidelia 14.
farris non deficient, et capsaces olei non minuentur, usque in diem quo dabit Deus
pluviam super terram. Et abiit, et fecit et manducavit ipse et illa et filii eius: hy- 15.
dria pulentae *e*) non defecit, neque vas olei, secundum verbum Domini quod locutus 16.
est in manu Heliae. Item in libro Iudith. Et erat Iudat *f*) vidua in domo sua annis Iudith VIII. 4
tribus et mensibus sex. Et fecit sibi tabernaculum super tectum domus, et inposuit 5
super lumbos suos cilicium, et ieiunabat omnibus diebus vitae suae, praeter sabba- 6
tis *g*) et neomeniis *h*) et gaudimoniis domus Israhel. Erat bona facie valde, et non 7.
erat qui inferret ei verbum malum, quoniam timebat Dominum valde. Item in evan- 8.
F. III. gelio secundum Lucam. Et erat Anna prophe|tissa *i*) filia Phanuhel, de tribu Aser et Luc II. 36.
haec processa *k*) erat in diebus suis, quae vixerat cum viro suo annis septem a vir-
ginitate sua. Et haec vidua annorum octuaginta *l*) et quattuor, quae non discedebat 37.
de templo, ieiuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. Item. Intendens autem XXI. 1
Iesus, vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacio *m*) divites. Vidit autem 2.
et quandam viduam et pauperculam mittentem aera minuta duo, et dixit: vere dico 3.
vobis, quia vidua haec paupercula plus omnibus misit: omnes enim hii ex habun- 4
danti sibi miserunt in dona Dei, haec autem ex eo quod deest illi omnem victum,
quem habuit, misit. Item Apostolus ad Timotheum ·I· Viduas honora, quae vere I. Tim. V.
viduae sunt. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum suam do- 4
mum pie tractare, et remunerare parentes: hoc enim acceptum est coram Deo. Quae 5
autem vere vidua est et desolata, sperat in Deum, et instat orationibus die ac no-
cte. Quae autem in deliciis agit, vivens mortua est. Et haec praecipe, ut inreprae- 6. 7.
hensibilis *n*) sint. Si qua autem suorum et maxime domesticorum curam non ha- 8.
bet, fidem negavit, et est infideli deterior. Vidua eligatur non minus annorum se- 9.
xagenta *o*), quae fuerit unius viri uxor, in operibus bonis habens testimonium, si 10.
filios nutriit, si hospitio recepit, si sanctorum pades lavit, si tribulationem patien-
tibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. Adulescentiores autem vi- 11.
duas devita. Item in Actibus apostolorum. In Ioppe *p*) autem erat quaedam vidua Act IX. 36
nomine Tabitha *q*), quae interpretata *r*) dicitur Dorcas. Haec erat plena operibus bonis
et eleemosynis *s*) et misericordiis multis, quas faciebat. Factum est autem in diebus 37
illis ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in superiori cae-
naculo. Cum autem prope esset Lydda *t*) ab Ioppe *u*) audierunt discipuli quod Petrus 38
esset ibi. Miserunt duos viros ad eum, rogantes et dicentes: ne pigeat te venire usque
ad nos. Exurgens autem Petrus venit cum eis: quem advenientem duxerunt in su- 39

a) Cod *adfert*. — *b*) Cod. *hidria*. — *c*) Ita cod. Sic et mox. — *d*) Ita cod. sine copula *et*. — *e*) Ita cod. — *f*) Ita cod. hoc altero loco. — *g*) Ita evidenter codex. — *h*) Cod. *numiniis*, ut alibi. Sic enim fortasse pronunciabant rustici. — *i*) Cod. *prof*. et mox *Fan*. — *k*) Ita cod. — *l*) Vide idiotismum, pro *octogınta*. — *m*) Ita cod. — *n*) Ita cod. *is* pro *es*. — *o*) Ita cod. quae videtur linguae rusticitas. — *p*) Cod. *elem*. — *q*) Cod. *Ioppem*. — *r*) Cod. *interpraetata*. — *s*) Cod. *Thabita*. — *t*) Cod. *Lidda*. — *u*) Cod. *Ioppen*.

riora caenaculi, et circumsteterunt eum viduae flentes et ostendentes tunicas et ce-
Act. IX. 40. tera vestimenta; narrabant ei quanta faciebat cum esset cum illis Dorcas. Eiectis au-
tem omnibus foris, Petrus ponens ienua *a*) oravit, et conversus ad corpus dixit:
exurge in nomine domini nostri Iesu Christi. At *b*) illa mox aperuit oculos suos, et
41. cum vidisset Petrum, sedit. Dansque ei ma|num, erexit eam vivam. Et convocans F. 112.
42. sanctos et viduas, adsignavit eam viventem. Notum autem factum est hoc per uni-
versam Ioppen, et crediderunt multi in Domino.

CAPITULUM LXXXIII.

EXEMPLO APOSTOLICO MANIBUS LABORANDUM.

Ephes IV. 27-28. Item Paulus apostolus ad Ephesios. Nolite dare locum diabulo *c*). Qui furabatur, iam
non furetur: magis autem laboret operando quod bonum est, ut habeat unde tribuat
I Thess. II. 9. necessitatem patientibus. Item ad Thessalonicenses *d*) ·I· Memores enim estis, fra-
tres, laborem nostrum, et aerumnam *e*): nocte ac die operantes, ad hoc ne quem
10. nostrum gravaremus, praedicavimus in vobis evangelium Dei. Vos testes estis et Deus,
11. quam sancte et iuste et sine querella fuimus vobis, qui creditis *f*): sicut scitis qua-
12. liter unumquemque vestrum, sicut pater filios suos, obsecrantes vos et consulantes *g*),
IV 10. ut ambuletis digne Deo, qui vocavit nos in regnum suum et gloriam. Item illic.
11. Hortamur autem vos, fratres, abundare magis et studium habere silentii, et quie-
tos esse, et operari manibus vestris quod bonum est, sicut vobis praecepimus; ut
honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius quidquam desideretis. Item ad
II Thess. III. 6. Thessalonicenses ·II· Praecepimus autem vobis, fratres, in nomine domini nostri
Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre inordinate ambulante, et non secun-
7. dum traditionem quam acciperunt *h*) a nobis. Ipsi *i*) enim scitis quemadmodum opor-
8. teat imitari *k*) nos: quoniam non inquiete viximus inter vos, nec gratis panem man-
ducavimus ab aliquo, sed in labore et fatigatione, nocte ac die *l*) operantes, ne
9. quem vestrum gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmet-
10. ipsos formam vobis daremus ad imitandum nos. Nam et cum essemus aput vos,
11. hoc denuntiavimus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audi-
vimus enim quosdam inter vos inquiete ambulare, nihil operantes, sed curiose agen-
12. tes *m*). His autem qui eiusmodi sunt, denuntiamus et hortamur in domino Iesu Chri-
13. sto, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. Vos autem, fratres, nolite
Act. XVIII. 2. deficere bene facientes. Item in Actibus apostolorum. Paulus autem agnitus erat
3. Aquilae, eo quod essent unius gentis, et unius artis, et mansit aput eos opus faciens;
XX. 33. erant enim arte fabri. Item illic. Paulus apostolus. Argentum et aurum aut vesti-
34. mentum nullius vestrum concupivi. Ipsi scitis, quia *n*) ad ea quae mihi necessaria
erant in omni usu meo et eorum qui mecum sunt, manus istae praesto *o*) fuerunt.
35. Omnibus vobis demonstravi, quoniam sic lavorantes *p*) oportet auxiliari infirmis, et
memores esse verborum Domini nostri Iesu, quia ipse dixit: beatius est magis dare
quam accipere.|

a) Ita cod. — *b*) Cod. *ad*. — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. mendose *Colossenses*. — *e*) Ita utrumque nomen quarto casu. — *f*) Cod. *credites*. — *g*) Ita cod. ut alibi. — *h*) Ita cod. — *i*) Cod. *ipsis*. — *k*) Cod. *emitari*, et infra *emitandum*. — *l*) Cod. iterum *nocte* pro *die*. — *m*) Cod. *egentes*. — *n*) Cod. *qui*. — *o*) Cod. *presto*. — *p*) Ita cod. *v*. pro *b*. Et ita dicunt nunc Itali.

CAPITULUM LXXXIIII.

F. 113. ALTIORA SCRUTARI NON OPORTERE, NEQUE AUDIRI HAERETICOS *a*).

In Deuteronomio. Non adicietis ad verbum hoc, quod ego praecipio vobis hodie, ne Deut. IV 2.
quem *b*) investigetis ex eo. Item in Apocalypsi. Testor ego omni audienti verba pro- Apoc. XXII 18
phetiae *c*) libri huius. Si quis adiecerit supra haec, inponet Deus super eum plagas,
quae scriptae sunt in hoc libro: et si quis abstulerit verba prophetiae libri huius, 19.
auferet Deus partem eius de ligno vitae de civitate sancta. Item in Proverbiis. Bibe Prov. V 15.
aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fonte, et nemo extraneus communicet 17.
tibi. Item illic. Qui fidet in falsis, hic ventos pascit; idem autem ipse sequitur aves X. 4.
volantes: dereliquid *d*) enim viam vineae suae, et orbita sculpturae *e*) agri sui erravit:
perambulat autem per arida et deserta, et terram constitutam in siccitatibus. Con-
gregat *f*) autem manibus suis sterelitatem *g*). Item illic. Recede ergo ab aqua aliena, IX. 17?
et a fonte alieno noli bibere, et multo vives tempore, et adicientur tibi anni vitae.
Item illic. Noli adicere ad mandata eius, ne arguaris et mendax sis. Item in Eccle- XXX. 6.
siastico Altiora te ne quaesiveris, et fortiora te ne perscrutaveris; sed quae prae- Eccli III. 22.
cepit tibi Dominus, illa cogita semper: et in pluribus operibus eius non eris curio-
sus. Multos enim seduxit suspicio eorum, et in vanitate detenuit *h*) sensus illorum. 26
Item illic. Non te ventiles in omnem ventum, et non eas omni via, ut prosequatur te V. 11. 12.
verbum pacis et scientiae. Item illic. Cui sufficit nuntiare *i*) opera illius, non est XVIII. 2. 5.
F. 114. minuere, neque adicere, neque invenire magnalia Dei. | Item in libro Sapientiae. Dif- Sap. IX. 16.
ficile aestimamus quae in terra sunt, et quae in prospectu sunt invenimus cum la-
bore: quae autem in caelis sunt, quis investigabit? sensum autem tuum quis sciet, 17.
nisi tu dederis sapientiam? Item Apostolus ad Romanos. O altitudo divitiarum et Rom. XI 33.
sapientiae et scientiae Dei! quam inscrutabilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae
eius! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis illi consiliarius fuit? Aut quis 34. 35.
prior dedit ei, et reddetur illi? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt 36
omnia: ipsi gloria in saecula saeculorum.

CAPITULUM LXXXV.

DE IEIUNIO.

In Ecclesiastico. Qui baptizatur a mortuo [et iterum tangit eum,] quid proficit lavatio Eccli XXXIV 30
eius? Sic et homo qui ieiunat in peccatis suis, et iterum eadem facit, quid proficit hu- 31.
miliando se? Orationem eius quis exaudiet? Sacrificium salutare adtendere mandatis, XXXV. 2.
et discedere ab omni iniquitate. Item in Esaia propheta. Non est gaudere impiis, dicit Es. LVII. 21.
Dominus. Exclama vehementer, et ne parcas: sicut tuba exalta vocem tuam, et nuntia LVIII. 1.
populo meo peccata eorum. Me de die in diem quaerunt, et cognoscere meas vias desi- 2.
derant. Tamquam populus qui iustitiam fecerit, et iudicium Dei non dereliquerit, po-
stulant a me nunc iudicium iustum, et adpropriare Deo concupiscunt. Dicentes: quid 3.

a) Cod. *her.* — *b*) Ita prorsus cod. — *c*) Ita heic et mox recte cod. *proph.* — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. Num pro *culturae?* — *f*) Cod. *congrega.* — *g*) Ita cod. ut alibi. — *h*) Ita cod. Scriptum quoque *vanitate*, sed superposita mendose linea factum *vanitatem*. — *i*) Cod. *nontiare*, ut apud Italos.

quod ieiunavimus, et non vidisti? humiliavimus animas nostras, et non scisti? In
diebus enim ieiuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestrae, et omnes subditos
Is. LVIII. 4. vobis conpungetis. An in iudicia et lites ieiunatis, et percutitis proximum inique?
5. Et ut quid mihi ieiunatis, | ut hodie audiatur in clamore vox vestra? Non hoc ie- F. 115.
iunium elegi, dicit Dominus, ut humiliet animam suam. Nec si flectas ut circulum
cervicem tuam, et cilicium et cinerem substernas, nec sic vocabis ieiunium acceptum.
6. Non tale ieiunium ego elegi, dicit Dominus: sed solve omne vinculum iniquitatis,
dissolve obligationes potentium conmutationum, dimitte confractos in requiem, et
7. omnem conscribtionem iniquam disrumpe. Frange esurientibus panem tuum, et ege-
num sine tectum *a*) duc in domum tuam. Si videris nudum, vesti; et domesticos
8. seminis tui non dispicias *b*) Tunc erumpet temporanum *c*) lumen tuum, et sanitates
tuae cito orientur; et praeibit ante te iustitia, et maiestas Domini circumdabit te.
9. Tunc clamabis, et Dominus exaudiet te: dum adhuc loqueris, dicit: ecce adsum. Si
10. auferas a te vinculum iniquitatis, obligationem et verbum murmurationis; et des
esurienti panem tuum ex animo, et animam humiliatam satiaveris; tunc orietur tibi
11. in tenebris lumen, et tenebrae tibi erunt ut meridies *d*). Et erit Deus tuus tecum sem-
per, et satiaberis prout desiderat anima tua, et ossa tua pinguescent, et erunt sicut
12. hortus ebrius, et sicut fons *e*) cui non deficit aqua. Et aedificabuntur deserta tua, et
erunt fundamenta tua aeterna in saecula saeculorum. Item in evangelio secundum
Matth. VI. 16. Matthaeum. Cum autem ieiunatis, nolite esse sicut hypocritae *f*) tristes: exterminant
17. enim faciem suam, ut pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, perciperunt *g*)
18. mercedem suam. Vos autem cum ieiunatis, unguite caput vestrum, et faciem vestram
lavate, ut non videamini | hominibus ieiunantes; sed patri vestro qui est in caelis: F. 116.
et pater vester qui videt occulta, reddet vobis.

CAPITULUM LXXXVI.

HOMINEM EXEMPLO FORMICAE VEL APIS SINE PIGRITIA OPERARI DEBERE QUAE BONA SUNT.

Prov. VI. 6. In Proverbiis. Vade ad formicam, o piger, et aemulare videns vias eius, et esto
7. illa sapientior: illa enim cum agrum non possideat, neque conpellentem se habeat,
8. neque sub domino sit, quomodo parat aestate alimenta *h*), copiosam autem facit in
messe repositionem! Vel vade ad apem *i*), et disce quam laboriosa est; operationem
etiam quam sanctam mercatur *k*); cuius labores reges et mediocres ad sanctitatem *l*)
offerunt: grata est autem omnibus et gloriosa; et cum sit viribus infirma, sapientiam
9. praedicans producta est. Usque quo piger iacebis? quando autem de somno surgis?
10. Modicum quidem dormis, modicum autem manibus conplecteris pectus: deinde ad-
11. veniet tibi sicut malus viator paupertas, inopia autem sicut bonus cursor. Si autem
inpiger fueris, veniet tibi sicut fons messis tua; inopia autem sicut bonus cursor
XVIII. 8. refugiet te. Item illic. Pigrum deicit timor: animae autem effeminatorum esurient.

a) Ita cod. — *b*) Ita cod. ut alibi. — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. *meridie*. — *e*) Cod. *flons*. — *f*) Cod. *hip*. — *g*) Ita cod. — *h*) Cod. *elimenta* — *i*) Versiculus hic de ape deest in vulgato et in hebraeo; legitur tamen in graeco, unde itala vetus derivata fideliter fuit. Habent apud Sabaterium alii quoque codices, nec non S. Ambrosius, cui nunc belle consonat Augustinus. En graeca verba. Ἢ πορεύθητι πρὸς τὴν μέλισσαν, καὶ μάθε ὡς ἐργάτις ἐστὶ, τήν τε ἐργασίαν ὡς σεμνὴν ποιεῖται· ἧς τοὺς πόνους βασιλεῖς καὶ ἰδιῶται πρὸς ὑγίειαν προσφέρονται· ποθεινὴ δέ ἐστι πᾶσι καὶ ἐπίδοξος, καὶ περ οὖσα τῇ ῥώμῃ ἀσθενὴς, τὴν σοφίαν τιμήσασα προήχθη. — *k*) Ita lat. quia aliquot gr. codd. ἐμπορεύεται. — *l*) Puto mendum amanuensis pro *sanitatem*; nam graece est ὑγίειαν. Certe *sanitatem* legit etiam S. Hieronymus apud Sabaterium.

Item illic. Increpatus piger, non erubescit: similiter autem qui mutuatur triticum in Prov. XX. 4.
messe *a*). Item illic. Desideria pigrum occidunt: non enim destinant manus eius fa- XXI. 25.
cere aliquid. Item illic. Occasiones quaerit piger, et dicit: leo in viis est, in pla- XXII. 13.
teis autem homicidae. Item illic. Sicut osteum *b*) in cardine vertitur, ita piger in XXVI. 14.
lecto suo. Item illic. Sapientior piger sibi videtur, quam qui in plenitudine perfert 16.
nuntium. Item in Ecclesiastico. In lapide luteo lapidatus est piger: et omnis loquitur Eccli. XXII. 1.
F. 117. de aspernatione ei. De stercore | boum lapidatus est piger: omnis qui tetigerit illum 2.
excutiet manus.

CAPITULUM LXXXVII.

SINE TIMORE HOMINUM MANDATA DEI PRAEDICANDA.

In Ezechihel propheta. Et tu, fili hominis, ne timueris eos, neque paveas a facie eo- Ezech. II. 6.
rum: quia insanient et convenient adversum te in circuitu. Verba eorum ne timeas,
et a facie eorum ne paveas, quia domus exasperans est. Item illic. Ecce dedi faciem III. 8.
tuam potentem adversus facies eorum, et constantiam tuam confortabo adversus
contentiones eorum, et erit fortior petra constantia tua. Item illic. Et ne timueris 9.
ab eis, neque terrearis a facie eorum, quia domus exasperans est. Item in evangelio Matth. X. 27.
secundum Matthaeum. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in
[aure] auditis, praedicate supra tecta et in plateis. Nec timeatis eos, qui occidere 28.
corpus possunt, animam autem non possunt interficere: timete autem magis eum,
qui potest animam et corpus occidere in gehennam *c*).

CAPITULUM LXXXVIII.

DE STULTO.

In Proverbiis. Vir stultus et iniquus vadit vias non bonas: ipse autem adnuit oculo Prov. VI. 12. 13.
et significat pede. Item illic. Vir stultus mala sibi fabricat, in suis autem labiis then- 14. Vel X. 10.
saurizat ignem. Item illic. Non conveniunt stulto labia fidelia, neque iustis labia XVII. 7
mendacia. Item illic. Ut quid habundant divitiae stulto? possidere enim sapientiam 16.
insensatus non poterit. Item illic. Ira est patri filius insipiens, et dolor matris eius. 25.
Item illic. Non desiderat sapientiam, cui deest sensus: magis enim ducitur inpru- XVIII. 2.
dentia. Item illic. Os hominis stulti, contritio est; labia autem eius, laqueus ani- 7.
mae ipsius. Item illic. Stultitia viri exterminat vias eius, Dominum autem causatur XIX. 3.
F. 118. corde suo. Item illic. Stultitia inest cordi iuvenis; virga | autem et disciplina longe XXII. 15.
est ab eo. Item illic. Gravis est lapis et vix portabilis harena *d*); ira autem stulti XXVII. 3.
gravior ambobus. Item illic. Tamquam ager, vir insipiens; et sicut vinea, homo cui XXIV. 30.
deest prudentia: si reliqueris eum inplebitur spinis, et in foenum fiet, et erit de- 31.
sertus, et maceriae parietum ejus effodientur. Item illic. Sicut canis cum converti- XXVI. 11.
tur ad vomitum suum, odibilis efficitur, sic stultus malitia sua conversus in peccatis
suis. Item in Ecclesiastico. Cum fatuis nec consilium habeas: non enim poterunt con- Eccli. VIII. 20.
tinere. Item illic. Qui minoratur corde, cogitat inania, et vir inprudens et errans, XVI. 23.
cogitat stulta. Item illic. Ex ore fatui inprobabilis parabola; non enim dicit illam XX. 22.

a) Cod. *messem*. — *b*) Ita cod. — *c*) Ita cod. — *d*) Ita cod. cum adspir. etiam in aliis codd.

Eccli. XXI. 17. in tempore. Item illic. Cor fatui quasi vas confractum, et omnem scientiam non te-
21. nebit. Domus clausa fatuo, sapientia et scientia. Sensati inenarrabilia verba. Item
22. illic. Conpedes in pedibus stultorum, doctrina et quasi vinculum manus dexterae.
29. Fatuus in risu exaltat vocem suam, et vir sapiens vix tacite ridebit. Item illic. In
XXII. 18. ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum. Item illic. Harenam
et sal et massam ferri facilius est portare, quam hominem inprudentem et fatuum
XIX. 27. et impium. Item illic. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis,
XXXIII. 5. enuntiat de illo. Item illic. Praecordia fatui, quasi rota carri; et quasi axis versa-
XXII. 7. tilis, cogitatus ab illis. Item illic. Sapientiam qui docet fatuum, quasi qui conglu-
XXI. 19. tinat testam. Item illic. Narratio fatui quasi sarcina in via *a*). Contribulant minae cor
sapientis; stultus autem flagellatus *b*) non sentit. Qui docet puerum stultum, con-
Prov. X. 23. tumeliam facit aequitati *c*). Item in Proverbiis. In risu stul|tus agit nefaria. Item illic. F. 119.
XIV. 3. Ex ore stultorum baculus contumeliae, labia autem sapientium custodiunt eos. Item
7. illic. Omnia contraria sunt viro insipienti, arma vero intellectus labia sapientiae.
16. Item illic. Sapiens timendo declinat a malo, stultus vero sibi confidens miscetur
Es. XXXII. 6. iniquo: serviet autem stultus prudenti. Item in Esaia propheta. Stultus enim stulta
loquetur, et cor eius vana intellegit: ut consummet *d*) iniqua et, loquatur ad Domi-
num errorem, ad dispargendas animas esurientes *e*), sicut animas sitientes *f*) inanes
7. faciat. Consilium enim malorum iniqua cogitavit, disperdere humiles in sermonibus
8. iniquis, et dissipare verba *g*) humilium in iudicio. Nam pii iustitiam cogitaverunt
Eccli. XX. 14. et hoc consilium manebit. Item in Ecclesiastico. Datus fatui non erit utilis tibi: oculi
15. enim illis septemplices. Exigua dedit *h*) et multa inproperavit; et apertio oris illius,
inflatio est.

CAPITULUM LXXXVIIII.

IRACUNDIAM DEPONENDAM.

Prov. XI. 20? 25? In Proverbiis. Anima benedicta omnis simplex: vir autem animosus vel iracundus
XII. 16. non honeste agit. Item illic. Stultus ipsa eadem die pronuntiat iram suam; occultat
XIII. 16. autem suam contumeliam astutus. Item illic. Iracundus agit sine consilio; vir au-
XV. 1. tem prudens multa sustinet. Item illic. Ira perdet etiam sapientes; responsum au-
18. tem humile avertit iram. Item illic. Vir iracundus parat lites, patiens autem etiam
XXII. 24. futuras mitigat. Item illic. Noli esse amicus viro animoso; cum amico autem ira-
25. cundo noli conmorari, ne forte discas vias eius et sumas laqueum animae tuae.
XXIX. 11. Item illic. Totam iram suam profert stultus; sapiens autem, per partes. Item illic.
22. Vir animosus | fodit contentionem; vir autem iracundus exobruet peccata. Item in Ec- F. 120.
Eccli. XXVIII. 11. clesiastico. Homo iracundus incendit litem: et vir peccator turbabit amicos, et in
XXX. 26. medium pacem habentium inmittet delatorem *i*). Item illic. Zelum *k*) et iracundiam
Eccle. VII. 10. minuet dies, et ante tempus senectam adducet cogitatus. Item in Ecclesiaste. Noli
festinare in spiritu tuo irasci, quia ira in sinu stultorum requiescit. Item Aposto-
Ephes. IV. 26. lus ad Ephesios. Irascimini autem, et nolite peccare: sol non occidat super iracun-
31. diam vestram. Item illic. Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et bla-
immo Coloss. III. 8. sphemia *l*) auferatur a vobis cum omni malitia. Item illic. Nunc autem deponite vos

a) Sequentia quaerantur. — *b*) Cod. *flagellat ut*. — *c*) Cod. *eq*. — *d*) Cod. *consumet*. — *e*) Cod. *esuriente*. — *f*) Cod. *satientes*. — *g*) Cod. *vir* pro *verba*. Gr. λογους. — *h*) Cod. *debit*. — *i*) Alio loco cod. *delaturam*. — *k*) Cod. *zelus*. — *l*) Cod. *blasf*. Sed mox ipse cod. *blasph*.

omnem iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, multiloquium. Item Iacobus Iac. I. 19.
apostolus. Sit vero omnis homo citatus audire, et tardus loqui, piger in iracundia: 20.
iracundia enim viri iustitiam Dei non operatur. Item in evangelio secundum Mat- Matth. V. 22.
thaeum. Qui irascitur fratri *a*) suo sine causa, reus erit iudicio: quicumque autem di-
xerit fratri suo raccha, reus erit concilio: quicumque vero dixerit fatue, reus erit
gehennae ignis.

CAPITULUM XC.

QUOD HOMO A DEO FACTUS, HUIUS GENUS VEL NATURA DICATUR, CUIUS OPUS FUERIT IMITATUS *b*) SIVE DEI SIVE DIABOLI.

In Deuteronomio. Haec Domino retribuistis, sicut plebis *c*) fatua et non sapiens? Deut XXXII. 6.
Nonne hic ipse pater tuus possidet te, et creavit te, et fecit te? Item illic. Domi- 18.
num, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Deum qui te nutrivit. Item in evan-
gelio secundum Matthaeum Baptista Iohannis. Videns autem multos ex Pharisaeis Matth. III. 7.
F. 121. et Sadducaeis venientes ad baptismum suum, dixit ad eos: | progenies viperarum,
quis ostendit vobis fugire *d*) ab ira ventura? Facite ergo fructus dignos poeniten- 8.
tiae. Et ne dixeritis intra vos: patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quo- 9.
niam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios *e*) Abrahae. Iam enim se- 10.
curis ad radicem arboris posita est: omnis ergo arbor, quae non facit fructum bo-
num, excidetur, et in igne *f*) mittetur. Item illic. Amen amen dico vobis, quia omnis immo Ioh. VIII. 34.
qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in aeter- 35.
num, filius manet in aeternum. Si ergo filius vos liberavit, vere liberi eritis. Scio 36.
quia semen Abrahae estis, sed quaeritis me interficere, quia sermo meus non capit 37.
in vobis. Ego quod vidi aput patrem meum, loquor; et vos quae vidistis aput pa- 38.
trem vestrum facitis. Item illic. Vos ex patre diabulo estis, et desideria patris ve- 44.
stri facere vultis: ille enim homicida fuit ab initio, et in veritate non stetit, et ve-
ritas non est in eo. Item illic. Qui est ex Deo, verba Dei audit. Ideo vos non au- 47.
ditis, quia ex Deo non estis. Item Apostolus ad Ephesios. Et vos cum essetis mor- Ephes. II. 1.
tui delictis *g*) et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum saecu- 2.
lum huius mundi, secundum principem potestatis aeris huius, spiritus qui nunc ope-
ratur in filios diffidentiae, in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in 3.
desideriis carnis et cogitationum, et eramus natura filii irae, sicut et ceteri. Item
ad Colossenses. Et vos quando eratis alienati et inimici sensus eius in operibus ma- Coloss. I. 21
F. 122. lis : | nunc autem reconciliati in sanguine carnis eius per mortem ipsius, exhibete *h*) 22.
vos sanctos et inmaculatos et sine crimine coram ipso. Item illic. Nolite mentiri in- III. 9.
vicem: spoliantes vos veterem hominem cum actibus eius; et induite novum, qui 10.
renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius qui illum creavit. Item Pe-
trus apostolus ·I· Gratia vobis et pax adimpleatur in recognitionem *i*) domini nostri I. Petr. I. 2.
Iesu Christi, qui nunc omnia nobis divina virtute sua, quae ad vitam et pietatem perti- 3.
nent, donavit per agnitionem eius qui nos vocavit sua inlustri virtute; per quam *k*) 4.
honorifica et maxima nobis promissa donantur; ut per haec sitis divinae consortes

a) Cod. *frasi*. — *b*) Cod. *emitatus*, ut alibi. — *c*) Ita cod. non sine aliis exemplis in codd. — *d*) Ita cod. etiam alibi. — *e*) Cod. *filius*. — *f*) Ita cod. propter seq. *m*. — *g*) Cod. *delectis*. — *h*) Cod. *exibite*. Sed recte cap. CV. — *i*) Cod. *regionem*. Sed recte cap. CIII. — *k*) Ita cod.

I. Ioh. III. 7. naturae, post evasionem quae est in mundo in cupiditate *a*) perditae vitae. Item Io-
hannis apostolus ·I· Filioli, nemo vos seducat. Qui fecit iustitiam, iustus est; sicut
8. et ille iustus est. Qui facit peccatum, a diabulo est; quia ab initio diabolus *b*) pec-
9. cat. Et in hoc adparuit filius Dei, ut solveret opera diabuli. Omnis qui natus est
ex Deo non peccat, quia semen eius in ipso manet; et non potest peccare, quia de
10. Deo natus est. Hinc apparent filii Dei, et fili *c*) diabuli. Omnis, qui non est iustus,
non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum.

CAPITULUM XCI.

SAPIENTER RESPONDENDUM VERBUM INTERROGANTI.

Eccli. V. 13. In Ecclesiastico. Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intellegas: et cum sa-
Tob. IV. 15. in ital. vet. apud Sabaterium. pientia loquere responsum verum *d*). Item Tobi. Adtende autem fili *e*) in omnibus
operibus tuis, et esto sapiens | in universis sermonibus tuis. Item ad Colossenses. F. 123.
Coloss. III. 16. Sermo Christi habitet in vobis habundanter in omni sapientia et omni intellectu *f*)
spiritali; docentes et castigantes vosmet ipsos psalmis, hymnis, canticis spiritalibus,
17. in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omnia quaecumque facitis in verbo vel
in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo patri per
IV. 6. ipsum. Item illic. Sermo vester in gratia Dei sale sit conditus, ut sciatis quemadmo-
I. Cor. XIV. 12. dum oporteat vos unicuique respondere. Item ad Corinthios ·I· Et vos quoniam ae-
mulatores estis spiritalium, ad aedificationem Ecclesiae quaerite ut abundetis *g*). Item
26. illic. Cum convenitis autem, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet,
I. Petr. III. 15. interpretationem *h*) habet. Omnia ad aedificationem fiant vobis. Item Petrus apostolus
in epistula *i*) ·I· Parati semper ad confesssionem omni poscenti a vobis verbum de
16. fide et spe, quae in vobis est: cum modestia et timore conscientiam habentes bonam,
ut in eo quod detractant *k*) vobis, confundantur, videntes vestram bonam in Chri-
sto conversationem.

CAPITULUM XCII.

DE SERVO FIDELI ET PRUDENTE ET COMMONITIONE DOMINORUM *l*).

Prov. XVII. 2. In Proverbiis. Servus prudens obtinebit dominorum inprudentiam, et inter fratres
XIV. 15. dividit partem. Item illic. Filio doloso nihil erit boni *m*): servo autem sapienti pro-
XVIII. 14? speri erunt actus. Item illic. Iram viri mitigat servus prudens: pusillianimem au-
immo Eccli VII. 22 tem virum quis sufferet? Item illic. Non laedas *n*) servum operantem in veritate,
23. neque mercennarium *o*) dantem animam suam. Item illic. Servus sensatus dilectus sit
tibi quasi anima tua: non defraudes illum libertate, nec inopem relinquas illum.
XXXIII 31. Item in Ecclesiastico. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fra-
32. trem, sic illum tracta, quia in | sanguine animae tuae parasti eum. Si laeseris *p*) illum F. 124.
33. iniuste, et extollens discesserit, quem quaeres *q*)? [et in qua via quaeres] illum?

a) Cod. *cupiditatem*. Sed rectius cap. CIII. — *b*) Ita cod. modo cum *o*, modo cum *u*. — *c*) Ita cod modo *ii* modo *i*. — *d*) Cod. *verbum*. — *e*) Cod. *filii*. — *f*) Cod *intellectus*. — *g*) Ita cod. modo *abund*. modo *habund*. — *h*) Cod. *interpraet*. — *i*) Ita cod., quae est genuina apud veteres huius vocabuli scriptura. — *k*) Cod. *detractandum*. — *l*) Cod. *commonitionem dominicorum*. — *m*) Cod. *bonis*. — *n*) Cod. *ledas*. — *o*) Ita cod. cum duplici *n*, ut alibi. — *p*) Cod. *leseris*. — *q*) Cod. *queres*.

Servo sensato liberi servient, et vir scius non murmurabit. Item Paulus apostolus Eccli. X. 28.
ad Colossenses. Domini quod iustum est et aequum, servis praestate *a*), scientes quo- Coloss. IV. 1.
niam et vos Deum habetis in caelis iustum iudicem. Item ad Ephesios. Et vos do- Ephes. VI. 9.
mini eadem facite ad illos, dimittentes *b*) minas, scientes quod et vester et ipsorum
dominus est in caelis, et personarum acceptio non est aput Deum. Item in Deutero- Deut. XXIII. 15.
nomio. Non tradetis servum domino suo, qui confugit ad vos, sed vobiscum habi- 16.
tabit in omni loco, quocumque placuerit ei, nec tribulabitis eum. Item in Proverbiis. Prov. XXX. 10.
Noli tradere servum in manus domini, ne forte maledicat te, et exterminaris.

CAPITULUM XCIII.

DE COMMONITIONE SERVORUM.

Paulus apostolus ad Ephesios. Servi obaudite dominis carnalibus cum timore et tre- Ephes. VI. 5.
more, in simplicitate cordis vestri *c*), sicut Christo: non ad oculum servientes, non 6.
ut hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex toto animo
cum benivolentia, servientes sicut Domino et non hominibus: scientes quod *d*) unus- 7. 8.
quisque quodcumque fecerit bonum, hoc consequitur a Domino, sive servus sive li-
ber. Item ad Timotheum ·I· Quicumque sub iugo sunt servi, dominos suos *e*) omni I. Tim. VI. 1.
honore dignos habeant; et nomen Domini et doctrina non blasphemetur. Qui au- 2.
tem fideles habent dominos, non contemnant, quod fratres sunt; sed magis ser-
viant, quoniam fideles sunt, et dilecti qui beneficii participes sunt. Item ad Titum. Tit. II. 9.
Servi *f*) dominis suis subditi sint in omnibus, et placeant, non contradicentes, non 10.
fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam salvatoris no-
stri Dei ornent in omnibus. Item Petrus apostolus ·I· Servi obaudite cum omni ti- I. Petr. II. 18.
F. 125. more dominis | nostris *g*), non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis *h*). Haec 19.
est enim gratia aput Deum, si propter conscientiam Dei sustineat quis iniuriam pa-
tiens iniuste. Quae enim gloria est, si peccantes cruciemini et sufferatis? sed si bene 20.
facientes, et patientes iniuriam sustineatis, haec est gratia aput Deum.

CAPITULUM XCIIII.

OBOEDIENDUM REGIBUS ET POTESTATIBUS SAECULI.

Paulus apostolus ad Romanos. Omnibus potestatibus sublimioribus subditi estote: Rom. XIII. 1
non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt a Deo ordinata sunt. Itaque qui 2.
resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnatio-
nem sumunt. Nam principes non sunt timori bono operi, sed malo. Vis autem non 3.
timere potestatem? Quod bonum est fac, et habebis laudem ex illa. Dei enim mi- 4.
nister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gla-
dium portat. Dei minister, vindex est in iram ei qui malum fecit. Ideoque subditi 5.
estote non solum propter iram, sed et propter conscientiam. Ideo tributa pendetis, 6.
ministri enim Dei sunt, ad hoc ipsum servientes. Reddite omnibus debita, cui tri- 7.
butum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem hono-

a) Cod. *prest.* — *b*) Cod. *dimittens.* — *c*) Cod. *vestris.* — *d*) Cod. *quo.* — *e*) Cod. *dominis suis.* — *f*) Cod. *servis.* — *g*) Ita cod. ex mendo graeco frequentissimo ἡμῶν pro ὑμῶν, et vice versa. — *h*) Cod. *discolis.*

Rom. XIII. 8. norem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem vos diligatis. Item ad Titum.
Tit. III. 1. Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, obaudire, ad omne opus bo-
2. num paratos esse, neminem blasphemare, litigiosos *a*) non esse; sed modestos, omnes *b*)
I. Petr. II. 13. ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Item Petrus apostolus ·I· Subiecti
estote omni humanae ordinationi propter Dominum, sive regi tamquam praecellenti,
14. sive ducibus tamquam ab eo *c*) in hoc ipsum missis ad vindictam malorum, lau-
15. dem *d*) vero bonorum. Quoniam sic est voluntas Dei, ut bene facientes obmute-
16. scere faciatis istorum *e*) hominum ignorantiam. Liberi, non ut velamen | malitiae ha- F. 126.
17. bentes libertatem; sed sicut servi Dei, omnes honorate; fraternitatem diligite; Deum
vero timete; regem autem honorificate.

CAPITULUM XCV.

LUMEN ITINERIS NOSTRI ESSE LEGEM DEI.

Ps. XVIII. 9. In psalmo ·XVIII· Praeceptum Domini lucidum inluminans oculos. Item in psal-
CXVIII. 105. mo ·CXVIII· Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis.
Prov. VI. 23. Item in Proverbiis. Quia lucerna est mandatum legis, et lux vitae, et increpatio et
Es. XXVI. 9. disciplina. Item in Esaia propheta. De nocte vigilat spiritus meus ad te, Deus, quia
lux praecepta tua sunt super terram.

CAPITULUM XCVI.

DE MORTE IUSTORUM.

Sap. IV. 7. In libro Sapientiae. Iustus autem si morte praeventus fuerit, in refrigerio erit. Se-
8. nectus enim venerabilis est, non diuturna, nec numero annorum conputata: cani sunt
9. 10. enim sensus hominis, et aetas senectutis vita inmaculata; quae placita Deo facta di-
11. lecta est, et vivens inter peccatores, translata est. Raptus est, ne malitia mutaret
13. intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Item illic. Consummatus au-
14. tem in brevi, replevit tempora longa: placita enim erat Domino anima eius. Pro-
pter hoc properavit educere eum de media iniquitate. Populi autem videntes, et
15. non intellegentes, nec ponentes in praecordiis suis talia, quia gratia Dei et miseri-
16. cordia in sanctos eius, et respectus in electos eius. Condemnat autem iustus mor-
17. tuus vivos impios, et iuventus *f*) celerius consummata longaevitatem *g*) iniusti. Vi-
debunt enim finem sapientis, et non intellegent, quid cogitaverit de illo Deus, et quare
18. munierit illum Dominus. Illos autem Dominus inridebit: et erunt [post] haec deci-
19. dentes *h*) sine honore, in contumelia, inter mortuos in perpetuum. | Item illic. Iusti au- F. 127.
V. 16. tem in perpetuum vivent, et aput Dominum est mercis *i*) illorum, et cogitatio illorum
17. aput Altissimum. Ideo accipiunt regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini:
Iob XXX. 23. quoniam Deus dextera sua teget illos, et bracchio *k*) suo defendet illos. Item Iob.
Apoc. XIV. 13. Mors enim viro iusto requiem dat. Item in Apocalypsi. Et audivi vocem de caelo
dicentem mihi, scribe: beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo etiam dicit

a) Ita heic cod. Alibi *litigosus*. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *habeo* — *d*) Cod. *laude*. — *e*) Cod. *storum*. — *f*) Cod. *inventus*. — *g*) Cod. *longev*. — *h*) Cod. 1. m. *dicentes*; 2. *didicentes*. Sed recte cap. seq. — *i*) Ita cod. ut alibi. — *k*) Ita cod.

Spiritus ut requiescant a laboribus suis. Opera enim eorum sequuntur eos. Item il- immo Eccli. XXII. 11.
lic. Modicum plora super mortuum, quoniam requievit. Item illic. Luctus mortui 13.
septem dies.

CAPITULUM XCVII.

DE MORTE INIQUORUM.

In Ecclesiastico. Cum enim moritur homo nequam, hereditavit *a*) serpentes et be- Eccli. X. 13.
stias *b*) et vermes. Item illic. Stuppa collecta, synagoga peccantium: consummatio XXI. 10.
enim illorum inferi, et flamma ignis. Via peccantium plana ab offensu; et finis il- 11.
lorum, inferi et tenebrae et poenae. Item in libro Sapientiae. Videbunt enim finem Sap. IV. 17.
sapientis, et non intellegent quid cogitaverit de illo Deus, et quare munierit illum
Dominus. Illos autem Dominus inridebit. Et erunt post haec decidentes sine honore 18.
et inter mortuos, in perpetuum. Item in evangelio secundum Lucam. Homo quidam Luc. XVI. 19.
erat dives, et induebatur purpuram et byssum, et epulabatur *c*) cottidie splendide.
Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius ulceribus 20.
plenus, cupiens satorari *d*) ex his quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi da- 21.
bat. Sed et canes veniebant, et lingebant ulcera eius. Factum est autem ut mo- 22.
riretur *e*) Lazarus mendicus, et portaretur ab angelis in sinu *f*) Abrahae. Mortuus
F. 128. est autem et dives, et se|pultus est in infernum *g*). Et elevans oculos cum esset in 23.
tormentis, videt Abraham de longe, et Lazarum in sinu eius requiescentem. Et ex- 24.
clamavit voce magna dicens: pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, et
intinguat summum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior
in hac flamma. Et dixit illi Abraham: recordare, fili, quia percepisti bona in vita 25.
tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Et
super haec omnia, inter vos et nos chaos magnum est, ut qui veniunt ad nos 26.
transire non possint ad vos, neque inde huc transmeare. Et dixit illi: rogo ergo 27.
te, pater, ut mittas in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur 28.
illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et dixit illi Abraham: habent 29.
Moysen et prophetas; audiant illos. Et ille dixit: non, pater Abraham; sed si quis 30.
ex mortuis surrexerit *h*) et abierit ad illos, persuadebit illis, et poenitentiam agent.
Dixit autem illi Abraham: si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex 31.
mortuis surrexerit, credent ei.

CAPITULUM XCVIII.

DE AVARITIA.

In Proverbiis. Qui continet triticum in angustia, relinquet illud inimicis. Pretio *i*) Prov. XI. 26.
gravans triticum, in populo maledictus erit: benedictio autem super caput partici-
pantis. Item in Ecclesiastico. Est qui locupletatur parce agendo, et haec pars mer- Eccli. XI. 18.
cedis illius cum dicit: inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis so- 19.
lus: et nescit, quod tempus praetereat et relinquet *k*) omnia aliis. Item in Abacum 20.

a) Ita cod. *v.* pro *b.* — *b*) Ita heic cod. Alibi *bestea.* — *c*) Cod. *aep.* — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. — *f*) Ita cod. — *g*) Ita cod. — *h*) Cod. *surrexit.* Ita et mox. — *i*) Cod. *praet.* — *k*) Cod. *reliquiet.*

Abac. II. 9. 10. propheta. O qui adquirit avaritiam malam domui suae! Cogitasti confusionem do-
Luc. XII. 13. mui tuae, peccavit anima tua. | Item in evangelio secundum Lucam. Ait quidam de F. 129.
14. turba ad Iesum: magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem. Dixit au-
tem illi Iesus: homo, quis me constituit iudicem aut divisorem supra vos? Et ait
ad illos: videte et cavete ab omni avaritia, quia non in habundantia cuiusquam vita
16. eius est, ex his quae possidet. Dixit autem ad illos et similitudinem. Hominis cu-
17. iusdam divitis uberes fructus possessio adtulit. Et cogitavit aput se dicens, quid fa-
18. ciam, quia non habeo quo colligam fructus *a*) meos. Et dixit: hoc faciam; distru-
19. am *b*) horrea mea, et maiora faciam illa, et illic colligam omnes fructus meos, et
20. dicam animae meae: habes multa bona in annos multos, epulare *c*). Dixit autem
illi Deus: stulte, hac *d*) nocte animam tuam repetunt a te: quae autem praepa-
21. rasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thensaurizat, et non est in Deum dives. Item
I. Tim. VI. 7. Apostolus ad Timotheum ·I· Nihil intulimus in hunc mundum; verum quia nec au-
8. ferre possumus. Habentes autem victum et vestitum, his contenti simus. Nam qui
9. volunt divites fieri, incedunt *e*) in temptationem et laqueum diabuli, et desideria
multa, quae nihil prosunt et nocent, quae dimergunt *f*) hominem in interitum et
10. perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes,
11. naufragaverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem homo Dei haec fuge.

CAPITULUM XCVIIII.

DE SACRIFICIO SPIRITALI.

Ps. IV. 6. In psalmo ·IIII· Sacrificate sacrificium iustitiae, et sperate in Domino. Item in psal-
XLIX. 14. mo ·XLVIIII· Inmola Deo tuo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua: in-
23. voca me in die tribulationis tuae, et eripiam te, et glorificabis me. Item illic. Sacri-
ficium laudis honorificavit me: illic est iter, quod *g*) ostendam illi salutarem *h*) meum.
L. 19. Item in psalmo ·L· Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humi-
XCV. 7. liatum Deus non spernit. Item in psalmo ·XCV· Adferte Domino patriae gentium,
8. adferte Domino gloriam et honorem, adferte Domino gloriam nomini eius. Tollite
9. hostias, et introite in atria eius, adorate Dominum in aula sancta eius. Item in Ec-
immo Eccli. XXXV. 2. clesiaste. Sacrificium salutare, adtendere mandatis, et discendere *i*) ab omni ini- F. 130.
immo Prov. XVI. 5. quitate. | Item illic. Initium viae iustae, faciens *k*) bona: accepta sunt aput Deum
magis, quam immolare hostias.

CAPITULUM C.

QUOD UNUSQUISQUE SUO OPERE IUDICETUR.

Ps. IX. 16. In psalmo ·VIIII· Infixae sunt gentes in interitum quem fecerunt; in laqueo isto,
17. quem occultaverunt, conpraehensus est pes eorum. Cognoscitur Dominus iudicia fa-
Prov. II. 22. ciens in operibus manuum *l*) suarum conpraehensus est peccator. Item in Prover-
V. 22. biis. Sua enim impietate suam animam auferunt. Item illic. Iniquitates virum ca-
23. piunt: restibus autem peccatorum suorum unusquisque constringitur. Hic moritur

a) Cod. *fructos*; sed mox *fructus*. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *aep*. — *d*) Cod. *ac*. — *e*) Ita cod. — *f*) Ita cod. — *g*) Ita cod. — *h*) Ita cod. — *i*) Ita cod. — *k*) Ita cod. — *l*) Cod. *manum*.

cum innumerabilibus, quoniam sine disciplina est: de multitudine autem vitae suae
proiectus est, et periit propter stultitiam. Item in libro Sapientiae. Ut scirent quia Sap. XI. 17.
per quae peccat quis, per haec et torquetur. Item illic. Homo autem se occidit XVI. 14.
per malitiam suam. Item in evangelio secundum Matthaeum. Ex sermonibus tuis iu- Matth. XII. 37.
stificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. Item secundum Iohannem. Qui autem Ioh. III. 18.
non credit, iam iudicatus est. Item in Levvitico. Ex fratribus autem vestris filiis Lev. XXV. 46.
Israhel unusquisque fratrem suum non deprimat in suspiriis. Item in Ecclesiastico. Eccli. VIII. 6.
Ne dispicias *a*) hominem avertentem se a peccato: memento quoniam omnes sumus
in correptionem. Item illic. Sicut aves volantes passeres, ita maledictum vanum non immo Prov. XXVI. 2.
superveniet ulli.

CAPITULUM CI.

QUOD DOMINUS IN SUO ARBITRIO RELIQUERIT HOMINEM NEC VELLET *b*) QUEMQUAM *c*) PERIRE.

In Ecclesiastico. Dominus ab initio constituit hominem, et reliquid *d*) illum in ar- Eccli. XV. 14.
bitrio suo. Adiecit mandata et praecepta, si volens mandata servare, et fidem pla- 15.
citam facere. Adposuit aquam, et ignem; ad quod vis exporrige manum tuam. Ante 17. 18.
hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi. Item illic. 21.
Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit laxamentum peccandi. Item Apo-
stolus ad Titum. Hoc enim bonum et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui immo I. Tim. II. 3. 4.
omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. Item Iacobus apo- Iac. IV. 1.
stolus. Unde bella? unde rixae in vobis? nonne de voluntatibus vestris quae mili- 2.
tant in membris vestris, et sunt vobis suavissima *e*)?

CAPITULUM CII.

DE TRISTITIA DELICTI *f*).

In Proverbiis Sicut tinea *g*) vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viro *h*) nocet cor. Prov. XXV. 20.
Item illic. Cor laetum bonam valitudinem facit: viri autem tristis arescunt ossa. Item XVII. 22.
in Ecclesiastico. Beatus vir qui non est lapsus verbo oris sui, et non est stimulatus Eccli. XIV. 1.
in tristitia delicti *i*)! Felix qui non habuit moestitiam *k*) et non excidit ab spe sua! 2.

CAPITULUM CIII.

F. 131. QUOD IN BAPTISMO OMNIA PECCATA DIMITITANTUR *l*) ET QUOD IN NOVITATE VITAE AMBULANDUM SIT.

Paulus apostolus ad Romanos. Commendat autem suam caritatem Deus in nobis: Rom. V. 8.
quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis passus est, multo 9.
magis nunc reconciliati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim 10.
cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem fili *m*) eius, multo ma-

a) Ita cod. — *b*) Cod. *vellit*. — *c*) Cod. *quemqua*. — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *delecti*. Sic et mox. — *g*) Cod. *inea*. — *h*) Ita cod. — *i*) Cod. *delecti*. — *k*) Cod. *mest*. — *l*) Ita cod. 2. m., at 1. *dimittuntur*. — *m*) Ita cod.

Rom. VI. 3. gis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Item illic. An ignoratis, fratres, quod
4. quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus? Ergo
cum illo sepulti sumus per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit ex
5. mortuis, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim conplantati facti sumus simi-
6. litudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus. Scientes, quia vetus homo noster
simul crucifixus est, ut destruatur *a*) corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.
7. 8. Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo,
9. credimus quia etiam simul vivemus cum eo. Scientes quod Christus surgens ex mortuis,
10. iam non moritur; mors in eum iam non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato,
11. mortuus est semel: quod autem vivit, [vivit] Deo. Ita et vos existimate vos mortuos esse
VII. 25. peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu. Item illic. Igitur ego ipse mente servio
VIII. 1. legi Dei, carne autem legi peccati. Nihil ergo *b*) nunc damnationis est his qui sunt in
2. Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitae in Christo
XII. 1. Iesu liberavit te a lege peccati et mortis. Item illic. Obsecro autem vos, fratres, per mi-
sericordias Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo pla-
2. centem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari *c*) huic saeculo, sed
reformamini in novitate mentis vestrae, ut probetis vos quae sit voluntas Dei, et
I. Cor. V. 6. quod bonum et bene placitum et perfectum est. Item ad Corinthios [·I·] Nescitis, quia
7. pusillum fermentum totam massam fermentat? Expurgate vetus fermentum, ut sitis
nova consparsio *d*), sicut estis azymi *e*). Nam et pascha nostrum immolatus est Chri-
8. tus. Itaque sollemnitatem celebremus non in fermento veteri, neque in fermento ma-
VI. 9. litiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis. Item illic. Nolite errare:
10. neque fornicarii, neque idola colentes, neque molles, neque adulteri, neque mascu-
lorum concubitores, neque fures, neque avari, non ebriaci, non maledici, non ra-
11. paces regnum Dei possidebunt. Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sancti-
ficati estis in nomine domini nostri | Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. Item ad F. 132.
Ephes. IV. 17. Ephesios. Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut iam non sic amplius ambule-
18. tis, sicut gentes ambulant in vanitatem *f*) mentis suae, tenebris obcaecatum habentes
intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam quae est in illis, propter caecitatem
19. cordis eorum. Qui desperantes, semet ipsos tradiderunt inpudicitiae, in operatio-
20. nem inmunditiae omnis et avaritiae. Vos autem non ita didicistis *g*) Christum; si
21. tamen illum audistis, et in ipso docti estis, sicut est veritas in Iesu: ut depona-
22. tis secundum priorem conversationem veterem hominem, qui conrumpitur secundum
23. desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestrae: induite novum hominem,
24. qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate et veritate. Item Petrus apo-
II. Petr. I. 2. stolus ·II· Gratia vobis et pax adimpleatur in recognitionem domini nostri Iesu *h*) Chri-
3. sti, qui nunc omnia nobis divina virtute sua, quae ad vitam et pietatem pertinent,
4. donavit per agnitionem eius: qui nos vocavit sua inlustri virtute, per quam *i*) hono-
rifica et maxima nobis promissa donantur: ut per haec sitis divinae consortes na-
5. turae, post evasionem, quae est in mundo in cupiditate perditae vitae. Sed et vos
6. properate omnes, subferentes in fide virtutem, in virtute scientiam, in scientia absti-
7. nentiam *k*), in patientia pietatem, in pietate amicam fraternitatem, in affectione
8. fraternitatis caritatem. Haec vobis cum sint et superent, ut non vacui nec sine fru-

a) Ita heic recte cod. *dest.* — *b*) Cod. *ego.* — *c*) Cod. *confirmari.* — *d*) Cod. *conspartio.* — *e*) Cod. *azimi.* Sic et mox. — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *dedicistis.* — *h*) Cod. *Iesus.* — *i*) Ita cod. — *k*) Hic mendose in cod. inseritur *patientiam.*

tibus inveniamini in *a*) domini nostri Iesu Christi recognitione. Cui autem non prae- II. Petr. I. 9.
sto sunt haec, caecitatem autem vanitatem et oblivionem accepiet *b*) si non purge-
tur priorum delictorum contagione.

CAPITULUM CIIII.

DE SUBSTANTIA DEI.

In psalmo ·LXVIII· Infixus sum in limum profundi, et non est substantia. Item in Ps. LXVIII. 3.
Hieremia propheta. Non audierunt vocem substantiae: a volatilibus caeli usque ad Hier. IX. 10.
pecora, mente exciderunt et perierunt. Item illic. Quoniam quis stabit in substan- XXXIII. 22.
tia mea? Et si audissent verba mea, et si docuissent populum meum, avertissem illos
a pessimis adinventionibus *c*) suis.

CAPITULUM CV.

ADSUMENDA ARMA SPIRITALIA CONTRA NEQUITIAS SPIRITALES.

In Deuteronomio. Si autem exieris conmittere bellum adversus inimicos tuos, et cu- Deut. XXIII. 9.
stodies te ab omni re mala. Item Apostolus ad Romanos. Igitur non regnet pecca- Rom. VI. 12.
tum in vestro mortali corpore, ut obaudiatis ei. Sed neque exhibeatis membra ve- 13.
stra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes,
et membra vestra arma iustitiae Deo. Item ad Corinthios ·II· In carne enim ambu- II. Cor. X. 3.
F. 133. lantes, non secundum carnem militamus. Arma | enim militiae nostrae non carnalia, 4.
sed potentia Deo, ad distructionem *d*) munitionum, consilia distruentes, et omnem 5.
exaltationem extollentem se *e*) adversus scientiam Dei, in captivitatem redigentes om-
nem cogitationem, in obsequium Christi perducentes. Item ad Ephesios. De cetero Ephes. VI. 10.
confortamini in Domino, et in potestate virtutis eius. Induite vos arma Dei, ut possi- 11.
tis resistere adversus insidias diabuli. Quoniam non est vobis conluctatio adversus 12.
carnem et sanguinem, sed adversus potestates, adversus huius mundi rectores tene-
brarum harum, adversus spiritalia nequitiae in caelestibus. Propterea induite vos 13.
arma Dei, ut possitis resistere in die malo: et in omnibus perfecti estote, praecincti 14.
lumbos vestros in veritate, et induti loricam iustitiae, et calciati pedes in praepa- 15.
ratione evangelii pacis: in omnibus adsumentes scutum fidei, in quo possitis omnia 16.
iacula candentia nequissimi extinguere *f*): et galeam salutis, et gladium spiritus, quod 17.
est verbum Dei: per omnem orationem et obsecrationem orantes in omni tempore 18.
in spiritu, et in ipsum vigilantes semper in omni oratione pro omnibus sanctis. Item
ad Thessalonicenses ·I· Non dormiamus, sed vigilemus et subrii *g*) simus. Nam qui I. Thess. V. 6. 7
dormiunt, nocte dormiunt; et qui inebriantur *h*), nocte *i*) ebrii sunt. Nos autem 8.
cum diei simus, induti loricam fidei et caritatis, et galeam et spem salutis. Quo- 9.
niam non posuit nos Deus in iram, sed in adquisitionem *k*) salutis, per dominum
nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis; ut sive vigilemus, sive dor- 10.
miamus, simul cum illo vivamus.

a) Heic item mendose inseritur *nomine*. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *adventionibus*. Gr. ἐπιτηδευμάτων, vulg. *cogitationibus*. — *d*) Ita cod. — *e*) Cod. *sed*. — *f*) Cod. *extinquere*. — *g*) Ita cod. — *h*) Cod. *inaebr*. — *i*) Cod. *note*. — *k*) Cod. *adquissitionem*.

CAPITULUM CVI.

FACIENDUM PRIUS, ET SIC DOCENDUM *a*).

Matth. V. 19. In evangelio secundum Matthaeum. Quicumque enim *b*) solverit ex mandatis istis mi-
nimis, et sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno caelorum: qui autem
VII. 21. fecerit, et sic docuerit, magnus vocabitur in regno caelorum. Item illic. Non omnis
qui mihi dicit, Domine Domine, intrabit in regno *c*) caelorum, sed qui facit volun-
Rom. II. 13. tatem patris mei, qui est in caelis, ipse intrabit in regno caelorum. Item ad Ro-
manos. Non enim auditores legis iusti sunt aput Deum; sed qui faciunt legem, iustifica-
I. Cor. IX. 26. buntur aput Deum. Item ad Corinthios. ·I· Ego igitur sic curro, non quasi in incer-
27. tum: sic pugno, non quasi aerem caedens; sed lividum facio corpus meum, et ser-
vituti *d*) subicio, ne dum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. Item ad Ro-
Rom. II. 1. manos. Propterea inexcusabilis es homo omnis qui iudicas: in quo enim de alio iu-
2. dicas, te ipsum damnas; eadem enim agis qui *e*) iudicas. Scimus autem quia iudicium
3. Dei est | secundum veritatem in eos qui talia agunt. Aestimas autem hoc, homo, tu F. 134.
qui iudicas de his qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?

CAPITULUM CVII.

NON HABENDAM SPEM IN HOMINE.

Ps. CXVII. 8. 9. In psalmo ·CXVII· Bonum est sperare Domino, quam sperare in homine: bonum est
CXLV. 2. confidere in Domino, quam confidere in principibus. Item in psalmo ·CXLV· No-
3. lite confidere in principibus, neque in filiis hominum, quibus non est salus. Item
Hier. XVII. 5. in Hieremia propheta. Maledictus homo qui spem habet in homine, et confirmave-
rit carnem brachii sui, et a Deo recesserit cor eius. Item illic *f*). Qui confidunt in ho-
Mich. VII. 4. mine, maledicti sunt, quoniam Deus nihil fecit illos. Item in Michaea propheta. Vae!
5. ultiones enim tuae venerunt, nunc erunt probationes eorum. Nolite fidere in ami-
I Ioh. IV. 18. cis, neque speretis in ducibus. Item Iohannis apostolus. Timor non est in caritate,
sed perfecta caritas foras mittit timorem: quoniam timor poenam habet; qui autem
timet, non est perfectus in caritate.

CAPITULUM CVIII.

CONSOLANDOS *g*) LUGENTES VEL VISITANDOS INFIRMOS.

Eccli. VII. 38. In Ecclesiastico. Non desis plorantibus in conrogatione, et cum lugentibus ambula.
39. Non pigriteris visitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis. Item Aposto-
Rom. XII. 15. 16. lus ad Romanos. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: id ipsum invicem
sentientes.

a) Cod. heic *dicendum*, sed recte in indiculo. — *b*) Cod. *non* pro *enim*. — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. *servitutis*. — *e*) Ita cod, non *quae*. — *f*) Quaerendus locus. — *g*) Cod. *consulendos*.

CAPITULUM CVIIII.

NON DICENDUM MALUM, BONUM; NEQUE BONUM, MALUM.

In Proverbiis. Qui iustum iudicat iniustum, iniustum autem iustum, abominabilis Prov. XVII. 15.
est apud Deum. Item illic. Qui dicit iustum impium esse, maledictus erit populis et XXIV. 24.
odibilis gentibus: nam qui arguunt, meliora sperabunt. Item in Esaia propheta. Vae Es. V. 20.
his qui dicunt quod malum est bonum, et quod bonum est malum; qui dicunt tenebras lucem, et lucem tenebras; qui ponunt amarum dulce, et dulce amarum.

CAPITULUM CX.

ABSTINENDUM DELICIIS.

In Ecclesiastico. Qui in deliciis est a puero, servus erit: novissime autem dolebit Immo Prov. XXIX. 21.
super se. Item in Amos propheta. Qui dormitis in lectis eburneis, et deliciamini su- Amos VI. 4.
per thoros eorum; qui manducatis haedos *a*) de gregibus, et vitulos de armentis
lactantes; qui plaudetis *b*) ad sonum organorum. Sicut sempiterna aestimaverunt ea, 5.
et non quasi fugientia. Unguuntur et non dolebant nihil in interitum Ioseph. Item 6.
apostolus Paulus ad Romanos. Non ergo blasphemetur *c*) bonum nostrum: non est Rom. XIV. 16
enim regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto. 17.
Nam qui in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. Itaque quae pa- 18.
cis sunt, sectemur; et quae aedificationis sunt, invicem custodiamus. Nolite propter 19.
F. 135. escam distruere *d*) | opus Dei. Omnia quidem munda sunt, sed malum est homini qui 20.
per offensionem manducat. Bonum est non manducare carnem, et non bibere vi- 21.
num, neque in quo frater tuus scandalizatur aut offenditur aut infirmus est. Item
ad Corinthios ·I· Omnis *e*) autem qui in agone contendit, ab omnibus continens est. I. Cor. IX. 25.
Et illi quidem ut corruptivilem *f*) coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego 26.
igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem caedens; sed 27.
lividum facio corpus meum et servituti *g*) subicio, ne forte cum aliis praedicave-
rim ipse reprobus efficiar. Item ad Timotheum ·I· Quae autem vere vidua est et de- I. Tim. V. 5.
solata, sperat in Deum, et instat orationibus nocte et die: quae autem in deliciis 6.
agit, vivens mortua est. Item illic. Adulescentiores autem viduas devita: cum enim 11.
in deliciis egerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam 12.
fidem inritam fecerunt. Item in epistola Iacobi apostoli. Et vos deliciati estis super Iac. V. 5.
terram, et luxoriati *h*) estis, creastis *i*) autem corda vestra in die occisionis. Item in
Hieremia propheta. Qui manducant iucunditates, interierunt in excessu: qui volutant su- Thren. IV. 5.
per coccinea, amplexi sunt stercora. Item Petrus apostolus ·II· Nam si angeli fortitudine II. Petr. II. 11
et virtute cum sint maiores, non portant Domini exsecrabile iudicium; hii vero qui ve- 12.
lut pecora naturaliter in luem et perniciem nati, et ipsi quia ignorant exsecrantur, in pe-
riculo suo perient *k*), recipientes mercedem iniustitiae, dulcedinem aestimantes maligni- 13.
tatem, deliciis coinquinati et infamati in summis voluptatibus, conviviis adtenti, oculos 14.
habentes adulteros et incessabiles delictis *l*), refigurantes spiritu stabilitos et cor exer-
citatum; cupidi et maledicti, fili *m*) abrelicti, qui a via veritatis exerraverunt. 15.

a) Cod. *hedos* — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *blasf.* — *d*) Ita cod. — *e*) Cod. *omnes.* — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *servitutis.* — *h*) Ita cod. — *i*) Ita cod. Gr. ἐνεθρέψατε, unde vulg. *enutristis.* — *k*) Ita cod. — *l*) Cod. *delectis.* — *m*) Ita cod.

CAPITULUM CXI.

ERIPIENDOS POSITOS IN NECESSITATE ET IN TRISTITIA.

Prov. XXIV. 11. In Proverbiis. Erue eos qui ducuntur in mortem, et redimere *a*) qui interficiuntur ne
12. parcas. Si autem dixeris: non novi hunc; scito quia Dominus corda omnium novit;
et qui finxit spiritum omnium, ille scit omnia, qui reddit unicuique secundum
Eccli. IV. 9. opera eius. Item in Ecclesiastico. Libera eum, qui iniuriam patitur, de manu pro-
10. tervi, et non aegre feras in anima tua. In iudicando esto populis misericors ut pa-
11. ter, et pro viro matri illorum; et eris velut filius Altissimi obaudiens, et misere-
Es. I. 17. bitur tui magis quam mater. Item in Esaia propheta. Inquirite iudicium, eripite
18. iniuriam accipientem, iudicate pupillo, et iustificate viduam. Et venite disputemus,
19. dicit Dominus: et si fuerint peccata vestra ut phoenicium *b*), ut nivem dealbabo:
Hier XXI. 12. si autem ut coccum, ut lanam candidam efficiam. Item in Hieremia propheta. | Eri- F. 136.
Prov. XXX. 10. pite direptum de manu iniuriantis eum. Item in Proverbiis. Nolite tradere servum
Ps LXXXI. 4. in manus Domini, ne forte maledicat te, et extermineris. Item in psalmo ·LXXXI·
Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.

CAPITULUM CXII.

VINEAM APPELLARI HOMINEM, POPULOS, VEL GENTES.

Lev. XIX. 19. In Levvitico *c*). Non seminabis vineam tuam ob duplicem fructum, et vestimentum
Deut XXXII. 32. ex duplici textura, exsecrabile non cooperies *d*) te. Item in Deuteronomio. Ex vinea enim
Sodomorum vitis eorum, et propago illorum ex Gomorrha: uva eorum, uva fellis,
Ps LXXIX. 9. botrus amaritudinis in ipsis. Item in psalmo ·LXXVIIII· Vineam de Aegypto trans-
10. tulisti, eiecisti gentes, et plantasti eam: viam fecisti in conspectu eius, et planta-
11. sti radices eius et replesti eam. Operuit montes umbra eius, et arbusta eius ce-
12. dros *e*) Dei. Extendisti palmites eius usque ad mare, et usque ad flumina propagi-
13. nes eius. Ut quid destruxisti maceriam *f*) eius, et vindemiant eam qui transeunt viam?
14. Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam. Deus virtu-
15. 16. tum converte nunc, respice de caelo et vide et visita vineam istam, et dirige eam
Cant II. 13. quam plantavit dextera tua. Item in Cantica Canticorum. Vineae in odorem floruerunt,
VIII. 5. et omni loco odor. Quaenam est haec quae discendit a deserto? Sicut vitis propago
Es. V. 5. fumo incensa odorificatur. Item in Esaia propheta. Nunc autem nuntiabo vobis quid
faciam vineae meae. Auferam maceriam eius, et erit in direptionem *g*), et distruam
V. 7. parietem eius et erit in conculcationem. Item illic. Vinea enim Domini sabaoth, do-
mus est Israhel: et homo Iuda, novellum dilectum. Sustinui ut faceret uvam, fecit
Prov. XXIV. 30. autem spinas. Item in Proverbiis. Tamquam ager vir insipiens, et sicut vinea homo
31. cui deest prudentia: si reliqueris eum, inplebitur spinis, et in foenum fiet, et erit de-
Hier XII. 10. sertus, et maceriae parietum eius effodientur. Item in Hieremia propheta. Pasto-
res multi exterminaverunt vineam meam, et contaminaverunt portionem meam, de-
II. 21. derunt partem meam concupiscivilem *h*) in desertum. Item illic. Ego te plantavi vi-
tem universam fructiferam veram, quomodo conversa es in amaritudinem vitis alie-

a) Cod. *redime*. — *b*) *foenicium*. — *c*) *Levvita* cum duplici *vv*. legitur in antiquo musivo arcus maioris intra templum sancti Laurentii extra muros. — *d*) Cod. *coopcris*. — *e*) Cod. *caedros*, ut saepe alibi. — *f*) Cod. *macheriam*. Sic infra. — *g*) Cod. *direptione*. — *h*) Ita cod.

nae? Item in Osee propheta. Vinea in maceria bona Israhel, fructus eius uberri- Os. X. 1.
mus secundum multitudinem fructuum suorum. Item in Iohel propheta. Ascendit su- Iohel. I. 6.
per terram meam gens valida et innumerabilis: dentes eius sicut dentes leonis, et
molares eius sicut catuli leonum. Posuit vineam meam in exterminium, et ficus meas 7.
in confractionem; scrutans scrutinavit, et proiecit; et exaltavit vites suas. Item in
evangelio secundum Matthaeum. Ait Iesus: simile est regnum caelorum homini patri- Matth. XX. 1
familias, qui prodivit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventio- 2.
ne autem facta cum operariis ut singulis denariis diurnis operarentur, misit illos in
F. 137. vineam suam. Et egressus circa | horam tertiam, vidit alios stantes *a*) operarios in 3.
foro otiosos; et ait illis: ite et vos in vineam meam, et quod iustum fuerit dabo 4.
vobis *b*). Et illi abierunt. Et iterum prodivit circa horam sextam et nonam, et idem 5.
fecit. Sed et circa undecimam horam egressus est, et invenit alios stantes, et ait il- 6.
lis: quid hic statis tota die otiosi? Et illi dixerunt: quia nemo nos conduxit. Et ait 7.
illis: ite et vos operamini in vineam. Vespera autem facta, dixit dominus vineae 8.
procuratori suo: voca operarios, et redde illis mercedem, initium faciens a novis-
simo usque ad primos. Item illic. Et ait illis: aliam parabolam audite. Homo qui- XXI. 33.
dam erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et saepem illi circumdedit, et fodit
in ea *c*) lacum, et aedificavit in ea turrem, et locavit illam colonis, et peregre
profectus est. Cum autem adpropinquasset tempus frugum, misit servos suos ad cul- 34.
tores vineae, ut acciperent fructum vineae. Et adpraehensis servis coloni, alium qui- 35.
dem caederunt *d*), alium vero occiderunt, alium vero lapidaverunt. Et iterum mi- 36.
sit alios servos plures prioribus, et similiter fecerunt. Postremo autem misit filium 37.
suum unicum dicens, reverebuntur filium meum. Illi autem dixerunt intra se: hic 38.
est heres, venite occidamus eum, et possideamus hereditatem eius. Et adpraehen- 39.
sum eum eiecerunt extra vineam, et occiderunt eum. Cum ergo venerit dominus vi- 40.
neae, quid faciet colonis? Et illi dixerunt: malos male perdet, et vineam suam tra- 41.
det aliis cultoribus, qui reddant illi fructum in temporibus suis.

CAPITULUM CXIII.

QUOD SANCTI HOMINES IN SIMILITUDINEM NUBIUM SINT VOCATI.

In Deuteronomio. Expectetur sicut pluvia eloquium meum, et discendant sicut ros Deut. XXXII. 2
verba mea, sicut imber super gramen, et sicut nix super foenum *e*) Item in Esaia Es. V. 6.
propheta. Et in nubibus mandabo ne pluant super eam pluviam. Item illic. Dele- XLV. 8.
ctetur *f*) caelum de summo, et nubes rorent iustitiam, producat terra misericordiam
et iustitiam simul. Item illic. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et sicut columbae LX. 8.
cum pullis suis ad me veniunt? Item Iudas apostolus de impiis. Nubes sine aqua, Iud. V. 12
vento circumferendae.

CAPITULUM CXIIII.

QUOD HOMINES ARBORUM FERANT IMAGINEM, ET FOENI, ET OMNIS AVIS, ET BESTIARUM.

In psalmo ·XXVIII· Vox Domini praeparantis cedros *g*), et revelavit condensa. Item Ps. XXVIII. 9.
in psalmo ·LI· Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini. Item in psalmo ·XCI· LI. 10

a) Cod. *stantem*. — *b*) Cod. *vos*. — *c*) Cod. *in eam*. — *d*) Cod. *cederunt*. — *e*) Cod. hoc loco *faenum*. Sed *foenum* pluries cap. seq. — *f*) Ita cod. Sed dic *dilatetur*. — *g*) Ita heic cod. sine diphthongo. Porro de *cedros*, cui favet syrus, pro *cervos*, adi varias lectiones apud Sabaterium.

Ps. XCI. 13. 14. Iustus ut palma floriet *a*), et sicut cedrus quae in Li|bano est multiplicabitur. Plan- F. 138.
CXXVII. 3. tati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. Item in psalmo ·CXXVII·
Os. II. 18. Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae. Item in Osee propheta. Et
disponam illis in illa die testamentum cum besteis *b*) agri, et cum volatilibus cae-
li, et cum serpentibus terrae, et orietur sicut gramen iudicium in incultum. Item
Ezech. XVII. 22. in Ezechiel propheta. Et accipiam ego mihi de electis cedri, et de vertice cordis
23. eorum evellam plantationem; et plantabo illud in monte alto Israhel, et plantabo
illud et producet propaginem; et faciet fructum, et erit in cedrum magnam, et
requiescet sub ea omnis avis, et omne *c*) volatile sub umbra eius requiescet, et
24. propagines eius restituentur. Et cognoscent omnia ligna campi, quia ego sum Do-
minus qui humilio lignum altum, et exalto lignum humile *d*), et arefacio lignum
Is. XL. 6. 8. viride *e*), et revirescere facio lignum aridum. Item in Esaia propheta. Omnis caro foe-
num, et omnis gloria hominum ut flos foeni aruit. Foenum et flos decidit, verbum au-
XLIII. 19. tem Domini manet in aeternum. Item illic. Ecce faciam nova quae nunc orientur, et fa-
20. ciam in deserto viam, et in sicca terra flumen. Benedicent me bestiae agri, sirenes, et
filiae passerum, quod dederim in deserto aquam, et flumina in sicca terra ad potan-
21. dum. Genus meum electum, populum quem mihi adquisivi, ut enarret *f*) virtutes meas.
XLIV. 3. Quoniam ego dabo aquam in sitim, qui ambulant in siccitate: et ponam spiritum me-
4. um in semine tuo, et orietur ut *g*) foenum in medio aquae, et sicut salix secus flumina
Ps. CII. 15. aquae, et omnia ligna agri plaudent ramis. Item in psalmo ·CII· Homo sicut foenum
CXXVIII. 6. dies eius, et sicut flos foeni ita aruit. Item in psalmo ·CXXVIII· Fiant sicut foenum ae-
Os. XIV. 6. dificiorum, quod prius quam evellatur arescet. Item in Osee propheta. Floriet ut li-
7. lium, et mittet radices suas sicut thus: extendentur rami illius, et erit velut oliva
9. fructifera, et odor eius sicut thuris. Et ego confirmabo eum sicut iuniperum matu-
Dan. IV. 17. riscens *h*): ex me inventus est fructus tuus. Item in Danihel propheta. Dixit Danihel
ad Nabucodonosor: arborem quam *i*) vidisti confirmatam et magnificatam, cuius al-
18. titudo perveniebat usque ad caelum, et latitudo eius in universa terra, et folia eius
lata, et fructus eius multus, et cibus omnium in ea, et subtus habitabunt bestiae
19. terrae, et in ramis eius aves caeli: tu es, rex, quoniam magnificatus es, et po-
tentiam accepisti; et magnitudo tua magnificata est, et pervenit usque ad caelum,
VIII. 4. et dominatio tua usque ad fines terrae. Item illic. Vidi arietem cornibus percutien-
tem secundum mare et aquilonem et austrum: et omnes bestiae non stabant in con-
Ezech. XXII. 25. spectu eius, et non erat qui eriperet de manu *k*) eius. Item in Ezechiel propheta.
| Principes in medio eius, sicut leones rugientes rapere, animas hominum devoran- F. 139.
27. tes in potentia sua. Item illic. Principes eius in medio eius, sicut lupi rapientes ra-
Eccli. IV. 35. pinas ad effundendum sanguinem, ut avaritia possideantur. Item in Ecclesiastico.
Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subiectos
Ps. XXI. 13. tibi. Item in psalmo ·XXI· Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsede-
14. runt me: aperuerunt in me os suum, sicut leo rabiens *l*) et rugiens. Item in evan-
Matth. III. 7. gelio secundum Matthaeum Iohannis baptista. Videns autem multos ex Pharisaeis et
Sadducaeis venientes ad baptismum suum, dixit ad eos: progenies viperarum, quis
8. demonstravit vobis fugire *m*) ab ira ventura? Facite ergo fructus dignos poenitentiae.

a) Ita cod., etsi paulo infra *florebunt*. Rursus *floriet* in hoc capitulo ex Osea. Ne autem *floriet* librarii mendum putemus, vetat S. Augustinus qui de doctr. christ. II. 13. testatur ita aetate sua cantari solitum a populo christiano. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *omnes*. — *d*) Cod. *humilem*. — *e*) Cod. *viridem*. — *f*) Cod. *ennarret*. — *g*) Cod. *et*. — *h*) Ita cod. — *i*) Cod. *quem*. — *k*) Cod. *manus*. — *l*) Ita cod. non *rapiens*. — *m*) Ita cod. ut alibi.

Et ne dixeritis, patrem habemus Abraham: dico enim vobis, potens est Deus de Matth. III. 9.
lapidibus istis suscitare filios Abrahae. Iam enim securis ad radicem arboris posita 10.
est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in igne *a*) mittitur. Item illic. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo pru- X. 16.
dentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae. Item illic. Aut facite arborem XII. 33.
bonam et fructum eius bonum, aut facite arborem malam et fructum eius malum.
Nam ex fructu arboris cognoscitur *b*). Generatio serpentum *c*), quomodo potestis quae 34.
bona sunt loqui, cum sitis mali? Item in Esaia propheta. In tribulatione et angu- Es. XXX. 6.
stia leo, et catulus leonis, inde *d*) et aspides, et progenies aspidum, qui ferebant in asinis et camellis *e*) divitias ad gentes, quae non proderit *f*) illis. Item in
Hieremia propheta. Ovis errans Israhel: leones expulerunt eum: primus comedit Hier. L. 17.
eum rex Assyriorum, et novissimus ossa eius rex Babylonis. Item illic. Sicut leo- LI. 38.
nes exsurrexerunt, et sicut catuli leonum: in calore suo dabo illis poculum et inebriabo eos, ut soporentur, ut dormiant somnum aeternum, et non surgant, dicit Dominus.

CAPITULUM CXV.

NON MURMURANDUM.

In Exodo. Propter quod audivit Dominus murmurationem vestram, quod murmu- Exod. XVI. 8
rastis ad nos. Non enim ad nos est murmuratio vestra, sed adversus Deum.

CAPITULUM CXVI.

HOMINES *g*) IN SIMILITUDINEM STELLARUM VOCARI.

In Genesi. Eduxit autem Abraham foras, et dixit illi: respice in caelum et numera Gen. XV. 5.
stellas, si potes numerare eas; sic erit semen tuum. Item in psalmo ·CXLVI· Qui nu- Ps. CXLVI. 4.
merat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocans. Item in Hieremia pro- id est Baruch. III. 34.
pheta. Stellae autem lumen dederunt in vigiliis suis, et laetatae sunt. Vocabis eas, 35.
F. 140. et dixerunt, adsumus: et fulserunt cum laetitia. | Item in Danihel propheta. Et hii Dan. XII. 3.
qui intellegunt, splendebunt sicut claritas firmamenti, et a iustis multi quasi stellae
in saeculo. Item in libro Iudicum. Stellae ex ordine expugnaverunt Sisaram. Item Iudic. V. 20.
in Naum propheta. Multiplicasti negotiatores tuos sicut stellas caeli. Item Apostolus Naum III. 16
ad Corinthios ·I· Stella enim ab stella differt in claritate, ita et resurrectio mortuo- I. Cor. XV. 41. 42.
rum. Item ad Philippenses. Inter quos parebitis sicut luminaria in hoc mundo, ver- Phil. II. 15. 16.
bum vitae continentes. Tunc iusti fulgebunt *h*) [sicut sol]. Matth. XIII. 43.

CAPITULUM CXVII.

HOMINES MALOS CANES VOCARI.

In Regnorum ·II· Et audiens Abessa filius Sarviae Semei maledicentem regem Da- II. Regn. XVI. 9
vid, dixit ad regem: ut quid maledicit canis hic maledictus *i*) dominum meum re-

a) Ita cod. — *b*) Cod *cognuscitur*. — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. *index*. — *e*) Ita cod. — *f*) Ita cod. — *g*) Ita in indiculo. At hic in cod. tantum: *numerum stellarum vocari*. — *h*) Tria haec verba sunt ex Matthaeo, etiamsi heic in codice non dicitur. — *i*) Ita cod. At vulg. *mortuus*.

Ps. XXI. 17. gem? Permitte et transeam, et auferam caput eius. Item in psalmo ·XXI· Quoniam
circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Item in psal-
LVIII. 15. mo ·LVIII· Convertentur ad vesperum, et famem patientur ut canes, et circumi-
16. bunt civitatem: ipsi dispargentur ad manducandum: si autem non saturentur, et
Eccli. XIII. 22. murmurabunt. Item in Ecclesiastico. Quae communicatio sancto *a*) homini ad canem?
Es. LVI. 10. Item in Esaia. Videte quoniam omnia excaecata sunt, non cognoverunt sapere: omnes
11. canes muti qui non poterunt latrare, somniantes in cubile: et canes inprobi animi
nescientes satietatem: et sunt nequam, nescientes intellectum. Omnes vias suas secuti
Matth. VII. 6. sunt, unusquisque in id ipsum. Item in evangelio secundum Matthaeum. Nolite
dare sanctum canibus; neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte con-
XV. 26. culcent *b*) eas pedibus suis, et conversi elidant vos. Item illic. Non licet tollere pa-
Phil. III. 2. nem filiorum, et mittere canibus. Item Paulus apostolus ad Philippenses. Videte ca-
Apoc. XXII. 15. nes, videte malos operarios, videte circumcisionem *c*). Item in Apocalypsi. Foras ca-
nes et malefici et adulteri et idolis servientes.

CAPITULUM CXVIII.

QUOD DOMUS VEL TEMPLUM HOMO IPSE DEBEAT INTELLEGI.

Lev. XIV. 43. In Levvitico. Si autem iterum supervenerit macula, et orta fuerit in domum, post-
quam evolsi fuerint lapides, et postquam rasa fuerit domus, et postquam defricata
44. est; introivit *d*) sacerdos, et videbit si diffus *e*) est macula lapidis *f*) in domum, et
45. perseverans est in ea domo; inmunda est; et demolient ipsam domum, et materiam
eius, et lapides eius, et omnem pulverem domus eicient foras civitatem in locum inmun-
Prov. XV. 25. dum. Item in Proverbiis. Domus superborum distruet Dominus. Item illic. Qui al-
XVII. 16. tam facit domum suam, quaerit ruinam. Item illic. Cum sapientia aedificatur domus,
XXIV. 3. et cum intellectu | erigitur. Cum sensu inplentur horrea plena omnibus divitiis pre- F. 141.
27. tiosis *g*) et bonis. Item illic. Praepara in exitu opera tua, et praeparare in agro,
Eccli. XXI. 9. et veni retro me, et aedificabis domum tuam. Item in Ecclesiastico. Qui aedificat
XXVII. 4. domum suam inpendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme. Item illic.
XI. 31. Si non timorem Domini tenueris instanter, cito subvertetur domus tua. Item illic.
Non omnem hominem inducas in domum tuam; multae enim sunt insidiae dolosi.
Iob XXXIX. 6? Item in Iob. Numquid non sciet, quod mors conteret domum terrenam, et omne
Hier. XXII. 13. quod est mortale dissolvetur? Item in Hieremia. O qui aedificat domum suam non
cum iustitia, et superiora caenaculi eius non cum iudicio! Item in evangelio secun-
Matth. VII. 24. dum Matthaeum. Et omnis qui audit sermones meos, et facit eos, similem aesti-
25. mabo eum viro prudenti, qui aedificavit domum suam super petram. Discendit plu-
via, advenerunt flumina, venerunt venti, et inpigerunt *h*) in domum illam, et non
26. cecidit: fundata enim erat super petram. Et omnis qui audit hos sermones meos,
et non facit eos, similis est viro stulto qui aedificat domum suam super harenam.
27. Discendit pluvia, venerunt flumina, et inpigerunt in domum illam, et cecidit, et
Ioh. II. 19. facta est ruina domus illius magna. Item secundum Iohannem. Solvite templum hoc
20. manu factum, et in triduo illud resuscitabo sine manibus. Dixerunt ergo Iudaei:
21. quadraginta et sex annis aedificatum est hoc templum, et tu tribus diebus excitabis

a) Cod. *sancta.* — *b*) Cod. *conculcet.* — *c*) Ita cod. — *d*) Ita cod. *v.* pro *b.* — *e*) Ita cod. pro *diffusa.* Certe in codice Ciceronis de rep. non semel fit elisio, sed sequens perit vocalis. Quare heic dicendum esset *diffusa st.* — *f*) Cod. *lapides.* — *g*) Cod. *praet.* — *h*) Ita cod.

illud? Iesus autem dicebat de templo corporis sui. Item Apostolus ad Corinthios ·I· I. Cor. III. 16.
Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem 17.
templum Dei violaverit, violabit illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod
estis vos. Item illic. Aut nescitis, quoniam membra vestra templum est *a*) Spiritus san- VI. 19.
cti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis 20.
magno pretio *b*): glorificate et tollite Deum in corpore vestro. Item ad Corinthios ·II· II. Cor. V. 1.
Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod
aedificationem a Deo habemus domum non manu factam, aeternam in caelis. Nam 2.
in hoc gemimus habitaculum nostrum, quod de caelo est, supervestiri cupientes.
Si tamen spoliati *c*), non nudi inveniamur. 3.

CAPITULUM CXVIIII.

LUMBIS SPIRITALIBUS HOMINEM DEBERE ESSE PRAECINCTUM.

In Exodo de agno paschae. Sic autem comedetis eum: lumbis vestris praecinctis, et Exod. XII. 11.
calciamenta vestra in pedibus vestris sint, et bacula *d*) vestra in manibus vestris,
F. 142. et edetis illud cum sollicitudine. Item in Regnorum ·IIII· | Et dixit Elisee ad Giezi: IV. Reg. IV. 29.
praecinge lumbos tuos, et accipe baculum meum in manu tua, et vade; et si in-
veneris obvians aliquem, non benedicas eum. Sed et si quis benedixerit te, non
respondebis ei. Et cum veneris, inpone baculum meum super faciem pueri eius.
Item illic. Vocavit Elisee unum ex filiis prophetarum, et dixit illi: praecinge lum- IX. 1.
bos tuos, et accipe lenticulam olei, et vade in Regmath galaditide. Et cum intrabe- 2.
ris *e*) ibi: ecce ibi est Ieu filius Namessi. Ingressus autem, segregabis eum de medio
fratrum illius et induces illum de cubiculo in cubiculum. Et accipies lenticulam *f*), 3.
infundes in caput illius, et dices: haec dicit Dominus: uncxi te in regem Israhel.
Et aperies osteum *g*), et effugies, nec restabis ibidem. Item in Proverbiis. Succincta Prov. XXXI. 17.
fortiter lumbos suos firmavit brachia sua in opus. Item in Esaia propheta. Itaque Es. V. 26.
tollet signum in nationes, in eas quae longe, et in eas quae prope sunt: et trahet
eas ab extremo terrae, et ecce cito leviter venient. Non esurient neque laborabunt, 27.
[non] dormitabunt neque dormient, neque solvent zonas suas a lumbis suis, neque
rumpentur corrigiae calciamentorum eorum. Item ad Hieremiam prophetam. Et tu Hier. I. 17.
adcinge lumbos tuos, et exurge, et dic omnia quaecumque mandavero tibi, nec timeas
faciem eorum, nec formides in conspectu eorum. Item in Naum propheta. Considera Naum. II. 1.
viam, tene lumbos, viriliter age in virtute nimis. Item in evangelio secundum Lu- Luc. XII. 35.
cam. Sint autem lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes. Vos similes homini- 36.
bus expectantibus dominum suum quando veniet a nuptiis, ut cum venerit et pul-
saverit, confestim aperiatis ei. Beati servi illi, quos cum venerit dominus, inveniet 37.
vigilantes! Item Petrus apostolus. Succincti lumbos mentis vestrae subrii *h*) perfecte I. Petr. I. 13.
sperate in eam quae offertur vobis gratiam, in revelatione Iesu Christi, quasi fili 14.
obauditionis, non conmiscentes *i*) vos illis prioribus ignorantiae vestrae desideriis *k*):
sed secundum eum qui vos vocavit sanctum, et vos sancti in omni conversatione 15.
estote; quia scribtum est: sancti estote, quoniam ego sanctus sum. 16.

a) Ita cod. — *b*) Cod. *praet.* — *c*) Sic et alii apud Sabaterium, quia legebant in graeco ἐκδυσάμενοι. Alii vero habent *vestiti*, quia legerunt ἐνδυσάμενοι. Cum vulgato lat. consentit, praeter alios, Cyrillus in commentario quem nos edidimus ad Pauli epistolas. — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. *b.* pro *v.* — *f*) Cod. heic *lenticulum*. Sed *lam* superius. — *g*) Ita cod. — *h*) Ita cod. — *i*) Cod. *conmiscentis*. — *k*) Cod. *desiderii*.

CAPITULUM CXX.

HOMINES SIVE SANCTOS SIVE IMPIOS, MONTES VOCARI.

Ps. LXIV. 12.13. In psalmo ·LXIIII· Et campi tui replebuntur ubertate: pinguescent fines deserti, et
14. exultatione colles adcingentur. Induti sunt arietes ovium, et convalles habundabunt
LXXXVI. 1. frumento; etenim clamabunt, et hymnum dicent. Item in psalmo ·LXXXVI· Funda-
2. 3. menta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia taberna-
CXIII 6. cula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Item in psalmo ·CXIII· Montes
Prov. VIII. 2. exultabunt | ut arietes, et colles sicut agni ovium. Item in Proverbiis. Super cacumina F. 143.
Es. XLI. 17. montium praedicatur, in portis autem potentium adsistit. Item in Esaia propheta.
18. Et non derelinquam illos, sed aperiam in montibus flumina, et in medio campo-
rum fontes: faciam desertum in stagna, et sitientem terram in flumina aquarum.
Mich. IV. 2. Item Michaeas propheta. Adpropinquantes *a*) montibus aeternis. Item Iohel pro-
Iohel. III. 18. pheta. Et erit in illa die destillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lactem.
Naum I. 14. Item in Naum. Haec dicit Dominus: principes aquarum multarum exterminabo scul-
15. ptilia tua, et fusilia tua in sepulturam. Quia ecce veloces pedes super montes evan-
Ezech. VI. 2. 3. gelizantes et adnuntiantes pacem. Item in Ezechiel propheta: fili hominis, confirma
XXXVI. 8. faciem tuam super montes Israhel: audite verbum Domini. Item illic. Vestri autem
montes Israhel facient uvam, et fructum vestrum quod vos manducabitis populus
Es. XLIV. 23. meus qui adpropriant venire. Item in Esaia propheta: ecce clamate montes laetitiam,
XLIX. 13. et colles et omnia ligna quae in ipsis sunt. Item illic. Erumpant montes iucundita-
LV. 12. tem, quia misertus est Deus populo suo. Item illic. Nam montes et colles exsilient *b*)
expectantes vos in gaudio, et omnia ligna agri plaudent *c*) ramis.

CAPITULUM CXXI.

QUOD SPIRITUS INMUNDI VEL VITIA, MONTES, COLLES, BESTIAE, AVES, PETRAE, GENTES, LAPIDES, ET SPINAE NUNCUPENTUR.

Ps. XLV. 3. In psalmo ·XLV· Propterea non timebimus dum conturbabitur terra, et tranferentur
4. montes in cor maris. Sonaverunt, et turbatae sunt aquae eorum, conturbati sunt
LXXIII. 18. montes in fortitudine eius. Item in psalmo ·LXXIII· Quia inimicus exprobravit Domino,
19. et populus insipiens exacerbavit nomen tuum; ne tradas besteis *d*) animas pauperum
Eccli. XXI. 2. tuorum, ne obliviscaris in finem. Item in Ecclesiastico. Quasi a facie colubri fuge pec-
3. cata: si accesseris ad illa, suscipient te quasi dentes leonis in devorando, interficientes
4.
Es. VII. 18. quasi rhomphaea *e*) bis acuta, iniquitatium vindex. Item in Esaia propheta. Et erit in
illa die [sibilavit Dominus muscis quae] dominantur *f*) partes fluminis Aegypti, et
LVII. 14. apes *g*) quae sunt in regione eorum. Item illic. Mundate *h*) a conspectu eius vias, et
LXII. 10. auferte offendicula de itinere populi mei. Item illic. Ingredimini per portas meas, et
Hier. XIII. 16. facite iter *i*) populo, et lapides de via proicite. Item in Hieremia propheta. Date
domino Deo vestro gloriam ante quam obscuret; priusquam offendant pedes vestri in
Naum I. 5. montibus tenebrosis. Item in Naum propheta. Montes commoti sunt ab illo, et colles

a) Cod. *adpropinquante*. — *b*) Cod. *exsisilient*. — *c*) Cod. *pandent*. — *d*) Ita cod. — *e*) Cod. *romfea*. — *f*) Ita cod. — *g*) Ita cod. — *h*) Cod. *mandate*. — *i*) Cod. *inter*.

tremuerunt, et formidavit universa terra, et petrae confractae sunt ab ante eum.
Item in Abbacum propheta. Defluxerunt gentes, quassati sunt montes vehementer, Hab. III. 6.
F. 144. liquefacti sunt colles aeternales. Item in Ezechihel propheta. Aquila illa | magna ma- Ezech. XVII. 3.
gnarum alarum, longa extensione, plena unguibus, quae habet ducatum intrandi in
Libanum, et accipere electa cedri, summa teneritudinis evolsit, et adtulit in terra *a*) 4.
Chanaam, in civitate murata posuit ea. Item in Iob. Et dissolve quod cum lapidibus Iob. V. 23.
agri testamentum tuum est. Item in Amos propheta. Et abstulit Amorrhaeum *b*) a fa- Amos II. 9.
cie eorum, cuius erat altitudo ut altitudo cedri, et fortitudo eius sicut ilex: et
abstuli fructus eius a summo, et radices eius ab imo. Item in Iohel propheta. Iohel. I. 6.
Quia gens ascendit super terram, gens valida et innumerabilis: dentes eius sicut
dentes leonis, et molares eius sicut catuli leonum. Posuit vineam meam in extermi- 7.
nium, et ficus meas in confractionem. Item secundum Matthaeum. Imperavit Ie- Matth. XVII. 17
sus, et exiit daemonium illud, et sanus factus est puer ab illa hora. Tunc acces- 18.
serunt ad Iesum discipuli secreto, et dixerunt: quare non potuimus *c*) expellere illud?
Ait illis: propter incredulitatem *d*) vestram. Amen dico vobis: si haberetis *e*) fidem 19.
sicut granum senapis *f*), diceretis huic monti transi hinc illuc, et transiret, et nihil
vobis inpossibile esset.

CAPITULUM CXXII.

QUOD NON SIT AEQUALIS OMNIS SANCTUS DEO.

In Exodo. Quis similis tibi in diis Domine? Item in psalmo ·LXXXVIII· Quoniam Exod. XV. 11. Ps. LXXXVIII. 7.
quis in nubibus aequabitur Domino? aut quis similis erit Deo inter filios Dei? Deus 8.
qui glorificatur in consilio sanctorum, magnus et metuendus super omnes qui in
circuitu eius sunt. Domine Deus virtutum, quis similis tibi? Potens es, Domine, et 9.
veritas tua in circuitu tuo.

CAPITULUM CXXIII.

QUOD ANGELORUM CUSTODIA MUNIAMUR.

In Deuteronomio. Statuit fines gentium secundum numerum angelorum Dei. Item in Deut. XXXII. 8.
Tobi Raphahel *g*) angelus: et cum orares *h*) tu et Sarra norus *i*) tua, ego obtuli Tob. XII. 12.
memoriale orationis vestrae ante Dominum. Item secundum Matthaeum. Videte ne Matth. XVIII. 10.
contemnatis unum ex istis pusillis credentibus in me: amen *k*) dico vobis, quoniam
angeli eorum semper in caelo vident faciem patris mei qui est in caelis. Item in Act. XII. 14.
actibus Apostolorum. Nuntiavit, Petrum stare ad osteum. Dixerunt: non; sed an- 15.
gelus eius est Item in apocalypsi Iohannis. Et angelo Ephesi *l*) ecclesiae scribe. Apoc. II. 1.

CAPITULUM CXXIIII.

HOMINES NUNCUPARI PARIETEM.

In psalmo ·LXI· Quo usque inruetis in hominis *m*), interficientes universos, tam- Ps. LXI. 4.
quam parieti inclinato et maceriae *n*) inpulsae. Verumtamen honorem meum cogi- 5.

a) Ita cod. — *b*) Cod. *Amorreum.* — *c*) Cod. *potuemus.* — *d*) Cod. *incrudulitatem.* — *e*) Cod. *haberitis.* — *f*) Ita cod. — *g*) Cod. *Rafahel.* — *h*) Cod. *orases.* — *i*) Ita cod. — *k*) Ita cod. 1. m. *in me*, deinde factum *amen.* Atqui utrumque est retinendum. Nam et graece habetur varia lectio τῶν πιστευόντων εἰς ἐμέ. — *l*) Cod. *Efesi.* — *m*) Ita cod. etiamsi genitivus casus non exeat in *ium.* — *n*) Cod. *macheriae*, ut et mox, et alibi.

Ps. LXXIX. 13. taverunt repellere. Item in psalmo ·LXXVIIII· Ut quid destruxisti maceriam eius?
Ezech. XIII. 10. Item in Ezechihel propheta. Et instruent parietem, et ipse unguet eum. Si cadet, dic
11. ad unguentes eum. Et cadet, et erit pluvia inundans, et dabo lapides glebas petra-
12. rum in alligamenta eorum, et spiritum extollentem. | Et rumpetur, et ecce cecidit F. 145.
13. paries, et dicent vobis: ubi est unctio vestra, quam unxistis *a*)? Propterea haec dicit
Dominus: rumpam *b*) spiritum extollentem cum ira, et pluvia inundans in ira mea
erit, et lapides petrarum et glebas in iracundia mea super ducam in consumma-
14. tione. Et effodiam parietem, quem uncxistis, et cadet, et ponam illum ad terram,
et revelabuntur fundamenta eius; et conruit. Et consumam iniquum in increpatio-
15. nibus; et cognoscetis quia ego sum Dominus. Et consummabo iram meam super pa-
rietem, et super unguentes eum, et cadet. Et dixi ad vos: non est paries, neque
16. qui unguunt illum. Sed prophetae Israhel, qui prophetant in Hierusalem, et qui vi-
Matth. XXIII. 27. dent ei pacem, et non est pax, dicit Dominus. Item in evangelio secundum Mat-
thaeum. Vae vobis scribae et pharisaei hypocritae, qui similes estis monumentis deal-
batis, quae quidem videntur a foris hominibus speciosa, intus autem plena sunt
Act. XXIII. 3. ossibus humanis et omni spurcitia. Item in actibus Apostolorum. Percutiet te Deus,
Ephes. II. 15. paries dealbate. Item ad Ephesios. Et legem mandatorum sententiis evacuavit, ut
16. duos conderet in semet ipso in uno novo homine; et medium parietem consepti,
Is. XXIV. 23. solvens inimicitias *c*) in carne sua. Item in Esaia propheta. Et effluent lateres, et ca-
XXVI. 5. det murus, quoniam regnavit Dominus in Sion et in Hierusalem. Item illic. Alti-
XXV. 12. tudinem refugii parietis tui humiliabit, et discendit usque ad pavimentum. Item
XXVI. 6. illic. Et civitates munitas deiciens, et deducens usque ad pavimentum, et concul-
XXIX. 4. cabunt eas pedes mansuetorum et humilium. Item illic. Et a pavimento vox tua in-
LXV. 3. firmabitur. Item illic. Populus iste, qui me inritat, contra me semper: isti sacrifi-
4. cant in hortis, et incendunt super latera daemoniis, quae nihil sunt; et in monu-
mentis et speluncis dormiunt propter somnia: qui edunt carnes suellas, et ius sa-
crificiorum; inquinata sunt omnia vasa eorum.

CAPITULUM CXXV.

SANCTO SPIRITALI CIBO VEL POCULO SATIARI.

Deut. VIII. 3. In Deuteronomio. Non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo quod exierit de
Hab. II. 4. ore Domini. Item in Abbacum propheta. Iustus autem ex fide mea vivit. Item in evan-
Ioh. IV. 13. gelio secundum Iohannem. Respondit Iesus et dixit illi: omnis qui bibet ex aqua hac,
14. sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeter-
31. num, sed erit illi fons aquae vivae salientis in vitam aeternam. Inter haec autem
32. rogabant eum discipuli dicentes: rabbi, manduca. Ait autem illis Iesus: ego cibum
33. habeo manducare, quem vos non scitis. Dicebant ergo discipuli eius inter semet
34. ipsos: numquid aliquis adtulit ei manducare? Dicit eis Iesus: meus est cibus, ut fa-
VI. 41. ciam voluntatem eius, qui me misit, et ut perficiam [opus] eius. Item illic. Mur-
murabant autem Iudaei de eo, quod dixit: ego sum | panis qui descendi *d*) de caelo. F. 146.
42. Et dicebant: nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos novimus patrem et matrem?
48. Quomodo ergo hic dicit: ego de caelo discendi *e*)? Iterum ait: ego sum panis vi-

a) Ita cod. sine c; at supra et infra cum c. — *b*) Cod. *rupam*. — *c*) Cod. *inimicitia*. — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. modo *di*, modo *de*.

tae. Patres vestri manducaverunt mannam *a*) in deserto, et mortui sunt. Hic est au- Ioh. VI. 49.
tem panis qui de caelo discendit, ut qui ex eo manducaverit, non moriatur. Ego 50.
sum panis vivus, qui de caelo discendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet 51.
in aeternum: et hic panis, quem ego dabo pro huius mundi vita, corpus meum 52.
est. Conmiserunt *b*) igitur invicem Iudaei dicentes: quomodo potest iste nobis corpus 53.
suum dare manducare? Et dixit illis Iesus: amen amen dico vobis, nisi manducave- 54.
ritis corpus fili *c*) hominis, et biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vo-
bis. Qui enim manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habebit vitam 55.
aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, 56.
et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bibet meum sangui- 57.
nem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivus pater, et ego vivo propter 58.
patrem; et qui me manducat, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de caelo 59.
discendit. Non sicut manducaverunt patres vestri mannam, et mortui sunt. Qui man-
ducat hunc panem, vivet in aeternum.

CAPITULUM CXXVI.

AQUAM ET IGNEM, POPULOS VEL VITIA APPELLARI.

In psalmo ·XVII· Circumdederunt me gemitus mortis, et torrentes iniquitatis *d*) Ps. XVII. 5.
conturbaverunt me. Dolores inferni invenerunt me, praevenerunt me laquei mortis. 6.
Adsumpsit me de multitudine aquarum, eruit me de inimicis meis potentibus. Item 17. 18.
in psalmo ·CXXXVI· Super flumina Babylonis illic sedimus et flebimus *e*) dum re- Ps. CXXXVI. 1.
cordaremur *f*) Sion. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Item in 2.
Esaia propheta. Ponam flumina in insulis, et stagna arefaciam, et adducam caecos Es. XLII. 15.
in via quam *g*) ignorabant, et semitas quas nesciebant faciam illos calcare: et fa- 16.
ciam illis tenebras in lucem; et quae prava sunt, dirigam. Haec verba faciam, et
non derelinquam illos. Item illic. Meus es tu: etiam si transieris per ignem, non XLIII. 1.
conbureris, flamma autem te non conburet. Etiam si transieris per aquam, tecum 2.
sum et flumina te non concludent: quia ego dominus Deus tuus sanctus Israhel, qui 3.
te salvum facio. Item in Hieremia propheta. Et nunc quid tibi est, et viae Aegypti, Hier. II. 18.
ut bibas aquam Geon? Et ut quid tibi et viae Assyriorum, ut bibas aquas flumi-
num? Item illic. Aqua Aegypti dixit: ascendam et operiam terram. XLVI. 8.

CAPITULUM CXXVII.

QUOD VOCATUS AD FIDEM, RETRO REDIRE NON DEBEAT.

In Esaia propheta. Ne memores sitis pristinorum, neque antiquorum cogitetis. Item Es. XLIII. 18.
secundum Matthaeum. Cum vidisset autem Iesus maximam turbam circa eum, unus ex Matth. VIII. 18.
F. 147. scribis et *h*) dixit ei, magister sequar te quocumque ieris. Ait illi Iesus: vulpes cubilia 19.
habent, et volucres caeli ubi requiescant, filius autem hominis non habet ubi caput 20.
suum reclinet. Et ecce alius ex discipulis eius dixit ad eum: Domine, permitte mihi 21.
prius ire et sepellire *i*) patrem meum. Cui respondens Iesus dixit: sequere me, et 22.

a) Ita cod. Sic et infra. — *b*) Id est *contenderunt*, ex graeco ἐμάχοντο. — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. *iniquitates*. — *e*) Ita cod. *b* pro *v*. — *f*) Cod. *remur*. — *g*) Cod. *quia*. — *h*) Ita cod. — *i*) Ita cod. Sic et mox.

sine mortui mortuos suos sepelliant: tu autem vade, et adnuntia regnum Dei *a*). Item
Luc. IX. 61. secundum Lucam. Et ait alter: sequar te, Domine, sed primum permitte mihi re-
62. nuntiare his qui domi sunt. Ait ad illum Iesus: nemo inponens manum suam in
aratro, aspiciens retro, aptus est regno Dei.

CAPITULUM CXXVIII.

QUOD DIABULUS ANGELUS A DOMINO FUERIT FACTUS, ET POSTMODUM TRANSGRESSIONE MUTATUS SIT.

Ps. LXXXI. 6. In psalmo ·LXXXI· Ego dixi: dii estis, et fili *b*) excelsi omnes: vos autem sicut
CIII. 27. homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis. Item in psalmo ·CIII· Draco
Iob. XXVI. 12. hic, quem formasti ad inludendum eum. Item in Iob. Praecepto autem peremit *c*)
Es. XIV. 12. draconem desertorem. Item in Esaia propheta. Quomodo cecidit de caelo lucifer,
Ezech. XXVIII. 12. qui mane oriebatur? Item in Ezechihel propheta. Tu es signaculum similitudinis, et
13. corona decoris, et in deliciis paradisi Dei fuisti; cum Cherubin posui te in monte
16. sancto Dei. Et peccasti, et vulneratus es a monte Domini. Corrupta est doctrina
17. tua cum decore. Propter multitudinem peccatorum tuorum in terram te proieci: in
conspectu regum dedi te in traductionem, propter multitudinem peccatorum tuorum.
Et dixisti: Deus sum; ego habitationem Dei habitavi.

CAPITULUM CXXVIIII.

DE SIMILITUDINE CERVI.

Ps. XVII. 33. In psalmo ·XVII· Deus qui praecinxit me virtutem, et posuit inmaculatam viam
34. meam: qui perfecit pedes meos tamquam cervi, et super excelsa statuit me. Item
XLI. 1. in psalmo ·XLI· Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea
Prov. V. 19. ad te, Deus. Item in Proverbiis. Cervus amicitiae, et pullus gratiarum tuarum, con-
Cant. II. 8. fabulentur tecum. Item in Canticis Canticorum. Ecce hic venit saliens super montes,
9. et exiliens super colles. Similis est frater meus cervae vel hinnulo *d*) cervorum su-
Es. XXXIV. 15. per montes sucorum. Item in Esaia propheta. Illic occurrent cervi, et videbunt fa-
16. ciem suam invicem. In numero transierunt, et una earum non periit: altera ad al-
teram non quaesibit *e*). Quoniam Dominus mandavit illis, et spiritus eius congre-
17. gavit eas: et ipse mittit in eas sortem, et manus eius divisit pasturam. In aeter-
num tempus hereditatem possidebitis, et in saecula saeculorum requiescetis in ea.

CAPITULUM CXXX.

QUOD POPULI AQUAE DICANTUR.

immo Esther. X. 8. In libro Hesdrae *f*). Flumina autem erant gentes quae convenerunt perdere genus
Hier. XLVII. 2. Iudaeorum. Item in Hieremia. Ecce aquae ascendunt ab aquilone in torrentem inun-

a) Abest a vulgato apud Matthaeum altera haec versiculi pars; sed ea adsumitur heic ex parallelo loco Lucae IX. 60. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *praemit*. — *d*) Cod. *innulo*. — *e*) Ita cod. — *f*) Corrigendum fuit *Esther*. Et animadverte citatum ab Augustino ex vetere vulgata (ut heic loquitur S. Hieronymus) Mardochaei somnium cap. X. 8, quae pars libri in hebraico non legitur.

F. 148. dantem, et inundabant terram et plenitudinem eius, civitatem | et inhabitantes in ea *a*).
Et clamabunt universi, et ululabunt et *b*) omnes qui habitant terram, a voce im- Hier. XLVII. 3.
petus eius, ab armis, et a pedibus eius, et a commotione curruum eorum, et a
sono rotarum eius. Item Amos propheta. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et in- Amos VIII. 11.
mittam famem super terram, non famem panis nec sitim aquae, sed famem ad au-
diendum verbum Domini. Et movebuntur aquae usque ad mare, et ab aquilone 12.
usque ad austrum, quaerentes verbum Domini, et non invenient. Item in apocalypsi Apoc. XVII. 15.
Iohannis. Aquae, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi et turbae et gentes et lin-
guae sunt.

CAPITULUM CXXXI.

DE FONTIBUS DOMINI.

In psalmo ·LXVII· In ecclesiis benedicite dominum Deum de fontibus Israhel. Item Ps. LXVII. 27.
in Proverbiis. Non deficiant a te fontes Domini, sed custodi eos in toto corde tuo. Prov. IV. 21.
Item illic. Bibes aquas de tuis vasis, et de puteorum tuorum fonte: supereffundan- V. 15. 16.
tur tibi aquae de tuo fonte, in tuis autem plateis circumeant aquae tuae: fons 17.
aquae tuae sit tibi proprius, et nemo extraneus communicet tibi. Item illic. Fons X. 10.
vitae in manu iusti. Item illic. Lex sapienti fontes vitae. Item illic. Praecepta Do- XIII. 14.
mini, fons vitae: faciunt autem declinare a laqueo mortis. Item illic. Fons vitae est XIV. 27. XVI. 22.
consilium possidenti illud. Item illic. Flumen autem manat, et fons vitae. XVIII. 4.

CAPITULUM CXXXII.

QUOD AQUAE *c*) SINT SUPER CAELUM.

In Genesi. Et divisit Deus *d*) inter aquam quae est sub firmamento, et inter aquam Gen. I. 7.
quae est super firmamentum. Item illic. Eruperunt omnes abyssi et cataractae caeli VII. 11. 12.
apertae sunt, et factae sunt pluviae diluvii super omnem terram. Item in Hie- Hier. X. 12.
remia propheta. Dominus, qui fecit terram in virtute sua, et in sua prudentia ex- 13.
tendit caelum, et multitudinem aquae in caelo. Item illic. In voce posuit sonum
aquarum in caelo. Item in Danihelo. Benedicite aquae omnes super caelum Do- Dan. III. 60.
minum *e*).

CAPITULUM CXXXIII.

DE EBRIETATE ET CALICE IRARUM.

In Esaia propheta. Deficite *f*), amentes estote, et crapulamini, non a sicera, neque Es. XXIX. 9. 10.
a vino: quoniam potionavit vos Deus spiritum conpunctionis. Item illic. Ideo audi: LI. 21.
humilia te ebria non a vino: veniet enim ut flumen vehemens ira Domini cum in-
dignatione. Item in Abbacum propheta. Circumdedit te calix dexterae Domini, et Hab. II. 16.
convenit in iniuria super honorem tuum. Item in psalmo ·X· Pluit super peccatores Ps. X. 7.

a) Cod. *in eam.* — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *equales*, mendose. Sed bene *aquae.* in indiculo. — *d*) Cod. *Deum.* — *e*) Animadverte citatum ab Augustino trium puerorum hymnum. — *f*) Cod. *defecite.*

laqueos, ignem, sulfur: et spiritus procellarum, pars calicis eorum. Item in apo-
Apoc. XIV. 8. calypsi Iohannis. Cecidit cecidit *a*) Babylon magna; de vino fornicationis eius bibe-
9. runt omnes gentes. Item illic. Siquis adorat bestiam, et imaginem eius, et accepit
10. character *b*) in fronte sua aut in manu sua, et hic bibet de indignatione Dei quae
mixta est mera in calice irae eius. Et cruciabitur in igne et sulfore *c*) in conspectu F. 110.
12. angelorum et agni: et fumus et cruciatus eorum in saecula saeculorum ascendit.
XVIII. 4. Item illic. Et audivi aliam vocem de caelo dicentem: exite de ea, populus meus;
5. et ne communicetis peccatis eius, et de plagis eius ne accipiatis. Quia adpropin-
quaverunt peccata eius usque ad caelum, et memoratus est Deus iniquitates eius.
6. Reddite ei sicut et ipsa reddidit, et duplicate duplicia secundum opera eius. In ca-
7. lice, quo miscuit, miscite *d*) ei duplum: et quantum magnificavit se et luxoriata est,
tantum date ei tormentum et luctum. Quia in corde suo dicit: sedeo regina, et vi-
8. dua non sum, et luctum non videbo. Propterea una hora veniet plaga eius, mors
et famis *e*) et luctus, et igne cremabitur: quoniam fortis est dominus Deus, qui
iudicat eam.

CAPITULUM CXXXIIII.

QUOD DOMINUS DEUS HOC NOMEN HABET.

Exod. III. 14. In Exodo. Ego sum qui sum. Item illic. Sic dices filiis Israhel: qui est, misit me
15. ad vos. Item illic. Et dixit Dominus ad Moysen: sic dices filiis Israhel; dominus
Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob, misit me
ad vos: hoc mihi nomen est sempiternum et memorabile in saecula saeculorum. Item
XV. 3. in Exodo. Dominus conterens bella, Dominus nomen est ei. Item in Amos propheta.
Amos. V. 8. Qui evocat aquam maris et effundit eam super faciem terrae; dominus Deus omni-
potens nomen est illi.

CAPITULUM CXXXV.

HOMINEM DEI VOCARI *f*) TERRAM DELICIARUM.

Ps. LXXXIV. 2. In psalmo ·LXXXIIII· Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Ia-
3. 13. cob. Remisisti iniquitatem plebis tuae, operuisti omnia peccata eorum. Item illic. Et
CVI. 35. terra nostra dabit fructum suum. Item in psalmo ·CVI· Tu posuisti desertum in sta-
36. gna aquarum: et terram *g*) sine aqua, in exitus aquarum: et conlocavit illic esu-
Es. XXXV. 7. rientes. Item in Esaia. Quae sine aqua est, erit in padule *h*): et in sitienti terra, erit
XLIII. 19. fons aquae. Nec erit illic amplius leo, nec ulla bestiarum malarum. Item illic. Ecce
faciam nova quae nunc orientur, et faciam in deserto viam, et [in] sicca terra flu-
LVIII. 11. men. Item illic. Et erunt sicut hortus ebrius, et sicut fons cui non deficit *i*) aqua.
Ezech. XXXVI. 35. Item in Ezechihel propheta. Terra illa, quae erat exterminata, facta est ut hortus

a) Cod. *caecidit caecidit.* — *b*) Ita cod. etiam alibi quarto casu. — *c*) Ita cod. — *d*) Ita cod. Olim in glossario meo sub hoc vocabulo protuli verba antiqui scholiastae ad Sedulium dicentis: *secunda coniugatio cum amittit id quod habet ante o, transit in tertiam.* — *e*) Ita cod. — *f*) Cod. *vocare.* — *g*) Cod. *terra.* — *h*) Ita cod., quam lectionem ne existimem vitiosa metathesi creatam, facit usus linguae italicae, praesertim in Etruria, ubi dicitur *padule* pro *palude.* Confer etiam Cangium lex med. et infim. lat. Attamen in postremo Speculi capitulo, apud Esaiam XXXV. 7. legitur *paludes.* — *i*) Ita cod. 1. m. At 2. m. *defecit.*

deliciarum. Item secundum Matthaeum. Qui autem supra terram bonam seminatus Matth. XIII. 23.
F. 150. est, hic est qui audit verbum, et intellegit, et facit | fructum; aliud centesimum *a*).
Qui habet aures audiendi, audiat.

CAPITULUM CXXXVI.

DE VOLPIBUS IN SIMILITUDINE HOMINUM.

In [libro] Iudicum. Et abiit Samson, et conpraehendit volpes trecentas, et sum- Iudic. XV. 4.
psit lampadas, et alligavit illis cauda ad caudam invicem binis: et posuit lampadas
singulas inter duas caudas in medium: et succendit lampadas igni, et dimisit in ma- 5.
nipulis *b*) alieniginarum *c*): et succendit spica eorum, et quae metita erant, sed et
vineas et oliveta. Item in Cantica Canticorum. Capete *d*) nobis vulpis *e*) pusillas Cant. II. 15.
exterminantes vineam. Item in Hieremia propheta. Ideo factum est in dolore cor no- Thren. V. 17.
strum, et propter hoc obscurati sunt oculi nostri super montem Sion, quia exter- 18.
minatus est; vulpes transierunt per eum. Item in Ezechihel. Ita *f*) et dicit Dominus: Ezech. XIII. 3.
vae his qui prophetant de corde suo, et omnino non vident! Sicut vulpes in de- 4.
serto prophetae tui *g*) Israhel. Non steterunt in firmamento, et congregabant regem 5.
super domum Israhel. Non surrexerunt qui dicerent in die Domini. Item secundum
Matthaeum. Vulpes foveas habent, et volucres caeli ubi requiescant; filius autem Matth. VIII. 20.
hominis non habet ubi caput suum reclinet. Item secundum Lucam. Accesserunt Luc. XIII. 31.
quidam ex Pharisaeis dicentes ei: exi et vade hinc, quia Herodes vult te occidere.
Et ait illis Iesus: ite, dicite vulpi illi: ecce expello daemonia, et sanitates perficio 32.
hodie et cras, et tertia die consummabor. Ite, quoniam inpossibile est prophetam 33.
perire extra Hierusalem.

CAPITULUM CXXXVII.

DE HOSPITALITATE.

In regnorum ·IIII· Et abiit *h*) inde Elisaeus in Carmelum, et inde venit in Soman. IV. Regn. IV. 8.
Et factus est dies, et erat ibi mulier magna, quae cum detenuisset *i*) eum, ut man-
ducaret panem, et cum frequenter introiret et exiret, dixit mulier ad virum suum: 9.
ecce scio quia homo Dei est hic, qui venit ad nos, et sanctus est; et ideo omni- 10.
bus modis faciamus ei domum in superioribus de parietibus pusillis, et ponemus
ibi mensam et lectum et sellam et candelabrum; et cum venerit ad nos, divertet
ibi. Et facto die, venit Elisaeus, et ascendit in superiora, et recubuit ibi. Et postea 11.
residens dixit ad Giezi puerum suum voca Somaniten istam. Et ille vocavit eam; et 12.
ut stetit in conspectu eius, dixit ad eam: ecce honorificastis omni honore, et prae- 13.
parastis nobis habitationem; quid retribuemus tibi? et dixit Elisaeus ad Giezi pue-
rum suum: quid ergo faciemus ei? Et dixit Giezi: manifeste non est ei filius, et vir 14.
eius senes *k*) est. Et ille dixit: voca illam. Et vocavit eam ad ianuam. Et dixit Eli- 15.
F. 151. saeus: in testimonio erit sermo hic, quia secundum | tempus hoc vives, et tu con- 16.
cipies filium. Et dixit mulier: noli, homo, deridere ancillam tuam. Et concepit 17.

a) Cod. *centisimum*. — *b*) Ita cod. — *c*) Ita cod. ut alibi. — *d*) Ita cod. — *e*) Ita cod. modo *vulp*. modo *volp*. — *f*) Sic cod., et sic ibi interpungitur — *g*) Cod. *tu* — *h*) Cod *habiit*. — *i*) Ita cod. *k*) Ita cod. *s* pro *x*.

Sap. XII. 19. mulier, et peperit filium in eodem tempore. Item in libro Sapientiae. Quia oportet
Rom. XII. 13. iustum esse et humanum. Item Apostolus ad Romanos. Hospitalitatem sectantes, be-
I. Petr. IV. 9. nedicite et nolite maledicere. Item Petrus apostolus. Hospitalitatem invicem sine mur-
Iudic. XIX. 20. muratione exhibite *a*). Item in libro Iudicum. Et dixit senior hospiti: pax; et om-
21. nia quae desunt tibi, a me *b*) erunt: solummodo ne in plateis hic maneas. Et in-
duxit virum in domum suam, et misit cibum iumentis eius, et laberunt *c*) viri pe-
des suos, et manducaverunt et biberunt.

CAPITULUM CXXXVIII.

HOMINES MESSEM VEL FRUGES NUNCUPARI.

Matth. III. 11. In evangelio secundum Matthaeum. Iohannis Baptista: ego quidem vos baptizo in
aqua in poenitentia; venit autem fortior me, cuius non sum dignus calciamenta por-
12. tare: ille vos baptizavit *d*) in Spiritu sancto. Qui habet ventilabrum in manu sua,
et mundabit aream suam: frumentum quidem suum congeret in horreum suum,
IX. 37. paleas autem conburet igni inextinguibili. Item illic. Ait Iesus discipulis suis: mes-
38. sis quidem multa, operarii autem pauci: rogate ergo dominum messis ut mittat ope-
XIII. 37. rarios in messem suam. Item illic. Qui seminat bonum semen, filius est hominis.
38. Ager autem, hic mundus est: bonum vero semen, hii sunt filii regni: nam zizania,
39. filii sunt iniqui. Inimicus qui illa seminavit, diabolus est: messis autem, consum-
40. matio saeculi est: messores autem, angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni
41. conburuntur, sic erit in consummatione saeculi. Mittet filius hominis angelos suos,
42. et congregabunt de regno eius omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem. Et
mittet *e*) eos in camino *f*) ignis: ibi erit fletus et stridor dentium. Item secundum
Ioh. IV. 35. Iohannem. Nonne dicitis quia adhuc quattuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico
vobis: adlevate oculos vestros, et videte regiones, quia albae sunt ad messem. Si-
36. cut autem qui metet *g*), mercedem accipiet, et colliget fructum in vitam aeter-
37. nam: et qui seminat, gaudebit simul cum eo qui metet. In hoc est enim verbum
38. veritatis, quia alius est qui seminat [et alius qui metit]. Et ego misi vos metere
in quod vos non laborastis: alii autem laboraverunt, et vos in labore *h*) illorum
introistis.

CAPITULUM CXXXVIIII.

UXOREM, EXCEPTA *i*) CAUSA ADULTERII, NON DEMITTENDAM.

Matth. XIX. 3. In evangelio secundum Matthaeum. Accesserunt ad eum Pharisaei temptantes *k*) eum,
4. et dicentes: licet homini dimittere uxorem de qua[cumque] causa? Quibus respondens
5. Iesus ait: non legistis quia [qui] fecit ab initio masculum et feminam, dixit: propter F. 152.
6. hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit *l*) uxori suae, et erunt
7. duo in carne una? Quod ergo Deus iunxit, homo non disiungat. Dicunt ei, quare
8. ergo Moyses praecepit ut daretur liber repudii, et demitteretur *m*) uxor? Quibus

a) Ita cod. Recole dicta cap. 133. de voc. *miscite*. — *b*) Cod. mendose *animae* pro *a me*. — *c*) Ita cod. *b* pro *v*. — *d*) Ita cod. *v* pro *b*. — *e*) Ita cod. — *f*) Ita cod. — *g*) Ita cod. — *h*) Ita cod. — *i*) Cod. *exceptam*. — *k*) Cod. *temptans*. — *l*) Cod. *adher*. — *m*) Ita cod.

Iesus ait: quia Moyses secundum duritiam vestram permisit vobis dimittere uxores
vestras: ab initio autem non ita fuit. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxo- Matth. XIX. 9.
rem suam, excepta causa adulterii, et aliam ducit, adulterium facit: et qui dimis-
sam a viro ducit, moechatur. Item Apostolus ad Corinthios ·I· His autem qui ma- I. Cor. VII. 10.
trimonio iuncti sunt praecipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non disce-
dere *a*). Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari. Et vir uxo- 11.
rem ne dimittat.

CAPITULUM CXL.

DE TABERNACULO.

In Esaia propheta. Tabernacula tua non commovebuntur, neque fatigabuntur pali Es. XXXIII. 20.
tabernaculi eius in aeternum tempus, neque funes eius disrumpentur; quoniam no- 21.
men Domini magnum vocabis. Item in Hieremia propheta. Tabernaculum tuum mi- Hier. X. 20.
serum factum est perdite *b*), et omnes pelles eius disruptae sunt.

CAPITULUM CXLI.

DE PEDIBUS LAVANDIS.

In Genesi Abraham. Paruit autem ei Deus ad ilicem Mambrae sedenti illi ad ostium *c*) Gen. XVIII. 1.
tabernaculi eius, medio die. Adlevatis autem oculis suis vidit, et ecce tres viri sta- 2.
bant super eum. Et ut vidit, adcurrit obviam *d*) eis ab osteo *e*) tabernaculi sui, et ado-
ravit super terram, et dixit: Domine, si inveni gratiam ante te, ne praetereas pue- 3.
rum tuum: sumatur autem aqua et laventur pedes vestri, et refrigerate sub arbo- 4.
rem, et sumam panem et manducabitis, et postea transietis, propter quod decli- 5.
nastis ad puerum vestrum. Et dixerunt: sic facito, ut dixisti. Item in evangelio se-
cundum Iohannem. Et caena *f*) facta, cum diabolus iam misisset se in cor Iudae Ioh. XIII. 2.
Scarioth ut eum traderet; sciens Iesus quia omnia dedit pater in manus eius, et 3.
quia a Deo exivit, et ad Deum vadit; surrexit a caena; et cum accepisset linteum, 4.
praecinxit se. Deinde misit aquam in pelvem, et coepit lavare pedes discipulorum 5.
et extergere de linteo quo erat praecinctus. Venit ad Simonem Petrum. Dicit ei ille: 6.
Domine, tu mihi lavas pedes? Respondit Iesus et dixit ei: quod ego facio, tu ne- 7.
scis; cognosces postea. Dicit ei Petrus: non lavabis mihi pedes in aeternum. Respon- 8.
dit Iesus: si non lavabero *g*) tibi pedes, non habebis partem mecum. Dicit ei Si- 9.
mon Petrus: Domine, sed non tantum pedes, sed etiam manus et caput. Dicit ei 10.
F. 153. Iesus: qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus *h*); | et vos mundi
estis, sed non omnes. Sciebat enim quis esset qui traderet eum. Propterea dixit: mundi 11.
estis, sed non omnes. Et post quam lavit pedes eorum, accepit vestimenta, et cum 12.
iterum recumbuisset *i*): dicit eis: scitis quid fecerim vobis? Vos vocastis *k*) me magi- 13.
strum et dominum, et bene dicitis; sum enim. Si ergo ego lavi pedes vestros domi- 14.
nus et magister, quanto magis et vos debetis alter alterius lavare pedes? Exemplum 15.

a) Cod. mendose *discere*. — *b*) Cod. *perdit*. Nisi mavis *et perditum*. — *c*) Cod. *hostium*. — *d*) Cod. *obiam*. — *e*) Cod. *hosteo*. — *f*) Cod. *cena*. Sic et mox. — *g*) Ita cod. — *h*) Ita tantummodo cod. — *i*) Ita cod. — *k*) Ita cod.

Ioh. XIII. 16. enim dedi vobis, ut quemadmodum ego facio vobis, etiam vos faciatis. Amen dico
17. vobis, quia non est servus maior domino suo, neque apostolus maior eo qui mi-
I. Tim. V. 9. sit illum. Haec scientes, beati estis si feceritis ea. Item ad Timotheum ·I· Vidua
10. eligatur non minus annorum sexaginta, quae fuerit unius viri uxor, in operibus bonis habens testimonium, si filios nutrivit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus *a*) subsecuta est.
Gen. XLIII. 23. 24. Item in Genesi. Et produxit ad eos Simeon, et adtulerunt aquam et lavaverunt pedes.

CAPITULUM CXLII.

OMNIA IN GLORIAM VEL IN NOMINE DOMINI FACIENDA.

I. Cor. X. 31. Apostolus ad Corinthios ·I· Sive manducatis, sive bibetis *b*), sive facitis aliquid,
Coloss. III. 17. omnia in gloriam Dei. Item ad Colossenses. Omnia quaecumque facitis in verbo vel in opere, omnia in nomine domini Iesu Christi, gratias agentes Deo per ipsum.

CAPITULUM CXLIII.

DE SANCTA VITA SAMUHELIS ET PAULI APOSTOLI, QUOD NON CAPTI SINT AVARITIA.

I Regn. XI. 15. In Regnorum ·I· Et cum epulatus fuisset Samuhel cum omnibus viris Israhel usque
XII. 1. ad satietatem, dixit ad omnem virum Israhel: ecce audivi vocem vestram per omnia
2. quaecumque dixistis mihi, et constitui regem super vos. Et nunc ecce quia rex praecedit ante vos. Et ego senui, oportet ut requiescam: filii autem mei vobiscum sunt. Et quoniam conversatus sum coram vos *c*) a iuventate *d*) mea usque in hodiernum *e*)
3. diem, ecce ego sum. Respondite *f*) contra me coram Domino et coram christo eius, si vitulum alicuius accepi, aut si asinum alicuius abstuli, aut si quemquam potentia nocui, aut si aliquem pressi, aut si ex alicuius manu accepi pro exoratione vel
4. corrigiam calciamentorum; dicite adversum me, et reddam vobis. Responderunt ad ad Samuhel dicentes: neminem nocuisti per potentiam, et *g*) pressisti nos, nec acce-
5. pisti quicquam de manu cuiusquam. Et dixit Samuhel ad populum: testis est Dominus in vobis, et testis est christus eius in hodierna die, quia non *h*) invenistis in manu
Act. XX. 33. mea nihil. Et illi dixerunt: testis est. Item in Actibus apostolorum Paulus apostolus ad episcopos vel discipulos suos: argentum et aurum aut vestimentum nullius
34. vestrum concupivi: ipsi scitis quia ad ea quae mihi necessaria erant in omni usu meo,
35. et eorum qui mecum sunt, | manus istae praesto fuerunt. Omnibus vobis demonstravi F. 154.
quoniam sic laborantes oportet auxiliari infirmibus *i*), et memores esse verborum domini Iesu, quia ipse dixit: beatius est magis dare quam accipere.

a) Deest in cod. *bonum.* — *b*) Ita cod. — *c*) Ita cod. — *d*) Ita cod. Notabunt autem lexicographi hoc quoque exemplum ex itala vetere. — *e*) Cod. *odiernum.* — *f*) Ita cod. Et quidem non desunt alia exempla. — *g*) Ita cod. — *h*) Ita cod. etsi sequitur *nihil.* — *i*) Ita cod. Et videsis glossarium meum, Spicil. rom. T. IX.

CAPITULUM CXLIIII.

QUOD DOMINUS FONS VITAE NUNCUPETUR.

In Hieremia propheta. Domine, omnes qui te derelinquunt, confundantur; disce- Hier. XVII. 13.
dentes a [te], terra evertantur, qui derelinquerunt *a*) fontem vitae Dominum. Item II. 13.
illic. Exhorruit caelum *b*) super haec vehementer, dicit Dominus: quoniam haec duo
mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi
lacus detritos qui non poterunt aquam continere. Item in Esaia propheta. Ecce enim Es. XXXII. 1.
rex iustus regnavit, et ego suscitavi regem cum iustitia, et principem cum iudicio:
imperabit, et erit homo, abscondens *c*) sermones suos, et abscondit se sicut ab aquae 2.
hictu *d*): et apparebit in Sion sicut fluvius praeclarus in terra sitienti. Item illic. XXXV. 6.
Quoniam erupit in deserto aqua *e*), et rivi in terra sitienti: et quae sine aqua est, 7.
erit in paludes, et in sitienti terra erit fons aquae. Item Iohel propheta. Et fons de Iohel. III. 18.
domo exiet, et adaquavit *f*) agmen *g*). Item secundum Iohannem. In novissimo autem Ioh. VII. 37.
die illo magno diei festi stabat Iesus, et clamabat dicens: si quis sitit, veniat ad me
et bibat. Qui credit in me, sicut dixit scribtura *h*), flumina de ventre eius fluent 38.
aquae vivae. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes. Item 39.
in psalmo ·XXXV· inebriabuntur ab uberibus domus tuae, et torrentem volunta- Ps. XXXV 9.
tis *i*) tuae potum dabis eis. Quoniam aput te est fons vitae, et in lumine tuo vi- 10.
debimus lumen.

EXPLICIT TESTIMONIORUM LIBER BEATI AUGUSTINI.

Domini Cardinalis Ioachimi Besutii adnotatio ad codicem sessorianum Speculi augustiniani.

« Codex est antiquissimus plus mille annorum, et pretii mea sententia inaestimabilis; » utilissimus praeterea pro cognoscendo textu antiquae Vulgatae italae, qua utebantur Cy- » prianus et Augustinus.—Testimonia ex antiqua Vulgata evincunt vel esse Augustini vel an- » tiquissimi auctoris; et codicem istum aliosque similes tamquam sanctioris antiquitatis » κειμήλια non sine religione suspiciendos esse ac venerandos 1).

a) Ita hoc loco cod. Sed infra recte sine *n*. — *b*) Cod. *caesum*. — *c*) Cod. *abscondes*. — *d*) Ita cod. — *e*) Cod. *aquae*. — *f*) Ita cod. *v* pro *b*. — *g*) Ita evidenter cod. — *h*) Ita cod. *b*. pro *p*. — *i*) *Voluntas* pro *voluptas*, alibi etiam in antiquis codd.

1) Verba haec et alia eminentissimi Besutii retulit etiam Iosephus Blanchinius in Evang. quadr. T. II. p. 599, cum Speculi scripturae brevi specimine in tabula II. n. 2. post p. 600. Sed enim aequum est, ut lectores nostri, ante Besutium atque Blanchinium, meminerint perhonorificii iudicii a magno Sirmondo de hoc Speculo pronunciati, quod nos in praefatione p. IV. verbis Hieronymi Vignerii recitavimus. Sane cum in aliis plurimis, propter summam antiquitatis peritiam, tum in Augustino praecipue discernendo, gravissima habenda est Sirmondi auctoritas, tantopere in divi patris scriptis versati, ut etiam quadraginta eius novos sermones publico usui suppeditaverit.

INCIPIT ORDO CAPITULORUM

DE DIVINIS SCRIPTURIS N°. ·C·XL·IIII·

a) Cod. *supervia.* — *b*) Cod. *periendum.* — *c*) Cod. *idolatriae.* — *d*) Cod. *omnis.* — *e*) In cod. additur *non contingendis proximis.* — *f*) Ita cod. — *g*) Ita cod. pro *amb.*

a) Cod. *spernes*. — *b*) Cod. *emitatus*. — *c*) Ita cod. — *d*) Cod. *delecti*. — *e*) Ita cod. *anb*. — *f*) Cod. *consulandos*. — *g*) Cod. *ovium*. — *h*) In textu corrige *sanctos* pro *sancto*. — *i*) Ita cod.

SPECIMEN OPERIS S. CYPRIANI

EX EODEM CODICE SESSORIANO.

Sacrorum bibliorum veteris, ante vulgatam hieronymianam, translationis nusquam sunt tam copiosae partes, quam in S. Augustini quod hactenus nos edidimus Speculo, et in tribus S. Cypriani ad Quirinum libris, qui item inscribuntur sacrae scripturae testimoniorum *adversus Iudaeos; quod opus ac titulum evidenter imitatus est in suprascripto opere Augustinus. Iam vero in eodem antiquissimo sessoriano codice, post Augustini Speculum, eadem manu exàrati sequuntur praedicti libri Cypriani, quos ego cum angli Felli editione comparans, multam vocabulorum varietatem in textu deprehendebam, saepe vero consonantiam in scholiis criticis, ubi veterum codicum referuntur lectiones, quin tamen a Fello sessorianus codex consultus umquam cognitusve fuerit. Profecto animus ferebat, Cypriani quoque hos libros heic describere, et sic veterem bibliorum translationem auctiorem, puriorem, magisque archaicam, sessoriani codicis ope, efficere: verumtamen lucubrationibus aliis intentus, Cyprianum, alioqui iam saepe editum, invitus omittam; contentus specimen saltem eius, varietatum causa, recitare ex primi libri initio.*

Cap. I. Iudaeos in offensam Dei graviter deliquisse, quod Dominum reliquerint, et idola secuti sint.

Exod. XXXII. 1. In Exodo. Populus ad Aron: exurge et fac nobis deos qui nos praecedant; quia Moyses
31. vir hic, qui nos eiecit de Aegypto, quid ei acciderit non scimus. Item illic. Moyses ad
Dominum: precor *a*), deliquid *b*) populus hic delictum grande; fecerunt sibi deos aureos et
32. argenteos. Et nunc si dimittis eis delictum, dimitte *c*): sin autem, dele me de libro quem
33. scribsisti. Et Dominus dixit ad Moysen: si qui *d*) deliquid ante me, deleam *e*) eum de libro
Deut. XXXII. 17. meo. Item in Deuteronomio. Sacrificaverunt daemoniis, et non Deo. Item in libro Iudicum.
Iudic. II. 11. Et fecerunt filii Istrahel *f*) malignum contra dominum Deum patrum suorum, qui deicit *g*)
12. eos de terra Aegypti, et secuti sunt deos a gentibus *h*) quae circa illos, et offenderunt Do-
12. minum, et reliquerunt Deum, et servierunt Bahal. Item illic. Et adiecerunt filii Istrahel facere malignum contra Dominum, et servierunt Bahal et diis alienigenarum, et reliquerunt Dominum et non servierunt illi (1).


Cap. II. Quod prophetis *i*) non crediderint, et eos interfecerint.

Hier. VII. 25. Aput *k*) Hieremiam Dominus dicit: misi *l*) ad vos servos meos prophetas: ante lucem mit-
26. tebam, et non audiebatis, neque intendebatis *m*) auribus vestris, dicens: convertatur unus-
XXV. 4. quisque a via sua mala et a nequissimis adfectationibus vestris; et habitabitis in terra ista,
5. quam dedi vobis et patribus vestris a saeculo usque in saeculum. Nolite ambulare post deos
6. alienos, ut serviatis eis, et ne adoraveritis eos, et ne incitetis me in operibus manuum ve-
7. strarum ad disperdendos vos; et non audistis me. Item in Regnorum III. *etc.*

a) Cod. *praecor*, ut apud Augustinum. — *b*) Ita etiam August. — *c*) Ita variat etiam apud Aug. *dem.* et *dim.* — *d*) *Si qui* pro *si quis*, bona latinitas ut apud Cic. de rep. — *e*) *Deleam* pro *delebo* etiam apud Aug. cap. 54. — *f*) Ita cod. ut saepe apud Aug. — *g*) Ita cod. — *h*) Ita cod. Et sic alii codices in Felli editione. — *i*) Cod. *prof.* heic et postea, sicut apud Aug. — *k*) Ita cod. — *l*) Cod. *misit.* — *m*) Cod. mendosissime *nunc quae indebatis* pro *neque intendebatis*.

1) Heic cessant Cypriani testimonia capituli primi in codice sessoriano. Et quidem sic fit etiam in aliis codicibus apud Fellum. Ergo testimonium ex Malachia additum illic in editione, interpolatio operis videtur posteriorum hominum manu, ut fieri solet in huiusce generis scriptis. Prorsus autem oporteret cyprianici operis textum universum cum augustiniano abs philologo aliquo, qui beato otio abundet, comparari et invicem illuminari.

S. Augustini de Genesi ad litteram ex codice saeculi VII.



SANCTI AUGUSTINI

OPERIS DE GENESI AD LITTERAM

CAPITULA SEU SUMMARIA LIBRORUM XII.

Codex sessorianus XIII. membraneus in fol., de quo Cardinalis Besutius, cisterciensis ordinis decus, initio voluminis ita scripsit: « codex est antiquissimus, et secundum specimina characterum » Mabillonii, videtur vel scripturae romanae secundae, vel saeculi septimi; » mihi quidem codice ipso Speculi videtur antiquior, adeoque inter codices sessorianos facile princeps. Specimen habes, lector, a nobis fideliter aere cusum. Summaria autem continet, inserta ipsi operi, seu capitula ut dixi librorum XII, primo excepto, cuius nonnisi clausula legitur ob folium amissum. Iam vero summaria haec manu eadem scribuntur qua totus codex; ergo non sunt omnino posteriora saeculo septimo; immo vero, nisi forte ipsius Augustini sunt, quod vix crediderim, coaeva certe eidem credenda videntur, ideoque in classicis scriptis iure meritoque numeranda; et in futuras Augustini editiones inserenda. Inedita enim erant et incognita hactenus editoribus Augustini; et cum per se pretiosa sunt, tum etiam demonstrant, longe diversam fuisse capitulorum cuiusque libri divisionem, ab illa quam nostri typographi fecerunt. Ergo, exceptis libri primi summariis, quae cum deperdito ut dixi folio perierunt, et quae fuisse ·XXIII· constat ex ipso opere in codice, reliquorum ·XI· librorum summaria, heic nos fideliter imprimenda curabimus. Ceteroqui numeros non romanos ut sunt in codice, sed ob typorum paucitatem, arabicos ponemus.

EXPLICIT LIBER PRIMUS. INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

1. Quaeritur utrum aquae possint esse super caelos. cod. f. 14.
2. Quod aer sit aquis superior.
3. Ignis natura super aerem *a*).

Deest summarium quartum.

5. Quod aer modo quodam possit caelum appellari.
6. Quod nubes fiant ex aquis et aere.
7. Argumentum ex dictis alienorum de stella quam Saturni appellant.
8. Dicit quod ratio creaturae aeterna sit in verbo Dei; et prima sequens sit cognitio eius in intellectuali creatura; deinde conditio creaturae.
9. De motu caeli.
10. Quaeri solet cuius quantitatis luna sit facta.
11. Quaeri solet utrum sit aequalitas splendoris in sideribus.
12. De fatis, quare notationibus siderum mentiuntur.
13. Quibus rebus divinatio aliquando contingit.
14. Solet quaeri utrum caeli luminaria animata sint corpora.

Explicuerunt capitula.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

1. Quod aer quodammodo dicatur caelum, et quod possit etiam pluraliter dici, et caeli, sicut et terrae. cod. f. 29

a) I. m. *aere.*

2. Probatio ex epistola Petri secunda apostoli.

3. Opinio quorundam quod elementa alternis possint mutari invicem.

4. Opinio quorundam, qua quinque sensus hominum per quattuor elementa mundi distingunt *a*).

5. Ignem dicunt omnem motum facere in sensibus.

6. Ordinatus motus animae agitantis sensus vigorem per subtilius corpus, id est per ignem omnibus elementis admixtum.

7. Olfactum dicit datum explorandis vaporibus, gustatum vero liquoribus explorandis.

8. Quod terra omnibus sit elementis admixta.

9. De igne isto dicit crasso tangibili, qui a terrenis et humidis motibus existit.

10. Utrum pisces memoriam habeant nec ne.

11. Opinionem philosophorum ex distributione animalium et elementorum.

12. Quod lectorem movere potest quomodo dictum sit secundum genus.

13. Quaestio de animalibus aquatilibus.

14. Quaestio de minutissimis animalibus.

15. De animalibus venenosis et perniciosis quaeri solet.

16. Quaestio cur bestiae invicem nocent.

17. Qur *b*) bestiae dilacerant corpora hominum mortuorum.

18. Quaestio de spinis et tribulis *c*).

19. Qua in parte sit homo factus ad imaginem Dei.

20. Quaestio de cibis corporalibus et homine inmortali.

Explicuerunt capitula.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUARTI.

cod. f. 44. 1. Utrum species et privatio *d*) possit dies et nox, vel mane et vespera, recte intellegi.

2. De senario numero.

3. Hic diversa ratio numerorum perfectorum, inperfectorum, plusquam perfectorum.

4. Utrum mensura; numerus et pondus erant alicubi ante quam fieret universa creatura.

5. Quod mensura, et numerus, et pondus, non in rebus visibilibus tantum animadverti possit, sed in affectionibus animi, et negotiis mentis.

6. Quid numerus sine numero, quid pondus sine pondere.

7. Mutabilitatis esse dicit, augmenta et deminutiones, multitudinem et paucitatem,, levitatem et gravitatem.

8. Dicit intellegibiles numeros etiam sine rebus visibiliter numerosis, mentis aspectu videri, et non alibi quam in eadem mente.

9. Praecessisse dicit senarii numeri perfectionem omnia quae in sex diebus sunt creata perfecta.

10. Quo *e*) genere locutionis intellegatur dictum requievisse Deum, quem nefas est credere laborasse.

11. Quaeritur quomodo utrumque sit verum, quod Deus dicitur requievisse, et quod usque nunc operatur.

a) Ita cod. cum *u* unica, ut in aliis codd. — *b*) 2. m. *quur.* — *c*) 1. m. *tribolis* — *d*) Cod. *pribatio.* — *e*) Cod. *quod*

12. Quod Deus non diem illum operationis sanctificaverit, sed solum quietis, et quod plus aput *a*) eum quies valeat quam operatio etiam bona.

13. Quod vitium et infirmitas sit animae in opere suo, ita requiescere quasi in summo bono.

14. Requies Dei dicta tropice.

15. Non in nobis, sed in Deo requiescendum.

16. Quod finis diei vespera sit, id est nox, et initium alterum diei mane, ut ordine naturali dies a luce agnoscatur incipere *b*).

17. Hic lucidius dicit finem diei vesperam *c*) esse, et alterius initium mane.

18. Et hic in vespera finiri diem ostendit.

19. Quaeri potest quemadmodum Deus in se ipso requieverit, qui in rebus licet ab se creatis tamquam nullius indiguus 1), non recte dicitur vel creditur requievisse. Et utrum dies septimus creatura sit aliqua.

20. Dicit posse sic intellegi, ut unum diem creaverit *d*) Deus, quem fecit primum, cuius repetitio usque in septimum facta est, quando dicitur requievisse Deus ab omnibus quae fecit.

21. Hic incipit docere quomodo possit accipi mane et vespera, non secundum quod notum est etiam sensibus carnis in temporibus, sed secundum intellegibilem modum in rebus a Deo creatis; ut mane, sit prima cogitatio faciendae creaturae in verbo Dei; et vespera, sit factae creaturae cognitio in se ipsa. Et rursus alterius diei mane, cum species creaturae ad laudem creatoris refertur, et incipit altera cognitio faciendae alterius creaturae de verbo Dei accipiat 2) ut in verbo Dei videri.

22. Quod prophetia lucerna sit dicta.

23. Quod non forma operis creati sint dies, sed ordinata sanabilis cogitatio faciendae, vel ad laudem Dei referendae, etiam factae creaturae; qui dies non isto modo usitato cogitandus insinuatur, sed longe aliter, longe incomparabiliter.

24. Simul esse dicit sive intellegibilium ratione, sive in hoc mundo visibili, et diem et vesperam et mane, sed in parte locatis non adparere ad visum.

25. Potentiam spiritalem mentis angelicae (cuncta quae voluerit simul notitia cod. f. 63. facillima conpraehendere 3).

26. Quod tempora et temporalia cunctos numeros, quos peragunt, non temporaliter acceperunt.

27. In rebus simul factis, et esse prius et posterius, et propter usitatum temporum cursum non posse sicuti est integre dici.

28. Prius et posterius in conexione creaturarum esse, non in efficacia creatoris.

Explicuerunt capitula

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUINTI.

1. Hic evidentius dicit declarari unum diem fecisse Deum, cuius repetitione per- cod. f. 65. ventum est usque ad septimum; et eum non de his solaribus fuisse, vel forsitan esse adfirmat.

a) Ita cod. ut in aliis saepe codd. pro *apud*. — *b*) I. m. *inquipere*, et deinde *inquipit*. — *c*) Cod. *vespera*. — *d*) Cod. *creavit*.

1) Ita cod. cum duplici *u*. Adde autem hoc exemplum illis S. Paulini apud Forcellinum.

2) Ita mendose vel obscure codex. In libri tamen contextu n. 39. vera lectio sensusque loci: *mane autem post hanc vesperam : quo concluditur dies unus, et inchoatur secundus, conversio sit eius, qua id quod creata est, ad laudem referat creatoris, et percipiat de verbo Dei cognitionem creaturae, quae post ipsum fit.*

3) Haec supplevimus ex contextu.

2. Hoc scribturae divinae loco caelum et terram non ut prius generaliter, sed haec nota insinuat specialiter facta quae nunc videntur.

3. Hunc diem lucis corporeae dici, ut si tantum cottidianum, discretum tamen ab illo nobis ignoto, qui factus est primus, et dictus est unus.

4. Vel utriusque sententiae, et quod omnia simul, et quod unus factus est dies inter omnia.

5. Scribtura divina volentibus et valentibus in ea proficere.

6. Dicuntur facta ante quam produceret ea terra.

7. Non ipsae *a*) ex seminibus, sed ex terra.

8. Creatura Dei aliter nobis; illis primordialiter vel originaliter; nobis autem; sicut per ordinem temporum, utcumque docemur.

9. Ab opere et usque nunc operantis Dei.

10. Fuerint tempora, et quod tempus *potius* a creatura, quam creaturam ex tempore; utraque tamen ex Deo.

11. Differentia est dierum illorum septem, et istorum solarium. Similiter et operationis quae in illis facta est, et quae usque nunc fit a Deo.

12. Haec duo ideo dicit adiuncta, ut viridia agri ante manifestentur facta quam exorta.

13. Hinc incipit intimare *b*) quae secundum moras temporum fiant ex illis quae causaliter facta sunt omnia simul.

14. Quaeritur qui fons unus ad inrigandum faciem totius terrae sit fueritve idoneus.

15. Quod non omnia gesta sicut per se tempora cucurrerunt scribta sint, sed quae Spiritus sanctus praefigurationibus apta iudicavit *c*).

16. Argumentatio adversus scribturam.

17. Utrum fontem totam terram rigantem, abyssum vult intellegi, ex quo omnes aquae varia fontium eruptione *d*) per totam terrae faciem fluunt.

18. Sidera moveri, caelum mutari, germina pullulare, grandescere, virescere, arescere: animalia concipi, perfici, nasci, et per aetates usque ad senium mortemque decurrere.

19. Tria quaedam dicit: rationes incommutabiles creaturarum in verbo Dei: generalia condita, a quibus Deus in die septimo requievit; species generum, quas nunc in temporibus operatur Deus; et ab uno utcumque noto ad duo ignota, in quantum datur posse intellegentia proximari, primo per fidem, postea per concessam cognitionem.

20. Tenenda distinctio, pronuntiandae evangelii sententiae.

21. De his quae facta sunt omnia simul generaliter. Et quod Deus ante omnia saecula, cuius verbo a saeculo ipsum saeculum, et mundus factus est in saeculo, aut ea quae nascuntur in mundo.

22. Quod universae creaturae multa non novimus.

23. Hunc sensum in retractationum libro secundo correxit, eo quod apostolus legem dixit dispositam per angelos, non semen.

24. Quod omnis creatura a saeculis, et ipsa saecula creatura.

25. Hinc iam discernuntur opera, quae usque nunc Deus operatur, ab illis generibus eorum quae fecit omnia simul.

a) Ita cod. — *b*) Cod. *intimari*. — *c*) Cod. *dicavit*. — *d*) Cod. *variam ruptionem*

26. Omnis mensurarum modus, numerorum parilitas, ordo ponderum.

27. De genere et specie. Arboris huius species.

28. Conparatio ex praemissis adsumta, ut aditus pateat *a*) ad intellegendum quod dictum est, et omnia consummasse Deum die sexto, et usque nunc operari.

Explicuerunt capitula.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SEXTI.

1. De fabrica hominis.

2. Hinc incipit sub inquisitione ostendere, hominem non inter ea, quae fecit omnia simul primordialiter, sed inter ea, quae nunc operatur fuisse factum a Deo. cod. f. 51.

3. Quod inter cetera animalia omnia, simile adiutorium non fuerit inventum Adae.

4. Quaestio de lignis in paradiso creatis.

5. Inter ea omnia quae potentialiter sive causaliter Deus legitur simul fecisse, etiam hominem generaliter fuisse factum, huius loci contextio docet.

6. Hic hominis genus et species congruis demonstrationibus distinguntur.

7. Hic iam sub interrogatione et responsione probatio, invisibiliter secundum genus, et secundum speciem visibiliter, hominem fuisse factum a Deo.

8. Quaeritur utrum animae hominum sexto die formatae sint, et postea corpora, et per scribturam eandem dicitur adfirmari non posse, quod aliae creaturae, alias tempore, alias causis procedunt.

9. Hic dicit in quem modum fuerit homo factus causaliter, tunc cum fecit omnia Deus simul.

10. Hic quatuor veluti gradus ponit cognitionis rerum, vel agnitionis causalis, in verbo Dei, in elementis mundi, in rebus secundum originem suis iam temporibus factis in seminibus.

11. Docet perfectionem operis, quod Deus in origine mundi creavit omnia simul, inchoationem non alterius sed iusdem operis esse, quo *b*) eiusdem mundi administrationem usque nunc operatur.

12. Quaestio quomodo tunc inchoavit, quando consummavit.

13. Hic docet hominem in tempore suo formatum visibiliter, et invisibiliter, id est animam *c*) et corpus, et ante hanc formationem praedestinatum dicit in praescientia Dei.

14. Hominem dicit non ideo ceteris in hoc mundo animalibus praelatum, quia ab ipso proprie dicitur factus, sed quia imago in eo et similitudo est Dei.

15. Manus Dei est non visibile membrum, sed efficiendi potentia.

16. Instructio etiam non parva ex statura corporis nostri ad caelestia requirenda.

17. Quod voluntas Dei sit summa causa, a qua rerum causae ordinatissime, ut ei placuit, extiterunt.

18. Quaestio, utrum origo perfectas in se rerum formas gestarit, an perficiendas per temporum legales numeros, et successus aetatum; et respondetur utrumque inditum primordialibus causis, quo creatura omnis ab origine conditionis suae serviat arbitrio creatoris.

19. Hic voluntate Dei omnipotentis, bonitate, et nulla necessitate hominem fecisse, subtili disputatione monstratur.

a) Cod. *pareat*. — *b*) I. m. *quod*. — *c*) Cod. *anima*.

20. Et hic posse, et necesse esse, quam vim in verbis vel effectis optineant, subtilissime demonstratur.

21. Hic Ezechias inducitur ad documentum possibilitatis et necessitatis.

22. Quod Adam credibilius dicatur perfectae virilitatis factus a Deo.

23. Quaeri solet, utrum animale corpus hoc nostrum sit formatum e limo, non spiritale.

24. Alia quaestio utrum spiritale corpus sit factus Adam.

25. Hinc incipit ratio edocere, inmortale corpus fuisse Adae ante peccatum, ac per hoc et spiritale.

26. Quod mors etiam corporis de peccato sit.

27. Quod hoc corpus recipiemus in futuro secundum quendam modum; et rursus non hoc secundum quendam modum.

28. Corpus Adae et mortale secundum quendam modum, et inmortale secundum quendam modum.

29. Hic differentia ostenditur corporis ante peccatum, et nostra post peccatum ex ipso, utriusque tamen animalis.

30. In hoc renovamur nunc secundum quod amisit Adam, quod nunc per gratiam recuperatur in nobis. Adam enim et quod fuit, et quod esse potuit, peccando amisit.

31. Hic elucet quid sit in Adae pristinum quod perdidit renovari, et quid melius quod speratur donari per fidem.

Explicuerunt capitula.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SEPTIMI.

cod. f. 97. Et finxit Deus hominem pulverem de terra, et flavit in faciem eius flatum vitae, et factus est homo in animam viventem. Haec verba scripturae nobis *a*) et in principio.

1. Quaestiones et responsiones adversus Manichaeos.

2. Argumentum ex nobis collectum quod aliud sit anima, aliud flatus noster.

3. Non dubitandum quod posset anima etiam ipse flatus credi.

4. Anima non de corpore mundi, non de substantia Dei.

5. Anima quaeritur utrum ex nihilo, an ex aliqua re.

6. An in illis sex dierum primordialibus causis non animae natura, sed ratio tantum erat creandae eiusdem naturae.

7. Hic adfirmatione suspensa, veluti quaerens propriam quandam animae substantiam vult intellegi in illis sex dierum primordialibus causis factam a Deo.

8. Quibus rebus anima fit deformis, et rursum quibus reformetur.

9. Alia quaestio, et ex ea quam multae propositiones sequantur.

10. Quae species eius vivit an non? quid agit? quid *b*) confert? beate an misere vivit? an neutrum? vivificat aliquid, an vacat?

11. De anima inrationali non fieri rationalem, nec ipsam inrationalem de corpore.

12. Hic Platonicos vel Manichaeos tangit.

13. Homines bestiis similes vitae genere, non transmutatione naturae.

14. Quod quidam dicunt, fuisse vel inveniri *c*) aliquando qui se recordentur iam

a) Ita cod. — *b*) Cod. *qui*. — *c*) Cod. *inventri*.

ante fuisse in mundo, aut falso narratur, aut ludificationibus daemonum geritur in mente *a*) eorum qui id imaginantur.

15. Non est anima pecoris animae humanae materies. Utrum corpus terrenum et humidum, nec hoc? utrum aqua, nec hoc?

16. Utrum aer sit materies animae rationalis?

17. Hic superior propositio refutatur.

18. Omne corpus in omne corpus posse mutari, opinio est quorundam *b*). In animam posse converti, nec fides patitur, nec quisquam ausus est adfirmare.

19. Anima corporis sensibus, velut nuntiis quibusdam, utitur ad corporalia cognoscenda.

20. Anima nec de omnibus elementis mundi concreata, nec uno quolibet.

21. Motus ex necessitate in arbustis et reliquis viridibus *c)* sine sensu internus.

22. Cerebri rationem tripertitam dicit secundum medicinae doctrinam.

23. Tres quidam velut ventriculi cerebri demonstrantur; anterior, ex quo sensus; posterior, a quo motus; medius, in quo memoria viget.

24. Per lucem et aerem duo superiora mundi corpora, et corpus administrari ab anima dicit, quorum nec utrum *d*) sit ipsa.

25. Non esse audiendos dicit, quintum corpus, ex quo anima facta sit, in elementis mundi conantes asserere.

26. Quod anima non sit corpus, non Deus, vel pars Dei; non sit vita sine sensu, non vita sine ratione; sed vita nunc minor quam angelorum, si praecepta servaverit Dei.

27. Aut nihil fuit, aut hoc est quod fuit. Et quaeritur, si omnino non fuit.

28. Si ratio causalis in creatura erat, quaeritur, in qua? et si agebat aliquid in qua illa erat quae otiosa latebat?

29. Quaeritur an forte in illius primi diei natura causalis haec ratio sit a Deo inserta?

30. Durum est, angeli vel archangelorum filiam dicere animam.

31. Hic oritur quaestio cur anima corpori sit inserta.

32. Quaeri potest utrum conpellatur, si nolit venire.

33. Frustra quaerunt ex qua velut materia facta sit anima, quam Deus fecit ex materia spiritali cum fecit omnia simul.

34. Commonitio ad instructionem necessaria.

Explicuerunt capitula.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI OCTAVI.

1. Argumentum ex rebus manifestis. cod. f. 112

2. Duos libros se scribsisse commemorat de libro geneseos adversum Manichaeos.

3. De ligno vitae non allegorice tantum, sed et historice et figurate.

4. De ligno scientiae bonum et malum dinoscendi.

5. Locum huius paradisi a cognitione hominum dicit remotum. Flumina aliqua dicit mergi sub terra, et alibi tanquam pro fonte manare. Hoc in Plinio legitur, ubi historiam scribsit rerum naturalium.

6, Credibile *e*) dicit, hominem primo agriculturam sine labore exercere.

7. Conparatio arboris et hominis decenter posita.

a) Cod. *mentes.* — *b*) In margine: *medicina dicit.* — *c*) Cod. *viribus.* — *d*) Ita cod. pro *neutrum.* — *e*) Cod. *credibilem.*

8. Quo pacto homo iustus beatusque esse possit.

9. Hic ad Deum conversio demonstratur, non propter aliquid aliud, sed propter ipsum Deum.

10. Quod inoboedientia fuit mali origo, hoc est desertio boni.

11. Fieri posse dicit, ut quis quod nesciat, aut eligat aut contemnat: quae duo, electio et contemtus, aliter fiunt per prudentiam boni, aliter per experientiam mali.

12. Omnium inexpertorum nomina, si privationum sunt, a contrariis quae iam novimus; si vero specierum sunt, a similibus cognoscimus.

13. Spiritalis creatura modi sui mutationem patitur cum per tempora movetur. Corporalis autem duplam mutationem patitur, dum per tempora et locos movetur.

14. Primus gradus ab imis est hic, ut in quantum potest mentis erigatur vel exerceatur intentio, quo ostenditur quia ea quae loco moventur ab eis quae loco fixa sunt innituntur.

15. Hic ternus ascendendi gradus est, quod Deus per omnia immutabilis quantum conceditur agnoscatur.

16. Hoc, secundum gradum, arbitror pertinere, ea discretione qua boni angeli non localiter ac temporaliter incommutabili veritate fruuntur; licet localiter et temporaliter, ut imperatum a Deo fuerit, subiectas sibi moveant creaturas.

17. Spiritalis creatura sicut angelorum intrinsecus adiuvatur *a*), extrinsecus adiuvari non egens.

18. Angelica actio duobus modis extrinsecus dicitur hominem adiuvare *b*) providentiae Dei serviens.

19. Adae sub duplici opinione per creaturam dicit Deum fuisse locutum, licet non definiat per quam creaturam.

Explicuerunt capitula.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI NONI.

cod. f. 132. 1. Hic praevenit quaestionem propositione levi, et hanc responsionem duobus modis adnexam *c*) explicuit.

2. Rursum quaeritur quibus modis locutus sit Deus, utrum temporalibus vocibus ac syllabis.

3. Utrum in somnis, an in extasi, an sicut prophetis revelari solet, an per corporalem creaturam, non potest conpraehendi.

4. Deum per sibi subditam creaturam multis modis innotuisse homnibus, sequentia huius loci ostendunt.

5. Adiutorium homini faciendum secundum ipsum, si quaeratur, respondetur propter filios faciendos.

6. Honorabiles nubtias et torum inmaculatum in paradiso esse potuisse, non ex definitione dixit: sed non se videre quid inpedire posset, adseruit; et hominem posse non mori; transferri hunc potuisse ex merito, ut non posset mori.

7. Argumentum ex simili pro corporis inmortalitate.

8. Hic responsiones responsionibus obiciuntur, ut superflua vacuentur, quo cautius demonstretur adiutorium Adae non ob aliud factam fuisse mulierem, quam ut filios procrearent.

a) Cod. *adiubatur*. — *b*) Cod. *adiuvari*. — *c*) Cod. *adnexa*.

9. Opinatione propositae decessionis hominum et successionis filiorum, suspensa definitione, respondet.

10. Argumentum ex simili de Helia translato.

11. Hic sensus instruit et inluminat quod apostolus coniugia casta informans ait: hoc autem dico, non ut laqueum vobis iniciam, sed ad id quod honestum est.

12. Difficile esse dicit ut quis perverse declinans, non in eorum contraria perniciter currat. Contraria vitiorum vitia *a*) ex vicinitate quadam sibi nomen virtutum usurpant.

13. Propter unitatis vinculum commendandum, ab uno coepit generis humani propago.

14. Argumentum quo probatur *b*) homo etiam ante peccatum modo quodam mortale corpus habuisse, non quod necessarie moreretur, sed quod posset etiam mori. Ex quo subintellegitur a summis sui cuiuslibet modi ad inferiora poenali condicione deduci, hoc esse quod dicitur mori.

15. Hic adversus Iulianum libidinis defensorem.

16. Rursum ad quaestionem redit, et definitionem suam ita confirmat, ut meliorem locum habeat si cuiquam forte occurrat.

17. Quaeritur, quare sit factum ut adductis ad se a Deo Adam omnibus animalibus nomina imponeret.

18. Hic credibiliter respondetur nomina secundum hominum consensum *c*) in diversis linguarum sonis haberi.

19. Non se suscepisse dicit prophetica aenigmata perscrutari, sed rerum gestarum fidem ad proprietatem historiae commendare.

20. Quaeritur quid sibi vult, quod mulier de viri latere facta est.

21. Hic ratio idearum, quibus usque ad appetitum cum bestiis passione communi urguemur *d*). Deinde iudicii, quod *e*) ab eis discernimur, mira subtilitate ostenditur unde originem sumat.

22. Quaeritur mulieris formatio vel aedificatio quemadmodum facta sit.

23. Dicit angelos in rebus creandis vel reformandis tantum valere, quantum rusticos in surculis plantandis, vel seminibus iaciendis, vel medicos in aegrotis reficiendis vulneribusque curandis. Deo crementum ac sanitatem donante, ministerium servitutis novimus exhibere.

24. Iterum commemorat bipertito opere providentiae, quod Deus universam creaturam et in naturalibus et in voluntariis motibus administrat.

25. Hic sensus emendatus immo correctus est in retractationum libro secundo.

26. Quaeritur utrum in illa hominis causalis rationis conditione sic iam fuit, ut necesse esset feminam ex latere viri fieri.

27. Hinc Adam propheta manifestatur.

Explicuerunt capitula.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI DECIMI.

1. Hic opinionem quorumdam asseruit, qui volunt ex semine animatorum cor- cod. f. 146.
porum animata corpora et concipi et nasci, ut ita ducatur anima ex anima, et sicut de corpore corpus.

a) Cod. *vitiativae*. — *b*) Cod. *quod probatus*. — *c*) Cod. *consenium*. — *d*) Ita cod. — *e*) Num. *iudicium quo?*

2. Brevis praescriptio sed non satis idonea ad rationem, qua praelata suspicio *a*) possit refelli.

3. Hoc tolerabilius dici adserit, ne contra verba scribturae edicerentur *b*) quae consequenter adnotata sunt, quorum primum est hoc contra insignitum.

4. Iam nunc tres quasi congruas opiniones ponit, inter quas medius velut arbiter et inquisitor ac disputator incedit. Quarum una est an *c*) generaliter causalis ratio in primis operibus Dei facta sit *d*), ex qua origine animae fiant. Altera, si ex traduce parentis Adae *e*); tertia si ex nihilo singulis novae fiant, sicut ipsius Adae una et prima.

5. Utrum ex causali satione *f*) quae latet in mundo, an ex seminali ratione quae occulta est in homine.

6. Hic alias tres opiniones, aliis tribus vicissim a contrario respondentes, ponit respuendas omnino.

7. Negatur ex angelis animas fieri, multo minus ex aliquo mundi elemento; ubi exemplum figuratae resurrectionis ex Ezechielis prophetia inseritur; et nulli harum opinionum convenire monstratur.

8. Hic duas opiniones ponit, secundam et tertiam, et cuinam harum testimonia divinae legis suffragentur inquirit.

9. Hic quomodo debeat accipi testimonium de libro Sapientiae disputatur.

10. Quaeritur hoc testimonium de psalmo centesimo tertio, cui de illis tribus opinionibus suffragetur.

11. Aliud de libro Ecclesiaste similiter et pro simili causa in disputationem *g*) mittitur.

12. Quod Adae anima ex nihilo sit facta a Deo, et quod ad factorem redeat, et esse quasdam quae non redeant.

13. Hic dubia propositio dubiam responsionem vel opinationem generat.

14. Hic testimonium apostoli quaeritur, utrum possit utrique opinioni convenire.

15. Cavendum ne Deus auctor dicatur esse peccati; vel possit esse natus ex concubitu cui non sit opus gratia redemptoris.

16. Ex hoc testimonio apostoli ostenditur, nec carnem sine anima, nec animam sine carne potuisse peccare.

17. Argumentum ad probationem quod tropice dictum sit, caro concupiscit.

18. Hic necessitatem peccandi non ex natura vult intellegi sed ex poena.

19. Manichaei dicunt carnem propriam quandam animam habere suam ex alia natura contraria Deo.

20. Argumentum adversus eos, qui de inordinato concubitu dicunt non debere filios nec concipi nec creari, aut solos debere nasci tantummodo perituros.

21. Hic respondetur ex persona eorum, qui singulas singulis dari opinantur.

22. Quaestio a secunda opinione, et responsio a prima, et argumentum a secunda.

23. Hic primae opinionis adsertores deseri testimoniis legis dicit, sed non deseri argumentis: nam ex persona eorum dicit propter futuros actus aut baptizari infantes aut non baptizari.

24. Et quam *h*) peremptorie praescribitur apostolico testimonio his *i*) qui animabus ante quam ad corpora veniant ulla merita conantur tribuere.

a) Cod. *suscipio*. — *b*) Ita cod. — *c*) Cod. *in*. — *d*) Superscribitur *olim facultas sit*. — *e*) Cod. *ad ea*. — *f*) Cod. *sactione*, vel *causalis actione*. — *g*) Cod. *disputatione*. — *h*) Cod. *ut quem*. — *i*) Cod. *his quae*.

25. Argumentum pro secundae opinionis assertione.

26. Hic recursum, facit ut disputet de illo quod distulerat ex libro Sapientiae si possit inveniri cui ex praemissis opinionibus suffragetur; et primo ostenditur primam iuvare *a*).

27. Haec si de homine dominico velim accipere.

28. Quod caro Domini non fuerit caro peccati, sed similitudo carnis peccati.

29. Quod anima hominis Domino *b*) tolerabilius dicatur; sine adfirmatione sententiae unde prima hominis, quam de primo homine.

30. Dicit sortis nomen huic singulari animae fuisse adiunctum ad auferendam suspicionem praecedentium meritorum.

31. Argumentum pro secunda opinione.

32. Hic medius expectator *c*) utriusque, partes suas agit.

33. Argumentum pro prima opinione.

34. Quod anima Christi non sit ex traduce Adae, adversum opinionem secundam.

35. Huic respondet, qui medius inter utrosque disceptantes incedit.

36. Argumentum de auctoritate scribturae pro his qui dicunt animas desuper dari.

37. Hic ammonitio *d*) salubris erga secundam opinionem adsertorum, quod anima non sit corpus, ne ex propinquitate quadam etiam Dei corpus esse credatur.

38. De blasphemiis Tertulliani.

39. Argumentum ipse *e*) quo tamen convincitur se impugnasse ratione docente.

Explicuerunt capitula.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI UNDECIMI.

1. De eo, quod erant ambo nudi primi homines facti. cod. f. 158

2. Serpens autem erat ibi prudentissimus.

3. Abusione dicitur sapientia in malo, sicut astutia in bono.

4. Hic *f*) quaeritur quur Deus temtari permiserit hominem.

5. Quur etiam nunc temtari homines permittat Deus.

6. Quaestio praesumtiosa, et responsio ordinata.

7. Hic breves propositiones et responsiones contexuit.

8. Hic quaeritur cur *g*) per serpentem diabolus temtare permissus sit.

9. De natura diaboli quaeri solet. Hic Manichaeos vult intellegi.

10. De diabolo quid secundum scribturas dicendum sit.

11. Quid sit superbia, et quid invidentia.

12. Specialis avaritia amor pecuniae pro generali ponitur hoc loco ab apostolo.

13. Duo amores, socialis et privatus *h*).

14. Quod etiam in diabolo ipso superbia praecesserit, invidentia secuta sit.

15. Opinationem de diabolo ponit, quam mox evacuat.

16. Haec quaestio de beata vita potest et de ipso primo homine oboriri, utrum fuerit eius praescius ante peccatum.

17. Adam ante peccatum ad certum modum beatus.

18. Hic opinationem quorundam subicit, qui duo genera angelorum bonorum conantur adstruere, inferiorum et superiorum, supercaelestium et mundanorum.

a) Cod. *iubare*. — *b*) Ita cod. — *c*) Pro *spectator*. — *d*) Ita cod. pro *adm*. — *e*) Cod. *ipse*. — *f*) Cod. *si* pro *hic*. — *g*) Ita cod. At alibi *quur*, vel *qur*. — *h*) Cod. *pribatus*.

19. Suam opinationem quaestionis violentia coartatus de diabolo ponit, suspensa tamen adfirmatione.

20. Quid sit initium figmenti, quod sub persona diaboli ponitur in Iob.

21. Quod ergo putatur diabolus in veritate non stetisse.

22. De diabolo in Esaia, quomodo ceciderit de caelo lucifer.

23. Corpus diaboli dicit in hominibus, et diabolum hominem appellari, et hominem diabolum dicit testimoniis roborari.

24. Item de diabolo et eius corpore in Ezechiele in figura principis Tyri.

25. Hic suam complexionem breviter *a*) repetit *b*).

26. In serpente diabolus locutus est utens eo velut organo.

27. Hic non dilucide quidem, sed subaperit quid sit ut inludatur ei ab angelis Dei.

28. Quid sit quod carminibus Marsorum dicantur *c*) moveri, et plerumque de latebris prosilire serpentes.

29. Prudentissimus dictus est serpens, sicut prudens dicitur lingua quae a prudente movetur, sicuti stilus mendax scribarum.

30. Hic fit conparatio serpentis et asinae Balam, et dicitur quod boni et mali angeli habent opera quaedam plerumque similia, sicut Moyses et magi Pharaonis, licet sit differentia potestatum.

31. Serpens praemisso mendacio in adpetitum propriae potestatis male credulos suadet.

32. Quid si ederunt, et aperti sunt oculi amborum.

33. Ad hoc dicit apertos oculos, quod ante non patebant.

34. Quod *d*) morbida et mortifera qualitas corporis et motus indecens, quam legem membrorum dicit apostolus, ex praecepti transgressione sit tractus.

35. Et vocavit dominus Deus Adam, increpantis voce non ignorantis.

36. Interrogatus Adam ait: mulier quam dedisti mecum, haec mihi dedit a ligno, et edi.

37. Increpat mulierem, nec ipsa confitetur peccatum.

38. Serpens non interrogatur nec increpatur, cui iam paenitendi locus non erat, sed ei *e*) statim maledicitur auctori *f*) peccati.

39. Quod omnis labor et tristitia et gemitus non esset, si *g*) non peccasset Adam.

40. Dixit Deus: ecce Adam factus est unus ex nobis.

41. Interdicto ligno vitae, dimittitur de paradiso Adam.

42. Hic opinationem quorumdam ponit de ligno contra [vetitum] tacto, sed *h*) suspendit adsensum

43. Quibusdam visum est nubtias suas eos fuisse furatos, sed inconvenienter adserit dictum.

44. Quaestio ex persuasu serpentis, et consensu Adae.

Explicuerunt capitula.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI DUODECIMI.

cod. f. 182. 1. De verbis apostoli tres quaestiones nasci solere dicit; unam, quid dicat tertium caelum; alteram, utrum illic paradisum *i*) intellegi voluerit: tertiam, utrum alibi postea sit in paradisum raptus.

a) Cod. *brebiter*. — Cod. *b*) *repperit*. — *c*) Cod. *dicatur*. — *d*) Cod. *quo*. — *e*) Cod. *Dei*. — *f*) Cod. *auctor*. — *g*) Cod. *nisi non*. — *h*) Cod. *sen*. — *i*) Cod. *paradisum* heic et alibi.

2. Dicit neque spiritum sine corpore ad loca corporalia, neque corpus sine spiritu ad loca spiritalia rapi posse.

3. Dicit animam dormientis quamvis mira vigilantia imagines corporum se in somnis videre sciat, fieri tamen non posse nisi ita imaginibus ducatur ac si corpora ipsa adsint: et in extasi quid alienata a sensibus carnis agat anima in homine vigilante.

4. Hic totum sub inquirentis et interrogantis agit persona, tres velut sententias examinans.

5. Hic redit ad apostolicorum verborum discussionem, ut elucescat unde dubitaverit apostolus, vel quid se dixerit scire.

6. Quare tertium caelum dicit illud quo raptus est, non signum aliquod corporale.

7. Et hic sub inquisitione et interrogatione et debita *a*) responsione diversa sensa examinat.

8. Proponit caelum illud aut corpus esse aut spiritum, et de his disputat tribus modis.

9. Hic quattuor genera visorum vult intellegi; unum, in manifesto vigilantis animae in corpore viventi: alterum quo dormiens videt in somnis: tertium quo *b*) in extasi recedit a sensibus corporis: quartum, cum relicto corpore exit anima, et videt aliquid, reditura ad corpus quod mortuum iacebat cum illa abesset.

10. De tribus generibus visionum, quae in uno praecepto demonstrantur.

11. Hic nomina trium visionum, corporale, spiritale, intellectuale.

12. Sciendum quod corporale aliquid vel proprie dicatur cum de corporibus agitur, vel translato verbo cum de intellegibilibus disputatur. Duo ergo sunt modi.

13. Spiritale insinuat pluribus modis dici, ex quibus quinque memorat non ad id quod proposuit pertinere. Et sextum ostendit ad quod agitur esse discretum.

14. Linguam dicit obscuras et mysticas significationes.

15. Intellectus mentis est proprius, qui est visus animi. Hinc prophetae videntes, id est manifesta vel manifestanda videntes vel loquentes.

16. Sextus modus quo appellatur spiritus vis animae quaedam mente inferior, ubi corporalium rerum similitudine exprimuntur.

17. Iterum quid sit spiritus vel spiritale insinuat.

18. Hic ostenditur quid corporalis visio possit, qui est illis duobus inferior.

19. Nihil intellegi vel requiri, nisi offensio mentis potest.

20. Requisitio et disceptatio in mentis actione consistit.

21. Quid nimia faciat cogitationis intentio, vel aliqua vis morbi, vel admixtio cuiusdam alterius spiritus.

22. Nonnullos dicit velle animam humanam habere quandam vim divinationis. Hoc refellit.

23. Corporales imagines semper signa aliarum rerum exhibere, minime dubitandum.

24. Sciendum quod per corporalem visionem, vel corporalium rerum imagines, et boni spiritus instruentes *c*), et mali fallant.

25. Cum visis corporalibus vel spiritalibus diabolus ludificat animam, si non erretur in veritate fidei et intellegentiae sanitate, nihil obesse dicit.

26. Phantasia est corporis vel corporalis actionis imaginatio.

a) Cod. *dubita*. — *b*) Cod. *quod*. — *c*) Cod. *instruente*.

27. Corporis sensus ad visa tantum corporalia valet.

28. Hic ratiocinatur ut ostendat praestantiores esse imagines corporum quae fiunt in spiritu, quam corpora ipsa in substantia sua.

29. Imagines hic illas vult intellegi, quas sibi cogitatione sua in se animus prius quam aliquid agere incipiat *a)* format, aut aliunde in se sensus *b)* ministerio, sed per se habet inpressas.

30. De eo qui spiritum patiens inmundum, dicere soleret *c)* presbyterum in alio loco manentem quando ad se fuisset venturus.

31. Hic de phrenetico *d)*, qui in sua passione mortem cuiusdam feminae praenuntiavit.

32. Hic de puero qui genitalium dolore affectus, ab omni corporis sensu recedens iacebat ut mortuus, ac rursum velut revivescens *e)* quae videbat referebat.

33. Hic istarum visionum et divinationum causas se ab alio velle audire, quam a se expectari dicit. Quid tamen de his sentiat, sine adfirmatione non celat.

34. Hic omnia quae praemisit visa, visis somniantium se conparare insinuat. Etiam cautam curiositatem revocat ac retundit.

35. Sufficere ad notitiam debere dicit non esse corpus, quaecumque sit illa natura visorum.

36. Unde daemoniaci, phanatici, arrepticii, falsi prophetae; unde etiam vera mysteria loquentes aut vere prophetae.

37. Cum a corpore causa est, quibus modis anima in se agit, et expressas in se a se corporum phantasias hic ostenditur.

38. In sede cerebri causam esse insinuat; unde intentio sentiendi dirigitur per quinque notissimos sensus suis quibusque velut propriis viis.

39. Si causa est intus in cerebro, quid ex hac nascatur, huius loci contexto docet

40. Tantum valere dicit animi intentionem, ut etiam sensibus corporis sopitis, imagines corporum a veris corporibus discere possit.

41. In una eademque natura visionis, id est spiritalis, differentiam quandam ostendit, et aliquando a contrario.

42. Dicit non adsumi spiritum hominis a bono spiritu, nisi ut aliquid significet.

43. Commemorationem facit iuvenum quorundam, qui iocantes inventi sint divinasse.

44. Item alterius qui ante symphoniam *f)* saltans, nesciens divinavit.

45. Hic dicit spiritalem quandam naturam esse in nobis, in qua corporalium rerum formantur imagines, quam formationem per modos dividit duodecim.

46. Hic spiritale visum ab intellectuali discernit; et hic quid valeat vel agat quaeve eo videantur ostendit.

47. In anima fieri dicit tria genera visorum, et habere ordinem suum, et esse alio aliud praestantius.

48. Corporalis visio sine spiritali esse non potest: spiritalis visio sine corporali fieri potest, sed indiget intellectuali: intellectuali autem utraque subiecta est.

49. In hoc apostoli testimonio, secundum superiores rationes, spiritum mentem dicit debere intellegi.

a) Cod. *[illegible]*. — b) Cod. *sen u.* — c) Cod. *diceret sol. reo.* — d) Cod. *[illegible]* — e) Cod. *ad [illegible]*. — f) Ita cod., non *[illegible]* ut in ed.

50. In illo primo visu corporali inluditur anima similitudinibus rerum ab intellegentia deficiens.

51. In spiritali visione fallitur anima, cum corporum imagines ipsa corpora arbitratur esse.

52. Hic per opportunitatem congruam quattuor illarum virtutum efficientias docet.

53. Hic de visione qua Moyses concupierat videre Deum et vidit, quemammodum *a*) sit intellegendum insinuat.

54. Si hoc tertium genus visionis dixit apostolus, tertium caelum prope lucet praeter illud *b*) corporeum.

55. Hic ostendit quot modis possit ex scribturis sanctis intellegi paradisus.

56. Ut hic sensus de paradiso confirmetur, datur conparatio ex Hierusalem, quae tribus modis *in* scribturis ostenditur.

57. Hic praeter illa tria genera visorum vel visionum, dicit se nec docere posse nec nosse.

58. Virtutes sive utiles sive perpetuo mansuras, aut per se mens rationalis, aut divinitus adiuta videt.

59. Si quaeritur utrum anima corpore exuta ad loca corporalia feratur, corpusve habeat, a se non posse definiri dicit.

60. Dicit animas corpore exutas, corporibus suis similes sibimet parere, et veram laetitiam veramque molestiam pati, factas *c*) de substantia spiritali.

61. Inferorum substantiam spiritalem magis quam corporalem arbitratur esse, tamen adfirmat.

62. Animam non esse corpoream definit, habere tamen posse similitudinem corporis et corporalium omnino membrorum. non esse negandum adfirmat. Hinc argumentum quod anima doceatur non corporalibus locis, sed corporalium similibus, aut requiem aut molestiam ferre post mortem.

63. Non parvum malum animae tristitiam esse dicit, ut superiora et consequentia huius loci demonstrant.

64. Hic non temere adfirmare se dicit utrum in tertio caelo sit paradisus: an et in tertium caelum, et inde rursus in paradisum, sit raptus apostolus.

65. Etiam sinus Abrahae post hanc vitam paradisus dici potest.

66. Inferi appellati sunt eo quod infra sunt.

67. Repetit et insinuat, secundum tria illa genera visorum, primum et secundum et tertium caelum.

68. Si quem movet quid opus sit spiritalibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere.

69. Dicit sapientes ita in his visis corporalibus esse, ut eis eorumque similitudinibus longe praestantiores esse *d*) intellegibilia videantur.

70. Tria illa genera visorum quidam ita posuerunt, ut primum dicerent corporale, secundum animale, tertium spiritale.

Explicuerunt capitula.

a) Ita cod. pro *quemadmodum*. — *b*) Cod. *illum*. — *c*) Cod. *facta*. — *d*) Cod. *se*.

Explicit liber duodecimus de genesi ad litteram.

Deo gratias.

DE EUGYPPII SUMMARIIS

MONITUM.

Inter augustinianos bibliothecae vaticanae codices, mirabili antiquitate est codex 3375. *membraneus in fol., speciei nobilissimae, scripturae romanae, quam dicimus secundi vel medii generis, prout in specimine videre est, quod in duodecima tabula exhibuimus. Is codex continet Eugyppii notum illum ex Augustino thesaurum, quem iamdiu impressum legimus, sed tanti codicis ope valde emendatum iri speramus. Illud tamen in nostro codice est praecipuum, et a nobis nunc commendandum, summaria scilicet cunctorum capitulorum, non antiqua tantummodo, sed ab ipsius, ut plane credimus, Eugyppii manu profecta, ideoqae partem operis non immerito constituentia. Profecto in eugyppiana Heroldi editione, summaria operis extant; sed ea quam saepe ab his nostris differant, lectores per se comperient. Nam et ipse verborum contextus non raro discrepat, et interpolationes multae sunt ibi obtrusae; et quod apprime interest, legentesque percellet, capitulorum alius prorsus ordo seriesque est. Quamobrem si quis Eugyppium recudendum suscipiet, is codicis vaticani usu carere non poterit. Et quidem ad Augustini sanam criticen, rectamque lectionis constitutionem, hic prae ceteris antiquissimus codex proderit. Haec autem summaria bis in vat. codice scribuntur, nempe primo simul omnia initio (etsi primum folium cum* 29. *numeris excidit) tum rursus in operis corpore, additis etiam locorum Augustini indiciis. Quare et hanc textus duplicis commoditatem habuimus, ut supplere invicem atque illustrare vel emendare licuerit.*

Et quia de summariis agimus, patiatur parumper lector, ut ad illa recurramus operis de genesi ad litteram *summaria sive argumenta, quae retro ex antiquissimo et divo auctori prope suppare sessoriano codice edidimus. Nam primo nunc satis nobis displicet, quod (p.* 119.*) in secundo libro argumentum capituli quarti deesse dixerimus; re enim attentius considerata, nihil prorsus desiderari videtur. Deinde magis adhuc paenitet, quod illic in monito scripserimus, vix nos credere, argumenta illa Augustinum ipsum auctorem habere: nihil enim fere vetare videtur, quin ea ex proprio sanctissimi viri calamo manavisse putentur. Quippe adsunt, persimilis exempli instar, in editionibus operis* de civ. D. *prisca singulorum librorum argumenta, de quibus in praefatione Maurini sic censent. « Capitulorum cum argumentis suis distinctionem, quam improbare voluit non nemo, habent » codices ante nongentos annos scripti; et digna est profecto, quae Augustini operâ aut iussu » adiecta credatur ad iuvandos lectores, sed absoluto iam opere. » Par ergo est summariorum conditio in quatuor operibus, nempe de civ. Dei, de genesi ad litt., Speculi, et Eugyppii. Immo vero codex de gen. ad litt. sessorianus maurinos de civ. Dei codices tribus circiter saeculis videtur antevertere. Aequum est igitur, ut edita a nobis summaria operis* de genesi ad litteram, *augustiniana credibiliter existimentur, iustoque honore mactentur, et a nemine posthinc editore praetermittantur. Quid quod novi in Gallia Maurini habere se typis vulganda nunciarunt sancti Hilarii operis de Trinitate argumenta, ab ipso auctore, ut aiunt, confecta, quae perlibenter brevi aspiciemus? Et nos ipsi paulo infra summaria operis Augustini de utilitate credendi, cum prologo, edituri sumus. Codicis pariter theodosiani summariorum gustum olim ex Reginae svecae celeberrimo illo atque unico exemplari edidimus. Item Gellii summariorum certissimam antiquitatem ex palatino palimpsesto demonstravimus. Nunc ad Eugyppii summaria veniamus.*

EUGYPPII SUMMARIA.

1. Epistula seu liber Augustini ad Hieronymum 1) de quattuor virtutibus, prudentia, temperantia, fortitudine, et iustitia.

2. Item de praedictis quattuor virtutibus, quas in superiore libro distinxit. In libro de moribus ecclesiae catholicae disputans, ad unum eas mandatum rettulit caritatis.

3. An virtutes quibus ad aeternitatem tenditur, desiturae sint, cum ad aeterna perduxerint. Ex libro de Trinitate XIIII. inter cetera et ad locum.

4. De quattuor affectionibus, quas a Cicerone perturbationes, ab aliis passiones appellatas, Virgilius homini propter carnem inesse dixit. In libro XIIII. de civitate Dei inter cetera sic exponit.

5. De quinque corporis sensibus oratio, ex libro Confessionum decimo, inter cetera et ad locum.

6. De sacramento mediatoris ad purgationem animarum. Ex libro Confessionum X. et ad locum.

7. Item de eodem sacramento. Ex libro de civitate Dei nono, inter cetera et ad locum. Hic legendum titulum CCXXXIII. usque ad finem tituli CCXL. Ex libro de Trinitate IIII.

8. De eodem mediatoris sacramento. Ex libro Confessionum primo, inter cetera et ad locum.

9. De tempore, quod cum homo metiri videatur, non tamen potest comprehendere quid sit tempus. Ex libro confessionum XI. inter cetera, et ad locum.

10. De principio genesis. Item ex libro Confessionum XII. ad locum.

11. Item de eodem principio; quod magis prosit multiplex sensuum probatio, si non sit contra fidem. Ex libro Confessionum XII. ad locum.

12. Item de principio genesis. Principium libri genesis ad litteram.

13. Contra eos qui dicunt: numquid ibi fuit Moyses quando fecit Deus caelum et terram, ut credatur ei? Ex libro de civitate Dei XI, inter cetera, et ad locum.

14. Quod calumniantes de mundi tempore, refelli possint de mundi loco. De eodem libro XI. inter cetera, et ad locum.

15. Quod lucis nomine etiam angeli significati atque creati possint intellegi. Ex eodem libro XI. inter cetera, et ad locum.

16. Contra eos qui dicunt ob hoc factum esse mundum, ut animae quae peccaverant prius, in eo includerentur; ubi et Origenem errasse probat, contra libros ipsius qui appellantur periarchon. Ex eodem libro XI. inter cetera, et ad locum.

17. Item de eodem errore, et de igne aeterno. Ex libro responsionis ad consulta Orosi * presbyteri, inter cetera, et ad locum. * ita cod.

1) Ante hanc epistulam ad Hieronymum (in ed. 167.) relinquuntur in codice paginae duae purae, quia ibi exaranda erat Eugyppii epistula ad Probam, nondum fortasse ab auctore composita; quod idcirco paene audacter dicimus, quia tanta codicis antiquitas est ut Eugyppio contemporalis videatur. Sic certe de aetate iudicabat etiam Fulvius Ursinus, summus antiquarius, qui hunc codicem moriens, cum pretiosissimis aliis, bibliothecae vaticanae legavit. Saeculo enim suo, id est XVI, initio codicis sic adnotabat: *Eugippo abbate, in lettera maiuscula, antico più di mille anni.* FUL. URS. Iam heic quoque monendum est, poni a nobis numeros arabicos, penuria typorum, pro romanis qui sunt in codice.

18. Quomodo accipiendum sit: omnis creatura ingemescit et parturit usque adhuc. Ex eodem libro responsionis ad Orosium presbyterum.

19. Ex libro de haeresibus, de errore Origenis.

20. Contra eos qui revolutionis circuitus induxerunt. Ex libro de civitate Dei XII, inter cetera, et ad locum.

21. Contra id quod dicitur: unde diabolo primum voluntas mala, cum bonus a Deo creatus esset? Item ex eodem libro de civitate Dei XII. ad locum.

22. Diabolum ab ipso primordio creaturae a suo creatore per superbiam apostatasse. Ex libro de genesi ad litteram XI. inter cetera, et ad locum.

23. Qualiter intellegendum sit illud Esaiae: quomodo cecidit de caelo lucifer, et cetera. Item ex eodem libro XI.

24. Contra eos qui dicunt: cur creaverit Deus hominem, quem peccaturum esse praesciebat. Item de eodem libro XI. de genesi ad litteram.

25. De decimatione Levi in lumbis Abrahae. Ex libro de genesi X. ad litteram.

26. De ligno scientiae boni et mali. Ex libro de genesi ad litteram, inter cetera et ad locum.

27. Item de eodem ligno. Ex eodem libro decimo genesis ad litteram.

28. De bipertito opere providentiae Dei, et in ipso homine eadem gemina divini moderaminis operatione. Ex libro VIII. de genesi ad litteram.

29. Quod aeterna divinitas nec per tempus nec per locum mota moveat creaturam. Ex libro VIII. de genesi ad litteram.

30. Quod non per ipsam Dei substantiam, sed per subditam creaturam et loquutio divina ad Adam, et deambulatio in paradiso debeat incunctanter intellegi. Ex libro de genesi ad litteram VIII. Tria quae sequuntur capitula ex libro sunt quaestionum de genesi.

31. De quaestione annorum Matusalae. De libro quaestionum de genesi I.

32. De eo 1) quod scribtum est, angelos Dei cum filiabus hominum concubuisse. Ex eodem libro primo quaestionum de genesi.

33. De arca Noe, utrum animalia omnia cum escis eorum ferre potuerit. De eodem item quaestionum libro primo.

34. Quod recogitatio 2) Dei mutandarum rerum sit immutabilis ratio. Et de mensura arcae, in qua etiam propter Christi corpus, probabiliter metitur humanum; et bicameratam duobus posse modis intellegi. Ex libro de civitate Dei XV. ad locum.

35. De loquutione serpentis ad Adam, et de incantationibus Marsorum. Ex libro de genesi ad litteram.

36. Qualiter intellegendum sit: ecce Adam factus est tamquam unus ex nobis. Ex libro de genesi ad litteram XI.

37. Quomodo Adam non sit seductus, ut dicit apostolus, cum idem dicat eum praevaricatorem. Ex libro de genesi ad litteram XI.

38. De creatione primi hominis, et de causalibus rationibus. Vel quomodo dicantur additi anni XV. Ezechiae regi ad vitam, quem praedixerat non victurum. Ex libro de genesi ad litteram VI.

1) In cod. soloecismus *de id*, heic et alibi interdum.

2) Confirmatur hinc Tertulliani vocabulum *recogitatio*, quod immerito improbabat Forcellinus. Augustinus in Gen. VI. 6. legebat *recogitavit* pro *paenituit*. Heic autem in cod. f. 54. b. bis *recogitatio*, in titulo et in textu.

39. De stella quam magi sequuti sunt Christi famula, non fatali. Ex libro contra Faustum II.

40. De praeceptis agendae vitae, et praeceptis significandae vitae. Ex libro contra Faustum VI.

41. Cur in testamento vetere quidam cibi carnium vesci prohibeantur, quibus vel animae immundae significatae sunt vel doctrinae. Item ex eodem libro VI. contra Faustum.

42. De azymis, scenopegiis vel ceteris, et de prohibitione vestis linostimae, vel iunctione bovis et asini. Ex libro contra Faustum VII.

43. Qualiter intellegendum sit: etsi noveramus Christum secundum carnem, sed nunc iam non novimus. Ex libro contra Faustum XI.

44. De sex diebus in genesi et sex aetatibus, vel de coniuge facta ex viri latere dormientis. Ex libro contra Faustum XII.

45. Quod Cain et Abel duos populos figuraverint. Et qui occiderit Cain, septem vindictas exsolvet. Vel de signo quod posuit Deus in Cain. Item ex eodem libro XII. contra Faustum.

46. Quod diversis modis possit intellegi, quod si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti. Ex libro de civitate Dei XV.

47. De septenario requiei et octonario resurrectionis numero. Vel de emissione corvi et columbae. Ex libro contra Faustum XII.

48. De mandatis Dei ad Noe post diluvium; et de arcu in nubibus apparente; vel nuditate Noe et Cham filio, iudaeum populum figurante. Ex eodem libro contra Faustum XII.

49. In Abraham exeunte de terra sua; in Isaac lignum sibi ad victimam baiulante; in Iacob luctante vel scalam vidente; in Ioseph vendito, et post labores honorato; in virga Moysi; in egressione Israhel ex Aegypto; in manna et petra fluente; in columna ignis; inmari rubro; in XII. fontibus, et LXX. arboribus; in victoria de hoste Amalech; in serpente aeneo; in agno paschae occiso; in lege data; in Iesu Nave; et in arca muros hierichuntinos allidente; in iudicibus; in muliere hostis tempora ligno transfigente; in vellere Gedeonis; in electione David; in Heliae miraculis et Helisei; et post LXX. annorum peregrinationem reditu ad Hierusalem, et conversione luctus in gaudium sempiternum; in his omnibus mysteria Christi et ecclesiae figurata.

50. Quaedam peccata manifesta ex poena venire quorundam occultorum comprobat peccatorum. Ex libro contra Faustum XIII.

51. Expositio de eo quod scribtum est: maledictus omnis qui pendet in ligno. Ex libro contra Faustum XIIII.

52. De eo quod ait Moyses: videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitae tuae. Ex libro contra Faustum XVI. ad locum.

53. Quod requies sabbati etiam in sepultura dominica possit intellegi. Et octavi diei circumcisio expoliationem significet mortalitatis. Ex eodem lib. contra Faustum XVI.

54. Non solum diebus sed et mensibus nomina deorum suorum dixit inposuisse paganos. Nam in populo Dei sive sabbatum, sive circumcisionem, sive differentiam ciborum, sive immolationem sacrificiorum, nostri fuisse figuras. Ex libro contra Faustum XVIII.

55. Quod oculum pro oculo non sit contrarium illi quod dicit Dominus: qui te percusserit in dextram maxillam et cetera. Ex libro contra Faustum XVIII.

56. Quomodo intellegendum sit illud apostoli: in quibus Deus saeculi huius excaecavit mentes infidelium. Ex libro contra Faustum XXI.

57. De eo quod ait idem apostolus: Deus autem temperavit corpus. Et de superiore sententia etiam alio modo intellegenda. Ex eodem libro contra Faustum XXI.

58. Exemplo Abrahae celantis coniugem docet, ut quando habet homo quod faciat, non temtet Deum; quia nec Paulus fidem perdiderat quando per murum in sporta demissus * est, ut inimicorum effugeret manus. Ex libro contra Faustum XXII.

* Cod. *dim.*

59. Quid rerum figuraverint quattuor uxores Iacob. Ex eodem libro contra Faustum XXII.

60. De facto Iudae, quod cum sua nuru concubuit. Ex eodem libro contra Faustum XXII.

61. De peccato David in uxore Uriae Cethaei. Ex eodem libro XXII. contra Faustum.

62. De Salomonis primum bonis, postea malis. Ex eodem libro XXII. contra Faustum.

63. De vituli capite combusto, et in aqua sparso potuque populo dato. Ex eodem libro XXII.

64. De semine suscitando fratri defuncto; et contra obiectionem Manichaeorum de pascha. Et contra obiectionem de pentecoste. Et quod duobus modis intellegatur, a sanguine abstinendum; quodque turdi vel minores aviculae, quorum sanguis non effunditur, licite comedantur. Ex libro contra Faustum XXXII.

Hinc ex libro quaestionum in genesim capitula per ordinem XXVIII.

65. De eo quod scribtum est: a volatilibus mundis et immundis intrasse in arcam. Ex libro quaestionum de genesi.

66. Quid sit quod Dominus dicit: non adiciam maledicere super terram.

67. Quid est, de manu fratris exquiram animam hominis? Ex eodem libro quaestionum de genesi.

68. Cur Cham peccans, non in se ipso sed in filio maledicitur? Ex eodem libro.

69. Erat omnis terra labium unum, per recapitulationem dictum. Ex eodem libro.

70. Quomodo Sarra cum aliquot dies apud regem Aegypti fecerit, eius concubitu non credatur esse polluta. Ex eodem libro.

71. Quomodo intellegatur aeternum quod ait: dabo semini tuo terram possessionem aeternam. Ex eodem libro.

72. Sciebam, inquit, quod constituit filiis suis post se custodire vias Domini. Ex eodem libro.

73. Descendens videbo si secundum clamorem venientem ad me consummantur; si autem non, ut sciam. Ex eodem libro.

74. De eo quod de Sodomis dixit Deus, non se perdere locum si inveniret illic decem sanctos. Ex eodem libro.

75. De Loth filias animo turbato civibus offerente. Ex eodem libro.

76. Quod ait Deus ad Abimelech: peperci tibi ne peccares in me, ostendit in Deum peccari cum talia committuntur. Ex eodem libro.

77. Temtavit Deus Abraham, quomodo non sit contrarium Iacobo dicenti: Deus neminem temtat. Ex eodem libro.

78. De simili loquutione: nunc cognovi quod timeas Deum. Ex eodem libro.

79. De iuratione servi Abraham super femur eius. Ex eodem libro.

80. Quod differant augurationes inlicitae ab illa petitione signi, quam petiit a Deo servus Abrahae. Ex eodem libro.

81. Deo eo quod ait Iacob: non est hic nisi domus Dei. Ex eodem libro.

82. Quod Iacob lapidem statuit, et perfudit oleo, non aliquid idololatriae simile fecisse. Ex eodem libro.

83. Item de lucta Iacob, et de claudicatione. Ex eodem libro.

84. Utrum secundo Iacob lapidem oleo superfuderit, an secundo commemoratum sit. Ex eodem libro.

85. Quaestionem quod duodecim filii computentur Iacob, nondum nato Beniamin, solvit per tropum synecdochen. Ex eodem libro.

86. Descendam ad filium meum lugens in infernum, utrum illuc mali tantum, quantum boni, descendere soleant. Ex eodem libro.

87. Quod in genesi tertio insinuetur Spiritus sanctus. Ex eodem libro.

88. Quomodo intellegendum sit tot animas exisse de Iacob femoribus. Ex eodem libro.

89. Quod ait Iacob ad Ioseph: pone manum sub femur meum, et facies in me misericordiam et veritatem. Ex eodem libro.

90. Quid sit quod scribtum est: appositus est ad patres suos. Ex eodem libro.

91. De XL. diebus sepulturae Iacob. Ex eodem libro.

92. De luctu quem celebravit Ioseph patri suo VII. diebus. Ex eodem libro.

93. Deo eo quod scribtum est in exodo: occurrit ei angelus, et volebat eum occidere, et cetera. Hinc iam capitula XIII. ex libro sunt exodi. Ex libro quaestionum de exodo.

94. De eo quod assidue Deus dicit: indurabo cor Pharaonis. Ex libro quaestionum de exodo.

95. Quod absorbuit virga Aaron virgas magorum. Ex eodem libro.

96. Unde potuerint incantatores ranas producere, et aquam in sanguinem vertere, si iam ubique factum erat. Ex eodem libro.

97. Item de induratione cordis Pharaonis. Ex eodem libro.

98. Pro hoc ipso, inquit, conservatus es [1], ut ostendam in te virtutem meam.

99. Item de eo quod ait: ego ingravavi cor Pharaonis. Ex eodem libro.

100. Et non est, inquit, relicta locusta. Et induravit Dominus cor Pharaonis. Ex eodem libro.

101. Quod tollendo Israhelitae a vicinis Aegyptiis aurum et cetera, non fecerint furtum. Ex eodem libro.

102. Non exaudiet, inquit, vos Pharao, ut multiplicem signa mea in terra Aegypti. Ex eodem libro.

103. Facietis diem hunc in progenies vestras legitimum sempiternum, quomodo accipiendum sit hoc aeternum. Ex eodem libro.

104. Quadringentos annos non ad servitutem, sed ad peregrinationem seminis Abrahae referendos. Ex eodem libro.

105. Qua divisione numeranda sint X. praecepta legis. Ex eodem libro.

106. Expositio ipsorum praeceptorum, salva firmitate sui ad litteram fundamenti; et de X. praeceptis legis. Ex decalogi expositione ad populum.

1) Sic in indice; at in corpore pro *conservatus es*, scribitur *excitavi te*.

107. Item expositio decalogi ad populum. Ex tractatu de decem chordis psalterii.

108. Testimonium de lege imperatoris Antonini, contra excusationem maritorum adulterantium. Ex libro de adulterinis coniugiis * ad Pollentium II.

* Sod. coniugibus.

109. Expletio praedictae expositionis ad populum, contra virorum pessimam libertatem de fornicatione se excusare volentium. Ex eodem de decem chordis sermone.

110. Quid sit, et omnis populus videbat voces. Ex libro quaestionum exodi.

111. De dis argenteis et aureis fieri praecepto prohibitis. Ex eodem libro.

112. Quomodo intellegatur: non coques agnum in lacte matris suae. Ex eodem libro.

113. Cur propitiatorium arcae superponendum dixerit. Ex eodem libro.

114. Quod dicenti Moysi: ostende mihi gloriam tuam; respondit Dominus: ego transibo ante te, et cetera. Ex eodem libro.

115. Quomodo tabulae, quas erat Moyses Deo utique praesciente facturus, non hominis opus dicantur esse; posteriores vero tamdiu in tabernaculo Dei mansurae, ab homine excisae sint vel conscribtae. Ex eodem libro.

116. Quae sit inremissibilis blasphemia in Spiritum sanctum. Ex sermone ad populum.

117. De his qui cotidie, et his qui perraro communicant; vel etiam his qui in caena Domini post communionem ciborum, eucharistiam sumere consueverunt. Varietatem etiam celebrandorum sacramentorum in diversis locis fidei non obesse. Ex libro primo ad inquisitiones Ianuarii.

118. Quid sibi velit in celebratione paschae vacatio sabbati et lunae; et de quadragesima, vel de consonantia pentecostes cum die legis datae. Ex libro secundo ad eundem Ianuarium. Item de expositione psalmi decimi inter cetera.

119. De his qui de paginis evangelicis sortes legunt. Ex eodem libro secundo ad Ianuarium.

120. Ex sermone ad populum in vigiliis paschae. Quod in genesi dies a luce coeperint, et nunc a noctibus computentur.

121. Quomodo secundum figuram Ionae, tres dies et tres noctes in passione Domini computentur. Ex libro quaestionum evangelii primo.

122. Quid in libris ecclesiastes Salomon de his quae in hac vita bonis malisque sint communia disputarit. Ex libro de civitate Dei vigesimo.

123. Quibus sententiis Domini divinum iudicium in fine futurum saeculi declaretur. Ex eodem libro.

124. De diversa opinatione trium fidelium servorum tempus adventus Domini arbitrantium. Ex epistula ad Tychonium episcopum salonitanum.

125. Quae sit prima resurrectio, quae secunda. Ex libro de civitate Dei XX.

126. De duabus resurrectionibus et mille annis. Ex eodem libro.

127. Sequitur se textus libri vicesimi. De alligatione * et solutione diaboli.

* Cod. alleg.

128. Quid respondendum sit eis qui putant resurrectionem ad sola corpora, non etiam ad animas pertinere, primam in hac vita resurrectionem fieri denegantes. Ex eodem libro.

129. De Gog et Magog, quos ad persequendam ecclesiam Dei solutus prope finem saeculi diabolus incitabit. Ex eodem libro.

130. An ad ultimum iudicium pertineat impiorum, quod descendisse ignis de caelo, et eosdem comedisse memoratur. Ex eodem libro.

131. Quid apostolus Thessalonicensibus scribserit de manifestatione Antichristi. Ex eodem libro.

132. Quid idem apostolus in prima ad eosdem epistula de resurrectione mortuorum docuerit. Ex eodem libro.

133. De adventu Heliae ante iudicium, cuius praedicatione scribturarum secreta reserante, Iudaei convertentur ad Christum. Ex eodem libro.

134. An possint corpora in ustione ignis esse perpetua. Ex libro de civitate Dei XXI.

135. An consequens sit ut corporeum dolorem sequatur carnis interitus. Ex eodem libro.

136. Quod in rebus miris summa credendi ratio sit omnipotentia creatoris. Ex eodem libro.

137. An hoc ratio iustitiae habeat ut non sint extensiora poenarum tempora quam fuerint peccatorum. Ex eodem libro.

138. Sequitur se textus, de magnitudine praevaricationis primae, ob quam aeterna poena debeatur eis qui extra gratiam fuerint Salvatoris.

139. Sequitur se textus, contra opinionem eorum qui putant criminosis supplicium post mortem causa purgationis adhiberi.

140. Dei his qui eos qui permanent in catholica fide, etiam si pessime vixerint, tamen propter fidei fundamentum salvandos esse definiunt. Ex eodem libro C. D. XXI.

141. Quid sit in fundamento habere Christum, ex quibus spondeatur salus per ignis usturam. Ex eodem libro.

142. Contra eorum persuasionem qui putant sibi non offutura peccata in quibus cum elemosynas facerent perstiterunt. Ex eodem libro.

143. De aeterna Dei et incommutabili voluntate. Ex libro de civitate Dei XXII.

144. Sequitur se textus de possessione aeternae beatitudinis sanctorum, et perpetuis suppliciis impiorum.

145. Sequitur, contra sapientes mundi, qui putant terrena hominum corpora ad caeleste habitaculum non posse transferri.

146. Sequitur, de carnis resurrectione, quam quidam mundo credente non credunt.

147. Sequitur, quod ut mundus in Christum crederet, virtutis fuerit divinae, non persuasionis humanae. Et de Romuli falsa divinitate.

148. Sequitur, de miraculis, quae ut mundus in Christum crederet facta sunt, et fieri mundo credente non desinunt.

149. An ad dominici corporis modum omnium mortuorum resurrectura sint corpora. Ex eodem libro.

150. Sequitur, qualis intellegenda sit conformatio sanctorum ad imaginem filii Dei.

151. Sequitur, an in suo sexu resuscitanda atque mansura sint corpora feminarum.

152. Quod in resurrectione mortuorum natura corporum quibuslibet modis dissipatorum in integrum revocanda sit. Ex eodem libro.

153. De novitate corporis spiritalis, in quam sanctorum caro * mutabitur. Ex eodem libro. * Cod. *cura.*

154. De pervicacia quorundam, qui resurrectionem carnis, quam sicut praedictum est totus mundus credit, impugnant.

155. Sequitur, quomodo Porphyrii definitio, qua beatis animis * putat corpus omne fugiendum, ipsius Platonis sententia destruatur, qui dicit summum Deum dis promisisse, ut numquam corporibus exuerentur. * Cod. *beatissimis.*

156. De contrariis definitionibus Platonis atque Porphyrii, in quibus si uterque alteri cederet, a veritate neuter deviaret.

157. Sequitur, quid ad veram resurrectionis fidem vel Plato vel Labeo vel etiam Varro conferre sibi potuerint, si opiniones eorum in unam sententiam convenissent.

158. De aeterna felicitate civitatis Dei, sabbatoque perpetuo. Ex eodem libro de civitate Dei XXII.

159. Quomodo dicat Matthaeus centurionem ad Dominum accessisse pro puero suo, cum Lucas dicat quod amicos ad eum miserit. Ex libro de consensu evangelistarum.

160. Quomodo Matthaeus Marco congruat de virga, quam secundum Matthaeum dicit non ferendam, secundum Marcum autem solam ferendam. Ex eodem libro.

161. Quomodo quod Matthaeus et Marcus dicunt post sex dies factum, Lucas dicit post octo. Ex libro II. de consensu evangelistarum.

162. De alabastro unguenti, quomodo non repugnet Matthaeo et Marco dicentibus, ante biduum paschae, Iohannes qui dicit: ante sex dies. Ex eodem libro.

* ita cod.

163. De hora dominicae passionis quemammodum * inter se dissentiant, Marcus qui dicit hora tertia, et Iohannes qui dicit hora quasi sexta. Ex libro III. de consensu evangelistarum.

164. De latronum insultatione, quomodo non repugnent Matthaeus et Marcus Lucae, qui dixit unum eorum insultasse, alterum credidisse. Ex eodem libro.

165. Quod apud quattuor evangelistas inveniatur decies commemoratum, Dominum visum esse ab hominibus post resurrectionem. Ex eodem libro.

166. Quod in tribus activae, in Iohannis autem evangelio dona contemplativae virtutis eluceant idoneis dinoscere. Et quia non perfecte sed ex parte sit: ideo sic manebit donec veniat. Ex libro III. de consensu evangelistarum.

167. De eo quod ait: nemo novit filium nisi pater. Ex libro quaestionum evangelii primo.

168. De pueris sedentibus in foro, et clamantibus ad illos, qui nec humiliari cum Iohanne, nec cum Christo gaudere voluerunt. Ubi quae sit vera ciborum parsimonia, pulcherrime docet. Ex libro quaestionum evangelii secundo.

169. De impossibilitate ieiunandi sub praesentia sponsi. Ubi duo ieiunii genera probat, unum tribulationis, aliud gaudii. Ex eodem libro.

170. De homine qui descendebat ab Hierusalem in Hiericho, et cetera. Ex eodem libro.

* Cod. illum.

171. Quod Martha excipiens Iesum * in domo sua significet ecclesiam, ut nunc est; Maria vero, ut erit in futuro. Ex eodem libro.

172. De illo qui media nocte petiit ab amico tres panes. Ex eodem libro.

173. De pane, pisce, et ovo. Ex eodem libro.

174. De eo quod ait discipulis: nolite in sublime tolli. Et de hydropico, et de muliere curvata. Ex eodem libro.

175. De vilico quem dominus suus eiciebat de vilicatu. Ex eodem libro.

176. De illo qui in tecto est, et qui in agro, et cetera. Ex eodem libro.

* Cod. duas. * Cod. hic agri.

177. De duobus in lecto, et duabus * molentibus, et duobus in agro *.

178. De iudice iniquo, quem vidua interpellabat. Ubi dat regulam intellegendi comparationis diversitatem. Ex eodem libro.

179. De camelo per foramen acus transituro. Ex eodem libro.

180. De eo quod scribtum est de Domino: finxit se longius ire; ubi multipliciter disputat pro veris significationibus contra mendacium. Ex eodem libro.

181. Item de mendacii generibus octo; ubi et de sancto Firmo ait episcopo. Ex libro de mendacio.

182. Contra eos qui ad mentiendum ut patrocinantia sibi de scribturis exempla proponunt, ut de opstetricibus Hebraeorum, et Raab hierichuntina 1).

183. Contra diversos qui variis modis sua nituntur excusare peccata, ex quibus nulla impunitas esse posse confirmat. Ex sermone de continentia.

184. De eo quod apostolus ait: mente servio legi Dei, et cetera. Ex eodem sermone de continentia.

185. Ex libro de origine animae ad Victorem et Vincentium II. Utrum aliud sit anima, aliud spiritus, an utroque nomine res una vocetur.

186. Ex libro de catechizandis rudibus. Quod antiquos iustos caput Christus velut manum praemiserit nasciturus.

187. Ut christiani scholastici soloecismos quorumdam pie tolerent sacerdotum. Ex eodem libro.

188. De humilitate gallinae illius, cuius blandas alas refugientes superbi praeda fiunt alitibus. Ex eodem libro.

189. De statutis nostris sine tristitia, si necessitas evenerit, immutandis. Ex eod. libro.

190. Quemammodum catechizandus sit qui vult fieri christianus. Ex eodem libro.

191. Quod non sit contrarius apostolus dicens: peccantes, coram omnibus argue; Domino dicenti: corripe eum inter te et ipsum solum. Et de his qui cum in unam partem procliviter ire coeperint, non respiciunt alia divinae auctoritatis testimonia. Tenendum igitur modum praecipit, ut nec diligentiae obtentu quis saeviat, nec sub patientiae colore torpescat. Ex libro de fide et operibus.

192. Non faciendos homines male securos, ut propter rectam fidem, etiamsi in criminibus perduraverint *, non damnentur. Ex eodem libro.

* var. lect. *permanserint*.

193. Ex libro quaestionum ad Paulinum nolanum episcopum. Qui sint prophetae, de quibus ait apostolus: secundo prophetas.

194. Quae sint obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, quas ad Timotheum dicit apostolus. Ex eodem libro ad Paulinum episcopum.

195. De eo quod ait Lucas: oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et Marcus: apparuit, inquit, eis in alia effigie. Ex eodem libro.

196. De gladio qui Mariae animam pertransiit. Ex eodem libro.

197. Agens de baptismo quaestionem, quam ex evangelio proposuit, solvit: id est quomodo non sit contrarium: qui mecum non est, contra me est, illi dicto: qui contra vos non est, pro vobis est. Ex libro primo de baptismo.

198. Comparationem facit de Cornelio et aegroto. Ex eodem libro.

199. Sequitur se textus. Obiectionem Donatistarum, utrum generet filios baptismus Christi in parte Donati, an non generet, solvit.

200. Sequitur se textus. Quod etiam male conversantes catholicos ipsa generet, quae Simonem.

201. Sequitur se textus. Quod catholica generet etiam per malos, tamquam per uteros ancillarum.

1) Sic in indice, at in corpore: *ex libro contra mendacium ad Consentium, ubi multipliciter disputat pro veris significationibus contra mendacium.*

202. Sequitur se textus. Utrum aput haereticos fiat, nec ne, remissio peccatorum ; et Simoni in baptismo sint remissa peccata. Vel quomodo non sit contrarium : Christum induistis, et Spiritus disciplinae effugiet fictum.

203. Sequitur se textus. Quod sine caritate peccata redeant, quae dimissa fuerant, probat per servum, cui omne debitum dimiserat dominus suus.

* Cod. *cui suus*, quasi *cuius*.

204. Sequitur se textus. De baptizando cui * periculum mortis immineat, et habeat inimicum quem inimicissime oderit.

* Cod. *unctus*.

205. Sequitur se textus. Quod baptismus Dei sit, et ecclesiae, ubicumque inventus * fuerit.

206. Sequitur se textus. Quod ecclesia pariat sive per se sive per ancillarum uterum de semine viri sui ; ubi ponit similitudinem de Esau et Aser.

207. Quod antiqua res sit ecclesia, in aliis habens animalem portionem, in aliis spiritalem.

208. Quomodo generet ecclesia bonos et malos, tamquam per se ipsam Rebecca geminos.

209. Quod propterea Dominus non aperuit Cypriano sententiam, quam postea plenario concilio patefecit, ut eius plenius caritas appareret. Ex eodem libro.

210. Quod sicut intus, quod diaboli est, arguendum est ; sic et foris, quod Christi est, agnoscendum sit. Ex libro de baptismo.

211. Quod non ita sibi baptismus verus succedere possit, sicut falsae fidei vera succedit. Ex libro de baptismo IIII.

212. De bonorum morum haeretico, et catholico criminoso. Ex eodem libro IIII.

213. Quod aqua baptismatis et intra ecclesiam salvet, et extra ecclesiam damnet. Ex libro de baptismo V.

214. Quod multis lupis interius insidiantibus, et multis ovibus exterius errantibus, sciat Dominus qui sunt eius. Et de sancto Cypriano, vel apostolo Petro. Ex libro de baptismo VI.

215. Quod sub eodem baptismo peccata dimittantur propter vinculum caritatis, sub quo tenebantur propter sacrilegium divisionis.

216. Quod sacramentum baptismi et in malo et in bono homine sit aequale. Ex eodem libro.

217. Quod caritate sancti Cypriani hi qui per illius sententiam se volunt excusare, damnentur. Ex libro VII. de baptismo.

218. Quod ut in pessimis catholicis correctis baptisma non incipit adesse quod deerat, sed prodesse quod inerat ; sic et in haereticis. Ex eodem libro.

219. Quae sint tenebrae exteriores. Ex libro de gratia novi testamenti ad Honoratum. Ex eodem libro.

220. Quae sit latitudo, et longitudo, et altitudo, et profundum, quod ait apostolus.

221. Utrum parentes baptizatis parvulis suis noceant, cum eos daemoniorum sacrificiis sanare conantur. Ex epistula ad Bonifatium episcopum.

222. Et si non nocet, quomodo eis prosit cum baptizantur parentum fides, quorum eis non potest obesse perfidia. Ex epistula de Trinitate ad Consentium.

223. An apostoli fuerint baptizati. Ex epistula ad Seleucianum.

224. De unitate patris et filii et Spiritus sancti, qui sunt unus et solus et verus Deus. Ex libro de Trinitate I. tit. VI.

225. Quod unigenitus Dei filius propter formam servi minor patre dicatur, qui in forma Dei aequalis est patri. Ex eodem libro tit. VII.

226. De regno quod patri filius dicitur traditurus. Ex libro de Trinitate II. tit. VIII.

227. Quomodo traditurus sit regnum patri filius. Ex eodem libro tit. X.

228. Qua discretione intellegendus sit nunc aequalis patri filius, nunc autem minor: et qua ratione dicatur nescire diem et horam. Ex eodem libro tit. X.

229. De unitate personae filii Dei et filii hominis, sive in gloria sive in humilitate. Ex eodem libro tit. XIII.

230. De his scribturae locis, de quibus dubium est an propter assumptam creaturam, minorem patre indicat*, filium; an vero hoc tantum quod licet aequalem patri, tamen quia de patre sit, doceant. Ex eodem libro tit. XIII. * ita cod.

231. De his qui Spiritum sanctum non minorem patre indicant*, sed tantum quod de patre procedit. Ex eodem libro tit. III. * ita cod.

232. Quod clarificatio quae fit inter patrem et filium et Spiritum sanctum, nullam differentiam in Trinitate significet. Ex eodem libro tit. IIII.

233. Quomodo intellegenda sit missio sive filii sive Spiritus sancti. Ex eodem libro tit. VII.

234. Quomodo in Trinitate et pater ad filium principium sit; et pater et filius ad Spiritum sanctum. Ex libro de Trinitate V. tit. XIIII.

235. Quomodo in Spiritu sancto etiam ante quam daretur, possit doni nomen intellegi; ut ei semper non aliud fuerit donum esse, quam ipsum esse. Ex libro II. de Trinitate tit. XV.

236. De appellationibus relativis, quae non ad Deum sed ad creaturam referendae sunt, quoniam Deo nihil accidit. Ex libro de Trinitate V. tit. XVI.

237. De Spiritus sancti unitate cum patre et filio. Ex libro VI. tit. V.

238. De solo Deo vero, patre, et filio, et Spiritu sancto. Ex eodem libro VI. tit. VIIII.

239. De eo quod apostolus dicit virum esse imaginem Dei, mulierem autem gloriam viri. Ex libro de Trinitate XII. tit. VII.

240. Quibus progressibus mens corporalium rerum usu et imagine delectata, ab aeternarum contemplatione deficiat. Ex libro de Trinitate XII.

241. Quid disputatum quidve sit comprehensum ratiocinatione librorum. Ex libro de Trinitate XV.

242. De sancto Spiritu, qui patri et filio aequalis accipitur, utriusque Spiritus dicitur, et caritatis nomine intellegitur, cum quaelibet in Trinitate persona sit caritas. Ex libro de Trinitate XV. tit. XVII.

243. De interrogatione haeretici contra eos qui unigenitum Dei non paternae substantiae, sed voluntatis filium esse dixerunt. Ex eodem libro tit. XX.

244. Cur bis datus sit Spiritus sanctus. Ex libro suprascripto, et ex sermone de ascensione Domini.

245. Quid quodam sermone ad populum disputatum sit de differentia generationis filii et processionis Spiritus sancti. Ex libro XV. tit. XXVII.

246. Quod omnis doctrina vel rerum sit vel signorum. Et res, qua fruendum est, sit Deus Trinitas. Ex libro de doctrina christiana primo.

247. De purgatione mentis ad fruendam illam lucem, quae se etiam nobis praebens a superbis stulte fecisse putata est, humanum genus contrariis et similibus curans. Ex eodem libro primo.

* Cod. *dictionis*.

248. Utrum frui se homo debeat, an uti. Et de regula dilectionis * divinitus constituta. Ex eodem libro primo.

249. De rebus quattuor diligendis. Et ordinatam haberi oportere dilectionem, et coniunctioribus pro sorte consulendum. Ex eodem libro primo.

250. De principio viarum secundum Salomonem. Ex eodem libro primo.

251. Quod fide et spe decedente, caritas maneat. Et quod temporale quid vilescat cum venerit, aeternum vero ardentius diligatur. Ex eodem libro primo.

252. De signis naturalibus et de datis. Ex libro secundo de doctrina christiana.

253. Quod inter omnia signa, verba teneant principatum, quae propter peccatum superbiae non potuerint cunctis gentibus esse communia. Ex eodem libro II.

* Cod. *suavis exercit*

254. Quod ex aliqua similitudine scribtura suavius excitet * animum, ut illud exempli causa de canticis canticorum: dentes tui sicut grex detonsarum. Ex libro suprascripto.

255. De signis propriis et translatis agens dat exemplum quod bus 1) proprie pecus translate evangelista monstraretur. Ex libro suprascripto.

256. De rerum ignorantia, quae facit obscuras figuratas locutiones, cum ignoramus vel animalium vel lapidum vel herbarum naturas. Ex eodem libro II.

257. De numerorum imperitia, quae multa facit non intellegi. Ex libro suprascripto.

258. De rerum musicarum ignorantia. Ex libro suprascripto.

259. De signis superstitiosis, quibus perniciose daemonum societas comparatur. Ex eodem libro suprascripto.

260. De scientia sententiarum, conexionum, definitionum, divisionum, expartitionum. Ex eodem libro de doctrina christiana II.

261. Ut nec de eloquentia se quispiam iactet, quae non ut intellegamus, sed ut intellecta proferamus adhibetur. Ex eodem libro.

262. Quod numeri disciplina non sit ab hominibus instituta, sed potius indagata et inventa, et ad Dei laudem, a quo vera est, referenda sit. Ex libro suprascripto II.

263. Quod utiles disciplinas philosophorum huius saeculi tamquam divitias de Aegypto exiens christianus auferre debeat. Ex eodem libro.

264. De signis ambiguis et distinctionibus exempli gratia ponit, qualiter distinguatur in principio erat Verbum; et quid eligam, ignoro. Ex libro de doctrina christiana III.

265. De ambiguis pronuntiationibus ponit exempli causa, quis accusabit electos Dei?

266. De ambiguitatibus verborum translatorum, quibus cavendum praemonet ne figurata locutio ad litteram accipiatur. Ex libro item III.

267. Hunc modum praefigit inveniendae locutionis, propria ne an figurata sit, ut quidquid in scribturis ex persona Dei vel sanctorum saevum aut flagitiosum imperitis videtur, salubriter figuratum intellegant. Ex eodem libro III.

268. De sententia generalis iustitiae: quod tibi fieri non vis, alii ne feceris. Ex eodem libro III.

269. Item de figuratis locutionibus non intellectis tamdiu versandis, quamdiu ad regnum Dei caritatis interpretatio perducatur. Item ex eodem tertio libro.

270. Quod scire debemus in observationibus intellegendarum scriburarum, alia

1) Ita cod. heic et in indice. Hinc dativus pluralis *bubus*. Item n. 260. animadverte voc. *expartitio*.

communiter praecipi, alii singulis quibusque generibus personarum. Ex eodem libro III.

271. Quod una eademque res per similitudinem possit in bonam partem accipi et in malam. Ex eodem libro III.

272. De rebus quae non in contraria, sed tantum in diversa significatione ponuntur. Ex eodem libro III.

273. De modis locutionum, quorum cognitionem necessariam dicit scribturarum obscuritatibus dissolvendis. Ex eodem libro III.

274. De septem Tychonii regulis, quibus ad intellegendas scribturas studiosos dicit plurimum adiuvari. Ex eodem libro III.

275. De eo quod ait apostolus: absorta est mors in victoriam. Ex libro quaestionum octoginta quattuor.

276. De quadraginta et sex annis aedificationis templi. Ex homilia evangelii secundum Iohannem.

277. De decèm virginibus. Ex eodem libro quaestionum LXXXIIII.

278. De quadragesima et quinquagesima. Ex eodem libro LXXXIII. quaestionum.

279. De eo quod dicit apostolus: invicem onera vestra portate. Ex eodem libro.

280. De haeresi pelagiana. Ex libro de haeresibus ad Quodvultdeum diaconum sub tit. LXXXVIII.

281. Item de eadem Pelagianorum haeresi. Ex sermone ad populum.

282. Quod mundum Deus propter gratiam salvet, propter liberum arbitrium iudicet. Ex epistula ad Valentinianum monachum.

283. Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Ex libro de gratia et libero arbitrio.

284. Quod cordis induratio praecedentibus malis fiat. Ex eodem libro de gratia et libero arbitrio.

285. Bina * quaedam dividit, posse peccare et non posse peccare. Similiter et de morte. Ex libro de correptione et gratia. * Cod. *bona*

286. Quod nec gratia prohibeat correptionem, nec correptio gratiam. Ex eodem libro.

287. De praedestinatione, quae non possit esse sine praescientia: praescientia vero possit esse sine praedestinatione. Ex libro ad Prosperum et Hilarium.

288. Quod ostium verbi aperiatur, cum cor audientis aperitur ut credat. Ex libro suprascripto.

289. Quod gratia praeveniat, fidem, praestetque perseverantiam. Ex libro de dono perseverantiae.

290. Quod parvuli, si peccatum originale non esset, nulli malo tenerentur obnoxii. Ex libro contra Iulianum tertio.

291. Quod cum remedium fatetur Iulianus, fateri cogatur et morbum. Ex libro suprascripto contra eundem.

292. De concupiscentia carnis adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Contra Iulianum ex libro III.

293. Contra obiectiones conclusionesque pelagianas. Sub titulis XV. responsa sancti Augustini. Ex libro ad Paulum et Eutropium episcopos, de perfectione iustitiae hominis.

294. Ubi possint praecepta de caritatis perfectione compleri. Et quid sit liberari

de corpore mortis. Vel quod nomine ieiunii eleemosynae et orationis, iustitiae generalitas indicetur. Ex libro suprascripto.

295. Praeceptum de diligendo Deo in illa vita perfecte compleri dicit, quibus imperatur homini perfectum esse. Vel quando sit ecclesia gloriosa. Ex eodem libro.

296. De eo quod ait apostolus: iudicium ex uno in condemnationem. Ex epistula responsionis ad consulta Hilarii.

297. Contra id quod dixerunt Pelagiani, humanam non posse mutare vel devitare naturam, id quod substantia caret. Ex libro de natura et gratia.

298. De Samuele et Pythonissa. Ex libro ad Dulcitium de octo quaestionibus.

299. Quibus sacrificium prosit, aut locus martyrum in quo quispiam sepelitur. Ex libro de cura pro mortuis gerenda, ad Paulinum episcopum nolanum.

300. Quod saepe in somnis mortui apparere putantur. Ex eodem libro de cura mortuorum gerenda.

301. Utrum martyres in beneficiis, quae eorum orationibus conferuntur, ipsi interesse credendi sint rebus humanis. Ex eodem libro.

302. Item de oblatione vel eleemosyna pro defunctis. Ex eodem libro.

303. De sententia Domini dicentis: qui viderit mulierem ad concupiscendum. Ex libro I. de sermone Domini in monte.

304. De eo quod Dominus ait: omni petenti da. Ex eodem libro.

305. Quomodo intellegendum sit: cavete ne iustitiam coram hominibus faciatis. Item ex eodem libro.

306. Cur orandum sit, Deo sciente quid nobis sit necessarium. Ex eodem libro.

307. De differentia temtationis, et quomodo diabolus steterit ante Deum, ut peteret Iob temtandum. Ex libro suprascripto.

308. De septiformi spiritu, et septem beatitudinibus, septemque petitionibus. Ex libro suprascripto.

309. De ieiunio, et lavanda facie, ac unguendo capite. Unde supra.

310. De eo quod ait Dominus: si ergo lumen quod in te est tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae sunt. Ex libro suprascripto.

311. De sollicitudine crastini diei prohibita. Ex libro suprascripto.

312. Quomodo accipiendum sit: nolite iudicare. Et de festuca et trabe in oculo. Ex eodem libro de sermone Domini.

313. Qualiter intellegendum sit: in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Ex libro de praesentia Dei ad Dardanum.

314. De unius uxoris viro episcopo ordinando. Ex libro de bono coniugali.

315. De nocturna inlusione. Ex eodem libro.

316. De virtute animi vel latente vel manifesta. Ex eodem libro de bono coniugali.

317. Nemo ascendit in caelum. Et sicut Moses exaltavit serpentem in heremo. Ex libro de baptismo parvulorum primo.

318. Resurrectionis futurae utrum Lazari an Christi resurrectio congruat. Ex libro responsionis contra sex quaestiones paganorum.

319. Cum spiritus immundus exierit ab homine, et cetera. Ex libro quaestionum evangelii primo.

320. De sumtibus ad turrem aedificandam. Ex libro suprascripto.

321. Qua dispensatione providentiae Dei scributurae veteris testamenti ex hebraeo

in graecum eloquium translatae sint, ut universis gentibus innotescerent. Ex libro de civitate Dei XVIII. tit. XXII.

322. De auctoritate septuaginta interpretum, quae salvo honore hebraei stili, omnibus sit interpretibus praeferenda. Ex libro suprascripto 1).

323. Quid intellegendum sit de Ninevitarum excidio, cuius denuntiatio in hebraeo quadraginta dierum spatio tenditur, in septuaginta autem tridui brevitate concluditur. Ex libro de civitate Dei XVIII. tit. XXIIII.

324. De eo quod ait apostolus: omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Ex eodem libro.

325. De eo quod scribtum est: et habitu inventus ut homo. Ex libro quaestionum LXXXIIII.

326. De eo quod dictum est: paenitet me hominem fecisse.

327. De eo quod scribtum est: sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adulescentulae quarum non est numerus.

328. De homine facto ad imaginem et similitudinem Dei.

329. De eo quod in evangelio ait: erunt in una domo divisi, duo adversus tres, et tres adversus duo. Ex psalmo XLIIII.

330. De magis Pharaonis. Ex libro quaestionum LXXXIIII.

331. Adversus mathematicos. Ex libro suprascripto.

332. De eo quod scribtum est in evangelio: sine ipso factum est nihil. Et de duabus praepositionibus DE et EX. Ex libro de natura boni.

333. De corpore Domini post resurrectionem. Ex epistula ad Consentium de eadem re consulentem.

334. De corpore animali, et corpore spiritali. Ex eadem epistula ad Consentium.

335. Utrum singillatim a creatore Deo corporum liniamenta formentur. Ex epistula suprascripta.

336. De animae quaestione. Ex epistula suprascripta.

337. Quod baptizati, non a morte communi, sed a supplicio liberentur aeterno: a quo etiam primos homines dicit per Domini sanguinem liberatos. Et cur David peccato remisso, quod Deus per prophetam fuerat minatus impleverit. Et de mysterio numeri vicennalis: vel de suprascripta animae quaestione. Ex libro de baptismo parvulorum prope finem.

338. Quae sint peccata nolentium. Ex libro quaestionum libri numerorum.

339. De eo quod scribtum est: anima quaecumque peccaverit in manu superbiae, Deum exacerbat, et exterminabitur de populo. Ex libro suprascripto.

340. De eo quod scribtum est: non morientur patres pro filiis. Et de eo quod reddam peccata patrum in filios. Ex libro quaestionum deuteronomii tit. XLII.

341. Quod exemplo Domini, temporalis contemnenda sit salus. Et quod in filiis Iob resurrectio commendetur. Vel de sustinentia 2) eiusdem Iob, ac fine Domini;

1) In hoc capitulo post verba editionis *Spiritus unus apparuit*, sequitur in cod. vatic. tum illo antiquissimo tum etiam in alio vat. haud recente 520. f. 109. sic: *hoc ex Speculo sancti Augustini. Quis ignorat in Scripturis sanctis* etc. usque ad verba *aperta fastidiunt*; quae videlicet est pars praefationis illius Speculi, quod Maurini exhibent opp. Aug. T. III. part. I. p. 507. seqq. Abest autem totum hoc ex Speculi praefatione segmentum ab heroldiana Eugyppii editione. Itaque et Maurini editores Augustini, hoc Eugyppii pro Speculo testimonium ignoraverunt, ut in nostra praefatione iam diximus; et deinde in scholiis p. 1. de eadem re verba fecimus. De aliis autem plurimis ab editione Eugyppii codicis vaticani discrepantiis, alio tempore dicemus.

2) Animadverte bonum vocabulum *sustinentia*, ut in vulgato.

velumque templi non fuisse parietem, ut quidam volunt. Ex libro de gratia novi testamenti.

342. Quid amandum sit. Ex libro quaestionum LXXXIIII.

343. De vera dilectione. Ex libro de Trinitate XVIII. tit. VII.

344. Quod qui fratrem diligit, Deum diligat, qui amat et ipsam dilectionem quae ex Deo est, et Deus est.

345. Quod ex ea forma, qua diligitur iustus, diligatur Deus; quia non potest ea quae dilectionem excitat forma non diligi: eademque est Deus, quia Deus caritas est.

346. De amante, et quod amatur, et amore.

347. De nutrienda caritate.

348. Sermo de laude caritatis.

FINIS.

Codex, a quo sequentem prologum ac summaria sumpsimus, ille est de quo locuti sumus in priore voluminis parte p. 384. *sub finem. Porro hoc scriptum, utrum prisco an recentiore tempore fuerit operi a nescio quo additum, non definimus. Sane antiquitatem innuunt illa verba* Manichaei (*quasi adhuc vigentes*) dicunt, reprehendunt, moliuntur, criminantur, praecipiunt, gloriantur, condemnant, adversantur. *Verumtamen utrum haec verba, quamquam praesentis temporis vim habentia, satis valeant ad suadendam scripti vetustatem, vix licet decernere. Neque rursus codicis aetas nos adiuvat, quem saeculo XV. scriptum apparet; quin tamen vicissim noceat, quia idemmet amanuensis antiquissima opera in his simul membranis scripsit.*

LIBRI S. AUGUSTINI

DE UTILITATE CREDENDI

PROLOGUS ET SUMMARIA.

Inter multas calumpnias, quas Manichaei haeretici adversus ecclesiam catholicam dicunt, auctoritatem nostrae fidei christianae et vetus testamentum temeritate nimia reprehendunt et destruere moliuntur. Criminantur enim catholicos maxime in hoc, quod illis qui ad ecclesiam catholicam veniunt, praecipiunt ut credant; se autem iugum credendi dicunt non imponere, sed docendi fontem aperire gloriantur 1). Condempnant etiam vetus testamentum, quod in auctoritatem catholicae fidei honorabiliter retinetur, asserentes ipsum inutiliter recipi et legi 2). Et omnia illa,

1) Augustinus de Trin. I. 1. lectores praemonet, se adversus illos diserte scribere, *qui fidei contemnentes initium, immaturo et perverso rationis amore falluntur.* Et lib. XIII. 10. *In ista mortali vita, erroribus aerumnisque plenissima, praecipue fides est necessaria, qua in Deum creditur.* Confer ibidem n. 26. Item in epistola CXX. 3. pulchre exponit, quomodo fides debeat praecedere rationi. Denique tract. XXXIX. 3. in ev. Ioh. *Fide praecedente, quod non intelligimus, sine dubitatione credamus, a fundamento non recedamus.* Infinitus sim, si concordia in hoc patrum dicta colligere velim. Librum hunc *de utilitate credendi*, praestantem oppido, et temporibus nostris apprime idoneum, legi ab omnibus opto. Et meminisse velim fratres meos verborum eiusdem Augustini serm. ed. CXLIII. *Medicina omnium vulnerum animae, et una propitiatio pro delictis hominum, est credere in Christum.* Item recordari velim egregiae sententiae poëtae veteris Antonii. *Sed nihil inveni melius quam credere Christo.*

2) Augustini opus *contra Adimantum* totus est in conciliando vetere cum novo testamento adversus Manichaeos. Item aliud eiusdem opus inscriptum: *contra adversarium legis et prophetarum.* Et quidem in editione antuerpiensi T. VIII. p. 387. enumerantur accurate libri omnes S. Augustini contra Manichaeos.

quae in scripturis novi testamenti suis erroribus adversantur, dicunt a falsatoribus earundem scripturarum immissa esse 1). A quorum secta et erroribus ereptus beatus Augustinus post novem annos, quibus ab eis deceptus fuerat; et videns Honoratum amicum suum in errore illo remansisse, et deridere doctrinam catholicae fidei, eo quod per eam iuberentur homines credere, scripsit ad eum librum de utilitate credendi, in quo principaliter tria facit. Primo namque dicit, quod Manichaei sacrilege et impie invehuntur in eos qui catholicae fidei auctoritatem sequuntur, ante quam illud verum, quod pura mente conspicitur, intueri possint. Ubi etiam ostendit quibus et quot modis scriptura veteris testamenti legenda traditur, et sine errore a fidelibus suscipitur et defenditur. Secundo probat, quod sine culpa eos sequi possumus qui nos credere iubent. Tertio per multa argumenta probatur, quod Manichaei sequendi non sunt, qui dicunt se veram religionem ratione docturos. Ubi etiam dicitur quid sit intelligere, quid credere, et quid opinari, et quam laudabile sit credere, et quam vituperabile (non credere.) Et tandem concluditur, quod cum omnes homines a se ipsis stulti sint, ad tenendam veram religionem necesse sit sequi hominem sapientem, et ei credere, non tamen in eum sperare. Et quia talis homo agnosci non poterat in humano genere, quia multi false et inaniter sapientis nomen sibi vindicare volebant, ipsa aeterna Dei Sapientia humanam naturam suscipere dignata est, ut quae in sua natura cognosci non poterat, humanitate assumpta se traderet hominibus misericorditer agnoscendam. Et hanc esse dicit saluberrimam auctoritatem, quae seposita ratione, quam homines stulti difficillime intelligunt, dupliciter nos movet, partim miraculis, et partim sequentium multitudine. Quae cum iam facta videamus, nemo dubitare debet, sed credere gremio sanctae matris ecclesiae; quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica sede per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, auctoritatis obtinet principatum.

SUMMARIA LIBRI DE UTILITATE CREDENDI.

1. Quod inter haereticum et credentem sit facienda distinctio.
2. Contra eos qui phantasmata venerantur.
3. Quae sit auctoris intentio.
4. Quare scriptura veteris testamenti populariter accusari potest, et populariter defendi non potest.
5. Quod scriptura veteris testamenti quatuor modis legenda traditur.
6. De duplici genere erroris, in quo peccant homines cum aliquid legunt.
7. Quod ecclesia catholica nullo illorum genere errat in legendo litteras veteris testamenti.
8. Quod scriptura veteris testamenti Dei iussu et voluntate promulgata et condita est.
9. Quod cultus verae religionis ab ecclesia catholica sumendus est.
10. Quod in suscipienda religione christiana iniquum est non credere: et quare quilibet prius docendus sit fide, quam ratione.
11. Quod duo sunt genera hominum in religione laudabilium.

1) Agit de hac re Augustinus contra Faustum lib. XXXII. 16. Tum diserte in libro de bono persev. n. 27. *Manichaei non accipiunt scripturas sanctas veteris testamenti, in quibus peccatum originale narratur; et quicquid inde in litteris apostolicis legitur, detestabili impudentia immissum fuisse contendunt a corruptoribus scripturarum, tamquam non fuerit ab apostolis dictum.* (Conf. confess. I. 9.) Idem dicitur in lib. de mor. Eccl. cath. n. 1. et 14, et de mor. Manich. n. 35.

12. Quod tria sunt genera hominum improbanda ac detestanda.
13. De tribus sibi finitimis, in hominum distinctione dignissimis.
14. Quando credere sit malum.
15. Quod opinari turpissimum est.
16. Quomodo ista tria, intelligere, credere, opinari, referantur ad illa quinque genera hominum, duo probabilium, et tria vitiosorum. Et quid sit opinari, et quid credere.
17. Argumentum, quod non sit malum credere id quod nescitur.
18. Quod ad colendum Deum recte, necesse est sequi hominem sapientem.
19. Quod difficile sit invenire sapientem.
20. Quod res intellectuales non possunt cognosci nisi habeantur.
21. Quod sapiens homo imitatur Deum.
22. Quod sapientia Dei patris dignata est suscipere humanam naturam, ut humana natura ipsi sapientiae cohaereret.
23. Quod species rerum omnium, et interior conscientia hortatur nos quaerere Deum et ipsi servire.
24. Quae sint sordes animi.
25. Quid sit miraculum.
26. Quod duo sunt genera miraculorum.
27. Quare miracula facta tempore apostolorum, modo non fiant.
28. Quare temporibus apostolorum miracula fiebant.
29. Quod homines citius detestantur ea quae in eorum moribus prava sunt, quam ipsa deserere vel mutare possint.
30. Quod ecclesia Dei culmen auctoritatis obtinet ab apostolica sede.
31. Quod velle resistere ecclesiasticae auctoritati, nihil aliud est, quam esse ingratum operi et auxilio divino. Et quod a doctoribus theologiae debet inquiri sanctorum librorum cognitio et interpretatio.

Cum superius p. 131. *dixi de nonnullorum sancti Augustini operum antiquis summariis, non memineram codicis vat. praestantis* 5755. *olim bobiensis, saeculi ferme XI, de quo tamen monueram aliquid in priore voluminis huius parte ad serm. CC. p.* 462. *Nunc autem eo pervoluto observavi in eo, tum initio operis, tum infra in propriis locis, egregia summaria seu capitula librorum XV. sancti Augustini de Trinitate, quae quin ipsum habeant divum hipponensem auctorem, vix dubito; et certe in hac novorum beati doctoris scriptorum collectione a me omitti, piaculum foret. Profecto haec capitula in futuris operis editionibus praetermittenda non erunt, tum per se, tum quia lumen multum ac perspicuitatem spisso illi et abstrusae doctrinae operi adferent, in quo Maurini editores capita debitis spatiis non distinxerunt, et summaria in margine marte suo scripserunt, quibus nemo posthinc haec vetusta et genuina non anteponet. Iam ut suadeam, haec capitula fortasse habere parentem ipsum Augustinum, praeter alibi dicta, adest etiam Coutantius ad Hilarium in Matth. praef. n.* 13. « *Titulorum elenchum in fronte librorum proponendi, morem antiquum esse, fidem facit canon hebraicae veritatis ab ipso Hieronymo compositus: in eo namque videre est in ipso cuiusque libri limine indicem titulorum varios in numeros distinctorum, qui quicquid libro subsequente comprehenditur, summatim exhibent. Hi autem numeri, capitula, et tituli promiscue inscribuntur; puta, incipiunt capitula exodi etc. Ita etiam in antiquioribus libris Augustini de civitate Dei, ante ipsos libros ponitur index, variis dumtaxat numeris distinctus, quibus deinde capitum nomen inditum fuit, in quo summa habetur eorum quae quolibet libro continentur.* »

Codex hic vaticanus seu bobiensis scriptus fuit in palimpsesto, sed ita funditus abraso, ut aegre alicubi supposita variorum saeculorum ac manuum grandis scriptura appareat, in quarum tamen una agnoscebam sancti Pauli epistolas v. gr. p. 128. bonum certamen certavi, cursum consummavi; *et in margine*, sancti Pauli *nomen. P.* 148. Expl. epist. prima. Secundae prologus. *P.* 163. Expl. ad Titum. *Mox.* Argumentum. *P.* 170. Explicit epistula secunda. Ad Timotheum prima. *P.* 174. Explicit epistula I. ad Thessalonic. Incipit secunda *P.* 239. Brebes (*id est* breves) *nempe breviaria seu capitula, quorum numeri praecedunt. Mox* Explicit prologus. Incip. epistula ad Corinthios. *Haec satis de palimpsesto. Exin capitula seu summaria operis de Trinitate exponamus.*

INCIPIUNT CAPITULA EX LIBRO I.

BEATI AUGUSTINI EPISCOPI

DE TRINITATE.

1. De triplici causa erroris falsa de Deo opinantium.
2. Ordo disputandi de Trinitate divina.
3. De diverso iudicio legentium, et capacitate dissimili.
4. Quae esse propria divinae Trinitatis senserint catholici tractatores.
5. De quaestionibus, quibus moventur de Trinitate quaerentes.
6. De unitate patris et filii et spiritus sancti, qui sunt unus et solus et verus Deus.
7. Quod unigenitus Dei filius propter formam servi minor patri * dicatur, qui in forma Dei aequalis est patri. (* ita cod.)
8. De subiectione, qua filius subiciendus est patri.
9. Quam utile credentibus fuerit, ut ad patrem in forma servi Christus ascenderet.
10. Quomodo traditurus sit regnum filius patri.
11. Qua discretione intellegendus sit nunc aequalis patri filius, nunc autem minor.
12. Qua ratione filius nescire dicatur diem et horam quam scit pater.
13. De unitate personae filii Dei et filii hominis, sive in gloria sive in humilitate.

Incip. cap. libri II.

1. De regulis, secundum quas scriptura de patre et filio loquitur.
2. De scripturae locis, de quibus dubium est an propter adsumptam creaturam, minorem patri * indicent filium; an vero hoc tantum, quod licet aequalem patri, tamen quia de patre sit, doceant. (* al. lect. *patre.*)
3. De his quae spiritum sanctum non minorem patre * indicant, sed tantum quod de patre procedit. (* Ita heic cod.)
4. De clarificatione qua et pater filium glorificat, et filius patrem.
5. Quomodo intellegenda sit missio sive filii sive spiritus sancti.
6. Quid sit quod nusquam legitur pater minor spiritu * sancto, aut spiritus sanctus minor patre. (* al. lect. *spiritui.*)
7. Propositio quaestionis de multimodis apparitionibus Dei, quarum quaedam missiones appellantur, cum pater missus non queat dici, sed aut filius aut spiritus sanctus, cooperante tamen in omnibus Trinitate.
8. De his quae naturam Verbi Dei visibilem putaverunt.
9. De his qui filium volunt ante carnis adsumptionem, fuisse mortalem, ut solus pater immortalitatem habere credatur.
10. An indiscrete Deus Trinitas patribus apparuerit, an aliqua ex Trinitate persona.

11. De tribus viris, Abrahae visis, cum quibus sicut cum domino Deo loquitur.
12. De duobus angelis, qui humana forma apparuerunt Loth, et in quibus Dominus singulariter appellatur.
13. De visione Moysi, qua Deum vidit in Choreb per ignem in rubo.
14. De apparitione Dei in exitu Israhel ex Aegypto.
15. De his quae divinitus gesta sunt coram Moyse in monte Syna.
16. Utrum Deus per suam substantiam Moysi apparuerit, an per visibilem creaturam.
18. Quod ex persona domini Iesu Christi dicta intellegenda sint Moysi: ponam te super petram, et auferam manum meam, et posteriora mea videbis, et cetera.
18. De visione Danihelis, in qua illi et patris et filii personae apparuerunt in specie corporali.

Incip. cap. libri III.

1. Utrum cum Deus hominibus visus est, ipse per assumptam creaturae speciem apparuerit, an vero angeli ex persona ipsius sint locuti.
2. De mutationibus creaturarum *, sive consuetudinariis, sive insolitis, quae non fiunt extra potestatem ac sententiam creatoris.

* al. lect. *creaturae.*

3. Exemplum quo ostenditur, omnes causas actionum rationabilium a summa Dei voluntate descendere.
4. De providentia Dei, qua subiectioni sanctorum praesidet angelorum.
5. Quod opere Dei omnis creatura administretur; quo et mira multa ordine consuetudinis inseruntur.
6. De miraculis quae magicis artibus fiunt.
7. De causis originalibus creaturarum corporalium, quas mundo creator inseruit.
8. De significationibus quae ad manifestandam voluntatem Dei, sive per angelos sive per homines, ministrantur.
9. Substantiam * Trinitatis nunquam oculis apparuisse mortalium, sed per subiectam sibi creaturam significasse quae voluit.

* al. lect. *essentiam.*

Incip. cap. libri IIII.

1. De gratia Dei, qua sibi humanum genus reconciliat, ut salvetur quod perierat.
2. De incarnatione Verbi, ut participes eius esse possimus.
3. De exemplo Salvatoris, in quod ad duplum nostrum concurrit et congruit.
4. De ratione simpli ad duplum per numerum ternarium atque senarium.
5. De quadraginta et sex annis aedificationis dominici corporis.
6. De templo corporis Domini, et triduo, quo impleto, Dominus resurrexit.
7. De signis et praefigurationibus quae adventum Domini praecesserunt.
8. De filio Dei, qui et in forma Dei et in forma servi una persona est.
9. De unitate ecclesiae in Deo per geminam dilectionem, cui formam praebet unitas patris et filii et spiritus sancti.
10. De mediatore ad mortem diabolo, et mediatore ad vitam Iesu Christo.
11. De facilitate ludificationum, quibus homines inmundi spiritus fallunt.
12. De falsis et deceptoriis purgationibus.
13. Mortem Christi non fuisse necessitatis nostrae, sed voluntatis suae ac potestatis.
14. De sacrificio perfecto et vero, quod ipse pro nobis Salvator effectus est.
15. De his qui sibi purgationem de virtute propria pollicentur.
16. Sapientes mundi nec resurrectionis veritatem cognoscere, nec futurorum ordinem scire potuisse, quamvis et ipsi vaticinia habere videntur.

Incip. cap. libri V.

Incip. cap. libri VI.

6. De natura corporea, et natura spiritali, quod simplices non sint, quia nec incommutabiles.

7. De simplici et inconmutabili essentia Dei, quamvis multipliciter secundum substantiam nominetur.

* ita cod. 8. Trinitatem deitatis nullo modo triplicem esse dicendum *, quia nec tria ibi plus sunt quam unum, nec unum minus quam tria.

9. De solo vero Deo patre et filio et spiritu sancto.

10. De sententia sancti Hilarii, qua in Trinitate personarum proprietatem intellegitur demonstrasse.

Incip. cap. libri VII.

1. Utrum quidquid de Deo non relative, sed ad se ipsum, recte dicitur, cuilibet personae in Trinitate conveniat.

2. Ea quae patris et filii essentiam significant, non esse relativa, quia quidquid ad se, non aliquid dicuntur, simul ambo sunt.

3. De sapientia a Deo genita vel creata.

4. Quod vel a Graecis vel a Latinis necesse fuerit dici de ineffabili Trinitate.

5. De substantia et essentia.

6. De tribus personis unius essentiae.

Incip. cap. libri VIII.

1. De indifferentia et magnitudine Trinitatis, in qua non est plus ipsa Trinitas simul quam singula quaeque * persona.

* cod. *quoque*.

2. Quod de essentia veritatis, quae est Trinitas Deus, nihil corporeum neque mutabile debet cogitari.

3. De vero et summo et uno bono.

4. De dilectione in Deum per fidem.

5. Quid in sanctis quod non vidimus diligamus.

6. De vera dilectione.

7. Quod quisquis fratrem diligit, Deum diligat, qui amat et ipsam dilectionem, quae ex Deo et Deus est.

8. Quod ex ea forma qua diligitur iustus, diligatur Deus: quia non potest ea quae dilectionem excitat forma non diligi: eademque est Deus, quia Dens caritas est.

Inc. cap. libri VIIII.

1. De Deo semper quaerendo.

2. An tria sint, amans, et quod amatur, et amor. An autem duo sint, quamvis non aliud quam se ipsum diligit.

3. Menti notitiam sui nisi in se ipsa esse non posse.

4. Tria esse in anima, quae sint unum, mentem et notitiam sui et amorem.

5. Quod mens et amor et notitia, et singula in se maneant, et omnia in omnibus.

6. De notitia qua mens non solum se, sed etiam alias mentes nosse regulariter potest.

7. De verbo quod mens ex aeterna concipit veritate.

8. Quali amore diligi debeat creatura.

9. Quod differat dilectio rerum spiritalium ab amore carnalium.

10. Non omnia quae notitia conprehendit, dici posse concepta.

11. Conceptae notitiae similitudinem tunc ad aequalitatem mentis accidere, cum id quod cognoscitur, neque inferioris neque superioris naturae est.

12. Cur sicut notitia mentis est proles, non etiam eius amor partus eiusdem sit.

Incip. cap. libri X.

1. De studiis discere amantium quod ignorant; quod tamen non expeterent, scire se penitus ignorarent.
2. Quibus causis amari videantur incognita, conscientia eorum quae nesciuntur expetitur.
3. An incognita sibi sit mens, cum se quaerit.
4. De propriis mentis, quae non potest ignorare.
5. Jn quo mens nosse se debeat, et a quibus abstinere, ne eis quasi propriis delectetur, atque ita se minus noverit.
6. In quibus mens de se cogitans possit errare.
7. De opinionibus eorum, qui mentem aliquid praecipuum corporis esse senserunt.
8. Quod mens nosse se quaerens, nihil corporeum debeat cogitare.
9. Quomodo mens cognoscat se ipsam.
10. Quod mens nosse se cupiens, nihil eorum de se opinari debeat, de quibus scit esse dubitandum.
11. De memoria, intellegentia, et voluntate, in quibus mens habet in se quandam imaginem divinae Trinitatis.
12. De quaerenda imagine Trinitatis etiam in his quae anima ex corporis sensibus concipit.

Incip. cap. libri XI.

1. De imagine Trinitatis, etiam in eo quod imago Dei non est, id est in homine exteriore quaerenda.
2. De visibili et vidente atque visione.
3. De memoria, qua visorum imago retinetur, et intentione animi qua in utrumque concurritur.
4. De imaginibus quas cogitationis acies intuetur, in phantasia ab memoria concipit.
5. De cogitationibus innoxiis, et de his, quae ab acie recordationis abigenda sunt.
6. De fine voluntatis, qua cognoscatur recta an prava cupiamus.
7. De ea Trinitate, quae iam non ex corpore neque ex corporis sensu, sed de memoria nascitur cogitantis.
8. De multiplicationibus Trinitatis, quae ex recordatione pariuntur.
9. Quod in quolibet genere Trinitatum voluntas nec parens inveniatur esse nec proles.
10. Quam facile sit cogitanti fingere sibi eas species, quas non vidit, ex earum recordatione quas videt.
11. De mensura et numero et pondere, quorum similitudo sit in memoria et visione et voluntate.

Incip. cap. libri XII.

1. Quid sit quod etiam animo nostro intellegendum sit ad exteriorem hominem pertinere.
2. Corporales sensus communes nobis esse cum pecore; sed proprium esse hominis de his quae sensibus conprehenderit, secundum aeternas iudicare rationes.
3. Actiones corporales ita demum esse rectas, si eis regendis mentis intellectuale praefuerit.
4. Quid intersit inter illud quo mens inclinatur ad temporalia, et illud quo contemplatur aeterna.
5. De opinione eorum qui coniugio masculi et feminae et eorum proli divinam conparant Trinitatem.

6. Quod homo non ad unius in Trinitate personae, sed ad totius Trinitatis imaginem sit creatus.
7. De eo quod apostolus dicit virum esse imaginem Dei, mulierem autem gloriam viri.
8. Quibus progressibus mens corporalium usu et imagine delectata, ab aeternorum contemplatione deficiat.
9. Quam perniciose relicto communi bono, privata quaerantur.
10. Quae sit humana temptatio, et quod peccatum extra corpus habeatur.
11. Quibus deminutionibus homo ab imagine Dei ad similitudinem pecoris delabatur.
12. Quam comparabilis sit primorum hominum praevaricationi mens, quae ad amorem temporalium sensu est tracta corporeo.
13. De eorum sententia, qui in uno homine mentem in persona viri, sensum autem corporis in persona mulieris accipiendum esse dixerunt.
14. In quae officia proprie et sapientia et scientia dividantur.
15. De opinione Platonis, qua credidit animas aliam vitam, prius quam corporibus inderentur, habuisse.

Incip. cap. libri XIII.

1. De gemino rationalis mentis officio, quorum unum ad temporalia, aliud pertinet ad aeterna.
2. De fide, quae licet per corporis sensum mente concepta sit, nihil tamen invenitur habere corporeum.
3. De voluntate quam et singuli propriam, et omnes etiam non indicatam possint habere communem.
4. De beatitudine, quam omnes una voluntate expetunt, sed non eadem omnes definitione noverunt.
5. An omnes beati sint qui vivunt ut volunt.
6. Priorem esse beatitudini * voluntatem rectam etiam non adeptam quod concupit, quam pravam etiam si quod concupivit optinuit.

* al. *beatitudine.*

7. Ad veram beatitudinem viam esse per fidem rectam, sine qua nulla unquam possit fortitudo prodesse.
8. Perfectam beatitudinem nisi in aeterna vita esse non posse.
9. An aeternitatis capax sit humana natura.
10. An alio modo omnipotens Deus hominem aeternitati debuerit reformare, quam ut sibi Dei filius naturam uniret humanam.
11. Qua ratione in sanguine Christi iustificentur credentes: et quomodo in hoc sacramento totius Trinitatis operatio.
12. Quo merito homo diabolicae sit traditus potestati.
13. De consilio Dei, quo ei placuit ut potestas diaboli, non potentia sed iustitia vinceretur.
14. De omnium debito per nihil debentem Christum soluto.
15. In quo sit diabolus victus a Christo.
16. Ad quam utilitatem fidelium renatorum mala, quae per originale peccatum sunt contracta, conversa sint.
17. De his quae per incarnationem Christi sunt conlata credentibus.
18. De nativitate Domini de Maria virgine et spiritu sancto.
19. Quod Verbum caro factum est, quod est Iesus Christus, et sapientia, et thesauros in se habeat scientiae.
20. [illegible]

Inc. cap. libri XIV.

Incip. cap. libri XV.

13. De scientia Dei patris, cui nihil cuiusque creaturae indiciis conferatur.
14. De similitudine et aequalitate patris Dei et unigeniti eius Dei consubstantialis et coaeterni.
15. Quam dissimile sit verbum nostrum mutabile Verbo Dei inconmutabili et aeterno.
16. An volubilitas cogitationis Deo inesse credenda sit.
17. De sancto spiritu, qui patri et filio aequalis accipitur, et utriusque spiritus dicitur, et caritatis nomine intellegitur, cum quaelibet in Trinitate persona sit caritas.
18. De excellentia caritatis quae ita ex Deo est, ut ipsa sit Deus.
19. Qua ratione donum Dei dicatur spiritus sanctus.
20. Contra eos qui unigenitum Dei, non paternae naturae sed voluntatis filium esse dixerunt.
21. De similitudinibus Trinitatis divinae, quae in natura mentis ad imaginem Dei factae repperiri utcumque potuerunt.
22. Tria, quae sunt imagines Dei, id est memoria, intellectus, et amor, unius esse personae, quia non hoc est ei esse, quod haec habere.
23. Quam vera in Dei Trinitate unitas. Et quam vera in eiusdem unitate sit Trinitas.
24. His qui naturam mentis subtiliter intuentur, et ea imaginem Dei esse non sentiunt.
25. Quam beatos faciat fides recta etiam eos qui de naturis incorporeis nequeunt disputare.
26. Intervallis temporum divinae Trinitatis carere naturam.
27. Quid in quodam sermone ad populum disputatum sit de differentia generationis filii et processionis spiritus sancti.

Expliciunt capitula librorum XV.

Et manu posteriore.

Iste liber est monachorum Congregationis sanctae Iustinae de observantia ordinis sancti Benedicti, residentium in monasterio sancti Columbani de Bobio, scriptus sub n. 14.

Sequens fragmentum mittebat olim ad me R. P. Octavius Frangipanius, Casinensis tabularii olim dignissimus praeses; sumptum ex codice Casinensi 142. f. 136. Conferantur autem etiam additamenta vitae augustinianae apud Hommeyum in Suppl. PP.

Addenda vitae sancti Augustini a Possidio scriptae, post verba « sana fine in ecclesia praedicavit » in cap. 31.

Sed ne, ut supra tetigimus, civitatis suae ruinam videret, tertio obsidionis eius mense migravit ad Dominum quinto kalendas septembris, cum vixisset annos septuaginta sex, in clericatu autem, vel episcopatu annos ferme XL. (*Quae autem abhinc virgulis distinguemus, ea sunt in cap. 28. vitae editae.*) « Ante proximum vero diem » obitus sui, a se dictatos et editos libros recensuit, sive eos quos primo tempore » suae conversionis adhuc laicus, sive quos presbyter, sive quos episcopus dictaverat; et quaecumque in iis recognovit aliter, quam sese habet ecclesiastica regula » a se fuisse dictata et scripta, cum adhuc ecclesiasticum usum minus sciret, minusque sapuisset, a semetipso et reprehensa, et correcta sunt. Unde etiam duo » conscripsit volumina, quorum est titulus *de retractatione librorum.* Praereptos » etiam sibi quosdam libros ante diligentiorem emendationem a nonnullis fratribus » conquerebatur, licet eos postmodum emendasset. Imperfecta etiam quaedam suo-

» rum librorum praeventus morte dereliquit. Qui prodesse omnibus volens, et va-
» lentibus multa librorum legere et non valentibus, ex utroque divino testamento
» veteri et novo, praemissa praefatione, praecepta divina seu vetita, ad vitae regu-
» lam pertinentia excerpsit. Etenim ex iis unum codicem fecit, ut qui vellet legere
» in eo, vel quam obediens Deo inobediensve esset, agnosceret: et hoc opus voluit
» SPECULUM appellari. »

Vir denique fuit debellator haereticorum, defensor fidelium, et famosorum palma certaminum: in quibusdam libris nimia difficultate reconditus, in quibusdam sic est planissimus, ut etiam parvulis probetur acceptus: cuius aperta, suavia sunt; obscura vero, magnis utilitatibus farcita pinguescunt. Huius autem ingenii vivacitatem, si quis nosse desiderat, libros ipsius confessionum legat, ubi se refert omnes mathematicas disciplinas sine magistro comprehendisse, quas alii sub doctis expositoribus 1). Fertur itaque quod Marcus Terentius Varro apud Latinos innumerabiles scripserit libros. Apud Graecos Chalcenterus miris in scribendo attollitur laudibus. De nostris utique apud Graecos Origenes sex milia legitur libros scripsisse. Horum denique omnium studium Augustinus noster ingenio vel scientia sua vicit. Nam tanta privatim dictando, tantaque in ecclesia diversisque locis disputando conscripsit, ut vix quisquam studiosorum diebus et noctibus non solum scribere libros eius, sed nec legendo posse, occurrat. De quo quidam catholicus doctor, quasi cum ipso loqueretur, versificans sic ait:

Mentitur qui te totum legisse fatetur.

Iste vero in sancta ecclesia inter nos post mortem vivens, nobiscum loquitur semper, iuxta cuiusdam gentilis poëtae epigramma, quod suo inscribi iussit sepulchro, hoc modo dicens.

Vivere post obitum vatem vis nosce viator?
Quod legis ecce loquor; vox tua nempe mea est.

Hic dum in Hipponensi sepultus esset regione, propter immunditiam et crudelitatem gentilium inde ablatus, in Sardinia repositus est. Decurrentibus itaque a die obitus eius ferme ducentis octoginta annis, usque ad tempora Liutprandi regis Longobardorum, audiens idem rex, quod Saraceni depopulata Sardinia, etiam loca foedarent illa, ubi ossa saepe dicti patris ob vastationem barbarorum olim translata et honorifice condita fuerant, misit et dato magno pretio accepit, et transtulit ea Ticinum. Quae utique ossa in basilica beati Petri apostoli, quae a Ticinensi populo caelum aureum nuncupatur, cum debito tanti patris honore recondidit 2). Iure igitur in apostolica est collocatus ecclesia, qui pro apostolica dimicans fide, vivens verbis, et hactenus scriptis, diabolicas haereticorum fraudes patefaciendo disperdidit. Adiuvante D. N. Iesu Christo fidei nostrae auctore, qui cum Deo patre et spiritu sancto vivens regnat per cuncta saecula saeculorum 3). Nova additio.

1) Confess. lib. IV. cap. 16.

2) Haec narrat Beda in historia et in martyrologio. Tota autem de re legatur Fulgentii Bellelli spissum opus, nec non iusti Fontaninii disquisitio de corpore sancti Augustini in Ticinensi urbe reperto. Nuper vero gallicani episcopi partem eius reliquiarum impetratam, Ticino Hipponem reportarunt, post Africam borealem imperio gallico adiunctam.

3) Duas alias S. Augustini biographias in vaticanis codicibus me legere memini; et quidem copiosam prae ceteris in codice 537. f. 11. seqq., quam tamen totam quum ex eiusdem confessionibus atque ex Possidio consarcinatam viderem, insuper habendam iudicavi.

De sacro poëmate quod in codice vaticano inscribitur S. Augustino, sed est Dracontii, cum novis versuum additionibus ac varietatibus.

Splendidum fuit doctissimi Faustini Arevali inventum, qui dum in vaticana bibliotheca Dracontii carmina vestigaret, observavit in codice urbinate vaticano 352. *poëma illud de Deo sub Dracontii recte nomine iamdiu editum, observavit inquam Aurelio Augustino, non Dracontio inscribi. Atque errorem quidem in auctoris nomine facile evidenterque Arevalus in suis ad Dracontium prolegomenis cap.* 8. *coarguit. Verumtamen laus praecipua Arevali in eo vertitur, quod cum in editionibus primus tantummodo liber extaret, ipse in codice urbinate alios duos observavit; ita ut Dracontium duabus supra primam partibus cumulare potuerit. Nos sane sapientissimo Hispano plaudimus; et quamvis Augustinum scriptis multis in hoc volumine libenter prospereque auxerimus, nequaquam tamen poëma hoc, quamvis et alio codice fulti, ut mox dicemus, ad hipponenses pluteos invita veritate transferre studemus.*

Sed illud dicendum superest, quod nempe in vaticanae bibliothecae vetustiore ac maiore aula, alius a nobis compertus est codex 5884, *qui fuit Arevalo prorsus incognitus, ubi idem poema cum accuratiore titulo legitur, nempe:* Aurelii Augustini de laudibus Dei liber primus incipit feliciter. *Tum ibidem librorum quoque divisio (quae in urbinate incertius et vix innuitur) diserte seduloque fit. Nam f.* 14. *sic:* incipit liber secundus de laudibus Dei feliciter. *Postea f.* 30*:* incipit liber tertius de laudibus Dei. *In calce codicis demum:* Aurelii Augustini de laudibus Dei liber tertius et ultimus finit felicissime. *Codex quidem est chartaceus, saeculi XV, sed ex antiquiore descriptus corrupto aut evanido, ut lacunae demonstrant, non sine multis mendis, quibus certe non caret etiam urbinas: neque tamen alter ex altero exscriptus fuit, ut complures insignesque diversitates demonstrant. Etsi igitur ad Augustinum minime pertinet hoc poëma, noluimus tamen praeclarum et incognitum hactenus codicem, Augustini nomine titulatum, sine fructu dimittere. Etenim et multas suppeditat poemati emendationes; quodque pluris est, versibus supra quadraginta editionem Arevali auget: quae nos omnia fideliter in subiectis paginis proponemus, non ita tamen ut manifesta codicis menda, vel lacunas inexplebiles, aut quasdam levioris momenti varietates, adnumeremus. Et quidem illas etiam lectionum ab editione varietates omittemus, quas iam ex urbinate codice in scholiis suis Arevalus adnotavit.*

Lib. I.

v. 35. *Arevalus* patuere *Cod. vat.* sonuere.
v. 82. *Ar.* fient *Vat.* forent.
v. 87. *Ar.* inde *Vat.* ante.
v. 112. *Ar.* et corde *Vat.* prece corde.
Post v. 162. *est in vat. novus versus:*
Et mare navigerum quatitur spumantibus undis.
v. 212. *Ar.* cornigeris axes *Vat.* corniger axem.
v. 219. *Ar.* caelum *Vat.* solem.
v. 368. *Ar.* par *Vat.* pax.
v. 391. *Ar.* sopita *Vat.* fecunda.
v. 514. *Ar.* notato *Vat.* probato.
v. 530. *Ar.* imbre *Vat.* igne.
v. 652. *Ar.* udansque *Vat.* udasque.

Lib. II.

v. 1. *mutilus apud Arevalum, sic decurrit integer in codice:*
Omnipotens aeterne Deus, spes unica mundi.
v. 66. *Suppletur totus ab Arevalo. Sed ecce codex eum restituit, qui sic legendus est:*
Ergo Deum Deus auctor ovans eructuat ore.
v. 78. *Ar.* in artus *Vat.* in alvo.
v. 99. *Ar.* haec, *quod recte omittitur in vat.*
Post versum 99. *est in vat. novus versus:*
Ut putat insipiens omnis rationis egenus.
Post versum 107. *adhuc in vat. novus versus:*
Ut posset monstrare Deum, quia lumina carnis.
v. 121. *Ar. tantum* ipse oculos. *At in codice sic habetur:*
Ipse oculos geminare facit sub fronte micantes.
v. 135. et 136. *corrupti apud Arevalum, sic emendantur in vat.*
Per quas Christus iter Petro veniente peregit,
Quum miraretur stringi natura liquorem.

Post v. 144. *est in vat. novus versus, deficiente tamen pede:*

Sermo fidem conspergeret ore piorum.

v. 145. *Ar.* doctosque *Vat.* docilesque.

Post versum 152. *sunt in vat. novi duo:*

Fluctibus assumptis pelagi sub sidera caeli
Te maudante poli post nubila maesta serenant.

Loco versiculi 161. *ab Arevalo suppleti, est in vat. hic versus:*

In partes hinc inde duas, cum turba piorum.

v. 158. *Ar.* una *Vat.* ima.

v. 164. *Ar.* de fluctibus-adesset *Vat.* in fluctibus-adhaesit.

v. 279. *Ar.* venantum *Vat.* venantum ante malo, *quod mendum fortasse corrigi poterit.*

Post v. 287. *Est in vat. hic versus:*

Aut bellator aquas, aut iam pirata vagitus.

v. 291. *Ar.* ut vel finitimus *Vat.* ut vel in extremos.

v. 297. *Ar.* horrendum *Vat.* hoc tetrum.

Post v. 311. *Est in vat. novus versus:*

Infantumque animas nullo pro crimine raptas.

v. 345. Integer in *vat.* Aestus et unda maris, validus licet aequora tollat.

v. 372. *Ar.* quod *Vat.* quum.

v. 382. *Suppletur ab Ar., sed vat. ita se habet:* Hoc solum servatur. (*cod.* servanti) quicquid diligit auctor.

v. 391. *supletus ab Ar., in vat. sic habetur:*

Nam postquam redit (*cod.* revoc.) antiquae per viscera terrae.

v. 392. *Ar.* alta *Vat.* altus.

Post versum 413. *est in vat. novus versus:*

Mox fecundus ager steriles expavit harenas.

v. 448. *in vat. sic:* Famam scenei verax arietis . . caveret.

v. 479. *Ar.* ora *Vat. terga.*

v. 43. *Suppletus ab Arevalo, sic est in vat.*

Aut siccante freto iactet se rivulus unda.

v. 546. *Ar.* habere *Vat.* abire.

v. 565. *Ar.* fluunt *Vat.* iacent.

v. 625. *Versus ab Ar. suppletus, sic est spondaicus in vat.*

Augebat spes sola fides. praesumit vel spes:

Lib. III.

Post v. 12. *Tres sunt novi in vat.*

Nam tua iussa parant ut sint elementa ministra,
Fulgura crebra micant collisis nubibus euro,
Et tonitrus imbresq. movent, aut fulmina caelo.

v. 37. *Ar.* mundi compendia pulchra. *At vat.* compendia publica mundi.

v. 43. *Ar.* sedem. *Vat.* se dum.

v. 72. *Ar.* decet *Vat.* placet.

v. 88. *Vat.* Ante animamque simul, sponsam, convivia, natos.

Post v. 106. *versus in vat. novus:*

Qui sibi natus erat, qui ad vulnera colla parabat.

In cod. tamen mendose quid notus.

v. 119. *Suppletus ab Ar., sic est in vat.*

Quam praestare potest, si non et praestat et assit

Ante v. 119. *Arevalus supplet versum qui in vat. aliter se habet, quamquam non sine mendo:*

Nescio, sed minus est a quo deplangitur ademit.

v. 123. *in lacuna vat. habet* pius hostia.

v. 195. *Suppletur ab Arevalo, sed in vat. ita se habet:*

Sanguinis absorpti faciens in morte ruborem.

Post v. 291. *Sunt in vat. sex novi versus:*

Limitis exusti fratrum memoranda sepulchra
Extiterunt, aliis tamquam sibi mentis avarae.
Nec cespes fecundus erat, sed limes adustus
Solvere et in cinerem coctas plaga fervida glebas.
Hinc sitis inde fames steriles retinebat haerenas.
Portio telluris tantum concessa Medusae.

v. 305. *Ar.* pererrantes *Vat.* per extremos.

Post v. 375. *est in vat. novus versus:*

Si fudisset atrox res publica tota doleret.

v. 409. *Suppletur ab Ar. sed in vat.* . . . dum maior Carthaginis hostis.

v. 413. *Ar.* ut vincula *Vat.* in viscera.

Sequiturque novus versus:

Per iugulos transire tuos et pectora dura.

v. 442. *Suppletur ab Arevalo, sed in vat. sic:*

Signum anti . . pro libertate crematis.

Post v. 468. *in vat. novus versus:*

Et sibimet peperit de ficto crimine laudem.

v. 498. *Ar.* infernas ad umbras *Vat.* infernam ad urbem.

v. 545. *Ar.* praecepta sequatur *Vat.* par causa locatur.

Post v. 546. *tres sunt in vat. novi versus:*

Impleat ipse Dei. Simili ditione voluntas
Servorum dominique manet, et pietate modesta,
Qualiter optamus nostra spe vota mereri.
Post v. 600. *novus in vat. versus.*
Saepius et frater clementior atque modestus.
Post v. 607. *Versus novi in vat. septem :*
Obsessamque domant densata repagula linguam,
Et pontem factura iacet sermonibus oris,
Interpres mentis, secreti pectoris index,
Aediovolum (*sic*) tantis tacite vel cordis imago,
Verbere distinctas spargit per murmura voces,
Omne nefas atq. omne bonum dictura loquendo.
Dentibus adduntur rubicundo labra flabello.
Post v. 676. *in vat. est novus versus :*
Noxia mens non sit, non sit rea, non sit unquam.
v. 680. *ita se habet in vat.*
Quisquis ad aeternum venit sedesque beatas.
v. 646. *Ar. supplet* dominus. *At vat.* rector.

Alius est in codice vaticano 5876. *tractatus sancto Augustino inscriptus, qui tamen Augustini foetus omnino non est, tum ob stili humilitatem, tum praecipue quia citatur in eo Isidorus. En titulum et initium.* Ammonitio beatissimi patris Augustini ad matrem suam sanctam Monicam de pluribus virtutibus. Petitioni tuae, carissima mater, ut rogasti, scribere studui etc. *Idem tractatus, sed cum varietatibus occurrit in codice palatino vat.* 312. *satis prisco f.* 125. *En initium.* Tuae non immemor piae petitionis, karissima mater, (*in aliis codicibus* soror) tibi ut rogasti scribere studui. Novi enim ardorem animi tui erga scripturas divinas; novi tibi inesse studium legendi et implendi ea quae legis. Memor igitur lacrymarum tuarum etc. *Capitula operis tredecim sic proponuntur.* I. Ammonitio de laude karitatis, et quomodo cunctis virtutibus praeferatur. II. De humilitatis virtute, quae caritati et obedientiae coniungitur. III. De obedientiae bono eiusque laudibus. IV. De virtute continentiae, quod in multis necessaria sit rebus. V. De eo quod continentia etiam in visu sit necessaria. VI. De continentia locutionis ammonitio salutaris. VII. De vilium vestimentorum appetitu. VIII. De eo quod illa, quae supra dicta sunt, cum discretionis virtute debeant perfici ad mensuram. IX. Ostensio qualis ipsa debeat esse compunctio. X. Hic modus orandi panditur. XI. De pugna vitiorum adversus virtutes; danturque consilia qualiter vitia insidiaeque hostis antiqui vitentur. XII. De studio legendi. Sequitur exhortatio. XIII. Ammonitio valde necessaria de adversis patienter tolerandis.

Aliud est in codice vat. 456. *f.* 18. *opusculum cum titulo* SUSPIRIA BEATI AUGUSTINI *in XII. capitula distributum. Incipit.* Summa Trinitas, virtus una et indiscreta, Deus noster Deus omnipotens, confiteor tibi ego ultimus servorum tuorum, et exiguum membrum ecclesiae tuae etc. *Nonum suspirium seu capitulum concludit auctor sic:* intercedente et orante et impetrante gloriosa genitrice tua domina mea sanctissima virgine Maria, cum omnibus sanctis. Amen. *Item suspirium decimum sic explicit:* precibus et meritis virginis Mariae dominae nostrae, et omnium sanctorum. Amen. *Nihil dico amplius; quia videlicet huiusmodi scriptum Augustino prorsus tribui nequit; quamquam ex eius fortasse precibus, quae tot extant, praesertim in confessionibus, sollerter partim defloratum.*

Nihil item dico de incongruente titulo in codice urbin. vat. 82. *f.* 33. Augustini liber de vera innocentia, *quum nihil aliud ibi sit nisi Prosperi ex Augustino excerptae sententiae, quae quoniam ab his verbis* innocentia vera est, *incipiunt, idcirco liber ab amanuensibus cum hoc titulo inscriptus fuit Augustino.* (*Videsis Milleloq. T. II. col.* 1098.)

DE SANCTI AUGUSTINI NOVA GRAMMATICA

EDITORIS MONITUM.

1. *In manibus mihi est pontificiae bibliothecae codex praestans, quem non meis, sed cl. viri Faustini Arevali verbis describam, sic in prolegomenis isidorianis T. II. p.* 370, *loquentis.* « *Codex* 1746. *palatinus, saec. IX. vel X. membraneus in fol. Initio, charactere, antiquo:* codex sancti Nazarii in Laurissa. *Additur vetere manu hic index:* I. Artes sancti Augustini. II. Regula Augustini de nomine et aliis partibus orationis. III. Ars Donati, quam Paulus diaconus exponit *etc. Primum opus,* Artes Augustini, *initio mutilum. Occurrit statim legenti mentio de comparativo cum genitivo, ut* maior horum caritas *etc. Postea est rubrica. Incipit* de pronomine. Pronomen est pars orationis *etc. Desinit (opusculum)* utilis civibus, aptus scenae. Explicit (*sic*) artes sancti Augustini, feliciter. *Deinde p.* 373. *pergit idem Arevalus:* « *Maurini in editione operum S. Augustini primi opusculi inscripti* Artes S. Augustini *non meminerunt. Alterum,* Regula Augustini, *supposititium iudicarunt, et ad appendices tomi I. reiecerunt. Denique p.* 374. *adhuc Arevalus: videndum esset an primum opus,* Artes Augustini, *potiore iure (quam* Regula *etc.) sancto doctori ascribi posset.* » *Tum ibi prosequitur idem Arevalus monens futuros Augustini editores, ne cognita tantum eius opera recudant, sed nova etiam conquirant, quae ipse addi posse iudicat. Hactenus Arevalus. Revera autem multis saeculis ante memoraverat hunc codicem auctor catalogi manuscriptorum laureshamensium a nobis editi in Spicil. rom. T. V.* 191, *ubi inter alia est* ars grammatica sancti Augustini adbreviata. *In codice item vetere apud cl. Peyronium Catalog. bobien. p.* 45*:* Augustini episcopi tractatus de nomine, *in littera longobarda difficili ad legendum.*

2. *Mihi vero iamdiu notus erat palatinus codex; namque ex eo grammaticalia S. Bonifacii sumpsi, quae in septimo classicorum AA. volumine edidi; nihil tunc cogitans de Augustino aliisque ibi contentis grammaticis, vel illorum potius rationem non habens. Sed nunc demum cum curas meas Augustino impense dicavi, primum illud codicis opusculum, elegans aedepol et saporis prisci, neque ullatenus Augustino indignum, libenter totum exscripsi, preloque subieci. Recinet heic aliquis statim illam, quam de secundo Augustini edito opusculo cecinere cantilenam Maurini, nempe quod de re grammatica opusculum Mediolani ab Augustino scriptum, dialogi formam prae se tulerit, qua forma secundum illud ab ipsis editum, et nunc etiam primum nostrum carere videmus. Verba Augustini sunt Retract. lib. I. cap.* 6. Disciplinarum libros conatus sum scribere, interrogans eos, qui mecum erant, atque ab huiusmodi studiis non abhorrebant; per corporalia cupiens ad incorporalia, quibusdam quasi passibus certis, vel pervenire vel ducere. Sed earum solum de grammatica librum absolvere potui, quem postea de armario nostro perdidi. *Pergit dicere se et alios de disciplinis inchoasse libros, quos item perdiderit,* sed haberi ab aliquibus existimabat. *Porro librum Augustini de grammatica reapse superfuisse, testis certissimus est Possidius in indiculo cap.* 6. *ubi scribit Augustini* de grammatica liber unus. *Sed enim ad dialogum quod attinet, verba Augustini paulo incertiora visa sunt Tillemontio T. XIII. adn.* 6. *p.* 961. comme le Saint paroist le dire. *Illa vero de ascensu a corporalibus ad incorporalia, graviore adhuc ambiguitate laborant. Praeter quam quod id non fortasse in grammatica, sed in aliis disciplinis Augustinus curaverat. Et quidem hanc suam sententiam videtur paene ad litteram sumpsisse Augustinus ab Apollinari comm. ad Proverbia in primo a nobis edito fragmento, ubi ait:* « περὶ τῆς τῶν νέων διδασκαλίας, ὅτι περ ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν ἐπὶ τὰ νοητὰ τὴν διάνοιαν ἀναχθέντες, ἔσονται σοφοί. « *Adolescentes dum instituuntur, si a sensibilibus ad intellectualia mente ascendent, sapientes evadent.* » *Atque hic est reapse piorum in christianis gymnasiis magistrorum scopus, ut teneras puerorum mentes, una cum terrenis, caelestibus quoque doctrinis imbuant.*

3. *Age vero ut propius ad praesentem rem accedamus, nova et plenior palatini vat. opusculi et codicis a nobis facienda descriptio est. Prima igitur codicis pagina, more palimpsestorum, a laureshamensi monacho funditus eluta fuit atque abrasa, ut ibi titulos omnium qui sunt in codice opusculorum manu sua scriberet. Atqui haec tanta fuit absurditas, ut parem aliam in palimpsestis adhuc non viderim. Etenim in hac prima pagina et nomen rubricatum Augustini fuit et titulus operis, et initium in versiculis* 25. *usque ad secundam paginam. Bonus autem ille monachus nihil post primam paginam abolevit in codice; sed tamen hac prima deleta, opusculum titulo, ut dixi, initioque multavit. Quis umquam tam insipienter se gessit, ut retento alicuius corporis usu, caput amputaverit? Iam vero Arevalus ideo mutilum dixit esse in codice opusculum, quia primam paginam non agnovit fuisse rescriptam: egoque ipse initio nihil tale suspicatus fueram; sed mox oculis acutius intentis, vidi titulum rubricatum quod videbatur:* Ars Augustini ad Petrum mediolanensem. *Sed tamen paulo incertior, immo satis obscura, mihi haec lectio est, quia rubrica non tam facile, quam atramentum, aetatem fert, neque chemici humoris beneficio reviviscit. Porro, si lectio tuta foret, cogitarem omnino de P. Consentio, cuius item habemus libellum grammaticalem, ad quem hominem forte tunc adhuc adolescentem, et ab huiusmodi studiis, ut Augustinus loquitur, non abhorrentem, fortasse hanc Artem Augustinus scripsit. Certe Consentius amicus admiratorque Augustini fuit, ut ex mutuis constat epistolis (Aug. epp.* 119. 120. 205.) *Iam si vocabulum* mediolanensem, *quod mihi reliquis paulo videbatur evidentius, recte se habet, habemus patriam P. Consentii grammatici Mediolanum, in qua civitate pari fere tempore claruit Deuterius alter grammaticus, Ennodii amicitia et scriptis notissimus. Scio a doctis nonnullis existimari Consentium constantinopolitanum, sed quo iure vel qua notitia innitantur, ipsi viderint.*

4. *Post hunc rubricatum titulum (in quo nomen* sancti Augustini *laureshamensis monachus atramento renovavit) sequitur litteris maioribus et paene quadratis definitio latinitatis in versiculis septem, quae totidem fere verbis est apud Victorinum in putschiana editione p.* 1938, *partimque etiam apud Diomedem p.* 434. *Neque id mirum; nam definitiones apud Artigraphos iisdem paene verbis fieri aut repeti solent, sive ob rei necessitatem, sive ob commodam honestamque imitationem; quam rem unusquisque legendis huiusmodi libris cognoscet. Ut unum exemplum adferam, illa v. gr. vocis definitio* vox est aër ictus *etc. tum a Probo per nos olim edito, tum etiam in putschiana collectione fit similiter a Diomede p.* 413, *a Donato p.* 1735, *et a Victorino p.* 1939. *et* 2451. *Denique a Dynamio grammatico inedito cap.* de voce. *Post illam autem grandioribus litteris definitionem, sequitur alius rubricatus titulus, valde tamen oblitteratus, id est primi capituli titulus, et fortasse legendus, si vestigia non fallunt:* de partibus orationis. Sunt octo *etc. cum lacunis, ut in nostro libro videre est: etenim hunc palimpsestum aegerrime explicuimus; et illa quidem quae sub novis opusculorum titulis sunt obruta, prorsus perierunt. Verumtamen, quod plurimi interest, nomen Augustini perspicue conservatur in calce opusculi, manu vetere:* explicit Artes (*sic*) sancti Augustini. *Idque initio etiam opusculi bis a monacho laureshamensi parvis magnisque litteris exaratum fuit.*

5. *Quae cum ita se habeant, equidem in hac mea novorum Augustini scriptorum editione, grammaticum eius opusculum desiderari non patior; in quo etsi plurima reliquis Artigraphis necessario communia sunt, attamen nova quoque sunt a rei grammaticae studiosis ac lexicographis utiliter observanda, cum classica insuper stili bonitate ac perspicuitate. Profecto et punicum illud* DELLAS *vocabulum, quod ibi dicitur latine* carex, *in postremo capitulo relatum, prorsus et omnino indicare videtur Augustinum auctorem, qui punica verba non pauca in aliis scriptis recitare solet. Hoc autem* DELLAS, *neque alibi apud ipsum Augustinum, neque ut puto apud punicae linguae tractatores, ipsumque praecipuum linguae eius magistrum, seu potius indagatorem, Guillelmum Gesenium, apparebat.*

ARS SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI

AD PETRUM MEDIOLANENSEM.

1. Latinitas est observatio incorrupte loquendi secundum romanam linguam. Constat autem modis tribus, id est ratione, auctoritate, consuetudine. Ratione, secundum . . . Auctoritate, secundum eorum praescripta quibus . . . auctoritas adtribuat . . . Consuetudine quae loquendi usu . . . Cod. pal. vat. 1746. f. I. a.

INCIPIT DE PARTIBUS ORATIONIS.

DE NOMINE.

2. Partes orationis sunt octo, nomen, pronomen, verbum, adverbium, participium, coniunctio, praepositio, interiectio.
(*Sequuntur versus duodecim satis oblitterati, et quidem in palimpsesto sub indice opusculorum codicis. Deinde versus decimusquintus sic*:)
coniunctis fiunt aliaque commune . . . commune ex masculino et neutro . . . iuvenis victor . . . feminin . . . tribus generibus, ut hic et haec et hoc . . . Dicunt quidem etiam . . . ro genere uterque sexus . . Nam hic passer dicitur sive masculus sive sit femina. Et haec aquila etiam si non sit femina. Sed . . . quia vel masculino vel feminino generi adtributa . . . duo singularis . . . pluralis, ut hi viri conputantur tres sunt. Positivus, ut iustus; comparativus, ut iustior; superlativus, ut iustissimus . . . aequalitas quaedam . . . cima est . . . et ideo nominativum casum.

3. Comparativo autem et superlativo non est aequalitas, sed aliud alii praeponitur, f. I. b. ut comparativus ablativum casum regat. Aliquando etiam genetivum pluralem regit; ut cum de tribus episcopis 1) interrogamus quis illorum prior est, unum de ipsis tribus priorem volentes agnoscere. Si autem dicamus, quis illis prior est, nescio quam personam quartam videmur * inquirere, quae tribus illis prior est. Unde * cod. *videtur.* etiam Paulus apostolus cum diceret *: manet * autem fides, spes, caritas, tria haec; * ita cod. * I. Cor. XIII. 13. quoniam caritas inter tria iam connumerata fuerat, dixit: maior autem horum caritas. Nam si diceret: maior autem his caritas, aliam caritatem quasi quartum aliquid inducere videretur; quod tribus dinumeratis, id est fidei et spei et caritati praeponeret 2); cuius rationis minus capaces quidam in aliquantis codicibus emendaverunt: maior autem his est caritas 3). Ut cum dicimus, iustior hic illo. Et nominativum, ut cum dicimus, iustior hic quam ille. Deinde non solum suo generi, velut velocior homo homine, sed alieno etiam comparatur, ut velocior lepus homine.

1) Ita cod. Sed tamen Abbo mox citandus legebat *doctis;* quam veriorem lectionem esse puto.

2) Totum hunc tractum legebat apud Augustinum Abbo floriacensis, a nobis editus in AA. classicorum tomo V. p. 345. seqq. qui praeclarun simul dat testimonium auctori Augustino. Sic ergo Abbo. *Comparativum gradum dicunt grammatici servire semper ablativo casui; sed IN OPUSCULIS AUGUSTINI legi, quod si rebus propositis eundem casum comparativus iunxerit, extra ipsas res erit, quod idem gradus intulerit, ut puta sint tres docti: si requiris quis eis doctior sit, quartum procul dubio tibi reddi cupis: sin per genitivum, quis eorum sit doctior investigas, unum ex his tribus doctiorem scire desideras. Quocirca, ut idem doctor ait, cum nominentur tres virtutes, fides, spes, charitas, melius est dicere neutraliter, maior horum, quam maior his est charitas, ut non quartum aliquid introducas, sed in rebus propositis quid maius sit secernas.*

3) Ita reapse scribunt S. Ambrosius et Beda, ut observat Sabaterius.

Et singularis plurali, ut hic fortior est illis, aut fortior est quam illi. Et pluralis singulari, ut hii fortiores illo, vel quam ille. Superlativus vero et tantummodo suo generi comparatur, et nonnisi per genetivum pluralem. Non enim possumus dicere velocissimus equus, nisi equorum; aut sapientissimus homo, nisi hominum, et similia: sive singularis plurali comparatur, ut ea quae dicta sunt, sive utrumque plurale sit, ut fortissimi homines hominum. Aliquando etiam genetivum singularem sequitur, cum idem genetivus sono quidem singularis, intellectu autem pluralis est; ut cum dicimus, fortissimus gentis illius. Unde etiam ille dixit: o Danaum fortissime gentis Tydide.

4. Figura nominum, per quam consideratur utrum simplex an compositum nomen sit. Est autem compositum nomen, cum fit unum ex duabus vel pluribus partibus orationis; ut cum dicimus ineptus vel inexpugnabilis. Nam illud de duabus, hoc ex tribus partibus orationis confectum est. Sane particulae, quibus nomina componuntur, aut integrae sunt omnes, aut corruptae omnes; aut partim integrae, partim corruptae. Corruptas dico, quando per ipsam compositionem integritatem amittunt; nec ex eo tamen minus latinum nomen efficiunt. Nam cum ineptus dicitur, id utique latinum est, et tamen eptus latinum non est; ex eo enim quod est aptus corruptum est. Si quis itaque non diceret ineptus, sed inaptus, eo minus latinum nomen esset, si corruptum nihil haberet.

5. Casus est gradus quidam declinationis, mutatione novissimae syllabae. Casus sunt sex, nominativus, genetivus, dativus, accusativus, vocativus, ablativus. Nominativus est, cui praeponi potest hic aut haec aut hoc. Genetivus est, cui praeponi
f. 2. a. potest huius. Dativus, cui praeponi potest huic. Accusativus, cui praeponi potest hunc hanc vel hoc. Vocativus, cui praeponi potest o. Ablativus, cui praeponi potest ab hoc vel ab hac vel ab hoc. Hoc autem in numero singulari, nam in plurali hi et haee * et haec in nominativo praeponuntur. Genetivo horum et harum et horum. Dativo his. Accusativo hos vel has vel haec. Vocativo o. Ablativo ab his. Sunt qui alium casum vellent * adiungere, quem septimum vocant, ut cum dicimus virtute beatus, et navi vectus, id est per virtutem, et per navim, et similia. Ergo nomina hoc modo declinantur. Tullius nomen proprium, generis masculini, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi, quod declinabitur sic: nominativo singulari hic Tullius: genetivo huius Tullii: dativo huic Tullio: accusativo hunc Tullium: vocativo o Tulli: ablativo ab hoc Tullio. Et pluraliter, nominativo hi Tullii: genetivo horum Tulliorum: dativo his Tulliis: accusativo hos Tullios: vocativo o Tullii: ablativo ab his Tulliis. Femininum hoc modo. Tullia nomen proprium, generis feminini, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi et vocativi, quod declinabitur sic: nominativo singulari haec Tullia: genetivo huius Tulliae: dativo huic Tulliae: accusativo hanc Tulliam: vocativo o Tullia: ablativo ab hac Tullia. Et plurali nominativo haee Tulliae: genetivo harum Tulliarum: dativo his Tulliis: accusativo has Tullias: vocativo o Tulliae: ablativo ab his Tulliis. Neutrum hoc modo: scrinium nomen appellativum, generis neutri, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi, accusativi, et vocativi, quod declinatur sic: hoc scrinium, huius scrinii, huic scrinio, hoc scrinium, o scrinium, ab hoc scrinio. Pluraliter: haec scrinia, horum scriniorum, his scriniis, haec scrinia, ab his scriniis.

* ita cod.

* cod. *vellunt.*

6. Commune generis masculini et feminini hoc modo: homo nomen appellativum,

generis masculini et feminini, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi et vocativi, quod declinabitur sic: nominativo hic et haec homo: genetivo huius hominis: dativo huic homini: accusativo hunc et hanc hominem: vocativo o homo: ablativo ab hoc et ab hac homine. Et pluraliter hii et hae * homines: genetivo horum et harum hominum: dativo his hominibus: accusativo hos et has homines: vocativo o homines: ablativo ab his hominibus. Commune et masculino et neutro, hoc modo: infector, nomen appellativum, generis masculini et neutri numeri singularis, figurae compositae, casus nominativi et vocativi, quod declinabitur sic: numero singulari, casu nominativo, hic et hoc infector: deinceps huius infectoris, huic infectori, hunc infectorem et hoc infector, o infector, ab hoc infectore. Et pluraliter infectores et haec infectricia 1), horum infectorum, his infectoribus, hos infectores et haec infectricia, o infectores et infectricia, ab his infectoribus. Commune generis omnis hoc modo: prudens nomen appellativum, generis omnis, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi et vocativi, quod declinabitur sic: hic et haec et hoc prudens, huius prudentis, huic prudenti, hunc et hanc prudentem et hoc prudens, ab hoc et ab hac et ab hoc prudente. Et pluraliter hi et hae prudentes et haec prudentia, horum et harum et horum prudentium, his prudentibus, hos et has prudentes et haec prudentia, o prudentes et prudentia, ab his prudentibus.

* ita heic cod.

f. 2. b.

7. Sunt nonnulla nomina quae per casus non flectuntur, sed tamen per casus currunt; quaecumque autem generis omnis sunt, et declinantur sic: nequam nomen appellativum, generis omnis, numeri utriusque, figurae simplicis, casus omnis, quod declinabitur sic: nominativo hic et haec et hoc nequam: et deinceps huius nequam, huic nequam, hunc et hanc et hoc nequam, o nequam, ab hoc et ab hac et ab hoc nequam. Et pluraliter hi et hae et haec nequam, horum et harum et horum nequam, his nequam, hos et has et haec nequam, o nequam, ab his nequam. Sunt item quae neque flecti possunt, neque per casus currunt, sed in uno aliquo casu aut aliquibus, nec tamen omnibus casibus manent, ut instar, generis neutri, et numeri tantum singularis, et casus tantum nominativi 2) et vocativi. Et Iuppiter, nomen proprium, generis masculini, numeri tantum singularis, casus tantum nominativi et vocativi. Et sponte, nomen appellativum, generis feminini, numeri tantum singularis, casus tantum ablativi. Illa quae currunt per casus sed non flectuntur, inflexibilia; ista vero quae neque flectuntur, neque per casus curdeclinabilia dicuntur.

8. Omnis ablativus casus singularis, exceptis quibusdam inflexibilibus et indeclinabilibus, aliqua littera quinque vocalium terminantur. Quaecumque igitur nomina ablativo casu singulari .a. vel .o. littera terminantur, genetivum pluralem in .rum. syllabam mittunt, dativum et ablativum in .is., ut ab hac docta, harum doctarum, et his et ab his doctis: item ab hoc docto, horum doctorum, his et ab his doctis. Quaecumque ablativo casu singulari .i. littera terminantur, vel .u., vel .e. correpta, genetivum pluralem in .um. syllabam mittunt, dativum et ablativum in .bus. Ut ab hac puppi, harum puppium, his et ab his puppibus. Et ab hoc fluctu, horum fluctuum, his et ab his fluctibus. Ab hac mente, harum mentium, his et ab his mentibus. Si autem nomen ablativo casu singulari .e. littera producta ter-

1) Animadverte declinationem *infectricia*.

2) Apud incertum Augustinum in grammaticorum editione Putschii col. 1980 v. 10. *instar* est etiam accusativi casus.

minatur, genetivum pluralem in .rum. syllabam mittit, dativum et ablativum in .bus. Ut ab hac specie, harum specierum, his et ab his speciebus. Intellegitur autem utrum produci debeat ablativus exiens in .e. si nominativus singularis .es., et genetivus in .ei. mittitur, ut species speciei, res rei, spes spei, et similia.

l. 3. a. 9. Sane istae regulae a casu ablativo ductae non servantur quando sexus discernendus est. Nam cum ab hac filia dicatur, dativo tamen et ablativo plurali filiabus dicendum est, ut a maribus discernantur. Ita et mula mulabus, anima animabus, propter mulos et animos. In his tamen nominibus, quae adiunctiva dicuntur, ista differentia non servatur; non enim iustabus propter iustos, aut verabus propter veros dicendum est; propterea quia cum dicitur iustus aut verus, necesse habemus addere quis iustus, et quis verus dicatur, aut certe intellegendum dimittere. Unde ista nomina recte adiunctiva nomina sunt. Item quibusdam nominibus generis neutri, quae a Graecis sumpsimus, et nominativo singulari in .a. syllaba terminantur, ista regula casus ablativi non servatur. Ab eo enim quod est systema * cum ablativo singulari ab hoc systemate faciat, licet tamen dicere dativo et ablativo plurali non solum his et ab his sistematibus, quod postulat regula, sed etiam systematis; quod magis auctoritate quam ratione permittitur. Auctoritas autem in latina lingua plurimum et paene sola dominatur. Quamobrem in omnibus et quae supra diximus et quae deinceps dicenda sunt, multo plus auctoritatis, quam huius veluti rationis, per quam grammatica nomen accepit, meminisse debemus. Ipsa enim certior in grammatica ratio est, qua intellegitur non rationi cum loquimur, quam auctoritati esse serviendum.

* cod. *syssema*. Et sic mox.

DE PRONOMINE.

10. Pronomen est pars orationis, quae pro ipso nomine posita minus quidem plene, idem tamen significat. Pronomini accidunt quae considerare nunc oportet, qualitas, genus, numerus, figura, persona, casus. In qualitate attenditur utrum finitum pronomen sit an infinitum. Finitum intellegitur, si responderi per id potest; per infinitum autem non nisi interrogari potest. Finitorum pronominum exempla sunt: hic, iste, ille, ipse, ego, et similia. Infinitorum vero, ut quis. Sunt quaedam, quae aliquando infinita, aliquando finita sunt, ut qui, quantus, qualis. Nam quando per haec interrogatio fit, infinita sunt. Sunt alia finita: haec nonnulli minus quam finita vocaverunt. Secundum autem hanc distinctionem, si diligentius adtendas, unum pronomen est infinitum, et in solo nominativo casu singulari et genere masculino, id est quisnam; et huius pronominis ceteri utriusque numeri casus, et genera, et omnia reliqua pronomina parum finita sunt, quia et interrogationi et responsioni serviunt. Itaque nonnulli minus quam finita pronomina esse voluerunt, quae non rem praesentem demonstrant, sed vel absentem vel longius positam, qualia sunt is, ipse, ille. Quae vero rem ita praesentem ostendunt, ut quasi digito
l. 4. b. demonstretur, finita nominaverunt, qualia sunt ego, tu, hic, iste. Cetera infinita, id est omnia per quae inquisitio fieri potest; ut sunt haec, quis, qui, quantus, qualis.

11. Genus et numerus et figura et casus et in pronominibus eodem modo quo in nominibus observantur. Personae vero, quibus nomina carent, in pronominibus tres sunt, prima, secunda, et tertia. Prima est quae dicit, secunda cui dicitur, tertia de qua dicitur, ut ego, tu, ille. Sane possessiva quaedam dicuntur pronomina, per quae solet quaeri vel demonstrari quid ad quem pertineat; sed cum quaeritur,

infinita sunt; cum demonstratur, finita sunt. Sane quando gens cuiusque inquiritur vel ostenditur pronomine, gentile pronomen appellatur. Exempla infinitorum sunt cuius, cui, cuium. Finitorum, meus, tuus, noster, vester. Gentile infinitum, cuias. Gentile finitum, nostras. Declinantur autem pronomina hoc modo, ut casum vocativum mittamus, pro quo semper .o. litteram ponunt incuriosi et neglegentes magistri. Non enim pronomen primae personae et alia pleraque vocativum casum habere possunt; et quae habent, non omnia .o. tantum desiderant, sed etiam ipsius pronominis enuntiationem, ut est .o. noster.

12. Ergo in ipsis declinationibus quod dico apparebit. Ego pronomen finitum, personae primae, figurae simplicis, numeri singularis, generis omnis, quod declinabitur sic: ego, mei, mihi, me, a me. Et pluraliter nos, nostri, nobis, nos, a nobis. Tu pronomen finitum personae secundae, generis omnis, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi et vocativi, quod declinabitur sic: tu, tui, tibi, te, tu, a te. Et pluraliter vos, vestri, vobis, vos, o vos, a vobis. Hoc pronomen quidam considerantes diligentius, non habere nominativum, sed a vocativo incipere intellexerunt. Hic pronomen finitum, personae tertiae, generis masculini, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi, quod declinabitur sic: hic, huius, huic, hunc, ab hoc. Et pluraliter hi, horum, his, hos, ab his. Genere feminino haec, huius, huic, hanc, ab hac. Et pluraliter hae, harum, his, has, ab his. Genere neutro hoc, huius, huic, hoc, ab hoc. Et pluraliter haec, horum, his, haec, ab his. Is pronomen minus quam finitum, personae tertiae, generis masculini, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi, quod declinabitur sic: is, eius, ei, eum, ab eo. Et pluraliter ei vel ii, eorum, eis, eos, ab eis. Genere feminino ea, eius, ei, eam, ab ea. Et pluraliter eae, earum, eis, eas, ab eis. Genere neutro id, eius, ei, id, ab eo. Et pluraliter ea, eorum, eis, ea, id, ab eis.

13. Iste pronomen finitum, personae tertiae, generis masculini, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi, quod declinabitur sic: iste, istius, isti, istum, ab isto. Et pluraliter isti, istorum, istis, istos, ab istis. Genere feminino ista, f. 4. a. istius, isti, istam, ab ista. Et pluraliter istae, istarum, istis, istas, ab istis. Genere neutro istuc vel istud, istius, isti, istuc vel istud, ab isto. Et pluraliter ista, istorum, istis, ista, ab istis. Ille pronomen minus quam finitum, in ceteris ita ut superius declinatur, excepto eo quod huius neutrum non facit illuc, quemadmodum superius facit istuc, sed tantummodo illud, tamquam istud. Ipse pronomen minus quam finitum, quod ita ut duo superiora declinatur, nisi quod huius neutrum neque ipsud sed ipsum facit. Se pronomen minus quam finitum, personae tertiae, generis omnis, numeri utriusque, figurae simplicis, casus accusativi. Nam diligenter animadversum est huius pronominis declinationem ab accusativo incipere, sicut secundae personae a nominativo, quod est tu. Sed si quis, quia nominativo caret, a genetivo putet inchoandum, nihil repugnandum est. Ergo ita declinatur a genetivo sui, sibi, se, a se. Et pluraliter eodem modo.

14. Quis pronomen infinitum, personae indefinitae, cuilibet enim aptari potest, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi, quod declinabitur sic: quis, cuius, cui, quem, a quo vel a qui. Et pluraliter qui, quorum, quibus, quos, a quibus. Genere feminino quae, cuius, cui, quam, a qua. Et pluraliter quae, quarum, quibus, quas, a quibus. Genere neutro quod vel quid, cuius, cui, quod,

a quo. Et pluraliter quae, quorum, quibus, quae, a quibus. Sane quod, quando interrogamus, nominativum vel accusativum casum nominis regit. quid, genetivum. Dicimus enim: quod aurum est? vel quod aurum abstulisti? Quid aurum, non dicimus, sed quid auri. Quid pronomen infinitum personae indefinitae, numeri utriusque, in ceteris ita declinatur ut quis. Iam vero quantus, quanta, quantum, pronomina indefinita, personae indefinitae, ita ut similia nomina declinantur, id est iustus, iusta, iustum. Hoc modo etiam tantus, tanta, tantum, quae pronomina finita sunt. Sic et alia infinita, quotus, quota, quotum. Et eorum finita, totus, tota, totum; quae sex pronomina ordinis sunt.

15. Numeri: infinitum, quot; finitum, tot; numeri sunt tantum pluralis, et per casus non flectuntur. Qualis, pronomen infinitum; et finitum eius, talis, masculini et feminini generis sunt, et ita ut similia declinantur, ut agilis vel facilis. Neutrum autem ipsorum, id est quale vel tale, ita ut agile vel facile. Cuius pronomen infinitum personae indefinitae, possessivum, tamquam cum dicimus, cuius servus est, figurae simplicis, generis masculini, numeri singularis, quod ita declinabitur: cuius, cui, cuio, cuium, a cuio. Et pluraliter cui, cuiorum, cuiis,
* ita cod. cuios, a cuiis. Sed haec declinatio plus artis quam pudoris * gerit: nam nimis vetus est, et a nostra consuetudine repudiata. Ita et in genere feminino cuia declinatur ut tabula, cuium ut lignum. Sed etiam ista, quamvis in eis auctoribus repperiantur qui sunt in manibus et in ore omnium, tamen consuetudo contemsit. Per unum enim pronomen, id est cuius vel quorum omnia infinita possessiva significantur.
f. 4. b. Dicimus enim, cuius vel quorum servus sive ancilla sive templum. Sed quod fatendum est cum molestia discernendae ambiguitatis, in genetivo singulari quando cuius dicimus, et in plurali quando quorum. Cuius enim et quorum quando possessiva sunt, per casus non flectuntur.

16. Meus pronomen finitum personae primae, possessivum, generis masculini, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi et vocativi, quod declinabitur sic: meus, mei, meo, meum, meus, a meo. Et pluraliter mei, meorum, meis, meos, mei, a meis, secundum regulam similis nominis, tamquam si reus declinetur. Ergo genere feminino mea sicut rea. Neutrum meum, sicut reum. Noster pronomen finitum, personae primae possessivum, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi et vocativi, ita declinatur, ut nomen simile, quod et niger; et in ceteris generibus nostra, nostrum; ut nigra nigrum. Tuus, tua, tuum, pronomina finita personae secundae, ita in ceteris declinantur, ut meus mea, meum. Item suus, sua, suum, pronomina finita possessiva, personae tertiae, ita ut tuus, tua, tuum declinantur. Vester, vestra, vestrum, pronomina finita, personae secundae, possessiva, ita declinantur, ut noster, nostra, nostrum.

17. Cuias pronomen infinitum, personae indefinitae, possessivum gentile, generis omnis, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi; quod declinabitur sic, cuias, cuiatis, cuiati, cuiatem, et cuius neutrum a cuiate. Et pluraliter cuiates, et cuiatia, cuiatium, cuiatibus. Cum autem quaerimus cuias est, cuius gentis est quaerimus homo, cuias est hic homo vel mulier vel frumentum? et cuiatis hominis vel mulieris, vel frumenti pretium aestimasti? Simili ratione ceteri casus intellegendi sunt. Nostras pronomen finitum, personae primae, possessivum gentile, generis omnis, numeri singularis, figurae simplicis, casus nominativi et vocativi, quod declinabitur sic: hic et haec et hoc nostras, huius nostratis, huic nostrati,

hunc et hanc nostratem, et hoc nostras, o nostras, ab hoc et ab hac et ab hoc nostrate. Et pluraliter hi et hae nostrates et haec nostratia, horum et harum et horum nostratium, his nostratibus, hos et has nostrates et haec nostratia, o nostrates nostratia, ab his nostratibus. Hac ratione facit vestras, vestratis, vestrati, et cetera, quod pronomen est secundae personae; sed huius auctorem, in cuius libris inveniatur, non habemus tanti ponderis, ut inperitorum * consuetudini per eum resistere valeamus. Nam duorum superiorum ipse Tullius auctor est. * *inpeditorum*

DE VERBO.

18. Verbum est pars orationis cum tempore et persona, sine casu. Verbo accidunt genus, numerus, figura, persona, modus, tempus, coniugatio, forma. Genus in verbis non sexu consideratur, sed grammaticorum praeiudicante consuetudine. Genus verbi dicitur quod activum vel passivum vel deponens vel neutrum vel commune significatur. Activum dicunt quod .o. littera terminatur; et accepta .r. littera passivum facit, ut scribo; passivum ergo scribor. Deponens est quod .r. littera terminatur, qua deposita, latinum non est, neque vim activi et passivi potest implere, ut est luctor. Neutrum est quod .o. littera terminatur; et .r. si acceperit, latinum non est, ut est fulgeo. Commune est quod .r. littera terminatur, et vim activi atque passivi habet, ut est criminor: dicimus enim criminor illum, et criminor ab illo; tamquam scribo illum, ut scribor ab illo. Sunt alia verba, quae in nullam memoratarum syllabam exeunt, sed inter neutra deputantur, ut odi, novi, memini; item sum, praesum, possum. Numerus singularis verborum est, ut scribo; pluralis, ut scribimus. Figura simplex, ut scribo; composita ut describo. Persona prima, ut scribo; secunda, ut scribis; tertia, ut scribit. f. 5. a.

19. Sunt etiam verba quae inpersonalia dicuntur, quae quasi in tertiis personis manserunt. Horum alia sunt quae a personalibus trahuntur, ut scribitur, legitur, curritur. Alia quae suum genus possident, ut pudet, taedet, paenitet, libet. Non enim latinum est pudeo, aut pudeor, aut pudes, aut puderis, et similia. Cum autem declinantur additis personis pronominum percurrenda * sunt, ut curritur a me, a te, ab illo, a nobis, a vobis, ab illis. Currebatur a me, a te, ab illo, a nobis, a vobis, ab illis, et cetera. Item pudet me, te, illum, nos, vos, illos, et talia. * ita cod.

20. Modi verborum ab aliis plures, ab aliis pauciores numerantur. Salva tamen ratione declinandi, nobis illi placent, qui pauciores notaverunt, id est indicativum, imperativum, coniunctivum, optativum, infinitum. Indicativus est, per quem aliquid adfirmamus, ut scribo, scribebam, scripsi, scripseram, scribam. Imperativus, per quem ut aliquid fiat compellimus, ut scribe, scribite. Coniunctivus, cui praeponitur cum, et quo enuntiato pendet adhuc sententia, et aliquid coniungendum manet, id est cum scriberem. Optativus, per quem optamus, ut est: utinam scribam! Infinitus, qui neque numeris neque personis certis est, et aliquando nec tempore, ut scribere, scripsisse.

De temporibus.

21. Tempora verborum tria sunt; praesens, ut scribo; praeteritum, ut scripsi; futurum ut scribam. Coniugationes sunt tres, prima, secunda, tertia. Prima est quae indicativo modo, in praesenti tempore, numeri singulari, secunda persona .a. habet ante novissimam litteram; in passivis autem ante novissimam syllabam, ut clamas clamaris, vocas vocaris. Secunda est quae modo supradicto et tempore nu-

f. 5. b. mero et persona .e. habet productam ante novissimam litteram; in passivis autem ante syllabam, ut mones moneris, doces doceris. Tertia quae in eodem loco activi .i. habet correptam; in passivis vero .e. correptam ante novissimam syllabam, ut scribis scriberis, legis legeris. Est tertia producta quae dicitur, quamquam nonnonnulli distinctius quartam vocant. Haec hisdem locis .i. productam habet, ut audis audiris, nutris nutriris. Dinosci autem facile potest animadverso imperativo modo: nam cum verbum est huius quartae coniugationis, imperativus modus in .i. exit, ut audi nutri. Futurum autem tempus indicativi modi prima et secunda coniugatio in .bo. syllabam mittit. Tertia correpta in .am. Tertia producta, sive quartam eam dici placet, in .am. et in .bo. Dicimus enim prima, clamabo vocabo. Secunda, movebo docebo. Tertia, scribam legam. Quarta, et audiam et audibo, et nutriam et nutribo, quae syllaba in passivis in .bor. et .ar. commutatur, ut clamabor, movebor, scribar, audiar et audibor.

22. Formae verborum sunt quattuor. Prima perfecta est, a qua tres ceterae derivantur. Inchoativa enim est calesco, cuius perfecta est caleo. Meditativa est parturio, cuius perfecta est pario. Frequentativa est cursito, cuius perfecta est curso. Declinantur autem verba hoc modo. Scribo, verbum activum, temporis praesentis, personae primae, coniugationis tertiae, quod declinabitur sic: modo indicativo, tempore praesenti, numero singulari, personis omnibus: scribo, scribis, scribit. Et pluraliter scribimus, scribitis, scribunt. Eodem modo tempore praeterito, specie inperfecta: scribebam, scribebas, scribebat, scribebamus, scribebatis, scribebant. Eodem modo, eodem tempore, specie perfecta: scribsi, scribsisti, scribsit, scribsimus, scribsistis, scribserunt vel scribsere. Eodem modo, eodem tempore, specie plus qnam perfecta: scribseram, scribseras, scribserat, scribseramus, scribseratis, scribserant. Eodem modo tempore futuro: scribam, scribes, scribet, scribemus, scribetis, scribent. Imperativo modo, tempore praesenti, ad secundam et tertiam personam tantum habere; namque prima negatur: scribe, scribat, scribite, scribant. Sunt qui et primas addunt, singulari numero scribam, plurali scribamus. Sunt qui singulari non addunt, et plurali addunt. Eodem modo tempore futuro, singulariter scribito, pluraliter scribitote, scribunt.

23. Modo coniunctivo, tempore praesenti singulariter, cum scribam, scribas, scribat. Pluraliter, cum scribamus, scribatis, scribant. Eodem modo, tempore praeterito, specie inperfecta; cum scriberem, scriberes, scriberet, cum scriberemus, scriberetis, scriberent. Eodem modo, eodem tempore, specie perfecta: cum scribserim, scribseris, scribserit, cum scribserimus, scribseritis, scribserint. Eodem modo, eodem tempore, specie plusquam perfecta: cum scribsissem, scribsisses,
f. 6. a. scribsisset, cum scribsissemus, scribsissetis, scribsissent. Eodem modo, tempore futuro: cum scribsero, scribseris, scribserit, cum scribserimus, scribseritis, scribserint. Sane sciendum est omnibus verbis indicativi modi addi posse cum, et ab hoc eam in coniunctivi conditionem verti. Modo optativo tempore praesenti: utinam scriberem, scriberes, scriberet; utinam scriberemus, scriberetis, scriberent. Eodem modo, tempore praeterito, specie perfecta: utinam scribserim, scribseris, scribserit; utinam scribserimus, scribseritis, scribserint. Eodem modo, eodem tempore, specie plus quam perfecta: utinam scribsissem, scribsisses, scribsisset; utinam scribsissemus, scribsissetis, scribsissent. Eodem modo, tempore futuro: utinam scribam, scribas, scribat; utinam scribamus, scribatis, scribant. Sunt qui

putant, istum modum non habere praeteriti temporis perfectam speciem, quod quasi nemo optet quod iam perfectum est. Quod si verum esset, multo magis habere non debuit plus quam perfectum. Sunt item qui negent habere inperfectum, ut a nobis modo declinatum est. Sunt vero qui quod nos ista declinatione praesenti tempori tribuimus, hoc inperfectae speciei praeteriti temporis tribuant; et quod nos futuro, hoc illi praesenti tempore declinent. Sed cum res in aperto sit, de appellationibus certare superfluum est.

24. Modo infinitivo, numeris, temporibus, et personis, scribere, solo tempore finito, praeterito scribsisse, futuro scribtum ire. Eodem modo, quarta specie: scribendi, scribendo, scribendum, scribtum, quemadmodum participalem a nonnullis vocari comperi. Participia veniunt a verbo activo, duo; praesentis temporis, ut scribens; futuri, ut scribturus. Fiunt de verbo nomina, quae verbialia dicuntur; unum, quod est generis masculini et neutri, ut scribtor, et femininum mittit in .trix. ut scribtrix. Alterum est generis tantum feminini, ut scribtio. Quae nomina magis a participio praeteriti temporis flectuntur. Ab eo enim quod est scribtus, mutata .us. syllaba in .or., scribtor facit; in .io. scribtio. Sed multa propter asperitatem non faciunt ex illo primo genere femininum, neque neutrum pluraliter. Ab eo enim quod est praessor nemo dicit praestrix aut praestricia. Facit tamen tonsor tonstrix. Tantae est auctoritatis et consuetudinis in loquendo!

De verbo passivo.

25. Verbum passivum declinatur hoc modo. Scribor verbum passivum, temporis praesentis, personae primae, coniugationis tertiae, quod declinabitur sic. Modo indicativo, tempore praesenti: scribor, scriberis, scribitur, scribimur, scribimini, f. 6. b. scribuntur. Modo imperativo: scribere, scribatur, scribemini, scribantur. Eodem modo, tempore futuro: scribitor, scribiminor, scribuntor. Modo coniunctivo, tempore praeterito, specie inperfecta: scribebar, scribebaris, scribebatur, scribebamur, scribebamini, scribebantur. Eodem modo, eodem tempore, specie perfecta: scribtus fui, fuisti, fuit; scribti fuimus, fuistis fuerunt vel fuere. Eodem modo, eodem tempore, specie plusquam perfecta: scribtus eram, eras, erat; scribti eramus, eratis, erant. Et ulteriore plus quam perfecta: scribtus fueram, fueras: fuerat; scribti fueramus, fueratis, fuerant. Eodem modo, tempore futuro: scribor: scriberis, scribetur, scribemur, scribemini, scribentur.

26. Modo coniunctivo, tempore praesenti: cum scribar, scribaris, scribatur; cum scribamur, scribamini, scribantur. Eodem modo, tempore praeterito, specie inperfecta: cum scriberer, scribereris, scriberetur; cum scriberemur, scriberemini. scriberentur. Eodem modo, eodem tempore, specie perfecta: cum scribtus sim, sis, sit; cum scribti simus, sitis, sint. Et ulteriore specie perfecta, scribtus fuerim, fueris, fuerit; cum scribti fuerimus, fueritis, fuerint. Eodem modo, eodem tempore, specie plus quam perfecta: cum scribtus essem, esses, esset; cum scribti essemus, essetis, essent. Et ulteriore specie plus quam perfecta: cum scribtus fuissem, fuisses, fuisset; cum fuissemus, fuissetis, fuissent. Eodem modo, tempore futuro: cum scribtus ero, eris, erit; cum scribti erimus, eritis, erint. Et ulteriore futuro: cum scribtus fuero, fueris, fuerit; cum scribti fuerimus, fueritis, fuerint.

27. Modo optativo, tempore praesenti: utinam scriberer, scribereris, scriberetur; utinam scriberemur, scriberemini, scriberentur. Eodem modo, tempore praeterito, specie perfecta: utinam scribtus sim, sis, sit; utinam scribti simus, sitis, sint.

Ulteriore perfecta: utinam scribtus fuerim, fueris, fuerit; utinam scribti fuerimus, fueritis, fuerint. Eodem modo, eodem tempore, specie plus quam perfecta: utinam scribtus essem, esses, esset; utinam scribti essemus, essetis, essent. Ulteriore plus quam perfecta: utinam scribtus fuissem, fuisses, fuisset; utinam scribti fuissemus, fuissetis, fuissent. Eodem modo, tempore futuro: utinam scribar, scribaris, scribatur; utinam scribamur, scribamini, scribantur. Modo infinitivo, numeris, temporibus, et personis, scribi. Solo tempore finito praeterito, scribtum esse. Ulteriore praeterito, scribtum fuisse; futuro, scribtum iri. Participia veniunt a verbo passivo praeteriti temporis, ut scribtus; futuri, ut scribendus.

f. 7 a. 28. Neutrum verbum, quod in .o. exit, ita ut activum declinatur. Deponens vero et commune, ita ut passivum; nisi quod a verbo deponenti participia tria veniunt, praesens, praeteritum, et futurum: ut luctans, luctatus, luctaturus. Commune autem quattuor; praesens, ut criminans; praeteritum, ut criminatus; et duo futura, ut criminaturus, criminandus. Verba quae in .i. exeunt, ut odi, novi, memini, declinantur hoc modo. Odi verbum neutrum numeri singularis, figurae simplicis, temporis praesentis, personae primae, coniugationis nullius, quod declinabitur sic. Modo indicativo, tempore praesenti, odi, odisti, odit, odimus, odistis, oderunt vel odere. Eodem modo, tempore praeterito, specie inperfecta, oderam, oderas, oderat, oderamus, oderatis, oderant. Perfectam speciem et plus quam perfectam non habet. Futurum tempus habet, quod est odero, oderis, oderit, oderimus, oderitis, oderint. Imperativum modum non habet. Modo coniunctivo, tempore praesenti, cum oderim, oderis, oderit; cum oderimus, oderitis, oderint. Cetera coniunctivi modi non habet. Modo optativo, tempore praeterito: utinam odissem, odisses, odisset; utinam odissemus, odissetis, odissent. Eodem modo, tempore futuro: utinam oderim, oderis, oderit; utinam oderimus, oderitis, oderint. Cetera optativi non habet. Modo infinito numeris, et personis, solo tempore finito praeterito odisse. Cetera non habet, nisi forte osum ire dici possit. Participium facit unum futuri temporis osurus, et unum praeteritum osus, quod tamen vim praesentis tenet, et omnino praesens habendum est, propter vim verbi neutri, a quo praeteritum pacticipium non venit; et manifestum est, cum dicimus osus illum sum, pro eo nos dicere quod est odi illum; tamquam cum dicimus fulgens sum, nihil aliud quam fulgeo dicimus; vel potius scribens sum illum, nihil quam scribo illum dicimus. Quamobrem ista verba, quamvis praeterea neutra dicta sunt, quod passiva non faciant, tamen quae adiunguntur accusativis casibus; dicimus enim, odi illam rem, et novi illam rem; quemadmodum scribo illam rem, vim activi tenent, et omnino arbitror activa appellanda, et more suo, ut in multis deficiunt, ita deficere, ne faciant passiva.

29. Memini, simile verbum est, et similiter declinatur, excepto eo quod imperativum futuri temporis facit, quod est memento, tamquam et praeteriti temporis faciat, quod est meminerit. Et declinantur ipsa imperativa more superiorum verborum. Et quod unum participium facit, quod est mementurus *. Novi, simile verbum est, et ita declinatur, ut odi; nisi quod participium praesens tantum habet, et simile praeterito, quod notus, quemadmodum osus; sed quia et notus est mihi, et notus sum illi dicimus; osus sum autem illi negatur posse dici; videtur etiam hinc esse dissimile.

* ita cod.

f. 7. b. 30. Verba quae in .um. syllabam exeunt, ut sum, possum, hoc modo declinan-

tur. Sum verbum neutrum, numeri singularis, figurae simplicis, temporis praesentis, personae primae, coniugationis nullius, quod declinabitur sic. Modo indicativo, tempore praesenti, sum, es, est, sumus, estis, sunt. Eodem modo, tempore praeterito, specie inperfecta: eram, eras, erat, eramus, eratis, erant. Eodem modo, eodem tempore, specie perfecta: fui, fuisti, fuit, fuimus, fuistis, fuerunt vel fuere. Eodem modo, eodem tempore, specie plus quam perfecta: fueram, fueras, fuerat, fueramus, fueratis, fuerant. Modo imperativo, tempore praesenti: essit *, essint. Eodem modo, tempore futuro: esto, estote, sunto. Modo coniunctivo, tempore praesenti: cum sim, sis, sit, simus, sitis, sint. Eodem modo, tempore praeterito, specie inperfecta: cum essem, esses, esset, essemus, essetis, essent. Eodem modo, eodem tempore, specie perfecta: cum fuerim, fueris, fuerit; cum fuerimus, fueritis, fuerint. Eodem modo, eodem tempore, specie plus quam perfecta: cum fuissem, fuisses, fuisset; cum fuissemus, fuissetis, fuissent. Eodem modo, tempore futuro: cum ero, eris, erit; cum erimus, eritis, erint. Futuro ulteriore: cum fuero, fueris, fuerit; cum fuerimus, fueritis, fuerint. Modo optativo, tempore praesenti: utinam essem, esses, esset; utinam essemus, essetis, essent. Eodem modo, tempore praeterito, specie perfecta: utinam fuerim, fueris, fuerit; utinam fuerimus, fueritis fuerint. Eodem modo, eodem tempore, specie plusquam perfecta: utinam fuissem, fuisses, fuisset; utinam fuissemus, fuissetis, fuissent. Eodem modo, tempore futuro: utinam sim, sis, sit; utinam simus, sitis, sint. Modo infinito numeris, temporibus, et personis, esse. Solo tempore finito praeterito, fuisse, futuro fore. In quarta specie deficit, et in participio praesentis temporis. Sed docti quidam temporis recentioris, cum haberent necessitatem magna et divina quaedam interpretandi explicandique, et essendi et essendo, et essendum, et essens, dixerunt, quemadmodum scribendi, scribendo, scribendum, scribens.

* ita cod.

31. Possum, simile verbum est, eodem modo declinatur; sed de secunda persona imperativi dubitatur, et quod illa verba vel quarta specie nemo extitit qui etiam in hoc verbo novaret. In participiis autem videtur, potens huius verbi esse participium praesentis temporis; sed rectius nomen esse intellegitur. Ab eo enim quod est sum, participium futuri temporis est, cum futurum dicimus. Sane inventa coniugatione, facilius verba declinantur, excepta praeteriti temporis specie perfecta et plus quam perfecta, et tempore futuro modi coniunctivi, et infiniti praeterito, futuro, et participiis futuro ab activo et a neutro ex omni praeterito. Quamobrem tres sunt in declinatione verborum conexiones, quarum singulae retinent verba plura ita sibi conexa, ut unum horum si fuerit inventum, cetera facillime inveniantur. Harum conexionum prima dicitur .a. coniugatio, quae ob hoc artificialis est. Aliae duae ab auctoritate vel probata consuetudine.

f. 3. a.

32. Nam inventa consuetudine verbi, simul inveniuntur haec verba. Velut in prima coniugatione: clamo, clamabam, clamabo, clama, clamato, clamemus, clamarem, clamare, clamandi, clamando, clamandum. Et participia, clamans, clamandus. Horum si unum inventum fuerit, non potest nisi prima esse coniugatio. Et ita declinantur haec verba omnia et participia quae memoravimus, in omnibus primis coniugationibus. Secundae coniugationis haec sunt ad primam coniugationem pertinentia: moneo, monebam, monebo, mone; producta .e., monebo: cum monerem, monendi, monendo, monendum, et participia monens, monendus. Sed haec

quinque ultima, et inperfecta species indicativi, communia sunt secundae et tertiae coniugationis. Tertiae itaque coniugationis haec sunt ad eandem conexionem pertinentia: scribo, scribebam, scribam, scribe: sed .e. correpta, scribito, scribam, scriberem, scribere, scribendi, scribendo, scribendum; et participia scribens, scribendus.

33. Quartae coniugationis haec sunt ad eandem conexionem pertinentia: audio, audiebam, audibo vel audiam, audi, audito, audirem, audire, audiendi, audiendo, audiendum, et participia audiens, et audiendus. Sed ea verba, quae quarta coniugatione .e. habent ante .o., qualia sunt eo et ineo, aliquantum diversa sunt. Itaque ista hoc modo sunt: ineo, inîbam, ineundi, ineundo, ineundum, et participium ineundus, et cetera similia sunt superiori declinationi. Secunda est, quae a praeterito perfecto indicativi modi sumit initium, cuius verba sunt haec: clamavi, clamaveram, clamaverim, clamavissem, clamavisse. Monui, monueram, monuerim, monuissem, monuisse. Scribsi, scribseram, scribserim, scribsissem, scribsisse. Audivi, audiveram, audiverim, audivissem, audivisse; vel audii, audieram, audie-
t. s. b. rim, audissem, audisse. Hae namque syllabae va, ve, vi, vo, vu, crassius sonant, et propter aurium suavitatem subtrahi solent; vel totae, ut cum dicimus clamaram, non clamaveram; vel .u. tantum detracta tenuari, ut hoc quod dictum est, audieram pro audiveram. Tertia conexio est, a qua res ceterae describuntur, ab infinito quartae speciei, quod ultimum in declinatione est, sumit initium. Ad hanc conexionem pertinet unum hoc verbum, et participium futuri ab activo, et praeteritum. Nomina verbi alia, quae sunt haec: clamatum, clamatus, clamaturus, clamator, clàmatio. Monitum, monitus, moniturus, monitor, monitio. Scribtum, scribtus, scribturus, scribtor, scribtio. Auditum, auditus, auditurus, auditor, auditio. Istae tres conexiones hanc habent vim, ut si cuius conexionis unum verbum inveneris, cetera ad eandem conexionem pertinentia facile percurres modis, numeris, et personis. Nam si verba alterius conexionis ad alteram conexionem et regulam ducere volueris, fallaris necesse est.

DE ADVERBIO.

34. Adverbium est pars orationis, verbo adicienda, ut cum dicimus, fortiter fuit, mansuete vixit, hodie venit, loco est, longe est, hic sedet, simul comitatur, et alia. Nam fecit, vixit, venit, videt, comitatur, verba sunt; fortiter, mansuete, hodie, hic, simul, adverbia. Adverbio accidunt significatio, comparatio, figura. Significatio, qua significant vel qualitatem, ut sapienter, candide: vel quantitatem, ut magne, granditer: vel tempus, ut hodie, cras: vel locum, ut hic, ibi, et alia paene innumerabilia. Nonnulli addunt adverbiis etiam qualitatem, et recte; haec enim sicut pronomina vel infinita sunt adverbia, vel finita, vel minus quam
* cod. *romc.* finita sunt fortiter, hodie, romane*. Infinita, ut quomodo, quando, ubi. Minus quam finita, ut sic, tunc, illic. Comparatio accidit adverbiis, quae de nominibus comparationem recipientibus veniunt, ut ab hoc forte, fortiter. Ergo quemadmodum fortis, fortior, fortissimus; ita fortiter, fortius, fortissime. Et quemadmodum castus, castior, castissimus; ita caste, castius, castissime. Itaque comparativus nominis, generis neutri; nam sanctius templum, nomen est: sanctius dixit, adverbium. In his hoc observandum est, ut quaecumque nomina casum dativum in .i. mittunt inde adverbia in .ter. exeant; ut huic forti fortiter, sapienti sapienter, agili agili-

ter. Quaecumque autem dativum casum in .o. mittunt, inde adverbia exeunt in .e., ut huic magno magne, casto caste, docto docte. Figura adverbiorum, ut nominum et verborum, aut simplex est ut sapienter, aut composita ut insipienter. f. 9. a.

DE PARTICIPIO.

35. Participium est pars orationis cum casu et tempore, et inde participium dictum, quod nominis verbique participet: casum namque illinc, tempus hinc traxit. Sunt autem participia duo futuri temporis, unum praesentis, unum praeteriti. Futuri temporis, ut scripturus, scribendus: praesentis, ut scribens: praeteriti, ut scriptus. Declinatur autem scribens, tamquam nomen quod prudens; nam est generis omnis. Reliqua vero tria per omnia genera flectuntur, tamquam iustus, iusta, iustum, eodem modo declinantur. Sunt quaedam participia eadem et nomina, ut cultus, sapiens, ratione diversa. Nam cultus casu genetivo discernitur, ut participium enim huius culti facit; venit autem a verbo venerandi, color, coleris, colitur. A nomine autem, huius cultus facit. Sapiens vero ideo etiam nomen dicitur, quod recipit comparationem; facit enim sapiens, sapientior, sapientissimus, quae ratio mihi non admodum placet: nam participia videntur comparationem recipere (si) loquendi consuetudo permittat, vel hortetur auctoritas, sed tantum praeteriti temporis. Nam duo futura non admittunt. Quis enim non audet dicere armatissimus, quod Tullius ait? nec tamen armaturior, aut armandior, ab eo quod est armaturus, et armandus dici potest. Quod fatendum est, si cum tempore accipiantur participia difficile videntur posse comparationem recipere. Nam et illud, quod cultum dictum est, facit cultior et cultissimus: sed si ad tempus praeteritum referas, non facit. Cultus enim ager ex ipso habitu suo est cultus. Est autem, si tempus adtendas, praeterita utique actione cultoris. Accidunt participiis etiam figurae, sicut ceteris partibus orationis, simplex ut scribens, composita ut describens.

DE CONIUNCTIONE.

36. Coniunctio est pars orationis adnectens ordinansque sententiam. Coniunctioni accidit potestas. Est vel quae copulat verba, ut et, que, ac. Vel disiungit, ut vel, nec, neque. Aut explet, ut prorsus, videlicet, scilicet, quin etiam, et similia. Aut quasi causam reddit, ut nam, namque, enim, quamobrem, itaque. Aut quasi ratiocinatur, ut ergo, igitur, propterea, et similia. Et ideo partim copulativae dicuntur, partim disiunctivae, partim expletivae, partim causales, partim rationales. Sed multae omnino coniunctiones sunt, de quibus diligenter grammatici deliberant, quo istorum quinque nominum eas vocent; vel utrum aliae differentiae sint adiciendae: quam litem, quia et longum et difficile solvere, illud de coniunctionibus f. 9. b. breve praeceptum, sicut cum legimus viros locutionis auctoritate dignissimos. Advertamus quoque quae loca, et in qua sententia poni soleat, ut consuetudine intellegendi bene coniunctionibus uti possimus. Nam si quis quaerat quid sit, immo non facile dixerim quomodo ei vel definire, vel interpretari hanc coniunctionem possimus. Proferendo ergo multas sententias, in quibus posita est, miro quodam modo quid valeat insinuamus; cum quodam etiam gestu pronuntiandi, ut est: immo ait, o cives, arrepto tempore Turnus, cogite concilium. Et: immo age dic, hospes, ab origine nobis. Nostrasque sententias ad tempus fictas adiungere utile est. Immo vade, qui cogis alium. Immo adeo rationi qui detrahere studes. Huic autem

coniunctioni utcumque vicinum est, cum dicimus potius. Et ideo, et ad libros, ut dixi, redeundum est. Figurae in coniunctionibus, sicut in ceteris partibus orationis observantur. Nam simplex coniunctio est. At composita. Atque ordo coniunctionum est, per quem observatur quae praeponi tantum possit. Que tantum subiungi, quae et praeponi et subiungi. Nam, tantum praeponitur; que, tantum subiungitur. Scilicet, et praeponitur, et subiungitur. Nam si quis quaerat verbi causa cui dicis? respondemus, huic et tibi. Et item respondemus, huic tibique. Non possumus dicere: huicque tibi. Respondere autem possumus: scilicet tibi, et tibi scilicet.

DE PRAEPOSITIONE.

37. Praepositio est pars orationis, quae aut conponendis partibus orationis praeponitur, aut casibus duobus tantum, accusativo aut ablativo aut utrique, non conponendis, sed ad certas significationes adiuvandis. Itaque aliae praepositiones tantum conponuntur, ut di, dis, re, am. Dicimus enim diiudico, discurro, removeo, ambio. Aliae tantum casibus serviunt, ut apud, pone, secundum, ultra, adversum, cis, citro, circa, erga, intra, infra, iuxta, penes propter, usque, coram, absque, palam, sine, tenus. Ceterae conponuntur et casibus serviunt, ut, adnuam, et adduco dicimus, et ad amicum. Ergo accusativo serviunt hae: ad amicum, apud patrem, ante caenam, adversus hostem, cis Tiberim, circa forum, circum murum, circa ianuam, contra portam, erga fratrem, extra matrem, inter
* ita cod. montes, ob rem, penes earum *, per spatium, prope circum, propter salutem, prae-
f. 16. a. ter sonum, post tergum, pone balneas, secundum viam, trans Galliam, ultra Aethiopiam, usque Romam. Ablativo casui serviunt haec: a socio, ab olympo, abs tecto, absque damno, cum amico, coram vicino, de domo, e foro, ex edicto, pro patria, prae ceteris, palam omnibus, sine fiducia, tenus facie. Utrique casui serviunt haec: in villam vado, et in villa sum: sub tectum venio, sub tecto sto: subter arborem eo, subter arbore sedeo: super arborem siliunt, et super arbore sidunt. Et super, quando .de. significat, siculi est: multa super Priamo rogitans. Ablativo tamen servit.

DE INTERIECTIONE.

38. Interiectio est pars orationis, aliquem motum animi significans atque exprimens, ut heu, pape, hem, et siqua sunt alia.

DE SOLOECISMO.

39. Soloecismus est vitium locutionis, quod fit per latinas quidem partes orationis, sed male sibimet nexas. Qui enim dicit inter hominibus, si consideres singula, nullum fecit vitium, nam et inter latinum est et hominibus, sed vitiosum est sic utrumque coniunctum. Hoc ergo modo quando peccatur in qualibet ratione, quae de octo partibus orationis reddita est, soloecismus vocatur. Nonnulli a soloecismo seiungunt inproprium, quod graece ἀκυρολογία dicitur; si quis, verbi causa dicat, libidinem amicitiarum, pro amore: et factionem bonorum, pro concessione. Nisi vituperans aut inridens dicat, sed bono animo arbitrans ita esse dicendum, numquam solet ita reprehendi, ut soloecismum fecisse arguatur. Hoc ergo interest inter soloecismum et inproprium, quod in soloecismo reprehenditur ordinis ignoran-

tia, in inproprio autem significationis. Aliud est enim nescire quomodo se verba consequi debeant, aliud nescire quid significent.

DE BARBARISMO.

10. Barbarismus, quo singula ipsa verba latina non sunt; nam si quis dicat hominem detracta aspiratione, barbarismum facit: aut corona, addita aspiratione, peccat: aut luctat, detracta syllaba, scilicet peccabit *; aut potestur pro potest, addita syllaba, latinum non est. Aut si dicat pone, et primam syllabam corripiat, detractione temporis, barbarismus est. Aut si dicat bonus, et primam syllabam producat, adiectione temporis, vitium est. Aut si enuntiet nomen, et nullam in eo acuat syllabam, acuminis detractione, peccat. Si autem duas acuat syllabas in una parte orationis, adiectione acuminis, offendit auditum. Si dicat vulla pro villa commutatione litterae: si dicat displicina pro disciplina, transmutatio syllabae in vitio est, quia detractione et adiectione, commutatione et transmutatione aut aspirationis, aut litterae, aut syllabae, aut accentuum, aut temporum, fit barbarismus. Sed ad cetera vitanda potest quaecumque lectio boni auctoris subvenire. Propter tempora autem aut accentus, alia eruditio et poëtae maxime necessarii sunt. Aut si ab his tempus excludit, animadvertendus diligenter in colloquio sermo doctorum est. Nam in domo *, quo tempore, in loquutione rectum est: et quod eiusdem temporis docti, vel qui habentur, vel dixerint, vel probaverint a summo * magno se consensu, quod in scriblis eorum quibuslibet, et in sermone cum cura edito facillime apparet. Sane quidam discernunt inter barbarismum et barbarum; ut barbarismus sit, si pars orationis secundum redditam rationem aliqua superet vitiosa. Barbarum autem, si alicuius gentis verbum est non receptum, ut si qui dicat in latino sermone DELLAS pro carice, quod utique punicum est. Esse autem nullius omnino gentis verbum pro verbo nuntiatur. Tali vitio nec nomen inpositum est 1).

* cod. *peccavit*

f. 10. b

* 2. m. *dono*

* ita cod.

1) Heic revera Augustini ars grammatica explicit. Sequitur tamen in codice sine interruptione tractus quidam, qui vel tralatitius videtur vel est quaedam imitatio elocutionum Frontonis. *Obliviscor iniuriae, memor sum bonorum, misereor puerorum, pudet facti, piget gratiae, paenitet laboris, taedet operis, memini lectionis, reminiscor doloris, ignarus malorum. Verba accusativi casus: decet dominum, paenitet amicum, piget inertem, ridet fratrem, calumniatur Catonem, concedo pretium, lego Homerum, scribo historiam, consolor inimicum, odi turpes, novi bonos. Nomina appellativa: expers bonorum, dubius itineris, cupidus honoris, neglegens picturae, conscius facti. Dativo casui serviunt: maledico hosti, suadeo iudicibus, indico tibi, cedo potenti, ministro parenti, largior amico, dono propinquo, obsequor domino, adversor inimico, gratificor illis, subscribo epistulis, adsum Clementi, pareo legibus. Nomina vocativi casus: Virgili scribe, Cicero responde. Ablativi casus verba: fruor fratre, potior pecunia, utor toga, privor potestate, egeo laude, careo molestia, cedo possessione, abstineo cibo, fungor officiis, sacrifico victima, glorior viribus, donatus torque, dignus honore. Nomina dativi casus: intentus studiis, inimicus virtuti, audiens dicto, invidens bono, malivolus studenti, utilis civibus, aptus scenae. Sequitur:* EXPLICIT (sic) ARTES SANCTI AUGUSTINI FELICITER. Deinde scribitur alter ille *de grammatica liber*, qui est in editionibus Augustini T. I., cuius opusculi nullum codicem ms. se habuisse dicunt Maurini. Noster autem hic palatinus vat. saeculi ferme noni est; ideoque magni faciendus, et aliquando, ut auguror, conferendus.

Denique quod p. 166. in monito dixi de obscurata et dubia palimpsesti lectione *ad Petrum mediolanensem*; insuper nunc moneo, memorari a Possidio in indiculo cap. 7. deperditam sancti Augustini epistolam quandam *ad Petrum et Abraham*.

DE DYNAMIO GRAMMATICO

MONITUM.

Sancti Augustini grammaticae subtexere liceat Dynamii, christiani grammatici, paris argumenti opusculum, quod in eodem codice pal. vat. 1746. *f.* 59. *et seqq. conservatum est, de cuius auctore sic loquitur Arevalus in Isidorianis T. II. p.* 374. « *Dynamius, ille fortasse burdigalensis est,* » *quem Ausonius inter professores burdigalenses celebrat carm.* 23, *de quo praeter alia ait: Cri-* » *mine adulterii quem saucia fama fugavit, - Parvula quem latebris fovit Ilerda suis. - Quem* » *locupletarit coniux hispana latentem - Namque ibi mutato nomine rhetor eras etc. Reddiderat* » *quamvis patriae te sera voluptas - Mox residem rursus traxit Ilerda domus.* » *Dynamio patricio Galliarum scribit S. Gregorius PP. epist. lib. III.* 33, *ubi animadvertunt Maurini:* « *vix* » *dubitare licet, eum fuisse Dynamium, de quo Gregorius turon. lib. VI. hist. cap.* 7. *et* 11. » *Idem scripsit nonnullorum sanctorum vitas. Eius laudes celebrat Fortunatus (qui massiliensem appellat) lib. VI. carm.* 11. *et* 12. » *Reapse a Dynamio, cum patricii titulo, apud Surium die* 27. *novembris (nec non in codice vat. reginae svecae* 711. *f.* 43.*) scripta extat vita s. Maximi episcopi regensis in Gallia, ad Urbicum qui sedem illam tenebat anno* 584. *(Gall. ch. T. I. p.* 394.*) Verumtamen a Dynamio, cum presbyteri titulo, scriptam habemus aliam vitam, nempe S. Marii abbatis bodanensis, apud Bollandianos die* 27. *ianuarii (et cod. reg.* 517. *f.* 141.*) quo loco de ipso Dynamio verba fiunt. Rursus S. Gregorius PP. epist. lib. VII.* 12. *ait:* « *iuxta petitionem* » *filiorum nostrorum Dynamii atque Aurelianae, qui religiosa devotione etc.* » *Prologum sive potius epistolam, quae in codice nostro praeit opusculo grammaticali, ediderat olim non sine mendis Goldastus in paraeneticis, cum hac adnotatione:* « *Dynamius grammaticus floruit circa annum a nato* » *mino quingentesimum. De scriptis eius, praeter S. Maximi historiam, nihil dum visum. In* » *duobus mss. hic epistolae titulus: Dynamius grammaticus ad discipulum suum ait* » *qui est ipsissimus titulus in codice nostro vat. palatino. Equidem, ut verum fatear, prologus sive epistola praevia, nullum habet sermonis nexum cum opusculo grammaticali, quod tamen in pal. codice localiter omnino copulatur in eadem pagina, eodemque versiculi ductu, sine ullo spatio vel divisione. De his satis. Iam ad ipsum opus veniamus.*

DYNAMIUS GRAMMATICUS

AD DISCIPULUM SUUM AIT.

Cod. vat. pal. 1746. f. 59. a.

1. O quam dolenda conditio et fortiter execranda! Deus nos invitat ad caelum, quos diabolus mergit in infernum: praedonem sequimur, praetermittimus redemptorem: qui nos amavit, odimus; qui nos captivavit, amamus: carior nobis est qui nos servituti subdidit, quam qui libertati restituit. Semper ante oculos pone, quod non amicorum turba, non familiae multitudo, non auri argentique congestio, non gemmarum lapilla fulgentia, non vindemiarum ubertas, non densitas segetum, non numerositas olivarum, non iucunditas extensa pratorum, possunt animae excedenti de corpore ullum adferre praesidium. Sed plus lugent, qui plus diligunt; et dum auxilium praestare nequeunt, pugnis pectora et lacerta tundunt; illi tamen, qui sepulchro conditur, nihil praestaturi. Ideo diligendus est verus amicus noster, cuius ante mortem et post, praesidium nos comitatur: qui redemptor noster ideo dicitur, redemit enim nos a diaboli captivitate: salvator, salvando nos a peccatis nostris: adiutor, adiuvando nos in opportunitatibus: in tribulatione protector, protegendo nos ut inter inimicos nostros maneamus inlaesi: susceptor, suscipiendo nos in aeterna tabernacula.

DYNAMIUS

GRAMMATICUS CHRISTIANUS.

2. Int. Quis primus philosophi nomine nuncupatus est? Resp. Pythagoras humilitatis gratia, non se sapientem ut ceteri, sed philosophum id est amatorem scientiae, dici voluit: Cuius sectator Socrates fuit, qui Platonem erudivit. A Platone vero famosa philosophia in partes divisa est. Int. Philosophia in quot partes divisa est? Resp. In tres, physicam, ethicam, logicam; id est naturalem, moralem, et rationalem: et nulla ars est, quae, undecumque inventa fuerit, in harum aliquam cogi non possit: quia prima harum naturae contemplationi deputatur; secunda in actione et causa recte vivendi versatur; tertia in discernendo verum a falsis obponitur *. Int. Haec trifaria philosophia in partibus suis quomodo subdividitur? Resp. Physica namque disciplinas septem habet; quarum prima, arithemica ars est: secunda, geometrica: tertia, musica: quarta, astronomica: quinta, astrologica: sexta, mechanica: septima, medicina. * ita cod.

3. Int. Arithmetica quae est? R. Numerositas 1) ac definitio, per quam numerorum omnium ordo consistit. Est autem numerus imperfectus, perfectus, plus quam perfectus. Imperfectus est ille, qui minus ad se pervenit: plus quam perfectus est, qui ultra se ex suis divisionibus crescit: perfectus est, qui ultra se nihil relinquit. I. Quae est lex arithmeticae artis? R. Lex scilicet eius est, ut quotiescumque de terrenis rebus agitur, de superioribus ad inferiores numeros descendat sermo: quotiens vero de caelestibus et supernis tractatur, ab inferioribus ad numeros superiores ordo conscendat. cod. f. 59. b.

4. Int. Geometrica quae est? R. Terrae mensuratio, quae et ipsa sine numero conputari non potest: in mensuratione enim terrae taliter graditur: quia tria grana ordei, digiti unius transversio 2) est. XVI. digiti transversi pedem efficiunt. Duo vero pedes et dimidium, faciunt gressum. Duo autem gressus passum implent. Passus quoque ·CXXV· stadium perficiunt. VIII. vero stadia mille passus peragunt.

5. Int. Musica quae est? R. Ars spectabilis, et interpretatur carminalis, vocem vel gesta habens in se numerorum. Haec soni certam demensionem cum scientia perfectae modulationis reddit. Int. Quot modis constat? R. Tribus, hoc est sono, verbis, numero. Int. Sonorum genera quot sunt? R. Tria videlicet; nam aut sonus vocis fit, aut sonus pulsûs, aut sonus flatûs. Vocis sonus est, ut hominum, aut ceterorum animalium. Pulsûs sonus aut caeli, aut fidium, aut lignorum vel lapidum, seu fluctuum, et reliqua huius modi. Flatûs sonus est, ut sunt organa, et tubae et cetera conflatoria, et ventorum.

6. Int. Astronomica quae est? R. Lex astrorum, ut quidam canit de Deo:

Qui solem radiis, qui lunam cornibus imples,
Inque diem ac noctem lumen concedis utrumque.
Qui stellas numeras, quarum tu nomina solus,
Signa, potestates, loca, cursus, tempora nosti.

7. Int. Astrologia quae est? R. Astrorum ratio, quae caeli vertiginem et conversionem considerat, de qua quidam ait sapiens 3):

Nec minor ipsorum discurrit gloria vatum,
Quae manet aeternae similis dum saecla volabunt.
Et vertigo poli terras atque aequora circum
Aethera sidereum iusso moderamine volvet.

1) Animadverte heic notionem vocabuli *numerositas*.

2) Nota sis vocabulum *transversio*.

3) Nempe Iuvencus lib. I. 19. seq. ex quo corrigo codicis menda. Hoc de Iuvenco testimonium Dynamii non animadvertit Arevalus Dracontii clarissimus editor.

Astrorum etiam loca et signa ac potestates nominaque investigat. Sed has duas artes mathematici sequuntur.

8. Int. Mechanica quae est? R. Quaedam peritia vel doctrina, ad quam subtiliter fabricam concurrere dicitur, hoc est principium universae creaturae, ut qualibus initiis universa creata sunt, subtiliter ostendat.

9. Int. Medicina quae est? R. Scientia curationum, quae pigmentorum, herbarumque vim, et lignorum sucus 1), atque paene omnium rerum naturas ad temperamentum corporis vel salutem sollicite perquirit: et venas ·CCCLXV· fonte cerebri pertusi fluentes, totumque per corpus sanguifluas 2) docibili explorat tactu. Cuius etiam scientiam tripertitam esse cognoscimus in graecis vocabulis, τὸ δόγμα, τὴν μέθοδον, τὴν πεῖραν, id est documentum, explorationem, experimentum, et reliqua quae illius artis etymologia continet.

10. Int. Logica quae est? R. Ars est, quae cuncta rationabiliter considerat, ut a falsitate veritatem discernat. Int. In quot partes dividitur? R. In duas, id est dialecticam et rhetoricam. Int. Dialectica quae est? R. Dialectica est quae per disputandi regulam intellectum men-
cod. f. 60. a. tis acuit, veraque a falsis distinguit. De qua quidam sapiens ait: sicut ferrum veneno, sic sapientia armat eloquia. Haec ita sententiam confirmat, abiecta sine ulla dilatione et difficultate deicit, et in disputandi efficacia quattuor haec agit: proponit, adsumit, confirmat, concludit: id est proponit problema, adsumit doctrinam, confirmat testimoniis, concludit perfectione. Int. Rhetorica quae est? R. Adsimulatio veri, ubi adsimulatur veritas magis quam dicatur; ubi ratio dicendi; et iuris peritorum scientia est, quam oratores sequuntur.

11. Int. Ethica quae est? R. Institutio morum. Int. In quas principales virtutes dividitur? R. In ·IIII·, prudentiam scilicet atque iustitiam, fortitudinem et temperantiam. Int. Prudentiae intellegentia quot primas partes habet? R. Trifaria est: nam aut historia tantum, ut ·X· verba legis: aut utrumque commixtum, ut Sarar et Agar; vere enim homines fuerant, et tamen mystice duo testamenta praefigurarunt: aut mystice tantum, ut cantica canticorum 3) Int. Prudentia quae est? R. Agnitio verae fidei, et scientia sanctarum scripturarum; studiose diligenterque inquirere et perfecte intellegere. Int. Iustitia quae est? R. Morum correctio, cuius prima pars est Deum timere et credere, religiose venerari, honorem referre parentibus, patriam diligere, cunctis prodesse, nulli nocere, fraternae caritatis vinculo amplecti. Int. Fortitudo quae est? R. Animi magnitudo, divitiarum contemptus et voluptatum; adversis aut patienter cedere, aut fortiter tolerare. Int. Temperantia quae est? R. Modum in omni verbo ponere, et non per praeceps ad bona malave convehi, sed cum consilio facere omnia. Et haec
cod. f. 61. a. verecundiae comes est. Prima ex his credit et intellegit: secunda dirigit *: tertia adpetitum prohibet: quarta modum inponit.

12. Int. Est grammatica ars, veritas an non? R. Est utique pertinens ad emendationem loquendi. Et sicut auctores catholici per hanc mysteria sacrorum narrant voluminum, ita etiam philosophi mundi suas per eandem ferunt fabulas, utique conexas mendaciis; quia scientia exterior est, more vasis omni parati liquori, ab eo bibere volenti: et in sua sapientia habens veritatem. Sed non est ista scientia pietatis in veritate sua, sed adiuvamen cum veritate scientiae pietatis. Scientia enim pietatis, nosse legem, intellegere prophetas, evangelio credere, apostolorum dicta non ignorare. Multi sapientes fieri volunt, sed laborem in perquirenda sapientia adsumere parcunt.

cod. f. 61. b 13. Philosophia trifarie primo dividitur, in theoreticam, practicam, et logicam. Sed hae tres partes divisiones singulas capiunt hoc modo. theoretica, id est contemplativa, in tres subdividitur, theologiam, mathematicam, physicam; theologia, id est in rebus divinis: mathematica, in ediscendis: physica, in humanis id est naturalibus. Harum media, id est mathematica, in quattuor has partes subdividitur: geometricam, quae versatur in spa-

1) A *sucus*, *us*, ut etiam apud Apuleium — 2) Animadverte novum bonumque vocabulum *sanguifluus*, *a*, *um*.
3) En ut Dynamius librum cantici Salomonis mystico tantum sensu scriptum existimat, non autem historico; quam esse communem sanamque sanctorum patrum sententiam, alibi nos diximus.

torum et formarum dimensione: arithmeticam, quae est ad numeros cognoscendos: astronomicam, quae est de cognitione stellarum: musicam, quae est in modulatione sonorum.

14. Practica, quam nos actualem dicere possumus, in tres subdividitur: ethicam, id est moralem; oeconomicam, id est dispensativam; politicam, id est civilem. Practica autem, id est actualis, est prima, quae communis est omnibus fidelibus, et in mutuas professiones et studia derivatur, ut est: esurivi, et dedistis mihi manducare; et cetera officia pietatis. Haec est fides vera, quia illa sterilis, daemonum est. Ethica autem, id est moralis, dicitur, per quam mos vivendi honestior aptatur, et statuta ad virtutem tenenda. Oeconomica, id est dispensativa. Politica, id est civilis. cod. f. 61. a.

15. Doctrina historiae ordinem simpliciter pandit; in qua nullus occultus intellectus est, nisi qui verbis resonat, ut est: tradidi vobis in primis quod et accepistis, quia Christus mortuus est. Et, misit Deus filium suum factum ex muliere. Et, audi Israhel: dominus Deus tuus, Deus unus est. Inspectiva dicitur, quia supergressi visibilia, de divinis aliquid et caelestibus contemplamur ea quae mente sola intuentur 1), quoniam corporum supergradiuntur gradum. Practica haec dividitur in historiam et spiritalem intellegentiam. Inspectiva est, quae iam post priora exercitia inspicit vel contemplatur non ea quae videntur, sed quae non videntur. Ut: quod enim videt, quis sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus quae semper manent; sicuti sunt quae ad Christum per fidem rationales animae invitantur.

16. Logica, id est rationalis, trifario modo subdividitur: in dialecticam, id est disputatoriam 2): in epidicticam, id est demonstrativam: in sophisticam, id est fraudulentam et fictam. Spiritalis in has tres subdividitur: tropologiam, id est morum compositionem: allegoriam, id est dictionem figuratam: anagogen, id est ad superiora sensu tendentem. Scientia tropologica est universa, quae ad disputationem pertinet actualem, utrum vitia an honesta sint, prudenti examinatione discernere; ut illud cum ab apostolo nosmet ipsos iudicare praecipimur. Utrum decet mulierem non velato capite orare; quae ratio moralem continet intellectum. Revelatio ad allegoriam pertinet, ut est: patres nostri omnes sub nube fuerunt. Et omnes in mari et in nube baptizati sunt. Prophetia, quam tertio loco intulit ad anagogen, per quam ad invisibilia atque futura sermo Dei transfertur, ut est: nolumus ignorare vos, fratres, de dormientibus; quae exhortationis *causa* per anagogen profertur. Et quae sursum est Hierusalem, libera est. cod. 61. b.

INCIPIT DE ARTE GRAMMATICA.

17. Int. Ars quid est? Resp. Rei cuiusque scientia ad utilitatem delectationemque tendens, usu vel ratione conprehensa. Int. Unde dicta est? R. Artem dixerunt veteres, eo quod arcte strictimque omnis rei argumenta contineat. Hanc Graeci, quod industriae virtute bona possideret, ἀρετὴν dixerunt. Alii dixerunt artem dictam, eo quod artis praeceptis cuncta concludit. Int. Artium genera quot sunt? R. Tria. Int. Quae? R. Sunt enim quaedam animi tantum, quaedam corporis, quaedam animi et corporis. Int. Quae sunt animi? R. Poëtica, musica, astrologia, grammatica, rhetorica, iuris scientia, philosophia. Int. Quae sunt corporis? R. Ruris cultus, palaestra, medicina, mechanica, tectonica. Sed nos ad artem animi, id est grammaticam, redeamus. cod. f. 62. a.

18. Int. Grammatica quid est? R. Scientia interpretandi poëtas atque historicos, et recte scribendi loquendique ratio. Int. Unde dicta est? R. Ἀπὸ τῶν γραμμάτων, id est a litteris, cui nomen latinum a quibusdam litteraturae vel litteralitatis 3) datum est. Int. Unde incipere debet grammatica? R. Quidam grammaticam a voce coeperunt, alii a litteris, alii a syllabis, alii a casibus; nos a definitione vel litteris: nam vox naturalis est, et sine gram-

1) De huius verbi passivo sensu diximus in dissertatione ad S. Hilarium p. 173.
2) Nota vocabulum *disputatorius, a, um*. Et mox *quadrifarie*.
3) Nota vocabulum *litteralitas*.

matica communis cum imperitis: illi autem qui a litteris coeperunt, hac videlicet usi sunt sunt ratione, quod grammaticae artis initia a voce oriantur, quae elementis constat.

DE LITTERA.

19. Int. Littera quid est? R. Littera est pars minima vocis, quia scribi potest, et non dividi. Int. Elementum quid est? R. Uniuscuiusque rei initium, a quo sumitur incrementum, et in quo resolvitur. Int. Inter elementa et litteras quid interest? R. Hoc interest, quod elementa proprie dicuntur ipsae pronuntiationes; notae autem earum, litterae. Int. Quare litterae elementa dicta sunt? R. Quia coëuntia litteralem vocem in corpus conponunt; sicut elementa mundi coeuntia corpus efficiunt. Nam aër corpus est, et vox constans ex aere icto, corpus ostenditur: quippe cum tangit aurem tripertite 1) divisa in altitudinem, latitudinem, longitudinem, quod est corpus, tum ex omni parte potest audiri. Incrementum igitur, ut diximus, litteris nititur: litterae syllabis clauduntur: syllabae in dictionem conveniunt: dictio vero orationem auget. Oratio partibus divisa, in virtutes vitiaque descendit. Vitia reprehenduntur barbarismo et soloecismo, et hiis quas Graeci κακίας λέγειν appellant: virtutes vero diriguntur in tropos, schemata, metaplasmos, et his similia. Resolvitur iterum oratio, sicut Do-
cod. f. 62. b. natus huius artis elegantissimus magister edocuit et definivit: litteram esse partem minimam vocis articulatae; quia orationem resolvimus in verba, verba in syllabas, syllabas in litteras, littera autem nequaquam resolvi potest.

DE VOCE.

20. Int. Vox quid est? R. Philosophi vocem esse definiunt aërem tenuissimum ictum, vel sonum sensibilem auribus, id est quod proprie auribus accidit; et est proprior definitio, a substantia sumpta; altera vero a notione, hoc est ab accidentibus: accidit enim voci auditus, quantum in ipsa est. Quadrifarie dividitur, hoc est articulata, inarticulata, litterata, inlitterata. Int. Quae est vox articulata? R Quae cum aliquo sensu mentis eius, qui loquitur, profertur. Int. Quae est inarticulata? R. Inarticulata est e contra quae nullo mentis affectu 2) exprimitur. Int. Quae est litterata? R. Quae scribi potest. Int. Quae est inlitterata? R. Quae nequit scribi. Inveniuntur igitur quaedam voces articulatae, quae possunt scribi et intellegi, ut arma virumque cano. Quaedam intelleguntur, sed scribi nequeunt, ut sibili hominum et gemitus, quia omnis sonus vox est. Aliae scribuntur, sed inarticulatae sunt, quia nihil
* Cod. f. 63. a. significant, ut coax, cra *. Aliae sunt inarticulatae et inlitteratae, quae nec scribi nec intellegi possunt, ut crepitus et mugitus et hinnitus. Alii in duas species dividunt vocem; hoc est articulata vox dicitur, quae potest articulis, id est scribentis, conprehendi; digitis enim calamos tenemus. Confusa illa vox dicitur, quae non potest articulo conprehendi, ut puta mugitus boum, digitorum sonitus. Sed articulatae vocis ima et novissima pars est littera. Littera est uniformis figura, quae cum aliis partibus adnexa, voce emissa conprehenditur. Priscianus ita: littera est nota elementi, et velut imago quaedam vocis litteratae, quae cognoscitur ex quantitate vel qualitate figurae linearum.

21. Int. Qui primi litterarum inventores fuisse traduntur? R. Phoenices; quamvis alii Assyrios, alii Mercurium apud Aegyptios asserant. In Graeciam certe Cadmum e Phoenice ·XVI· adtulisse litteras constat. Latinas litteras Carmentis nympha, Evandri mater, quae alio nomine Nicostrata dicebatur, invenisse perhibetur, et in Italiam adtulisse. Legimusque, apud maiores nostros primum fuisse ·XI·, posthaec ·XVI·, et postea ·XXIII· inventas, sicut hodie habentur. Sed insuper post religionem christianae fidei, in sacris paginis usi sumus litteris ·XXVIII· id est in Christi nomine ·X· P: 3), in IHS ·I·: et in apocalypsi Iohannis A et Ω; propter hoc quia ibi scriptum est: ego sum A et Ω. Sed et Graeci antiquitus, ut diximus, ·XVI· usi sunt litteris; quibus acceptis ab illis, Latini antiquitatem servarunt. Sunt

1) Observa *tripertite* melius quam *tripertito*. — 2) Cod. *effectu*, sed Priscianus lib. I initio scribit *affectu*.
3) Scilicet in nota monogrammate Christi.

igitur litterarum figurae, ut praefati sumus, quibus utimur, alphabeti Latinorum ·XXXIII· Pronuntiationes multo ampliores: nam singulae vocales denos habent sonos vel plus. A littera brevis ·IIII· habet, cum sub aspiratione acuitur vel gravatur. Longa vero ·VI· modis sonat; hoc est sub aspiratione acuitur, vel gravatur, vel circumflectitur. Eodem (modo) sine aspiratione similiter aliae vocales proferri possunt.

22. Int. Quot accidunt unicuique litterae? R. Tria. Int. Quae? R. Nomen, figura, potestas. Int. Nomen litterae quod est? R. Quo est appellata, ut .a.b. Int. Quo genere hoc profertur? R. Neutro 1). Sic quidem et omnes litterae, veluti cum dicimus deesse unum a, vel unum b, quae sunt indeclinabilia tam apud Latinos quam Graecos. Int. Quare sunt indeclinabilia? R. Eo quod a barbaris Chaldaeis inventae sunt primum litterae, testante Varrone qui ait: singularum nomina litterarum ad earum formas esse factas ab eis, qui sine dubio primi litterarum auctores extiterunt. Sive quod nec aliter apud Latinos poterant esse, cum a suis vocibus vocales nominentur. Sive quod simplicia haec et stabilia esse debent, quasi fundamentum omnis doctrinae. Int. Figura litterae quae est? R. Figura est quam videmus in littera, vel qua notatur. Int. Potestas quae est? R. Potestas est ipsa pronuntiatio, propter quam et figurae et nomina facta sunt. Vel ut scias quid valent litterae, puta si vocalis est, si consonans, si semivocalis, si muta, vel correpta aut producta. Et nomen quidem voce proferimus, figuram oculis deprehendimus, potestatem mente cognoscimus.

23. Int. In quot species dividuntur litterae? R. Principaliter in duas, in vocales et in consonantes. Subdividuntur iterum consonantes in semivocales et in mutas. Int. Unde dictae sunt vocales? R. Vocales dictae sunt, quae per se voces perficiunt, sive quia sine quibus vox litteris proferri non potest. Hoc Priscianus. Item Audax 2): vocales sunt dictae quae per se proferuntur, et per se syllabam faciunt. Int. Quid est per se? R. Id est sine alterius adminiculo. Item Pompeius 3): vocales dictae sunt aut quia per se sonant, aut quia solae positae, pro syllabis habentur. Int. Quae sunt, quae sine aliis non enunciantur? R. B. namque et C, ceteraque huiusmodi, nisi consonent, proferri non possunt. Int. Unde dictae sunt consonantes? R. Consonantes dictae sunt ea ratione, quod non sonant, sed consonant; id est quia solae positae plenum non habent sonum, sed cum vocalibus iunctae proferuntur; ut si dicas B, tolle inde E, et mutum est, et non habet plenum sonum. Et bene dicuntur consonantes, eo quod duo soni simul sonant.

24. 1. Semivocales unde dictae sunt? R. Semivocales dictae sunt, non quod dimidiam partem vocalium habeant, sed quia plenam non tenent. Pompeius: semivocales dictae sunt, quia si subtrahis eis vocalem, habent vel tenuem sonum vel sibilum quendam, ut si dicas ES, tolle inde vocalem E, sonat quidam sibilus, quidam sonus. Int. Mutae unde dictae sunt? cod. f. 63. b
R. Mutae dictae sunt, non quod omnino careant voce, sed quod exiguam partem habent. Pompeius: mutae ideo dictae sunt, quia si detrahes illis vocalem, penitus non sonant. Item Audax: semivocales sunt quae in principio partem vocalitatis (habent), cum per se proferuntur, sed non per se proferri possunt. Mutae sunt quae neque ipsae per se proferri possunt, neque syllabam facere.

25. Int. Vocales quot sunt? R. Quinque. Int. Quae? R. a.e.i.o.u. Int. Quae harum corripiuntur, et producuntur? R. Latini omnes suas vocales et producere possunt et corripere, quia dictiones sunt. Graeci autem ·VII· habent vocales; sed ex istis duas semper breves, ε

1) Non observabit postea regulam hanc suam Dynamius.

2) En novus grammaticus AUDAX. Ad Audacem scribit Sidonius ep. lib. VIII 7. (et sane tempora congruunt) eique collatum honorem publicum gratulabatur. Ibi vero Sirmondus loqui Sidonium de urbana praefectura demonstrat, prolata inscriptione, ex qua nomina cognoscuntur CASTALIUS INNOCENTIUS AUDAX. Corsinius autem ponit eius praefecturam in anno Christi 474. Quis tamen certiores nos faciat, hunc Audacem a ludo grammaticali ad praefecturam evasisse? Mirum tamen est, quod apud eundem Corsinium an. 490.) ponitur praefectus Urbis *Cl. Iul. Ecclesius Dynamius*, quae item existimari queunt grammatici nostri appellationes.

3) Pompeius romanus grammaticus nuper editus in Germania fuit. Hunc ego quoque olim legeram in codice vat. palatino 1756.

et ι: duas longas, α et υ: ceteras ad longas et breves habent habiles, id est α.ι.υ. Sic et Latini ad ambas syllabas habiles, sed non ubique. In certis vero suis locis corripi possunt et produci. Int. Sunt istae quinque Latinorum semper vocales? R. a.e.o. semper vocales: i vero et u varias habent potestates. Int. Quomodo? R. Quia in consonantium transeunt potestatem, quando sibimet ipsis aut aliis vocalibus in eadem syllaba praeponuntur, ut vitis, Ianus. Int. Quomodo varias habent potestates, plenius edicito. R. Nam ut sint vocales, ut sint consonantes, ut sint mediae, utriusque commune. Item ut sit duplex, .i. tantum est: ut sit digammon, hoc .u. proprium est.

26. Superius dixisti, quando sunt vocales aut consonantes; nunc edoce qualiter sunt mediae. R. .I. vero .u. quando mediae sunt, alternos inter se sonos fundunt; .i. quidem post .u. consonantem, loco digammatis posita, brevis est. Sequente .d. vel .m. vel .r. vel .t. vel .x., sonum .υ. graeci videntur habere, ut vim, video, virtus, vitium, vix. U. autem positum inter .q. et .e. vel .i. vel .ae., vel inter .g. et easdem litteras, quamvis contractum, .y. sonum habet, ut quisque, pingue, sanguis, lingua. Int. ·I· quando pro simplici ponitur? R. Quando in principio dictionis posita, subsequente vocali in eadem syllaba, ut Iuno, Iupiter. Pro duplici ponitur, quando in medio ab eo incipit syllaba post vocalem antepositam, subsequente vocali in eadem syllaba, ut maius, peius, eius. Pro simplici quoque in medio dictionis invenitur; sed in conpositis, ut iniuria, numquam potest ante eam loco positam consonantis aspiratio inveniri; sicut ante .u. consonantem nulla consonans ante se adspirationem recipit.

cod. f. 64 a 27. Int. U littera, quando pro digammate 1) ponitur? R. U. quidem pro consonante posita eandem in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Aeolios habuit olim .f. digamma. id est vau; cuius figuram Caesar hoc modo ꟻ, quod et antiqua consuetudo mutavit. Illi quoque digamma modo pro simplici, modo pro duplici habuerunt. Sic et nos .u. pro simplici, ut verus; pro duplici, in praeteritis perfectis et plus quam perfectis tertiae et quartae coniugationis, in quibus .i. ante .v. producitur: eademque subtracta corripitur, ut cupivi cupii, cupiveram cupieram. Int. Quid est aeolicus, vel quid digammon? R. Pompeius: Graeci habent varias linguas, quarum una aeolica est. Apud eam est littera quae appellatur digamma, quasi duo gammata superposita. Haec posita in dictione pinguem sonum facit; cuius officio apud nos .u. littera fungitur; quae si sola posita est, tenuiter sonat; si iuncta cum alia vocali, pingue sonat, ut validus

28. Int. Semivocales quot sunt? R. Septem. Int. Quae? R. f.l.m.n.r.s.x. Apud Graecos .f. digamma frequenter solvitur, ut faciat brevem syllabam. Sic et apud Romanos .u. consonans, in brevem vocalem, ut silvae trisyllabam facit; et hoc maxime in derivativis vel conpositis solet fieri, ut volvo volutus, solvo solutus, avis, auceps, augurium, F. digamma sicut apud Graecos, pro nihilo in metris interdum invenitur. Ita apud Latinos .u. ut Terentius ait: sine invidia laudem invenies, et amicos pares 1) pro tribracho accipitur .F. scilicet aeolicum digamma, quod apud antiquissimos Latinorum eandem vim quam apud Aeolios habuit; cum autem prope sonum, quem nunc habet, significabat .p. et .h., sicut etiam apud veteres Graecos pro .φ. et p. et .h. reperti sunt, quod nunc quoque in graecis nominibus servamus, pro .φ., .p. et .h. ponentes, ut Orpheus. Postea vero in latinis verbis placuit loco .p. et .h., .f. scribi, ut fama, filius. Loco autem digammatis, .u. pro consonante, eo quod cognatione soni videbatur adfinis esse digammati. Miror quare scriptores artium .f. inter semivocales ponerent, cum pro .p. et .h. vel .φ. muta ponatur. Haec littera nihil aliud nisi nomen tantum semivocalis habet, quia a vocali incipit; sed hoc potestatem mutare non debet. Si esset semivocalis, terminalis nominum fieret, quod minime repperies; nec ante .l. vel .r. liquidas in eadem syllaba poni possit, quia loco mutae est et communium syllabarum. Graecorum quoque .φ., pro quo .f. ponitur in dictionibus quas ab eis sumpsimus, hoc est fama, fuga, fur, mutam esse confirmat. Latinorum grammatici falso pu-

1) Cod. *digamma*, quasi fem. gen. Confer nos AA. cl. T. V. p. 151. — 2) Andr. I. 1. 39

tabant .φ. et .h. et .x., semivocales esse. Non fixis labris .f. pronuncianda est, quomodo .p. .h. fixis dicimus.

29. Int. Quot ex his semivocalibus, vel quales sunt liquidae? R. Sunt autem liquidae ·IIII·. Int. Quae? R .l. .m. .n. .r. Sed ex his duae frequenter, id est .l. et .r. liquescunt; .n. raro, .m. nonnisi in graecis nominibus: sed non semper liquescunt, nisi quando postponuntur .l., ut flumen, .r. ut frater. Int. Quare liquidae dicuntur? R. Eo quod minus virium habeant, vel eo quod vanescant, ita ut positione longam syllabam facere non possint. Int. Mutae quot sunt? R. ·VIIII·. b.c.d.g.h.k.p.q.t. Int. Quae sunt ex his supervacuae? R. k.q. Int. Cur dicuntur supervacuae? R. Eo quod .c. harum locum possit implere. Int. De .k. vel .q. vel .h. aspiratione plenius edoce. R. k. et .q., ut praefati sumus, supervacuae dicuntur. Sed .k. penitus supervacua est, quia nulla ratio videtur cur a sequente .k., et non .c. scribatur. Q. vero si ideo alia littera est et extimanda quam .c., quia .u. cum alia vocali in eadem sequitur syllaba. Similiter quoque .g. cum praeponitur amittenti .u., litteram aliam putari, et aliam cum id non facit. Dicimus enim anguis, et augur, ut iecur. H. nota tantum aspirationis est, nihil habens litterae nisi figuram tantum. Non enim vocalis, quia a se vocem non facit: nec semivocalis, cum nulla syllaba perfectae dictionis in eam desinat. Nec muta, quia in eadem syllaba cum duabus mutis bis ponitur, ut Phithius. Nulla syllaba plus duabus mutis iuxta se positis, nec plus tribus consonantibus, patitur continuare. Cod. i. 64. b

30. Aspiratio omnibus vocalibus praeponitur post consonantes ·IIII· tantum .c.p.r.t., ut Chremes, Thraso, Philippus, Pyrrhus; quae praeposita minimum sonat, postposita plurimum. Unde Graeci pro .th. .θ. excogitaverunt, pro .ph. .φ., pro .ch. .χ. litteras scribentes inter .t. sine aspiratione; et cum aspiratione, inter .t. quoque et .th. .S., Inter .p. et .ph., sive .f., est .b. Sunt igitur .g.d.b. mediae, quae nec penitus carent aspiratione, nec plenam eam possident. Est autem similis palati in .p. .ph. vel .f. et .b. Et rursus in .c. et .ch. et g. Similiter in .t. et .th. et .d. Sed in lenibus, exterior est pulsus; in asperis, interior; in mediis inter utramque. Quod facile dinoscitur, si adtendamus in supradictis motibus ora mirabili naturae lege modulantibus voces, quae cognatione earum invicem saepe ponuntur, ut ambo pro ἄμφω, buxus pro πύξος, publicus pro πύβλικος, triumphus pro θρίαμβος, gubernator pro κυβερνάτης, caere pro χαῖρε, puniceus pro φοίνικεος, Deus pro Θεός, purpureum pro πορφύρεον.

31. Int. Qualiter litterae vel abiciuntur vel mutantur per casus, scire desidero. R. Sciendum est quod omnes consonantes vel abiciuntur per casus vel mutantur, quarum exempla damus: .d. ut aliquid, alicuius: .m. ut templum templi: .s. ut magnus magni; .x. ut rex, regis; exceptis tribus .l.n.r. quae per omnes casus permanent; .l. ut sal, salis: .n. ut flumen, fluminis: .r. ut Caesar, Caesaris. T. quoque et .c. in tribus tantum nominibus inventi hoc idem servant, ut caput, capitis: et ab eo composita, ut sinciput: et allex, allectis: lac, lactis, et ob hoc nominativus casus lacte, te addita invenitur. In verborum quoque praeteritis perfectis solent omnes modo mutare modo manere, exceptis .l.p.s.x.ph.e.o. quae numquam mutantur. B. manet, ut habeo, habui. Muta .d. ut iubeo, iussi. C. dico, dicavi: dico, dixi: descendi, ascendi: laesi .Q. nequeo, nequivi: torqueo torsi. Illae autem ·IIII· supradictae numquam mutantur: .l. ut celo, celavi: doleo, dolui: volo, volui: mollio, mollivi. P: turpo, turpavi: stupeo, stupui: scalpo, scalpsi: linio, livi. S: quasso, quassavi: censeo, censui: arcesso, arcessivi. X: nexo, nexui: exuo, exui. Cod. i. 65. a.

32. I. Rogo ut non omittamus vocalium rationem. R. Vocales autem primariarum syllabarum verborum in praeterito tempore et perfecto, modo ex correptis producuntur, modo mutantur in alias vocales, modo manent. A.e.i.o. producitur in faveo, favi: caveo, cavi: sedeo, sedi: video, vidi: moveo, movi: foveo, fovi: lego, legi: fugio, fugi. Mutantur .a. et .e. A. quidem in .e. modo producitur, modo corripitur. Producitur: ago, egi: capio, cepi: facio, feci: frango, fregi. Corripitur: tango tetigi, cado cecidi, parco peperci: .E. vero transit in .i., ut eo ivi, vel .ii: queo quivi vel quii. Haec eadem pene ultima

vocali in secunda coniugatione et in tertia producta .i. saepe mutatur in .u., ut doceo docui, moneo monui, doleo dolui: rapio, rapui: aperio, aperui .O. et .u. manent immobiles, ut ruo rui, domo domui.

33. Notandum quod in praeterito perfecto tempore, nec in principio nec in fine syllaba potest geminari, nisi a muta inceperit, ut tondeo totondi, pendeo pependi, tango tetigi, cado cecidi, fallo fefelli, perdo perdidi, vendo vendidi. Ob hoc et .f. putatur esse muta. S. ante mutam posita invenitur geminare, ut sto steti, spondeo spopondi. Nec sine ratione, quia plerumque ante mutam posita amittit vim suam: unde nec in secunda syllaba repperitur. M. quoque geminatur, ut mordeo momordi: quae loco mutae in multis fungitur. Sola haec semivocalis post .s. ponitur, ut smaragdus; et ante liquidam ut Samnis. Et more mutae in finali syllaba nominis ante .s. posita, intercepta .i. facit genitivum, ut hiems hiemis, inops inopis, caelebs caelibis. Saepe Latini .d. scribentes, hanc exprimunt sono .Z., ut meridies, hodie. Antiqui dicebant Medientius pro Mezentius. S. quoque geminatum pro .z. ponebant, ut patrisso pro patrizo, massa pro maza.

Cod. f. 65. b. 34. Int. Sunt vocales inter se confines aut non? R. Sunt quidem sive productae seu correptae sint, ut ·a· in ·e· et in .i., ut arceo coerceo, facio perficio .A. correpta in productam, ut faveo favi. In correptam, ut parco peperci, armatus inermis. In productam, ut facio feci, capio cepi. A. in correptam, ut amicus inimicus. A. in .o. ut marmar marmor. A. in .u., ut salsus insulsus, ara arula. E. correpta in productam, in lego legi. E. in .a., ut sero satus, reor ratus. E. in .i., ut moneo monitus, lego diligo. E. in .o., ut tego toga. E. in .u., ut tego tugurium. I. in .a. ut genus, generis, generatim. In .e. ut fortis, forte. In .o. ut patris patronus, et patro verbum. Sic et conposita extremam syllabam mutant in .i. correptam, ut arma armipotens, homo homicida, cornu corniger. Vel .a. genitivi, ut par paris, parricida autem a patre, conversa .t. in .r; sive ut alii, a parente, abiecta per syncopam syllaba, et mutata .t. in .r., ut parricida pro parenticida. Item lux, lucis, lucifer; flos, floris, florifer; sacer, sacrificus .O. transit in .a. ut creo creavi. O. in .e. ut tutor tutella. O. in .i., ut virgo virginis. O. in .u., ut huc, illuc pro hoc, illoc, ut Virgilius: tunc huc ignipotens caelo descendit ab alto. U. transit in .e., ut labrum labellum, saccum saccellum .U. in .i. ut cornu corniger, currus curriculus .U. in .o. ut nemus nemoris, ebor eboris, robor roboris. Est quando amittit vim tam vocalis quam consonantis, cum inter .q. vel .g. et aliam vocalem ponitur, ut quis, sanguis. Sic et .s. ut suadeo, suavis, suesco.

DE SEMIVOCALIBUS.

35. L. triplex est. Exilis, quando geminatur secundo loco posita, ut ille, Metellus. Plenius, quando finit nomen vel syllabam, et quando aliquam habet ante se in eadem syllaba consonantem, ut sol, silva, flavus, clarus. Media in aliis, ut letum, laetus. L. transit in .x., ut paulum pauxillum, mala maxillum, velum vexillum .L. in .r., ut tabula taberna .M. obscure in extremitate dictionum sonat, ut templum. In principio, ut magnus. In mediis, ut umbra .M. transit in .n. et maxime .d. vel .c. vel .t. sequentibus, ut tantundem, identidem, eorundem. Nunc in .bi., ut ancèps pro ambiceps. F. quoque vel .q. sequentibus mutat in .n., ut anfractus, anquiro. Vocali vero sequente, intercipit .b., ut ambitus, ambesus, ambustus, ambages; sic in comburo conbustus. N. quoque plenior in primis et in ultimis sonat,

Cod. f. 66. a. ut nomen, stamen. Exilior in mediis, ut omnis, damnum. Transit in .g. ut ignosco, ignotus, cognosco, cognitus. Aliquando dempta videtur praepositio adiectione .g. in simplicibus, ut gnatus, gnarus, ignarus, ignotus. Sequente .g. vel .c. pro ea .g. scribunt Graeci, ut Ἀγχίσης, ἄγγελος .N. transit etiam in .l., ut unus ullus, vinum villum, catena catella, bonus bellus. Similiter colliga colligo, illido collido. N. transit in .m. sequentibus .b. vel .m. vel p., ut imbibo, imbellus, imbutus, immitto, improbus, imperator. N. transit in .r., ut corrigo, corrumpo, irrito. N. transit in .s., ut scindo scissus, findo fissus. N. transit in .t., ut canis catulus catellus .N. in .c., ut ecquid pro enquid. N. in u. consonantem, ut sino,

sivi, stravi. R. transit in .l., ut niger nigellus, umbra umbella. R. in .s., ut arbor pro arbos, versor pro versus. R. in duas .s.. ut uro ussi, gero gessi. R. in .u. consonantem. ut tero trivi, sero sivi. R. in .n. ut aeneus pro aereus. S. in metio frequenter vim suam amittit; vel, ut alii, excludit a metro, ut ponite spes sibi quisque: dactylus est. Sed sequitur .s. et .p., et facit longam syllabam, et incipit esse amphimacrus pro dactylo. Quid sequitur? nisi ut proiiciatur .s. littera. et dicatur: ponite spes sibi, quia non potes eam permittere. Ergo talis est .s., quales et liquidae.

36. Int. Sed libet scire quid sit inter s. cum excluditur a metro et liquidascit. R. Duplex ratio est; videlicet una est, quia liquidae sunt in metro, sed non conputantur. S. omnino excluditur a metro. Altera ratio est, qua differunt, quia liquidae numquam liquescunt, si aut .f. semivocalis, aut mutae non antecedunt. S. vero numquam excluditur, si ipsa .n. antecedit, ut praediximus. .S. transit in .m., ut rursum pro rursus. S. in .n. ut sanguis. S. in .r. ut flos floris, ius iuris. S. in .d. custos custodis, pes pedis. S. in .t., ut nepos nepotis, virtus virtutis. S. in .u. consonantem, ut bos bovis. X. duplex a Graecis assumpta, modo pro .c.et s., modo pro .g.et.s. accipitur, ut apex apicis, rex regis. X. transit in .u. consonantem, ut nix nivis. X. in .ct., ut nox noctis. Subit loco aspirationis, ut veho vexi, traho traxi. In .f. vel .c. ut efficio effero. Sciendum est quod .ex. praepositio praeposita partibus incipientibus a vocalibus .l.c.p.t.s. integra manet, ut exaro, exeo, exigo, exoleo, exuro, excutio, expeto, extraho, exequor, Melius .x. sola ponitur, quae locum .c. et .s. obtinet. Nam geminari .s. alia consonante antecedente, minime potest, ut exequiae. Omnes semivocales ab .e. incipiunt et finiunt in naturalem suum sonum, excepta .x. sola, quae ab .i. incipit.

DE MUTIS

37. B. transit in .c., ut occurro, succurro. B. in .f. ut officio, sufficio. B. in .g., ut suggero. B. in .m., ut summitto. B. in .p., ut suppono. B. in .r., ut surripio, arripio. B. in .s., ut iubeo, iussi, suscipio, et sustuli. A susum adverbio conponuntur sic et suspicor et suscipio. Abiciunt tamen unam .s., quia non potest duplicari consonans alia sequente, quomodo nec antecedente, nisi sit muta ante liquidam, ut supplex, sufflo, unde subtente et subcumbo non mutaverunt. C. transit in .u. consonantem, ut quiesco quievi, pasco pavi, adscisco adscivi. C. in .x. ut dico dixi. C. in .s. ut parco parsi. C. in .g. antecedente .n. ut quadringenta, quingenta, septingenta. Haec sola muta terminales vocales in se producit, uno excepto pronomine hic, ut hoc, hac, sic, hic adverbium. Hoc evenit ante .t., sed per concisionem, ut audit, munit, summat, pro audivit, munivit, summavit. Nec non postposita transit aliquando in .t. vel adsumit eam, ut irascor iratus, nanciscor nanctus, paciscor pactus. D. transit in .c. ut accidit, quicquam. D. in .g. ut aggero. D. in .l. ut allido. D. in .p. ut appono. D. in .r. ut arrido. cod. f. 66. b.

38. Antiquissimi .ar. pro .ad. ponebant, ut arvenas pro advenas. Unde recte dicitur arcesso ab arcio verbo, quod accio nunc dicimus, quod ex ad et cio conponitur. D. transit in .s. ut assideo, rado rasi, suadeo suasi. In duas quoque .s. transit, ut cedo cessi, fodio fossus. Transit in .t. ut attinet, attingo, attaminat. Haec eadem saepe interponitur in conpositis causa prohibendi hiatus, ut redigo, redarguo, prodest. Substrahitur consequens syllaba ab .s., et alia consonante incipit, ut aspiro, aspicio, ascendo, apto. F. antiqui Romanorum loco aspirationis ponebant, Aeolios sequentes; habebat enim sonum quem nunc habet .u. loco consonantis posita. Unde antiqui .f. pro .ab. scribere solebant. Sed ideo mutata est in .b., quia vau digamma in fine syllabae non invenitur. Dicebant sifilum pro sibilum. C. transit in .s. ut spargo sparsi, mergo mersi. Transit in .x. ut pingo pinxi, rego rexi. Transit in .c. et .t. ut agor actus, pingor pictus. H. non littera sed nota aspirationis est, quam Graeci dividentes, dexteram eius partem supra litteram ponentes psilen notam id est exilem vel levem habent: sinistram e contrario ponentes, quam flatilem vocant.

39. Q. supervacua est; quod et apparet dum in interrogativis nominibus posita, in obli-

quis casibus in .c. transierit, ut quis, cuius, cui. Similiter a verbis .q. habentibus, in quibusdam participiis, in .c. transfertur, ut sequor secutus, loquor locutus. Transit in .s. ut torqueo torsi. Amittit .n. in praeterito perfecto, ut linquo liqui, vinco vici. Transit in .x. ut coquo coxi. Transit in .s. ut verto versus, concutio concussus. C. vero antecedente transit in .x., ut flecto flexi, pecto pexui. Veteres pro y.u., pro z. vero quod pro .s. et .d. coniunctis accipitur, .s. vel .d. ponebant, ut fuge Murra pro φύγε Μύῤῥα, et massa pro maza, Medientius pro Mezentius. Int. Dixisti unicuique litterae tria accidere, nomen, potestatem, et figuram. Sed si amplius accidere potest, scire desidero. R. Ordo quoque accidit litteris, qui non absurde potestati coniungitur, quod in diphthongis plenius considerare possumus.

DE DIPHTHONGIS.

40. Sunt vocales praepositivae aliis vocalibus subsequentibus in iisdem syllabis; ut a.e.o. Subiunctativae [1] .e .u. ut et au euoe. I. quoque apud antiquos post .e. ponitur, et .ei. diphthongon faciebat, quam pro omni .i. longa scribebant [2]. Diphthongus dicitur, eo quod binos phthongos habet, hoc est voces Et .ae. a poetis per diaeresin more Graecorum per .a. et .i. scribitur, ut aulai, pictai, pro aulae. Ae transiit in .i. productam, ut quaero inquiro, laedo illido, caedo, occido. Invenitur tamen hac dictione in media diphthongus correpta tunc quando conpositae dictionis antecedentis in fine est, sequente vocali, ut praeustis. Virgilius: Stipitibus duris agitur sudibusque praeustis. Sic etiam longae vocales solent corripi, ut Virgilius: Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit - Convulsum remis rostrisque stridentibus aequor *.

41. Au quoque dividitur, cum .i. post .u. additur, transeunte .u. in consonantem, ut ναύτης navita; et a ναῦς, navis. Transit in .b., ut aufero, abstuli, ablatus. Sciendum quod pro .ab. praepositione, .au. ponitur in his verbis, ut aufugit, aufero. E contrario posterior dictio .au. diphthongon accipit, et in priore .u. redit in consonantem, ut lavor lautus, faveo fautor, avis auceps augurium. Au transit in .o ut lotus pro lautus, plostrum pro plaustrum, cotes pro cautes. In .u. longum, frudo pro fraudo, per diphthongum more antiquorum. Eu transit in .e. longum, ut Achilles pro Achilleus. Aliquando mutatur, ut fugio pro φεύγω. Oe quando per diaeresin profertur graece, latine per duplicem .i. loco consonantis positum, ut Troia pro Troae. Aufertur .io. id est .oe. diphthongus altera vocalis, sequente .e. longa, more attico, ut poëta pro poita, et poema pro poima. Nec non per ω, comoedia, tragoedia, pro κωμῳδία τραγῳδία. Transit in .u longam, ut φοίνικες, punicum, punica.

cod. f. 67 b. 42 Numquam diphthongus in praeterito perfecto mutatur, ut haereo haesi, audio audivi, excepto caedo cecidi. Ei diphthongo nunc utimur, sed pro eo in graecis nominibus .e. vel .i. pro diphthongo ponimus, ut Demosthene pro Demosthenei. In latinis autem dictionibus difficile invenies .i. longam ante aliam vocalem, nisi in genitivis in ius desinentibus, ut illius, ullius, solius, quae tamen licet corripere; et in verbo fiam, fias, fiat; quod et contra regulam aliorum verborum eiusdem coniugationis fit. Semivocales aliae aliis semivocalibus in eadem syllaba praeponunt .u.m., sequente .n., ut amnis, .s. smaragdus. Nam vitium faciunt qui per .z. et .m. scribunt; numquam enim potest duplex in capite syllabae cum alia consonante coniungi.

DE SYLLABIS.

43. Int. Syllaba quid est? R. Litterarum conexus vel coitus per aliquam vocalem conprehensus. Secundum Priscianum autem definitio syllabae talis est: syllaba est vox litteralis, quae sub uno accentu ac spiritu in distantes profertur. Ab singulis tamen incipiens, non plus

[1] Observa vocabulum, nisi potius est mendum pro *subiunctivae*. Sed etiam Tatuinus grammaticus in ms. vat. f. 120 b. scribit *coniunctativum* pro *coniunctivum*.

[2] Ita non raro apud Frontonem archaismorum studiosum.

quam ad sex litteras procedere potest in latino sermone, ut ab ars, Mars, stans, stirps. Int. Unde dicta est syllaba? R. ἀπὸ συλλήψεως. Est syllaba syllempsis quaedam litterarum, id est conceptio et quasi adsumptio. Int. In quot species dividitur? R. In duas: aut enim breves sunt aut longae. I. Breves quae res efficit? R. Correpta vocalis. Int. Quae longas? R. Producta vocalis. Int. Brevis syllaba quot tempora habet? R. Unum tantum. Int. Longa quot? R. Duo. Int. Longae syllaba quot modis conprehenduntur? R. Natura. Int. Qualiter? R. Cum una vocalis producitur, ut .o.; aut geminatur ut .ae., aut incipiens, ut en; aut in medio posita, ut non. Int. Positione quomodo? R. Cum correpta vocalis aut in duas desinit consonantes ut arint; aut in unam duplicem, ut axis; aut in unam consonantem et alteram vocalem, at Iuno, at Venus: aut in .i. solam loco consonantis positam, quam nonnulli geminant, ut aio. Sunt etiam syllabae quae communes dicuntur. Cum autem correptam vocalem duae consonantes secuntur, quarum prior aut muta quaepiam est, aut .f. semivocalis est sequens liquido. Aut cum correpta vocalis in unam desinit consonantem sequentem .h., quae plerisque aspirationis nota videtur. Aut cum correptam vocalem duae consonantes secuntur, quarum prior .s. littera est. Aut cum partem orationis terminat brevis syllaba, quae in unam desinit consonantem. Aut cum pars orationis desinit in longam, cod. f. 68 a.
quae diphthongus appellatur, sequente statim vocali. Aut cum producta vocalis, vocali altera consequente. Aut cum pronomen .c. terminatum, vocalis statim subsequitur. Aut cum correptam vocalem sequitur .z. graeca consonans duplex.

44. Int. Syllaba apud metricos quomodo nominatur? R. Semipes. Int. Quot accidunt unicuique syllabae? R. Quattuor. Int. Quae? R. Tenor, tempus, spiritus, numerus litterarum. Tenor acutus vel gravis vel circumflexus, indictione certus; absque ea, incertus; non potest tamen sine eo esse spiritus asper vel levis. Int. Tempora syllabarum plenius enarra. R. Syllaba habet tempus unum, ut diximus vel duo secundum poetas; secundum grammaticos autem unum et unum, semis, et duo et tria, ut est piius nec ·II· lex ·III· ·I· et semis ·III· et moss. 1) Sciendum quod quae ex singulis quinque quinque sunt syllabae, et vocales ex pluribus innumerabiles. Nulla syllaba tres vocales habet, et tamen iungi potest diphthongo cum amittit unam litteram, ut que ling . . Notandum quod non plus quam tres consonantes antecedere nec consequi possunt syllabam. Quod si antecedant tres, tunc subsequi vocalem necesse est, ut monstramus . . consequentur . . edunt ut sti . . si antecedens si . . terminet in consonantem, necesse est et sequentem a consonante incipere, ut artus ille arduus; nisi sit conpositum, ut abeo, adeo, pereo.

45. Herodianus 2) in conpositis ut in simplicibus communes syllabas habere voluit, ut oblitus, oblatus, obruo, quae nusquam invenitur nisi in eadem dictione posse corripi, quia nec .m. abscissionem pateretur, nec .h. aspiraret, ut circumago. Et adhuc si .m. et .d. transisset in sequentis syllabae initium sunt istic. Si in media dictione simplici syllaba a vocali incipit, necesse est antecedentem in vocalem terminari, nisi sit conposita, ut pietas, munio. Aliquando conpositi subtrahitur consonans, ut coeo cois. Primae syllabae dictionum ab omnibus litteris incipiunt, non in omni sed in as tantum desinunt, si sequens syllaba a vocali incipiat in conpositis verbis, ut abutor, aduro, ineo, exacuo, intereo, transeo. Nec tamen si sequens a consonante incipiat, licet antecedenti in quamcumque consonam desinere, sed in has tantum b.c.s.f.u.g.m.p.r.d.t.l.n.x.

46. In .b. si sequens syllaba a .b. incipiat, sive sint simplicia nomina, seu conposita, ut sabburra, sabbata, gibbus, gibberosus, obba. Haec eadem .b. transit in .c. si sequens syllaba a .c. incipiat, ut occido, occumbo. Interdum .abs. praepositio pro .ab., et .obs. pro .ob.

1) Ita iacet in codice corruptus plane, et videtur, hic locus. Profecto tanta erat in nonnullis praesertim paginis scripturae corruptela, ut de sanatione desperans, et temporis etiam iacturam dolens, de his omittendis cogitarem. Nulli enim sunt mendosiores latini codices, quam qui, ut hic noster, nono vel decimo saeculo scripti fuerunt. Perstiti tamen in editionis continuandae proposito; etenim otiosiores philologi multa postea purgabunt, meliusque constituent

2) Ammianus Marcellinus hist. lib. XXII. 16· *Herodianus artium minutissimus scrscitator*. Apud Boethium seu Thomam Cantipratanum de disc. sch. memoratur *Herodiani disciplina*.

. . nitur. ut abscondo, abscedo, obscurus, obscenus. Conpositum, ut subbibo. In .f. transit. si .f. sequitur, vel in vocalem, ut officio, sufficio, aufero, aufugio, ne .af. pro .ab. putetur esse, si affero et affugio dicam. In .g. transit, si .g. sequatur, ut suggero. Nec non in .m., ut summitto. Et in .p. ut oppono, suppono. In .r. quoque sequentem, ut arripio, surripio. In quibusdam non mutat, ut abrogo, abrado. Et puto differentiae causa hoc dici, id est in .ab., et .ad. propositio quae facit arrogo arrado. Aliis autem quibuscumque litteris sequentibus integra manet .b., ut abdo, subdo, abluo, sublatus, obloquor, abnego, obnitor, subnixus. Ergo nulla antecedens syllaba in .b., nisi praepositio cogat, desinere potest, nisi a .b. sequens incipiat.

47. Sic et .c. vel .q. vel .d., nisi eadem sequatur, ut pauca, soccus, quicquam, addo, et reddo. Ab ad et sed .d. quoque quoque mutatur, sequente .c.l. vel g. vel p. vel .t., ut accumbo, aggero, applico, attingo. Vel .f. affectus; vel .l. allido; .r. arrideo; .n. annuo; .s. assiduus. Subtrahitur si vel .gn. vel .sp. vel .sc. sequatur, ut agnitus, aspectus, ascensus. Aliis enim sequentibus, littera integra manet, ut adbibo, adhaereo, admitto, advoco. In .f. finita praepositio .b. vel .d. vel .x. eadem sequente transit, ut officio, affectus, efficio, difficio *. In .g. nulla syllaba terminat, vel transit, nisi .d.b.p. in conpositis, ut aggero, suggero. oggannio. Graeci hanc loco .γ. ante .γ. vel .κ. vel .χ solent ponere ut ἄγγελος, ἄγκιστρον, Ἀγχίσης. Latini tamen servant .n. ut angelus. Invenitur antiquitus .g. ante .n. in principali syllaba, ut natus gnatus; not., gnot., ignot., nosco cognosco, novi cognovi. Et post se .c. positam saepe in .g. convertit, ut in numeris quadringenti, pro quadricenti, a centum; quingenti, septingenti, octingenti. At eorum .n. praeposita facit .g. in .c. converti; quia in quibusdam numeris servatur .c., ducenti, tricenti, sexcenti.

* ita cod.

48. In .h. et .k. nulla principalis syllaba desinit, licet vah, et ah, et oh inveniantur cum interiectiones perfectae vah, et ah, et oh sint. In .l. quacumque consonante sequente post .q. et .r. et .h. et .k. antecedente potest terminari syllaba, ut ulc. 'sold. alb. alfeu, algeo, illud, ulm, aln. culp. fulsit, altus, silui, mulxi. In .m. sequente .b. vel .p. vel .m., ut ambo, imperium, comparo, summus. In .n. sequente eadem vel .c. vel .q. vel .r. vel ·s· vel .u. consonante, vel .x., ut concinnus, mancus, pondus, confisus, tango, angulus, annus, inquiro, linquo, inrumpo, inruo, consuo. In multis .r. sequente convertitur in .r. ut corruo, corrumpo. Ubique cum praepositio hoc patitur, ut corrigo. Sic et in, ut irrigo, irrito. Sive sequente .e. vel .t. vel .i. vel .u. vel .x., integra manet, ut insitus, sponsus, tonsus, Antonius, Mantua, coniugo, converto, anxius. B. autem sequente .e. vel .p. .in. .IN. convertitur.

49. L. vero vel .m. in eas commutatur, ut imbivo, impius, combivo, conpet . . collido, illido, inmunus *, communus. In .p. nulla nisi se ipsa sequente, ut lippus, apparat. In .r. omnibus sequentibus terminatur, excepta .k. ut morbus. porcus, ordo, perficio, margo, perhibeo, interlito, carmen, cerno, corpus, arquitenens, corpus, morsus, artus, periurus, corvus, Xerxes. In quibusdam conpositis invenitur .r. in .l. converti, intellego pro interlego, conpellicio pro conperlicio. In .s. in conpositis, .c. sequente, ut abscondo, obscurus. In simplicibus .s. et .c. necesse est eandem esse syllabam quoque, ut cons. .m. put * prosperat velut testis. In .s. cassis. I. quoque loco consonantis, ut disiunctus. C. .s. . . . . dis praepositio anteposita, ut discutio, displicet, disterminat, abstergo, distuli, asporto, pro abs. In .t. tantum si a se sequens inchoat, ut mitto, Cotta, attiguus. In .ex. nulla syllaba in media dictione terminat, nisi in conpositis a praepositione ·X· quoque integra manet sequente .c. vel .p. vel .q. vel .s., secundum quosdam, vel .t., ut excurro, expello, exquiro, exequor, extendo. Orthographia sanxit haberi si .e.u.f.o. * abiecit. F, h. sequente, in eam convertitur .x. ut efficio, effero. Ceteris vero consonantibus sequentibus .d.m.r.u. praeponitur, ut educo, emineo, eruo, eveho. Nulla diphthongus in duas consonantes potest desinere. In duplicem desinit, ut faex faecis, faux faucis.

* ita cod.

* ita cod.

* ita cod.

50. Int. Quomodo primas syllabas cognoscimus? R. Primas syllabas ita cognoscimus; nam talis manet fere omnis conposita syllaba, qualis et ipsa praepositio fuerit, ut ineptus. Item

ex ipsis praepositionibus .ad. et .ob. et .in. et. sup. diverso in verbis ponuntur. Nam corripiuntur cum crescendo dissyllabam reddunt, ut adit, obit, init, subit. Indifferenter sunt cum trisyllabam faciunt, ut conicit, obicit, inicit, subicit. Producuntur tamen cum tertiam syllabam ex se reddunt, ut adicio, obicio, inicio, subicio. Itemque cum per .q. et .p. in primis syllabis scribuntur, producuntur, excepto pretium, premo, preces, et queror hoc est querelam depono; et quae ex his per derivationem aut declinationem fieri possunt atque coniunctionem. Item contra breviantur ex hisdem praepositionibus in conpositione, ut dehinc, profectus, professus, profusus praefatus, proavus, pronepos, et cetera. Sunt item aliquanta verba, quae per primas syllabas temporum ratione permutant, quae subter collecta omni praeterito perfecto, vel in omni praeterito plusquam perfecto vel in futuro modi tantum coniunctativi * producuntur. In ceteris modis et temporibus breviantur. ut sunt haec: (* ita cod.) lego, legi, legeram, legero; faveo, favi, faveram, favero; venio, veni, veneram, venero; voveo, vovi, voveram, vovero; foveo, fovi, foveram, fovero; iuvo, iuvi, iuveram, iuvero; ago, egi, egeram, egero; emo, emi, emeram, emero; lavo, lavi, laveram, lavero; odio, odi, oderam, odero; eo, ivi, iveram, ivero; saevio, saevi, seviram *, seviro; queo, quivi, (* ita cod.) quiveram, quivero; cevo, cevi, ceveram, cevero; caveo, cavi, caveram, cavero. Item contra inveniuntur, quae in praesenti tempore producta sunt, et in praeterito breviantur, (cod. f. [illegible]) ut sunt pono posui, cogo coegi, do dedi, sto steti. Item omnia verba quae in praeteritis ante crescunt, in primis syllabis breviantur, ut pendo pependi, tendo tetendi, tondo totondi, posco poposci, curro cucurri.

51. Int. Medias syllabas 1) quomodo agnoscimus? R. Tribus modis, positione et diphthongis et accentu. Sed de positione et diphthongis supra tractavimus. Accentus quasi ad cantus dictus est, quod ad cantilenam vocis nos facit agnoscere syllabas. Qui vocis accentus duo sunt, ad ea quae tractamus necessarii, correptus et productus. Correptus est, quotiens sine ulla mora vocis medias syllabas enuntiamus, ut moenia, tabula, macula. Productus est, quotiens medias syllabas cum aliqua mora vocis exprimimus, ut fortuna, natura. Sciendum est tamen quia illa quae in verbis correpta proferuntur, cum in medium venerint, et ipsam .i. in .e. mutaverint, ut legis lege legere, ubique breviantur; excepto cum a tribus excipiuntur consonantibus .b. et .m. et .t., ut legebam legemus legetur. Et cetera melius accentibus colliguntur; qui accentus in trisyllabis et tetrasyllabis et deinceps. ita considerandus est, ut si quaeratur, amicissimorum, quibus syllabis constet, edicimus primam brevem, exemplo ut: nimium dilexi amicum. Secundam cum longo accentu invenimus. Tertiam positione longam. Quartam brevem accentu invenimus, quia cum dicimus amicissimus, pene ultimam cum brevi accentu invenimus. Quintam longam accentu. Ultima vero qualis sit, per singulas partes orationis monstrabunt rationes subiectae.

52. Int. Finales syllabae quomodo terminantur? R. In finalibus syllabis nominativus singularis has habet terminationes; breves .a. ut musa; .e. ut sedile; .o. ut virgo; .u. ut cornu; .el. ut mel; .il. ut vigil; .ul. ut consul; .um. ut tectum; .en. ut carmen; .ir. ut vir; .or. ut doctor; .t. ut caput. Ex his producuntur in graecis .e. ut Euterpe; .o. ut Dido; .en. ut lien, rien; .il. ut uno etrusco Tanaquil. Haec sunt item quae producuntur; .i. ut frugi; .ol. ut sol; .an. ut Titan; .on. ut Memnon; .in. ut delphin; .as. ut facultas; .c. ut lac, allec. Sed .as. finitus nominativus breviatur in graecis, cum genitivus .dos. habuerit, ut Arcas Pallas, Arcados Pallados. Er. .is. in graecis producuntur. In dissyllabis vel in trisyllabis et tetrasyllabis vel in ceteris polysyllabis corripiuntur. Ar. monosyllaba, ut far: .as. dissyllaba, ut ceras: .er. monosyllaba, ut ver; disyllaba, ut pater: .ur. monosyllaba, ut (cod. f. 70. a.) fur: dissyllaba, ut murmur: is monosyllaba, ut glis; dissyllaba, ut fortis: .al. monosyllaba, ut sal: trisyllaba, ut Hannibal.

53. Item haec sunt quae varietatem nominativi faciunt, et quae sibi a genitivo suo regulam sumunt, .es.os.us. Nam .es. syllaba nominativus quando finitur, modis quinque producit,

1) Abhinc multa sibi usurpavit ex Dynamio Bedae ed. Putsch. p. 2358. seq.

duobus corripitur. Ergo tunc producitur, cum aut nomen quintae fuerit declinationis, ut dies, diei. Secundo producitur, cum totidem syllabas genitivus habuerit, quot et nominativus, ut proles prolis. Tertio loco producitur, cum syllaba genitivus crescens .e. productam in medio
* ita cod. obtenuerit *, ut merces mercedis. Quarto loco producitur, cum monosyllaba nomina fuerint, vel de monosyllaba ducta, ut pes, bipes, sonipes, semipes. Quinto loco producitur, cum .i. ante .es. in fine habuerit, ut abies, paries, quies. Duobus modis corripitur, cum aut .e. mediam correptam in genitivo habuerit, ut seges segetis: aut cum .e. in .i. mutaverit, ut miles militis. Item igitur .os. monosyllaba si ora significat producitur, ut os, oris: si ossa significat breviatur, ut os, ossis. Quae tamen .os. syllaba cum in dissyllabis vel in trissyllabis venerit, et media syllaba genitivi natura producta permanserit, tum longa erit, ut nepos, nepotis. Si vero correpta, aut dipththongon in genitivo graeco habuerit, breviatur, ut compos compotis, Delos Deli. Us vero cum in genitivo crescente longa permanserit, producitur, ut virtus virtutis, tellus telluris, excepto uno palus, quod in genitivo
* ita cod. .dis. terminatur, ut palus paludis. Unde Virgilius: sterelisque * diu palus aptaque remis. Si vero in genitivo crescente correpta syllaba, sive mutata permanserit, aut non creverit, breviatur; ut pectus pectoris, vulgus vulgi. Genitivus et dativus et ablativus producuntur; sed genitivus cum os, aut in fine secundum Graecos habuerit, aut tertiae fuerit declinationis, cum ablativo suo, .e. tantum littera correpta terminatur, excepto uno quod producitur, ut ab hac fame; quia veteres huius famei non huius famis declinabant. Sed dativus in graecis .i. terminatus breviatur, ut Palladi. Accusativus in latinis brevis est semper. In graecis tunc tantum brevis est, cum .a. vel .on. terminatur, ut Thesea, Delon; alias longus est. Vocativus quoque in latinis brevis est, excepto cum .i. terminatur, ut Mercuri. In graecis corripitur, ut Alexi. Qui etiam dum similis fuerit nominativi, nominativt regulam sequitur, ut haec paupertas. In masculinis tantum graecis producitur, ut Aeneas. Sed etiam vocativus e. finitus in graecis quibusdam breviatur, cum eius nomitivus .os. fuerit terminatus, ut Phoe-
645. f. 70. b. bos, Phoebe. Nominativus, accusativus, et vocativus pluralis in masculino et feminino genere producuntur; in neutro corripiuntur.

54. Contra haec sunt graeca nomina, quae dum ante .s. litteram .a. vel .e. habuerint, et a genitivo singulari .dos. terminato venerint, tunc tantum in masculino genere et feminino breviantur, ut huius Arcados, hi Arcades, hos Arcadas; alias longi sunt. Genitivus pluralis semper brevis, in graecis producitur, ut Hellenon. Dativus et ablativus pluralis, si .is terminantur, longi sunt ut doctis. Si .bus. terminantur, breviantur ut agilibus. Aut si graeca sit declinatio, .in. terminatus dativus corripitur, ut Arcasin. Hac regula nomina, pro-
* ita cod. nomina, participia, contenentur *. Sed pronominis declinatio in hoc tantum differt, quod in monosyllabis, quae vocalibus terminantur, ut me; aut vocalibus constant, ut .o., in quolibet casu producuntur. Sed genitivus cum .us. finitur, breviatur, ut illius: dativus vero sicut in nomine longus est, excepto mihi tibi sibi, quae indifferenter poni possunt. Sic reliqui quoque casus regulam sumunt ex nomine.

DE VERBO.

55. In omnibus verbis, modis, temporibus, numeris, personis, coniugationibus, breviatur .m., ut docebam; .r. ut legebar; .t. ut faceret; .us. ut nutriremus. E. vero littera terminata verba breviantur, ut lege. (Sed imperativi modi secunda persona a secunda coniugatione tantum producitur, ut doce.) Es, ut sum, es, et cetera ex his quae conponi possunt, ut adsum ades, possum potes. In aliis producitur, ut doces. Is producitur cum a tertia venerit, ut nutrio nutris, volo vis; alias breviatur. Producuntur haec; .a. ut ama; .i. ut nutri; .u. ut lectu; .as. ut vocas; .es. ut legeres; .c. ut fac.

DE ADVERBIO.

56. In omnibus adverbiis breviantur .l. ut semel; .r. pariter; .m. ut tam; .n. vero, ex-

cepto non et amen, ubique breviantur, ut forsitan. E. dum finiuntur adverbia illa producuntur, quae ex nomine veniunt, et conparationis gradus omnino reservant, ut docte, doctius, doctissime. Quae autem a se nascuntur, aut non comparantur, ut rite; aut in conparatione deficiunt, ut bone, male, breviantur. I. finita, praeter quasi et ibi et ubi, producuntur, ut heri. O. sicut in omnibus partibus orationis, indifferenter ponitur, ut falso. S. dum ante eam .a. habuerit, producitur, ut alias. Aliter, breviantur, ut magis. Producuntur autem .a. ut una; .u. ut noctu; .c., ut illic. Adverbia monosyllaba producenda sunt, cod. f. 71. a ut huc, vel quae ex his fiunt, ut illuc; excepto bis et ter.

DE CONIUNCTIONE.

57. Omnes fere coniunctiones corripiuntur. Sed quae .a.i. terminantur, producuntur; excepto ita, et quia, et nisi. Item quae in .n. desinunt, si ante eam .in. habuerint, producuntur, ut sin.

DE PRAEPOSITIONE.

58. Accusativae praepositiones, absque his quae in .a. exeunt, et una monosyllaba breviantur .ab. vel .vi. vo. Illae longae sunt monosyllabae, quae aut vocalibus constant, ut .a. et .e., aut vocalibus terminantur, ut de. Sed utriusque casus omnes praepositiones breves esse non dubium est. R. autem ubique breviatur, ut remitto, excepto cum refert distat significat; ut est illud: praeterea nec iam mutari pabula refert. Et unum verbum reicio, ut: reice, ne maculis infuscet vellera pulli, scilicet nascentium.

DE INTERIECTIONE.

59. Omnes interiectiones, si monosyllabae fuerint, producuntur, ut heu. Cetera vero exemplo similium partium orationis existimanda sunt, ut pape. Haec in omnibus partibus orationis observanda sunt, exceptis his quae diphthongo aut positione longae sunt. Distat autem syllaba dictione, sensu, et accentu. Nisi enim sciamus quomodo posita est syllaba in dictione, incertum est, quo accentu eam pronunciemus; quae separata a dictione caret sensu. Est tamen plena oratio in una dictione, ut in imperativis cura, lege. Similiter plena dictio in una syllaba, ut ars, do, dic.

DE DICTIONE.

60. Int. Dictio quid est? R. Dictio est pars minima orationis constructae habens intellectum, cuius pars est syllaba sine sensu, aut per se syllaba. Sed . . ne . . tempus, nec tenorem, nec spiritum nec significatum, nisi per dictionem. Nam cum dico ara deorum, .a. penultima producitur, circumflectitur, nec habet aspirationem. Cum autem significat stabulum pecorum, corripitur, et habet aspirationem. I. acuitur; quando vero pro possum est, gravat et producit, et est sine aspiratione.

61. Int. Oratio quid est? R. Oratio est ordinatio dictionum congrua, sententiam perfectam demonstrans; cuius partes per dialecticos sunt duae, nomen et verbum: per stoicos quinque, nomen, appellatio, verbum, pronomen sive articulus, coniunctio. Participium cum verbis iungendum; et participium verbum vel casuale vocabant. Adverbium nominibus vel verbis adiungebant, praepositionem [1] coniunctioni, quam praepositivam coniuntionem appellant. Quidam vero ·VIIII·, appellationem separantes a nomine. Alii ·X·, infinita verba separantes. Alii ·XI·, pronomen et articulum separantes. His alii vocabulum et interiectionem addebant. Proprium est nominis, substantia et qualitas. Singulare hoc habet appellatio, et vocabulum... tria una pars est. Verbi proprium, actio vel passio, vel utraque cum cod. f. 71. b. modis et formis et tempore sine casu significationem habent. Et infinita ideo non sunt separata. Participium casus habendo et genera, et carendo modis, separatur a verbo, a nomine trahendo tempus. : .

1) Heic et paulo post valde corruptus videbatur codex.

62. Pronominis proprium est, pro aliquo nomine proprio poni, et certas significare personas. Ergo quis, et qui, et qualis, talis, tantus, et similia infinita, sunt interrogationes vel relationes magis quam pronomina. Neque enim loco propriorum nominum ponuntur, neque personas significant, sed etiam substantiam, ut nomen quamvis infinita, et qualitatem generalem, proprium habent. Igitur nomina sunt, non pronomina; licet quaedam ut pronomina declinentur. Nam unus uni licet declinetur ut pronomen, stultum est pronomen deputare.

63. Proprium est adverbii cum verbo poni. Sine eo perfectam non habet significationem, ut bene lego. Et differunt adverbium et praepositio, quod adverbium et sine casualibus verbis, et cum casualibus, potest et praeponi, et postponi, ut pone currit, et currit pone: venit tempore longo, et tempore longo venit. Numquam adverbium sine verbo cum
* ita cod. nomine invenies, nisi per ellipsin, ut non bon * homo, subauditur est. Praepositionis au-
* ita cod. tem proprium est, separatim per appouitionem * casualibus praeponi, ut de rege apud amicum. Proprium est coniunctioni diversa nomina vel quascumque dictiones vel verba vel adverbia coniungere, ut et Terentius et Cicero, vel Terentius vel Cicero: et formosus et sapiens, vel formosus vel sapiens: et legens et scribens, vel legens vel scribens: et ego et tu, vel ego et tu: et facio et dico, vel facio vel dico, et bene et celeriter, vel bene vel celeriter. Hoc praepositio non facit. Coniunctio vero . . cum non habentibus, ut indoctus, interitus, procuro, proconsul, induco. Praepositiones conponi possunt cum verbis, coniunctio numquam: ut subtraho, addico, praepono, produco, dehortor. Coniunctio autem licet praepositiva, in conpositione non invenitur. Cum verbis, ut aptat. Sed praepositionibus casualibus separato praeponitur semper. Coniunctio vero cum omnibus potest dictionibus modo praeposita modo postposita coniungi.

FINIS.

A D N O T A T I O.

Exegimus Dynamii grammatici editionem ex codice pervetusto quidem, sed, postrema praesertim in parte, mendosissimo. Quamobrem criticarum emendationum multa seges, ut puto, succrescet. Auctores a Dynamio citantur, ut in locis animadvertimus, anonymi quidam poëtae, artigraphi, dialectici, stoici; tum nominatim Audax, Donatus, Herodianus, Pompeius, Priscianus, Terentius, Varro, Virgilius. Vocabula quoque nova suppeditat lexicis, ut item adnotavimus. Sed dicet aliquis: cur Dynamius grammaticus in sacra patrum bibliotheca collocatur? Fateor me id egisse, ut comitem Augustino grammatico adiungerem, multoque magis ne codicis vaticani opportunitatem negligerem. Ceteroqui patrum quoque ecclesiasticorum legimus in ipsorum scriptis artes grammaticas; videlicet, praeter Augustinum, Victorini, Cassiodori, Isidori, Iuliani toletani; item Adhelmi et Abbonis a nobis editorum; Bedae, Alcuini. Denique in praedicto codice, praeter Augustinum atque Dynamium, consideravimus artem Donati, quae ibi dicitur a Paulo diacono exposita; sed eam nihil aliud esse comperimus quam ipsum Donatum, ad formam dialogi accommodatum, ob scholasticum puerorum exercitium. Ibidem f. 99-126. *videbamus Tatuinum, Bedae aequalem, de quo olim in glossario nostro locuti sumus, brevissimis etiam delibatis ex eo particulis. Neque indignum Tatuini scriptum editione putamus; est enim perspicuum et satis bonum. Sequitur f.* 153-162. ars Asperi de octo partibus orationis, *diversa quidem ab illa edita, sed tamen nihil aliud habens, quam singularum partium definitiones et paradigmata. Extrema in codice est* ars domni Bonifacii, *cuius excerptum praecipuum nos alio tempore edidimus.*

DE HYMNARIO BOBIENSI

ET DE ALIIS QUIBUSDAM HYMNIS

MONITUM.

Deliciae spiritus nostri divina cantica, merito inquit S. Augustinus (enarr. in ps. 145. *) Quare et librum scripserat idem divus pater, nunc deperditum, adversus quendam reprehensorem moris ecclesiae canendi hymnos ad altare (Retract. lib. II.* 11, *et Possid. ind. cap.* 6. *) Quippe a primis inde temporibus, Dei populus hymnos canere, in religiosis praesertim ecclesiarum conventibus, hilariter consuevit. Quidquid ergo canticorum sacrorum in vetustis monumentis conspiciendum se offert, id mihi quidem periucundum accidit, lectuque et pio studio non indignum videtur; quantumlibet rude sit, et metricis regulis parum obediens. Igitur quo tempore de vulgando inedito sancti Hilarii hymno serotino meditabar, menti simul occurrebat, vidisse me in vaticana bibliotheca vetustum codicem saeculi circiter XI. (sub n.* 5776. *) ex celeberrimo oppidi Bobii monasterio olim submissum, in quo praeter alia, hymnarium quoque continetur, quod illis religiosissimis monachis quotidiano usui fuit. Codicem itaque cum denuo inspicerem, primo comperi ignotum hunc fuisse beato Cardinali Thomasio, quamquam ipse opp. T. II. praef. p.* 15. *in hymnario suo coacervando, vaticanis quoque codicibus se usum adfirmat. Itaque collato cum eius editione dicto codice, reapse cognovi, hymnos codicis sexaginta quinque cum editione congruere; alios tamen paulo plus viginti apud Thomasium desiderari. Atque utinam vir beatus, praeter hunc codicem, illam quoque non praetermisisset hymnorum haud modicam collectionem, ab illustribus monasterii S. Galli viris exaratorum, quae est in bibliotheca PP. lugdunensi T. XXVII. p.* 508. *et seqq. Nunc cum ego prae manibus haberem bobiensem codicem, dubitabam primo an forte hi hymni parentem haberent monasterii eius fundatorem sanctum Columbanum,* quem multa scripsisse ad canendum digna *tradit Sigebertus cap.* 60. *Verumtamen quia nihil satis verisimile suspicionem meam confirmabat, haud ultra coniectandum putavi; et nihilominus hymnos in Thomasii collectionem minime insertos, prelo post illum hilarianum subiicere non detrectavi. Neque tamen arbitror hoc fuisse praecipuum inter bobiensia hymnarium. Etenim in codice ambrosiano C.* 10. *ord. inf., olim bobiensi, saeculi ferme septimi, ego iampridem Mediolani legebam* hymnos ecclesiasticos. *Item in bobiensium codicum catalogo, quem cl. Peyronius vulgavit, cod.* 130, *rursusque apud eum in bobiensibus aliis p.* 47. *et p.* 60. *hymni scribuntur et cantica, propria et communia, tam de tempore quam de sanctis, laudesque de nativitate Domini et de beata Maria. Tum idem cl. Peyronius in praef. p.* 7. *narrat antiquissimum Bobii hymnarium nunc Taurini servari. Et quidem noster vat. codex* 5776. *idem est qui Peyronio bobiensis* 133. *De quo illud dicendum superest, nempe hymnum quoque* ave maris stella *ibi contineri, quae res marianae huius laudis antiquitatem demonstrat. Quamquam iam episcopus Hincmarus, saeculo nono clarus, satis fortasse innuerat, se hunc hymnum nosse, in elegia a nobis ex antiquo codice edita in class. AA. T. V, ubi ait: « cum quo stella maris residens in culmine caeli. » Denique in catalogo quoque priscorum codicum laureshamensium a nobis edito (Spicil. rom. T. V.) hymnaria recensentur p.* 195. 196. 197. 217.

Post excerptos ex bobiensi codice hymnos, alii ferme totidem mihi obiter perlustranti in priscis vat. codicibus semet obtulerunt, quos itidem colligendos iudicavi, et quidem in his aliquot non ignobiles, puta illud non contemnendum poëmatium (apud nos XXXVIII.) fortasse Damasi papae de ss. Constantia et Gallicano; *quod carmen idcirco* de natali ss. MM. Iohannis et Pauli *inscribitur, quia hi martyres Gallicano duci (cui desponsa Constantia fuerat) auctores extiterunt, ut adscita christiana religione victoriam a Deo speraret, quam reapse consecutus est; omissis postea regalibus quoque nuptiis ob sanctae castimoniae studium; prout etiam filiabus eius ex priore coniugio susceptis placuit. Nunc ut breviter de suspicione dicam, quamobrem Damaso praedictum poëmatium inscribendum non renuam; ab hoc sane pontifice versibus sanctos martyres eorumque tumulos exornatos fuisse, tradit liber pontificalis: hique sane multi in romanis lapidibus codicibusque re-*

perti fuerunt, et idemtidem adhuc emergunt. Damasum quidem PP. tam proximum aetate fuisse sanctis MM. Iohanni ac Paulo scimus, ut eos etiam viventes fortasse conspexerit, et sub Iuliano nuper coronatos veneratus sit. Nihil ergo credibilius est, quam quod illorum natalem id est martyrialem diem metro poëtico, cui plurimum indulgebat, concelebraverit. Gallicani quoque, qui consul iterum anno Christi 330. *fuit sub Constantino magno, non admodum prisca memoria erat. Certe aliud carmen, sed elegiacum, in horum martyrum natali, extulit in analectis suis Mabillonius, quod Rondaninius in libro de horum romana basilica p.* 36., *etsi anonymum, vult tamen cum Mabillonio ad Damasum trahere. Ut ut ea res se habet, nostrum quidem poëmatium, Damasi stilum ac spiritum multo melius, quam illud elegiacum sapit: canorum est videlicet, splendidum, amplificum, cognitis aliis satis conforme, neque tamen ab illa definitione dissentiens, quam Cicero (pro Archia n.* 10.) *de hispanis seu Cordubae natis poetis protulit, nempe* pingue quiddam sonantibus atque peregrinum; *quae Tullii verba Muretus interpretatur sic: « hispani poëtae, quum inflatum » quoddam et tumidum, et gentis suae moribus congruens, invenissent orationis genus, averterunt » exemplo suo ceteros a recta et simplici imitatione naturae. » Huc accedit quod nostrum hoc carmen tantopere congruit cum inscriptionibus in horum martyrum urbana ecclesia prostantibus, ut illae ex hoc paene sumptae videantur. Leguntur eae apud Rondaninium op. cit. p.* 164. « I. *Constantinus » Constantiam filiam se in matrimonium daturum Gallicano romani exercitus duci pollicetur, quum » debellatis Scythis victor e Thracia redierit. Interea tamquam sponsionis obsides dat eidem Iohan» nem Constantiae domus praefectum et Paulum primicerium.* II. *Iohannes et Paulus Gallicanum » adversus Scythas in Thraciam proficiscentem sequuntur.* III. *Gallicano obsidione Philippopoli » presso, et fugam cogitanti, suadent, ut voveat se christianum futurum etc. » De Gallicano praeclare Baronius cum Pagio ad an.* 330. *n.* 50. *et seqq. Rursus ad an.* 332. *n.* 250. *Item Bollandiani T. V. iunii ad diem* 25. *p.* 35. *Apud Surium legitur die* 26. *iunii historia ss. Iohannis ac Pauli; quae tamen prolixior et varians extat in codice vat.* 1195, *cui mox historiae subnectitur carmen, quod nos Damasi suspicamur. Postremo quod attinet ad nonnulla metri vitia, dudum nos in sua Damasi editione p.* 144. *verbis cl. Mazochii P. Merenda monuit. « Quod Da» masus in metrum peccare aliquando videatur, haud mirabitur, qui in legendis inscriptis ver» sibus et elogiis mediocriter versatus sit; vix enim pauca de multis epigrammatibus in lapidibus » reperias, quae non multis modis in metricas leges offendant, etsi illa sint alioquin elegantissima. » Sed satis de Damaso et vaticano carmine, quod etsi ab illius stilo et coloribus non videtur abhorrere, attamen suam quisque lector opinionem sectabitur.*

Sunt alia procul dubio in vaticanis pluteis antiquae monumenta hymnodiae, quae nunc recensere non vacat. His enim, quae dixi, interim contentus sum; praesertim quia Herm. Adalberti Danielis thesauro hymnologico careo, quem commode consuluissem. Ecce autem post Faustini Arevali praestantissimum de hymnodia et palmare opus, nuper alii in Gallia perdocti viri, Combeguillius et Guerangerius, ille spicilegio liturgico, hic institutionibus et anno liturgico, bene naviterque de sacro hoc argumento meriti sunt; quorum libros sedula recensione iustisque laudibus prosecutus est clarissimus vir A. Bonnetius in suis philosophiae chrisitanae annalibus, quibus religioni catholicae, sanis dogmatibus, publicisque moribus tamdiu tantoque opere prodest. Porro autem si dilatare argumentum placeret, graecae in primis ecclesiae hymnorum, seu vincta seu soluta oratione scriptorum, haud spicilegium profecto sed uberrimam messem ex vaticano campo liceret demetere. Hactenus enim nos non nisi quasi specimina olim edidimus, nempe post Sophronium, Damasceni hymnos sex, et Photii tres. Quis vero nescit, Syros inter orientis ecclesias, multitudine ac suavitate hymnorum praestare? qui pariter in descriptis per Assemanos vatt. codicibus abundant. Adde ecclesiae armeniacae grande hymnorum volumen, quod item his annis Romae vidi, manuque tractavi. Denique et aliarum orientis linguarum hymni in vatt. codicibus sunt. Nos vero ad latinum nostrum auctarium interim deveniamus.

HYMNI INEDITI

VEL QUI CERTE IN BEATI THOMASII COLLECTIONE DESIDERANTUR

Ex codice bobiensi vat. 5776. *saec. XI.*

Cod. f. 71. a

I. AD NOCTEM.

O pater alme mitis atque pie,
O Iesu Christe fili venerande,
Paracliteque spiritus et alme,
Deus aeterne.
Salus orphanorum, spesque cunctorum,
Trinitas sancta unitasque firma,
Deitas vera, bonitas immensa,
Lux angelorum.
Serviunt tibi cuncta quae creasti,
Te tuae cunctae creaturae laudant,
Nos quoque tibi psallimus devoti.
Tu nos exaudi.
Gloria tibi, Deus omnipotens,
Trinus et unus, magnus et aeternus.
Te decet hymnus, honor, laus, et decus,
Nunc et in aevum. Amen.

II. AD LAUDES.

f. 71. b. O veneranda Trinitas laudanda,
Valde benigna gloriaque digna,
Nostras exaudi preces, quibus tibi
Canimus hymnum.
Te invocamus atque adoramus,
Teque laudamus, Trinitas beata.
Tu nobis dona scelerum cunctorum
Remissionem.
Ut valeamus mentibus devotis
Agere dignas tibi quoque laudes
Die ac nocte horis ac momentis
Semper dicentes:
Gloria ingens, sine fine manens,
Sit Trinitati summae deitatis
Cuncta per saecla, voce simul una
Cuncti dicamus. Amen.

III. IN NATALI S. SEBASTIANI, AD VESPERUM.

f. 72. a Martyr Dei egregie,
Intende melos gloriae,
Sebàstiane belliger,
Immensi regis signifer.
Devotos tibi famulos
Peccati sorde languidos
Sana virtutum artifex,
Verbique sator multiplex.
Linguae torpentis vinculum
Absolve, fandi dans donum,
Ut quondam mutae feminae,
Christi ditatus munere.
Per sagittarum iacula,
Rogamus, pater, vernulae
Per rivos tui sanguinis
Iram remove iudicis.
Ut tecum laudes perpetim
Christo canamus affatim,
Tuis eruti precibus
A poenis infernalibus.
Laus sit parenti domino,
Laudes canamus unico,
Laudes amborum flamini
Per tempora laudabili. Amen.

IV. DE SANCTA AGNE, AD VESPERUM.

Agnetis festum martyris f. 72. b.
Deo dicatae virginis
Colamus omnes socii
Carmen canendo seduli.
Quam auro texta cyclade
Christus vestitus pondere
Sponsam ornavit fulgidam
Donando vestem mysticam.
Haec minas sprevit principis,
Poenas derisit corporis,
Haec mihi ducis filium
Vitae donavit mortuum.
Haec strinxit luxus iuvenum
Dei monstrando nuntium.
In domibus scortantium
Praeclarum cernunt angelum.
Psallamus omnes strenui
Laudes ferendo virgini,
Ut nobis caeli principem
Efficiat placabilem.
Precamur, virgo fulgida,
Nobis faveto sedula,
Quo tibi melos gloriae
Pangamus omni tempore.
Laus patri invisibili,
Laus eius almo flamini,

Lausque sit unigenito
Orbis terrarum domino. Amen.

f. 82. a. V. AD NOCTURNUM.

Christe patris altissimi
Verbum, et nate virginis,
Intende nostris vocibus
Hymnum tibi canentibus.
Qui diem hunc ex meritis
Agnetis tuae martyris
Nobis dedisti celebrem
Ad laudem tuae gloriae.
Quae in aetate tenera
Mundi reliquit gloriam,
Te salvatorem omnium
Secuta est et dominum.
Qui cum patre piissimo
Regnas in regno supero,
Simul cum sancto spiritu
Modo et in perpetuum. Amen.

VI. AD LAUDES.

f. 82. b. Haec tua plena gratia
Iuvenem prece suscitat,
Quem inimicus straverat
Ante eius vestigia.
Sed fixa tuis legibus
Flammis statim immergitur,
Expansis orat manibus,
Nullis tacta doloribus.
Nunc pretiosi lapidis
Ornata diademate
Ingressa tuum thalamum
Laudis hymnizat canticum.
Cuius nobis per merita
Cuncta relaxa debita.
Et post vitae curricula
Nos transfer ad caelestia.
Qui cum patre etc.

VII. IN NATALI S. GREGORII, AD VESPERUM.

f. 83. b. Summae sedis antistitis,
Deus alme, Gregorii
Festum colentes per orbem,
Meritis eius protege.
Sacra cuius eloquia
Vitae ferentis pascua
Lac potum donant parvulis,
Cibum ministrant validis.
Ut hi recte non ruere,
Sic lapsi discunt surgere,
Haereticorum haereses
Diva secantur cuspide.
Anglorum quoque populus
Hic affuit, quos *vetere*
Deleto cultu daemonum
Convertit ad Altissimum.
De cuius sacro transitu
Chorus laetatur omnium
Angelorum et hominum
Summo Deo placentium.
Iam pontifex egregie
Pro nobis Deum iugiter,
Exora sacris precibus
Ut nobis parcat omnibus.
Aeterno patri gloria,
Simulque eius genito,
Sancto quoque spiritui
Sit saeculorum saeculis. Amen.

VIII. IN NATALI S. BENEDICTI, AD VESPERUM.

Gemma caelestis pretiosa regis, f. [illegible]
Norma iustorum, via monachorum,
Nos ab immundo, Benedicte, mundi
Subtrahe coeno.
Tu solum spernens, cor in astra figens,
Cogis heredes fieri parentes.
Vas, Deo plenus, reparare fractum
Promeruisti.
Magnus in parvis eremita membris
Vincis aetatem, superas laborem,
Arta districtae rudimenta vitae
Fervidus imples.
Strage saxoque puerum sepultum
Mox ut orasti, prece suscitasti,
Sensus hinc carni, caro sanitati
Redditur aequae.
Iure sub blandae specie columbae
Nesciam fellis animam sororis
Summa stellati penetrare caeli
Culmina cernis.
Ipse post clarum referens triumphum
Celsa devicto petis astra mundo.
Luce flammante radiantem callem
Pallia sternunt.
Laus honor patri, parilique proli,
Una maiestas, eadem potestas,
Cum quibus sanctus simul implet omnem
Spiritus orbem. Amen.

IX. IN EODEM FESTO, AD NOCTURNUM.

f. 82 b Signifer invictissime,
Sacraeque dux militiae
Nos, Benedicte, valido
Precum defende brachio.
His armis exsecrabilem
Leonis vincis rabiem,
Quibus olim teterrimam
Pellis ab ore merulam.
Urticae iunctae vepribus
Vulnus curant vulneribus.
Flammata mens divinitus
Ignes extinguit ignibus.
Crucem mittens ut lapidem
Veneni frangis calicem,
Non valet mortis vasculum
Vitae ferre signaculum.
Frater, quem tunc nequissimus
Vagum raptabat spiritus,
Dum tua virga caeditur
Stabilitati redditur.
Sit patri laus ingenito,
Sit decus unigenito,
Sit utriusque parili
Maiestas summa flamini. Amen.

X. IN EODEM FESTO, AD LAUDES.

f. 84. a. Aurea festa restaurans annua
Cum Benedictus arduum caeli
Scandit palatium,
Quanta in summis accipit, qui hic hymnis
Claruit! cuius micant prodigia
Per ampla mundi!
* ita cod. Eius carentum * gratia tellus vomit
Cadavera. Devotis unda liquida
Sicca lambit vestigia.
Totius orbis ambitum per solis
* ita cod Vidit radium. Mens in auctore * posita,
Subiecta cernit omnia.
Te summe pater petimus pronae mentis
Visceribus, ut caelum des ascendere
Quos terram doces spernere.
Sit patri laus ingenito etc.

XIII. IN NATALI S. AGATHAE, AD LAUDES.

f. 83. a. Quem in superna patria
Sacra conlaudant agmina,
Huic in terris posita
Adhaesit virgo Agatha.
Quae spretis lenociniis,
Eius obsequens monitis,
De numero prudentum
Extitit ipsa virginum.
Praeparata lampadibus
Obviat Christo cursibus,
Cui caelorum ostia
Reserantur sublimia.
Cum quo corona duplici
Virgo laetatur et martyr,
Eius fruendo gaudiis
In aedibus astriferis.
Ante sedem Altissimi
Cantica nova concinit,
Agnum sequendo Domini
Turbae mixta cum angelis.
Nunc propriis pro servulis
Lumen precetur luminis,
Nobis ut donet veniam
Pro delictorum sarcina.
Sit laus patri ingenito,
Eiusque unigenito,
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

XII. IN NATALI S. MARTYRIS MARCIANI. AD VESPERUM.

Audi praesul Marciane f. 86. a.
Martyr invictissime,
Quam in tua promunt laude
Vocem tui vernulae.
Truces minas despexisti
Tamquam vana nubila,
Praeparatus ad tormenta
Quaelibet crudelia.
Dant candentes massas ferri
Per spatia laterum,
Ac perusta caro flagrat
Odor ut aromatum.
Stant ministri vulnerati
Massis exurentibus:
Neque laedunt Marcianum,
Urere quem cupiunt.
Tunc iratus praeses furens
Iussit satellitibus
Huius caput obtruncari
Non in urbis moenibus.
Sic beate Marciane
Martyr atque pontifex
Vitam donas temporalem,
Ad perhennem transiens.

Summo patri demus laudes
Pariter et filio,
Ab utroque procedenti
Spiritui paraclito. Amen.

XIII. IN EODEM FESTO, AD LAUDES.

f. 89. b. Aurora clara rutilat
Annua festa reparat,
Cum Marcianus pontifex
Aulam polorum possidet.
In hac die devotius
Felix festum recolimus,
In qua caelorum civibus
Est perpes factus socius.
Precamur ergo subditi
Lucis suggeras lumini,
Ut sublevemur nitidi.
Quod meruisti, fave.
Laudes patri altissimo,
Sintque parili filio,
Ac utriusque flamini
Ambobus semper simili. Amen.

XIV. SABBATO ANTE DOMINICAM TERTIAM ADVENTUS.

f. 90. b. Si ter quaternis trahitur
Horis dies ad vesperum,
Occasu sol pronuncians
Noctis redire tempora;
Nos ergo signo Domini
Tutemus claustra pectorum;
Ne serpens ille callidus
Intrandi tentet aditus.
Sed armis pudicitiae
Mens fulta vigilibus,
Sobrietate comite,
Hostem repellat improbum.
Sed nec ciborum crapula
Tandem distendat corpora,
Ne vi per somnum animam
Glorificatam polluat.
Gloria tibi, Trinitas etc.

XV. AD VESPERUM.

f. 92. a. Rex angelorum praepotens
Qui sponte pauper factus es,
Ut nos in aevum divites
In aethere tecum poneres;
Largire nobis prospera
Crucis sacra sollempnia,
Gratesque da persolvere
Magnae tuae clementiae.
Qui sustinens obprobria,
Fel, vincla, sputa, verbera,
Mortemque, nobis perpetim
Vitae parasti gloriam.
Nunc clarus in regno tuo
Nostri memento, quaesumus.
Et cum latrone perfrui
Da paradisi gaudiis.
Te cum patre piissimo
Simulque sancto spiritu
Inferna, terra, sidera,
Tremunt, adorant, concinunt. Amen.

XVI. SABBATO IN PALMIS, AD VESPERUM.

Crucis instant sollempnia, f. 93. a
Pandunt redemptis gratiam,
Quae fuit morientium salus,
Vita viventium.
Lignum conscendens, prisci
Exclusit crimen vetiti.
Sic sua morte vivimus,
Viventi conresurgimus.
Sanguinis fluens undula
Lavit mundi piacula:
Aquam fudit pro lavacro,
Carnem tradens in pabulo.
Crux salus et refugium,
Spes nostra et praesidium,
A morte salva duplici
Merce quaesitos sanguinis.
Simplici trino Domino
Sit laus et iubilatio.
Nos condidit * aeternitas, * ita cod.
Cuius redemit caritas. Amen.

XVII. IN PASCHATE, AD PRIMAM.

Te, lucis auctor, personant f. 96. a
Huius catervae carmina,
Quam tu replesti gratia
Anastasis potentia.
Nobis dies haec innuit
Diem supremum adsistere,
Qui mortuos resurgere
Vitaeque facit reddere.
Octava prima redditur,
Dum mors ab unda tollitur,
Dum mente circumcidimur,
Novique demum nascimur.

Cum mane nostrum cernimus
Redisse, victis hostibus,
Mundique luxum temnimus,
Panem salutis sumimus.
Haec alma sit sollempnitas:
Sit clara haec festivitas:
Sit feriata gaudiis
Dies, reducta ab inferis.
Quaesumus, auctor omnium etc.

XVIII. AD SEXTAM.

f. 96. b. Claro paschali gaudio
Sol mundo nitet radio,
Cum Christum iam apostoli
Visu cernunt corporeo.
Ostensa sibi vulnera
In Christi carne fulgida,
Resurrexisse Dominum
Voce fatentur publica.
Rex Christe clementissime,
Tu corda nostra posside,
Ut tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.
Quaesumus, auctor etc.

XIX. AD NONAM.

f. 97. a. Quem editum ex virgine
Pavescit omnis anima,
Per quem nos resurgere
Devota mente credimus;
Qui nobis per baptismum
Donasti indulgentiam,
Qui tenebamur vinculis
Ligati conscientiae.
Qui crucem propter hominem
Suscipere dignatus es,
Dedisti tuum sanguinem
Nostrae salutis pretium.
Quaesumus, auctor etc.

XX. ITEM ALIUS (1).

f. 97. b. Surrexit Christus a sopore dormiens,
Per nos afflictus suscitavit mortuos.
Morte redemit hominem quem condidit.
Iudas tradebat redemptorem saeculi,
Unde et accepit triginta argenteos.
Ipsum se tulit suspensum laqueis.
Iudaei ergo flagellatum Dominum
Crucifigendum ducunt in praetorium,
Qui coronatus stetit ante praesidem.
Ductum ad crucem, cum duobus latronibus
Disma et Gesta (2), suspenderunt in cruce
Clavis confixum pro nobis peccatoribus.
Memento mei peccatoris omnium *, * ita cod.
Quia non sum dignus ego tecum loquere *. * ita cod.
Magna clementia ad latronem dixerat
Hodie mecum eris in paradiso.
Currit Iohannes ad sepulchrum videre.
Non inveniebat nisi solum lapidem.
Angelus dixit: iam surrexit Dominus.
Gaudebant sancti, gaudebant angeli,
Gaudent prophetae, gaudent martyres
Et confessores atque sanctae virgines
Iam Salvatorem surrexisse a mortuis.
Gloria Deo per omnia saecula,
Sit tibi nato homini individua,
Sit quoque aequali sancto spiritui
Per infinita saeculorum saecula. Amen.

XXI. IN INVENTIONE SIVE EXALTATIONE SANCTAE CRUCIS.

Salve crux sancta, salve mundi gloria, f. [illegible]
Vera spes nostra, vera ferens gaudia,
Signum salutis, salus in periculis,
Vitale lignum vitam portans omnium.
Te adorandam, te crucem unicam,
A te redempti, dulce decus saeculi,
Semper laudamus, semper tibi canimus,
Per lignum servi, per te lignum liberi.
Originale crimen necans in cruce,
Nos a privatis Christe munda maculis:
Humanitatem libera tu fragilem,
Per crucem sanctam lapsis dona veniam.
Protege, salva, benedic, sanctifica,
Populum cunctum crucis per signaculum,
Morbos averte corporis et animae.
Hoc contra signum nullum stet periculum.
Laus Deo patri, laus in cruce filio,
Sit coaequalis laus sancto spiritui,
Civibus summis gaudium sit angelis.
Honor in mundo crucis sit inventio. Amen.

XXII. DE MARTYRE, AD NONAM.

Devota mente, socii, f. 102. a.

(1) Hic et sequens hymnus in ea classe liberiore collocandi videntur, quam Arevalus hymnod. praef. p. 6 dicit constare *oratione incisis quibusdam distincta, ac non omnino soluta.*

(2) De his nominibus Marangonius in eruditissimo commentario de S. Disma lib. I. cap. 1.

Preces fundamus martyri.
Ut nobis caeli dominum
. . . . . re placidum.
. . . . . . atri carceris
. . . poenas corporis
. . . nas trucis aucupis
*palm*is athleta nobilis.
. . . untur sacra viscera
Saeva . . . dant verbera
Suspenditur . . . vincula
. . . subduntur . . et in . . lia.

XXII. AD LAUDES.

Sed fortis Christi signifer
Talia profert alacer . . .
. . . funestum verbis lacess . . .
. . . docuit . . .
. . . quod furis hostis . . .

Ex codice vat. 3227. *saec. XII. f.* 80. *b. post Victorem regionarium.*

XXIII. DE SS. PETRO ET PAULO.

O Roma nobilis, orbis et domina,
Cunctarum urbium excellentissima,
Roseo martyrum sanguine rubea,
Albis et virginum liliis candida.
Salvete, dicimus tibi, salve per saecula.
Petre tu praepotens caelorum claviger,
Vota praesentium exaudi iugiter.
Cum bis sex, tribuum sedens arbiter,
Factus placabilis iudica leniter.
Teque petentibus nunc temporaliter
Ferto suffragia misericorditer.
O Paule suscipe nostra precamina,
Cuius philosophos vicit industria.
Factus oeconomus in domo regia
Divini muneris appone fercula.
Ut quae repleverit te sapientia,
Ipsa nos repleat tua per dogmata.

Ex codice vaticano, Reginae olim svecae, 214. *fin. Scriptura saec. X. aut XI.*

XXIV. HYMNUS IN HONOREM IULIANI MARTYRIS (1).

Christe corona martyrum,
Victoria credentium,
Ante mundi principium
Atque post finem temporum;
Te Iulianus coluit,
Morte vitam promeruit:
Lictoribus fit obvius,
Caput subdit intrepidus.
Cervix secta per frameam,
Donat gloriae palmulam.
Unda subfusus sanguinis
Semper regnat cum angelis.
Mulier paralytica,
Contractus in dominica *, * ita cod.
Caecus, surdus, mutus, quoque
Tanto curantur martyre.
Per te, Christe, quam plurima
Hic fecit mirabilia.
Laus per orbem effloruit,
Spes multa crevit miseris.
Hic Vienna progenitus,
Arvernis martyr inclytus,
Aedem quam gratam monachis
Translatus habet Turonis.
Ibi quoque mirificus,
Comprobatur miraculis,
Cottidieque cernitur
Civis esse angelicus.
Sit gloria Deo patri,
Eiusque soli filio,
Et sancto laus spiritui
In saeculorum saecula.

Ex cod. reg. vat. 338. *f.* 122. *saec. XI. aut XII.*

XXV. DE ADVENTU DOMINI.

Sol, astra, terra, aequora,
Adventum Dei altissimi,
Prolem excelsi germinis
Dives et inops concrepent.
Olim promissum patribus
Partum puella inclytum,
Natum ante luciferum
Dei potentis filium.
Venturum regni gloriae
Deum regnare regibus,
Hostem calcare improbum,
Mundum sanare languidum.

(1) Agitur de S. Iuliano M. brivatensi, de quo martyrologia ad 28. augusti. Sollerius ad Usuardum sic: *Iulianum brivatensem quanta veneratione prosequantur Arverni, tota Gallia notissimum est.* Ante autem hunc hymnum scribitur in eodem codice praelongus rhythmus de eodem Iuliano, cum mentione S. M. Ferreoli Iuliano contemporalis. Sed quia mutilae membranae sunt, omittendum rhythmum aegre censui, praesertim quia acta vetera S. Iuliani extant apud Labbeum bibl. mss T. II p. 567.

Laetentur simul angeli,
Omnes exultent populi,
Excelsus venit humilis
Salvare quod perierat.
Deus et homo oritur,
Sanctaque regnat Trinitas,
Coaevus patri filius
Terris descendit dominus.
Clament prophetae et populi,
Emmanuel iam prope est.
Mutorum lingua iam sonet,
Claudi in occursum pergite.
Agnus et feria bestia
Simul manducent paleas,
Agnoscat bos et asinus
Iacentem in praesepio.
Signum regale emicans
Sacrum praecedit verticem.
Regali nato nobili
Reges parate munera.
O quam beatum nuntium
Virgo Maria audiit!
Credendo mater prolis fit,
Et nescit virgo virum.
Omnes gentes et insulae
Magnum triumphum plaudite
Cursu cervorum currite,
Redemptor ecce iam venit.
Discant caecorum oculi
Clauso sedentes lumine
Noctis tenebras solvere,
Lumen verum percipere.
Mens Galilaeae caeca!
Credit Persa et Indus,
Dignando Deus homo fit,
Et Verbum cum patre manet.
Laus, honor, virtus, gloria,
Deo patri et filio,
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

XXVI. IN VIGILIA NATIVITATIS, AD MATUTINUM.

Surgentes ad te, Domine,
A tetrae noctis silentio
Vigiliis obsequiis
Patrum sequentes ordinem,
Quem nobis dereliquerunt
Iure . . . . nario
Ministrantes excubiis
Tibi sancte Paraclite
Pari cum patre clare . . .

Cod. vat. 3325. in fine. Scriptura saeculi X. circiter, iudice Fulvio Ursino.

XXVII. RHYTHMUS DE IOSEPH PATRIARCHA.

Ioseph Deo amabilis,
Patri dulcis et habilis,
Puer formosae indolis,
Et gratiae multiplicis,
Omni pollens industria,
Cum fide patriarchica.
Praescire erat commodis
Quaeque fierent caelitus.
Hinc ipsi nova somnia
Caelo promebant sidera
Ad futuri indicia
Ipsi quasi supplicia.
Nec vacat suum fraterni
Quod adorant manipuli.
Norant et ipse fingere
Portentum rei mysticae.
Pater et hoc considerat
Natus dum visa nunciat.
Intentus est auspicio.
Ac si Dei negocio.
Fraternus livor invido
Advertit sed hoc animo.
Iam somniorum pavidus
Ioseph necis fit avidus.
Sichem inde praeter legem
Et Dothaim coexpetunt,
Commorantur in Sicimis
Causa pascendi pecudis.
Ioseph domi residens
Rei privatae providens
Iubetur mox invisere
Cunctane gerant prospere.
Edicto pronus paruit,
Et Hebron vallem transiit.
Docetur ab agricola
Quae tunc depascant gramina.
Nec mora, ut conspiciunt,
En somniator aiunt.
Necem ferte, ut parcat
An iuverint quae somniatur.
Unus sollers consilii
Quod fieret auxilii,
Nefas ait polluere

dd

Fraterno manus sanguine.
Sic culpam vitant sceleris,
Ne criminentur sanguinis.
Sumpto pondo nomismatis,
Sic vendunt Agarrenicis.
Remanserant et spolia,
Talaris id est tunica
Haedi tinguenda sanguine,
Patrem posset quo fallere.
. . . .

Ex codice vat. 3324. saec. X. qui fuit Fulvii Ursini, post Caesaris commentarios, manu recentiore, idest saec. XIII, hic et sequens hymnus sumitur. Erant ibi et alii quatuor, quos omisimus, quia apud cl. Guerangerium editos vidimus.

XXVIII. IN PASCHATE.

Morte Christi celebrata,
  Adest nobis dies grata,
  Comedamus azyma.
Rege victo tenebrarum,
  Ritus perit victimarum,
  Et est Christus victima.
Sacerdotis manus tractat,
  Quem crudelis lictor mactat,
  Et plebs mali conscia.
Morti datur homo Deus,
  Ut resurgat homo reus
  Ad aeterna gaudia.
Mors illius nostra vita,
  Eius morte mors avita
  Iam meretur veniam.
Nunc in illo delectare,
  Qui est bonum singulare.
  Rex apponet gratiam.
Pascha nostrum immolatur,
  Et peccator invitatur
  Ad tergendas maculas.
Morte Christi nos renati
  Properemus invitati,
  Ad caelestes epulas.
Ovis ducta ad macellum
  Nostrum in se tulit bellum
  Ovem quaerens perditam.
Gigas noster hostem stravit,
  Humerisque reportavit
  Ovem sibi redditam.
Qui sub morte tenebantur,
  Vita duce liberantur,
  Nuda gemunt tartara.
Homo gaude sic reductus,
  Consoletur tuos luctus
  Dulci sono cithara.
Sanson ille Gazam vastat,
  Et in montem tutus adstat,
  Secum ferens spolia.
Agnus noster portas fregit
  Infernales, et subegit
  Regna mortis fortia.
Israëlem in Aegypto,
  Pharaone circumscripto,
  Serpens salvat aeneus.
Sponsam suam ab inferno
  Regno locans in superno
  Noster traxit Orpheus.
Eia paschalia recolamus gaudia,
  Nimia laetitia coruscet ecclesia.
Nunc in mensa vitae ducis
  Comedamus cum lactucis
  Carnes agni mysticas.
Toleremus et amara
  Possessuri luce clara
  Mansiones caelicas.
Haec est, inquam, laeta dies,
  Animarum grata quies,
  Et quam fecit Dominus.
Exultemus promissorum
  Quantitatem praemiorum
  Recepturi cominus.
Sit laus Christo resurgenti,
  Deo vero et viventi,
  Per aeterna saecula.
Ea propter mente pia
  Decantemus alleluia
  Cordis voce sedula. Amen.

XXIX. IN REGIS CORONATIONE
(ut videtur.)

Vox pacis aperit telluris gremium,
  Salutis repperit Remis Remigium.
  Iam Petrus exerit utrumque gladium,
  Quo procul aberit incursus hostium.
In unum confluit totus fons gratiae,
  Ros cuius inbuit rus conscientiae.
  Rivum, quem genuit rigor iustitiae,
  Flumen praeterfluit misericordiae.
Patet ad oculum facta translatio.
  Quod per avunculum sororis filio

Cumulum gratiae propinet unctio,
Quod per miraculum datur Remigio.
Flens in miseriis urbs Senonensium
Patebit impiis per hoc divortium.
Patres cum filiis genus egregium
Caedentur gladiis more bidentium.

In codice vat. 3641, *ubi Hymnodia vetus a Francisco Priscianensi castigata, et Iulio Card. Mediceo (qui fuit postea Clemens VII.) missa, hymni sunt aliquot B. Thomasio item incogniti.*

XXX. IN FESTO TRANSFIGURATIONIS DOMINI.

Exultet laudibus sacrata concio,
Caeli agminibus iuncta tripudio,
Pro Verbi gloria qua splendent omnia,
Terra pontus et aethera.
Promissum panditur fratrum de medio,
Patris cum labitur vox de fastigio
Dicens hunc filium doctorem caelicum
Audituque dignissimum.
Succedit in sponsa pro fratris semine
A viro repulsa viribus carente,
Mandante Domino Moysi in monte
Calciamenta solvere.
Speciosus forma pro natis aliis,
Vestitus gloria fit sponsus sanguinis.
O res mirabilis! gubernat omnia
Celsus pauper et humilis.
Te trina deitas unaque poscimus *, * stropha edita.
Sic nos tu visita sicut te colimus.
Per tuas semitas duc nos quo tendimus
Ad laudem quam inhabitas. Amen.

XXXI. DE SS. TRINITATE.

Festi laudes hodierni
Ritu deductas annuo
Cives gaudio superni
Celebrant perpetuo.
Regem trinum dum ter terni
Chori laudant mutuo,
Vita melos, cor supinum
Terni cultus munere.
Venerentur regem trinum
Voce, votis, opere,
Quem lex iubet masculinum
Ter in anno colere.
Singulari maiestati
Decus et imperium,
Sacrosanctae Trinitati
Sit perenne gaudium.
In qua sumus nos beati
Per te Christi * praemium. * ita cod

XXXII. DE TRANSFIGURATIONE DOMINI.

Gaude mater pietatis
In valle gementium,
Pro ducatu dignitatis
Christi regis ovium.
Quo dilecta praedotaris
In culmine montium.
Ubi patres praecellentes
In mortali corpore
Admirantur adsistentes
De tam grandi munere.
Divinum lumen cernentes
In creato lumine.
Quod vertex prophetarum
Percoluit devotius
Moyses lumen praeclarum
Legis datae caelitus,
Et Helias iubar magnum
Zelo Dei fervidus.
Praesentia deitatis
Declaratur provide
In audita voce patris
De superno germine,
Et spiritu veritatis
Forma nubis lucidae.
Genitori genitoque * * stropha edita.
Laus et iubilatio
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio.
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

XXXIII. DE SS. TRINITATE.

In maiestatis solio
Tres sedent in triclinio,
Nam non est consolatio
Perfecta solitario.
Aeternae mentis oculo
Dum pater in se flectitur,
In lucis suae speculo
Imago par exprimitur.
Imaginis consortium
Nativus praebet exitus,
Concorsque spirans gaudium
Ingenitus et genitus.

Hoc gaudium est spiritus
 Quo patri, nato, iungimur;
 Et unum bonum funditus
 In tribus his concluditur.
In tribus est simplicitas,
 Quos non distinguit qualitas,
 Nec obstat tribus unitas,
 Quos ampliat immensitas.
Per solam vim originis
 Communio fit numinis,
 Nativus ductu germinis
 Votivique spiraminis.
Ingenito et genito
 Cum spiritu paraclito
 Honoris simpli debito
 Canamus corde dedito.

XXXIV. AD CHRISTUM.

Novum sidus exoritur
 Christi pia clementia,
 Quo tenebrosa premitur
 Inimici saevitia.
Insurgere cum nititur
 Malignitatis spiritus,
 Ex adverso resistitur
 Praepotenti exercitu.
Roborantur in aciem
 Intuentes signaculum,
 Desudantes militiae
 Ut assequantur bravium.
Pro quo se cunctis obiicit
 Beatum in mysterio
 Christus, et tandem perficit
 Regnans in caeli solio.
Gloria tibi, Domine,
 Potestas et imperium
 Qui certantibus hagie
 Aperte mònstras praemium.

XXXV. AD SS. TRINITATEM.

O lux beata Trinitas
 Tres unum, trium unio,
 Imperialis unitas
 In trium contubernio.
O pater innascibilis,
 Natura semper pullulans,
 Pondus rei vertibilis
 Verbo virtutis baiulans.
O verbum in principio
 Paternae splendor gloriae,
 Tu conditoris ratio,
 Lux cordium, fons veniae.
O amor sancte spiritus
 Concordiae spiraculum!
 Summi dulcoris halitus,
 Pax, foedus, fructus, osculum!
Pater gignit imaginem
 Aequalem sibi penitus,
 Solamque per originem
 Ab ipsis differt spiritus.
Tres unum Deum colimus,
 Unam trium essentiam,
 Tribus unam impendimus
 Honoris reverentiam.

XXXVI. AD CHRISTUM.

O rex aeterne Domine,
 Rex et creator omnium,
 Qui eras ante saecula,
 Semper cum patre filius.
Qui mundi in primordio
 Adam plasmasti hominem,
 Cui tuae imagini
 Vultum dedisti similem.
Quem diabolus decepérat
 Hostis humani generis,
 Cuius tu formam corporis
 Assumere dignatus es.
Ut hominem redimeres
 Quem ante iam plasmaveras,
 Et nos Deo coniungeres
 Per carnis contubernium.
Quem editum ex virgine
 Pavescit omnis anima,
 Per quem et nos resurgere
 Devota mente credimus.
Qui nobis per baptismata
 Donasti indulgentiam,
 Qui tenebamur vinculis
 Ligati conscientiae.
Qui crucem propter hominem
 Suscipere dignatus es,
 Dedisti tuum sanguinem
 Nostrae salutis pretium.
Quaesumus, auctor omnium,
 In hoc paschali gaudio,
 Ab omni mortis impetu
 Tuum defende populum.
Gloria tibi, Domine,
 Qui surrexisti a mortuis,

Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

E schedis vallicellianis Leonis Allatii, M. Antonii Mureti hymnus elegans.

XXXVII. IN NATIVITATE S. IOHANNIS BAPTISTAE.

Sanctorum Soboles sera parentium,
Solis perpetui Prodrome lucifer,
Qui nascens hilaras omnia; dum tuum
Natalem colimus, fave.
Nondum natus eras, cum Dominum tamen
Nondum castae utero Virginis editum
Agnosti exiliens et quatiens novo
Matris viscera gaudio.
Mox et magnanimus tesqua petis puer,
Et victu populos horridus admones,
Factis abstineant turpibus, et viam
Adventanti parent Deo.
O cui voce sua maximus arbiter
Laudem supra homines egregiam dedit,
E caelo adsiduis, quaesumus, adiuva
Cultores precibus tuos.
Simplex aetherii Numinis unitas,
Quae distincta eadem est veraque Trinitas,
Aeternis vigeat semper honoribus
Et terra simul et polo!

Ex codice vat. 1195. *f.* 301. *Poëmatium fortasse S. Damasi PP., ut coniectavimus in praevio monito.*

XXXVIII. INCIPIUNT VERSUS IN NATALI SANCTORUM IOHANNIS ET PAULI.

Nobilis in Roma vixit pulcherrima virgo
Constantina novae praebens spectacula vitae
Omnibus integre qui conversarier optant,
Lurida linquentes veteris contagia vitae.
Haec, inquam, virgo caelesti freta patrono
Contempsit mundum felix cum flore viventem,
Arida ceu paleae proiecta perissima (1) squalent.
Utque magis stupeas rumorem (2) adverte parentum:
Nam pater augustus regnorum sceptra gubernans.
Hic sobolem sanctam miro dilexit amore.
Divitiae (*a*) merito late praeconia cursant.
Quam pater intactam summus sub dote spopondit
Felix virgineis cum iam pubesceret annis:
Namque duci fuerat, quo non praestantior alter,
Regibus exceptis, mundum qui iure gubernant,
Disponsata probo, pactis sponsalibus arrhae.
Sed Deus integram satagens servare puellam,
Satrâpae mentem stimulis compungit acutis,
Funditus ut pompas saecli sprevisset opimas,
Mallet et immunis regi famularier alto,
Deliciis mundi quam opulentis degere dives.
Cui sic evenit miranda salutis origo.
Tempore nam quodam diris exercitus armis
Scythicus adveniens densa stipante caterva,
Hostibus innumeris Thraciam vastabat inertem (*b*).
Tum gener Augusti vallatus milite denso
Moenibus inclusus, mox propugnacula scandit,
Esset ubi (*c*) horrendae crudescens mortis imago,
Et desperatus torperet miles in urbe.
Tunc consul Paulo nec non hortante Iohanne,
Ocius Excelso devotus vota spopondit,
Ut Salvatori reliquum serviret in aevum,
Christicola clarus, delubra vetusta relinquens,
Si populi strages et saeva pericula belli
Protinus auferret solita clementia Christi,
Temperiem reddens discusso turbine belli.
Quae cum dicta forent spondentis voce sequestra,
Extemplo Christi sensit solacia praetor,
Caelicolis superis mox defendentibus urbem,
Aemula dum passim verterunt terga phalanges,
Pace salutiferis populum stipante coronis.
Denique dum voti remeasset compos ad urbem,
Compta triumphorum sortitus labara princeps,
Inclyta Romanis revehens ex orbe tropaea,
Servorum decies quingentos liberat heros,
Hoc est vernarum famulorum milia quinque,
Participes faciens romanis civibus omnes.
Nec petit Augustum pactam sibi reddere sponsam,
Coniugium penitus famosum sponte recusans,
Sprevit opum nodos, mundique reliquit habenas,
Ut pauper Christum miles sequeretur egentem.
Iam factis complens scripturae dicta docentis (*d*):
Vota vovete Deo reddentes debita pacta.
Sic Deus omnipotens famulam dilexit amantem
Vocibus assiduis pulsantem regna tonantis
Ut se servaret castam integritatis amator,
Lurida linquentem scaevi colludia luxus.
Plures nam Christo convertit dogmate turmas,
Exemplo simul et celebri rumore coruscans.
Insuper et pandunt geminae quod forte sorores,
Attica et Artemia praetoris sanguine cretae,
Quem Gallicanum vocitabant saecula prisca,
Praefatas cuius soboles regina monebat
Virgineum castum ut servent gestibus aevum.
Florida quae pariter meruere tropaea pudoris,
Dum mundum linquunt; transacto tempore vitae
Ut fauste properent ad caeli sidera sursum.

(*a*) Cod. *divitc.* Sed *divitia, ae*, in numero singulari non respuitur. — (*b*) Num pro *inermem?* — (*c*) Cod. *ut.* — (*d*) Cod. *dicentis.*

(1) Ita cod. pro *peripsemata,* quo vocabulo utuntur S. Paulus graece, et Tertullianus, ac interpres Pauli vulgatus latine. Poëta tamen noster non sine soloecismo vocabulum scribit.
(2) Scilicet *famam* seu *gloriam*.

In eodem codice vat. 1195. *f.* 210. *in vita S. Georgii martyris sic biographus facit divum poëtice loquentem :*

XXXIX.

Haec ubi perdocuit divino famine sanctus,
Intendens oculos palmasque ad sidera, *dixit:*
Omnipotens dominus, caeli terraeque creator
Iesu Christe Deus, rex regum, summa potestas,
Omnia qui iuste moderas moderamine sancto;
De caelis veniens natus de virgine sacra,
Postquam mille modis miracula sancta dedisti,
In cruce confixus salvasti sanguine mundum.
Inde tuis famulis donasti forte trophaeum,
Daemonicas fraudes per quod confringere possint.
Te rogo Christe Deus, humanae gentis amator,
Daemonis ut huius tu pandas cuncta nefanda,
Ac propriis dictis sua promat facta maligna,
Per quae caecatis propinat tetra venena;
Quo videant populi, te laudent semper in aevum
Teque Deum promant caeli terraeque satorem,
Teque colant semper devoto mentis amore.
Qui cum patre Deus regnas et flamine sancto,
Atque tuum regnum per mundi climata fulget.
Haec ubi dicta dedit martyr precando beatus,
conversus ad statuam ait:
Tu scelerate nimis condignus ignibus atris,
Pessime tu daemon animarum magne seductor,
Tu Deus existis? Nequiter tu praemia spondes.
Hic tibi finis erit, dominus nec ultra voceris,
Sed deiectus eris et deridendus ubique.

In codice 5696. *f.* 278. *b. in vita S. Blasii martyris Agricolaus praeses, visa Martyris constantia, mandat eum, alligato ad collum saxo lacu demergi, cui tamen beatus vir supernatavit, atque ita Deo cecinit.*

XL.

Omnipotens Dominus, quo constat machina mundi,
Qui caelum terramque regis et flumina mitis,
Quo sine nulla vigent caeli terraeque creata,
Te caelum tellus laudet, te pontus in aevum,
Omnis te benedicat homo, veneretur, honoret.
Namque tuis pedibus lapis est lacus ille probatus,
Atque Petrum tua dextra levans statuit super undas,
Et Israhelitae quondam te duce superno
Vestigio sicco peragrarunt *in* mare rubro.
Sit tibi cum patre simul et cum flamine sancto
Gloria, maiestas, virtus, per saecula cuncta.

Theodorici monachi an. 1006. *elegantes hymnos ac versiculos dedimus nos in Spicilegio rom. T. IV. p.* 295-296. *In tomo autem IX. p.* 98. *eiusdem Spicilegii hymnum Roberti regis, ut videtur, de S. Saviniano. Persimiles autem illis Theodorici versiculis videbam alios in vetere codice vat. reg.* 73. *Anselmi monachi de monasterio S. Germani antisiodorensis, qui quidem homo inter Anselmos scriptores iam referendus videbitur, quandoquidem huius mentio biographos, saltem celebriores, fugit. En igitur anselmiani cantici breve specimen.*

XLI.

Est civitas metropolis — Remis dicta praenobilis,
Quam Remus quidam condidit — Qui frater fuit Romuli
Urbis romanae principis. — Huius urbis praecipuae
Et quondam magnae gloriae — Praesul fuit egregius
Magnus olim Remigius. — Qui dum pontifex eligitur,
Ac digne benedicitur, — Dum deest liquor olei,
Quo inungatur pontificis — Sacrum caput a praesule,
Columba volans in aëre — Rostro refert citissimo,
Ampullam plenam oleo — Ore portat mitissimo,
Quo pontifex perungitur — Dignus semper Remigius (1).
Huius festum ergo populus — In calendis octobribus
Dum devotus concelebrat — Tripudiansque advolat,
Inter fideles ceteros — Et in Christo catholicos etc

In codice antiquo sessoriano saeculi ferme XII. habentur Litaniae Sanctorum satis ab iis diversae quae in hodiernis libris leguntur. Incipiunt a sancta Maria, et desinunt in christianas virgines, comprehensis veteris testamenti sanctis viris ab Abel usque ad Malachiam prophetam; quibus subiunguntur apostoli, novique testamenti complures sancti viri ac feminae. Tum his nominibus absolutis, incipiunt eaedem plerumque invocationes poëtico metro sic.

XLII.

Summus et omnipotens Genitor qui cuncta creasti,
  Aeternus Christus filius atque Deus,
Nec non sanctificans dominator Spiritus almus,
  Unica maiestas trinaque sola Dei.
Ipsa Dei genitrix reparatrix inclyta mundi,
  Quae Dominum casto corpore concipiens,
Perpetua radians cum virginitate, *tuere*
  Indignos famulos *sancta* Maria tuos.
Angelici proceres, caelorum exercitus omnis,
  Aeterno semper lumine conspicuus,
Agmine ter trino radians per sidera, regem
  Laudibus aeternum concelebrans Dominum.
Petrus cum Paulo, Thomas cum Bartholomaeo,
  Et Iacobus sanctis nos recreent precibus.
Andreas, Mathias, Barnabas, atque Iohannes,
  Matthaeus, Lucas, Marcus, et Altisonus.
Coetus apostolicus duodeno sidere comptus,
  Cunctos propitius protege nos famulos.
Et quos multiplices lacerant per crimina pestes,
  Peccata absolvens, fac bona cuncta sequi.
Nunc Stephanus, Linus, Clemens, Anacletus, et almus
  Sixtus, Alexander, Corneliusque pius,
Hippolytus, Vitus, Laurentius, atque Modestus,
  Chrysogonusque pius nos miserando iuvent.
Genesi martyr Domini miles quoque fortis,
  Tuque Theoponte regis amice pii.
Nos precibus vestris defendite; namque potestis.
  Credimus experti munera tanta Dei.

(1) Recole carmen suprascriptum n. XXIX, ubi de hoc argumento.

O decus immensum nostrum, lux, gloria, census,
Pax, columen, requies, semita recta, duces,
Ferte gregi curam, patriam prece reddite tutam,
Ne lupus (*a*) incautis vincula nectat eis.
Vos tempestates, vos noxia quaeque fugate,
Non aestus laedant, non pluviae noceant.
Morbos atque famem subitamque repellite mortem,
Quidquid et huic vestro posset obesse loco.
O vos martyrii decorati nomine Christi,
Conspicui veste purpurea proceres,
Qui bello invicti superastis daemonis iram,
Confortate manus vincere mortiferas (*b*).
O venerande pater Silvester, pastor amande,
Mens calet obsequiis invigilare tuis.
Ecclesiam quondam per te qui novimus auctam,
Et synagoga suum perdidit auxilium.
Cum Iudaea suos tibi praefert stulta magistros,
Lege sua cecidit, et veniam petiit.
Abs te sub nodis perstricta fauce draconis
Plebs moribunda suae dona salutis habet (1).
Nunc igitur nostri constrictis faucibus hostis,
Eripe nos mortis casibus et laqueis.
Et nos assiduas tibi dantes cordibus odas,
Causa tui meriti sistat in arce poli.
Adriane, Dei miles fortissime summi,
Nobis nunc famulis auxiliare tuis.
* *cod. nos clare* Nil sic perspicuum poterit vox clara * referre,
Ut decet in tali nunc patris obsequio.
Hic tibi perpetuis resonant nunc cantibus aedes,
Ossibus et sacris semper habetur honor.
Cum laeti famuli celebrant hic festa benigni
Laudibus instantes nocte dieque tuis.
Dirige corda pius, et tempora dirige nostra,
Atque dies laetos ducere da famulis.
Ut semper valeant tibimet cantare quieti,
Teque in caelestis cernere luce poli.
Urbanus, Damasus, Gregorius, Ambrosiusque,
Hilarius, Zeno, maximus atque Leo,
Martinus, Proculus, Caesarius, Eusebiusque,
Orent pro nostris criminibus variis.
Tum confessorum sacer ordo praecipuorum,
Auxilio tutos undique redde tuo.
Atque tuis nostro precibus dimitte reatu
Nos fragiles mundi cladibus omnigenis.
Paulus, et Antonius, Macarius, Arseniusque,
Pachomius, Beda, Attala (2), Paphnutius,
* ita cod. Bertulfus, Libertinus, Ralisius *, atque
Hieronymus doctor nos miserando iuvet.
Summe Dei cultor, monachorum rector et abbas,
O Benedicte sacer, atque benigne pater,
Istud coenobium coetumque tibi famulantum,
Nostraque sanctificans cuncta tuere simul.
Maurus, et Othmarus, Symeon, Gallusque, Columba,
Et simplex Paulus, Hilarionque simul
. . . lentur precibus, vitare queamus ut hostis
Praestigium cauti versutiamque lupi.
O dilecte Dei, radians virtute corusca,
Sancte Anselme pater, iunge preces pariter.
Intercede pius veniam poscendo misellis,
Aureque iam blanda carmina percipiens.
Felicitas, Felix, Eulalia, Digna (3), Serena,
Petronillaque, cum perpete Perpetua,
Agnes, atque Agathe, Christina, Euprepia, Thecla,
Euphemia, Regula, Eugenia atque bona.
Helena, cum Paula, Scholastica, cum Iuliana,
Candida, cum Fusca, Febronia atque pia.
Margarita simul, Domitilla, Caecilia, Flora,
Dent veniam nostris saepe rogando probris.
Virginitate chorus resplendens candidularum,
Turba puellarum integritate nitens.
Quae geminis gaudes pulchre decorata coronis,
Laude pudicitiae martyriique simul.
Omnes nunc sancti nostris succurrite lapsis,
Et veniam cunctis ferte precando malis.
Nam vestris precibus petitis quaecumque rogantes
Annuit ipse pius, nilque negat Dominus.
Pacem perpetuam rogitamus, respice, Christe,
Et sanae vitae gaudia longa diu.
Temperiem caeli tribuens, ut copia frugum
Omnibus habundet ubere laetitiae.
Agne Dei patris, mundi qui crimina tollis,
Optatae pacis munera redde tuis.

Ex codice vat. 150, qui fuit olim Reginae sveciae, saec. XII.

Praecedentibus carmen aliud addam (vel potius eius specimen) haud quidem hymnicum sed historicum de sacro templo hierosolymitano, a Priore Canonicorum, quos ibi Gothofredus ὁ πάνυ constituit scriptum, ad Balduinum regem, cum expostulatione ut reditus seu bona templi eius ab illis qui iniuste detinebant restituerentur. Fuerunt quidem reges Hierosolymorum Balduini quinque, intra duodecimum cuncti saeculum. Videtur tamen loqui de primo Balduino, Gothofredi fratre, Prior poeta; quandoquidem temporibus suis dicit liberatam sanctam urbem fuisse cum templo de Turcarum manibus. Constat hoc poëma versibus 481; sed nos, ut diximus, frusta tantummodo, id est initium et clausulam, ceu praecipui momenti partes, ponemus.

XLIII.

INCIPIT PRAEFATIO IN TRACTATUM CUIUSDAM SAPIENTIS SUPER TEMPLO SALOMONIS.

Bella quidam poetarum descripserunt hominum,
Alii terrarum situs, maris, atque fluminum,
Laudaverunt deos suos opus quidem manuum
Deum verum ignorantes creatorem omnium,
Veritati praeferebant fabulas, mendacium;
Ideoque meruerunt infernum supplicium

(*a*) Cod. *pupus*. — (*b*) Cod. *mortis minas*.

(1) Dictum est in S. Silvestri historia prisca de eius disputatione publica cum Iudaeis, et de necato dracone.
(2) Attalae et Bertulfi vitae sunt apud Bedam.
(3) Prologum ad S. Dignae virginis vitam dedimus nos in Spicil. rom. T. IV. p. 288.

Nos autem illuminati dono sancti Spiritus,
Originalisque culpae liberati nexibus,
Redemptori nostro laudes Deo vero canimus,
Eius donis ut possimus perfrui caelestibus.
Genite Patris etenim cum sancto Spiramine
Illustra cor servi tui claritatis lumine.
Praesta quaeso supplicanti digne posse promere
Regis opus Salomonis quod intendo scribere
Ipsum quoque, cui scribo, mihi fac placabilem,
Omnem nostram sublevare quo velit pauperiem.
Reddi cogat quae ad suam ipsorum perniciem
Templi bona tenent ex quo capta est Hierusalem,
Esse se qui profitentur defensores fidei,
Magis autem comprobantur inimici Domini,
Possem quidem quemque suo denotare nomine;
Locum tamen patienter expecto cum tempore,
Illos Deus ut convertat ad viam iustitiae
Ad te regem successorem David regis inclyti
Clamat gemens et suspirat Prior templi Domini,
Audi preces supplicantis et devoti famuli,
Rex invicte propugnator christiani populi.
Da labenti mihi manum pii more principis,
Ut mundatus a peccatis in conspectu iudicis
Sociari merearis coetibus angelicis,
Quando saeculum per ignem iudicare venerit,
Unicuique daturus iuxta quod promeruit.

EXPLICIT PRAEFATIO, INCIPIT TRACTATUS.

Quantae semper dignitatis templum Dei fuerit,
Qua de causa, quove loco, vel quis hoc fundaverit,
Nullus legens libros regum ignorare poterit etc.

Prosequitur Prior poëta templi vices varias usque ad supremum eius excidium sub Tito. Deinde historiam eiusdem templi iam christiani tangit et concludit.

Templum autem, quod a nobis in praesenti cernitur,
A quo reaedificatum fuerit non legitur.
Quidam a Iustiniano Romanorum principe
Factum putant (1); atque quidam hoc ascribunt Helenae
Matri regis Constantini, quod eodem tempore
Quando crucem requisivit et locum Calvariae
Templum reaedificavit, quod apparet hodie.
Ab Heraclio constructum sunt qui velint dicere,
Quando crucem reportavit interfecto Chosroë.
A quocumque sit constructum templum sanctum Domini,
Fuit, est, et erit usque ad extrema saeculi.
Gratias agamus Deo, qui nostris temporibus
Templum suum cum sepulcro sicut ipsi cernimus,
De Turcorum perfidorum liberavit manibus,
Atque suis excolendum tradidit fidelibus.
Sed adversus eos quiddam graviter conquerimur
Qui eidem templo modo deservire cernimur.
Nam cum bona sua templo sint ab infidelibus
Conservata sicut patet in structuris ipsius;
Neque enim de musivo, sive de marmoribus
Opera tot essent facta intus et exterius,
Nisi de collatis sibi maximis redditibus;
Illud venerari qui deberet amplius,
Rebus suis expoliavit christianus populus.
Verum tu, rex Balduine miles invictissime,
Fac eos qui rapuerunt templo sua reddere
Erit enim sempiternum nobis hoc opprobrium,
Si ruinam patiatur tempore fidelium,
Quod honeste tenuerunt nationes gentium,
Quae tamen ipsius templi non noverunt Dominum.
Dedicatio ter facta diversis temporibus (2)
A Iudaeis fuit sicut dictum est superius.
Facienda Christianis reservatur ultima,
Ut totius anni plene distinguantur tempora.
Fiet enim in aestate, largiente Domino,
Et sollempnitas praeclara christiano populo
In aeternum permanebit illa dedicatio.
Confortare, rex, in Christo, et age viriliter,
Per te Christus hostes suos conteret velociter.

EXPLICIT.

(1) Falsum hoc de Iustiniano; etenim rem non reticuisset Procopius de aed. Iust. lib. V. cap. 9, ubi de eius aedificiis in urbe Hierusalem. Potius perversa narratio est, pro alio templo salomonico in Africa, quod ad christiana sacra convertit Iustinianus, teste Procopio op. cit. lib. VI. 2.

(2) Nempe 1. a Salomone tempore autumni. 2. a Nehemia tempore verno. 3. a Iuda machabaeo hieme, prorsus ut narrat etiam S. Augustinus in sermone vaticano 133. Etenim templi ab Herode restituti non meminit poëta noster (etsi teste Iosepho res est certissima); nominatoque machabaico templo (quamquam ea reapse nonnisi instauratio quaedam fuit) sic concludit: *Hoc, usque ad Salvatoris perduravit tempora*

INDEX RERUM IN VOLUMINE PRIMO.

Prior numerus arabicus sermonem, secundus post virgulam articulum sermonis S. Augustini vel aliorum indicat, numerus romanus secundam partem voluminis denotat, littera p. paginam.

A

B

C

D

E

Superest ut multa Augustini vocabula adnumeremus, quae latinitatem augent: quam nos sedulitatem in cunctis paene editionibus nostris praestitimus; ex quibus demum novum quoque glossarium ante hos annos concinnavimus atque edidimus. Atqui nonnulli, parum fortasse rerum harum periti, hinc volent arguere, nova esse id est recentia illa scripta, quae vocabula nova continent; quae suspicio aut opinio prorsus avia a veritate foret. Quis enim nostris Ciceroni, Frontoni, Gargilio, Symmacho, Victorino, et grammaticis, mythographis etc. non credat, quia tot inaudita vocabula praebuerunt, lexicographis nusquam observata? Multo vero id magis de graecis per nos editis dicendum est, quorum scripta maiore adhuc novitate et copia abundant. Omnino nos experientia diutina compertum habemus, nullum fere novum ex vetustis mss. proferri solere scriptum absque novis vocabulis.

1) Propter hodiernos iconomachos placet heic recitare huius rei explicationem Augustini contra Faustum manichaeum lib. XX. 21. *Non martyribus, sed Deo sacrificamus in memoriis* (id est sepulcris sive altaribus) *martyrum; idque frequentissime facimus, illo dumtaxat ritu, quo sibi Deus sacrificari novi testamenti manifestatione praecepit.*

INDEX NOVORUM PLERUMQUE VOCABULORUM.

Sed multa alia, praesertim e Speculo, congessimus nova vocabula in glossario nostro (Spicil. rom. T. IX.) quod futuri lexicographi necessario inspicient. Sunt autem alia quoque in his afri Augustini sermonibus vocabula, quibus nonnisi afri auctores usi videntur, ut certe in lexicis referuntur, nempe Fronto, Tertullianus, Cyprianus, ipse Augustinus, Apuleius, Capella, Coelius Aurelianus, Commodianus. (In Minucio tamen et Arnobio nihil fere eiusmodi reperiebam.) Vocabula haec, inquam, Augustini loquentis indicia sunt.

Annuntiator, is p. 28. 38.
Baptizator p. 91.
Coaptatio p. 170.
Coenulentus p. 150.
Collaetor, aris p. 182.
Concivis p. 181.
Conregno, as p. 67.
Converto sensu neutro p. 251.
Deificus, a, um p. 182.
Demutatio p. 339.
Devoratio II. p. 58.
Dilector, oris p. 276. 281.
Fructuo, as p. 1.
Ieiunatio p. 345.
Incrassatus p. 343.
Incretus pro *impurus* p. 137.
Indultor p. 288. adn.
Interpolator p. 482.
Lascivitas, tis p. 96.
Obdulco, as p. 2.
Obstipuit pro *obstupuit* p. 98. et alibi.
Oculo, as p. 14.
Peremptrix p. 210.
Praeformo, as p. 50.
Praegnatus, a, um p. 262.
Praenascor p. 209.
Praenunciatio p. 209.
Praeostensus p. 319. 322.
Primordialis p. 207. 485.
Profusor p. 294.
Pullulo, as sensu activo p. 164.
Recursio p. 336.
Resuscitator p. 288.
Revelator p. 295. et 398.
Sepultor, oris p. 197. 300.
Splendico, as p. 140.
Sucus, us II. p. 184.
Tenebrico, as p. 286.
Transpunctus p. 333. (Sic *transpunctio* apud S. Cyprianum ep. 59. p. 265.)
Transvoro p. 89. cum adn.

Omnino mirari licet classicorum auctorum lexicographos, qui quum Augustini, utpote boni auctoris, multa vocabula adsumpserint, multa tamen alia in eiusdem operibus editis non animadverterunt; quod ut heic demonstrarem, longus fortasse indiculus a me conficiendus esset; a quo labore, maiores me curae avocant. Habesis interim hae paucissima.

Circissarius, id est *circi studiosus*, in ps. 39. 8. Habuit aliunde Cangius.
Collimitaneus serm. ed. XLVI. 41. Addatur id unico Solini exemplo.
Duumviralicius, sui municipii duumvir, de cur. ger. pro mortuis n. 15. Confirmatur hinc inscriptio a Forcell. relata. Hinc et in ruinosis urbis Pompeiae apud Neapolim domibus tot parietariae inscriptiones II. VIR, ob honorem scilicet domini duumviralicii.
Expompo, as sensu infami serm. ed. XLV. 8. Merito ergo id posuerat Iohannes de Ianua.
Fito imperativo modo, de quant. animae n. 52. Forcellinus novit *fite*.
Granasco, is serm. ed. CCXXIII. fin.
Indoloria, ae, pro *indolentia*, de mor. eccl. cath. n. 7. Legitur apud Sidonium, qui citat Ciceronem. At Forcellinus frustra sollicitat eam lectionem, quia hanc Augustini adstipulationem non novit.
Litorarius vel litorialis in ps. 135. 7. quo confirmatur unica auctoritas Coelii Aureliani afri.
Oblectanea cogitatio, lib. de perf. iustitiae hominis n. 44. Hactenus in lexicis unica laudabatur inscriptio gruteriana.
Pravicordius in ps. 146. 7.
Staturosus, id est *bona statura praeditus*, enarr. II. 15. in ps. 33. Addatur Forcellino post voc. *statura*. Nam Cangius iam adnotavit.

Archaismi.

Adque, *alio* pro *alii*, *aliqui* pro *aliquis*, *aput*, *capud*, *clodus* pro *claudus*, *condempno*, *deliquid* et similia, *diabulus*. *Ei* pro *i* longa veteres scribebant. *Epistula* est genuina scriptura sicut *adulescens*. *Finctus*, *fili* pro *filii*, *formonsus*, *harena*, *have* pro *ave*, *hii* pro *hi*, *illut*, *iniquitatium*, ut alibi *civitatium*, *inquid*, *inquipiat*, *intellego*, *invecillus* et similia multa *v* pro *b*, et vice versa: *inunguo*, *ipsud*, *istut*, *iuncxit*, et similia, *loquella*, *medella*, *moenera* pro *munera*, *neglego* et *neclego*, *oboedio* et *oboedientia* vel *obaudientia*, *obaudio*, *obauditio*, *plebes* pro *plebs*, *occansio*, *plovit*, *ploat*, *querella*, *quidquid* et *quicquid* variant, *quur*, *siqui* pro *siquis*, *set* pro *sed*, *thensaurizo*, *thensaurus*, *umerus* pro *humerus* (etiam apud Frontonem), *uncxit*, *urgueo*, *uno* pro *uni*, *volumptas*, *tempto* etc.

Pronunciatio rustica praesertim in Speculo.

Ammirabilis, *ammiratio*, *ammissus* pro *admissus*, *ammitto*, *clodus* pro *claudus*, *coram vos*, *devetur*, *disperatio*, *disperatus*, *distingunt*, *domenica*, *elymosina*, *emitari*, *emitatores*, *erundo* pro *hirundo*, *f* pro *ph*, *forsitam*, *fugire*, *gres* pro *grex*, *horrebilis*, *idolatria*, *ienua* pro *genua*, *ingrassatus*, *in toto* (Lact. inst. IV. 1. *in totum*) *in vano*, *lavorans*, *lebrosus*, *litigosus*, *luxoria* pro *luxuria*, *memoravilis*, *mensum* pro *mensium*, *nontiare*, *numinia* in adn. pro *neomenia*, *octuaginta*, *padule* pro *palude*, *provans*, *quindeci*, *reliquiet* pro *relinquet*, *sapiensa*, *senestra* pro *sinistra*, *sescentos*, *sexagenta*, *subrius* pro *sobrius*, *sullevare*, *vendemiare* etc. De quibusdam denique huiusmodi grammaticalibus legatur Augustini epistola III. 5. ubi *fugi* et *fugiri* etc.

Addenda adnotationibus in parte I.

P. 1. Conferatur Augustinus de civ. Dei XIV. 11-26. Item ad serm. 1. ubi de cod. 5758. adnotandum fuit apparere non raro in eius marginibus notas tironianas. Item ad sermonis I. initium ubi elementa rudia praedormisse in sinu Dei dicuntur, conferantur verba Tertulliani de baptismo cap. 3: *aqua unum ex his est, quae ante omnem mundi suggestum, impolita adhuc specie apud Deum quiescebant.*

P. 10. not. 3. Adde duos similis argumenti in cod. laureshamensi, Spicil. rom. T. V. p. 172, nempe 1. *Increpatio contra dolosum et iracundum.* 2. *Increpatio contra eum qui diu iram pectore tenet.*

P. 42. ad serm. XX. 1. adde in notis. Augustinus in ps. 32. enarr. 3. 8: *vicit tot lupos una ovis capta.* Item conf. serm. ed. 64, et Milleloq. T. I. col. 1219.

P. 134. adn. adde: *in codice reginae svecae vat.* 486. *fin. sunt acta antiqua S. Genesii M. arelatensis.*

P. 151. adn. 2. adde: *similiter Augustinus in libro de fide et symbolo* n. 10. *ed. Antuerpiae T. VI. col.* 115.

P. 214. Sermo 103. conferatur etiam cum ed. 315.

P. 226. Sermonem 108. confer cum simili argumento seu titulo in editione vet. paris. T. X. p. 365.

P. 311. Ad serm. 133. adde in adn. *Sermonis huius pauci versus circa initium, recitantur etiam a Beda opp. T. V. col.* 545.

P. 354. Adde adnotationem: *paria ferme dicuntur ab Augustino ep. LV.* 30, *et contra Faustum XXXII.* 12.

P. 428. Adde. *Ex libro XV. de Trinitate dat graeca aliquot excerpta Planudis etiam Arcudius in opusculis aureis p.* 591. *seqq.*

In praefatione nostra p. XIX. v. 3. intellige Rufini, Augustino coaevi, translationem operum aliquot Nazianzeni.

Addenda in parte II.

P. 187. not. 2. Adde authenticum de Audace testimonium Possidii, qui in indiculo cap. 7. memorat S. Augustini epistolam *Audaci grammatico.*

P. 220. *Quam* absque *potius*, adde ipsius Augustini exemplum Retract. II. 6.

Corrigenda in parte I.

Pag. 30. adn. 1. *docet*, corr. *dicit.*

P. 51. v. ult. *narratio*, corr. *enarratio.*

P. 62. v. 12. *optatur* in cod., sed corrige *aptatur.*

P. 62. adn. 2. corr. *id est feretrum.*

P. 64. Dele in marg. *Spicil.* p. 172.

P. 66. adn. v. 2. *ita nobis*, corr. *ii a nobis.*

P. 72. 92. 97. in marg. 1835, corr. 3835. Et p. 130. 131. 3836.

P. 121. adn. col. 2. v. 5. *semine*, corr. *sermone.*

P. 123. v. 18. *etia*, corr. *etiam.*

P. 137. v. 9. Scribendum *mundus immundus*, etsi in cod. non est nisi *mundus.*

P. 141. adn. 2. dele *est.*

P. 150. v. ult. *Hoc*, corr. *hoc.*

P. 154. marg. corr. 4951. Item p. 191.

P. 159. Corrigendi adnotationum numeri 1. 2. 3. Ibidem v. 25. *habebit*, dic interrog. *habebit?*

P. 165. v. 8. a fin. (1), corr. (c).

P. 168. v. 32. corr. *obstructum.*

P. 183. v. 10. *terra*, corr. *terram.*

P. 189. adn. 3. v. 5. corr. *tangere.*

P. 192. v. 21. *crudeles*, ita cod. Sed corrige *credulos.* Alibi quoque in codd. memini me videre *crudelitas* pro *credulitas.*

P. 281. v. 10. *absulit*, corr. *abstulit.*

P. 293. v. 6. a fin. corr. *sapientibus.*

P. 321. v. 13. corr. *ostendebatur.*

P. 324. not. 1. corr. *auditui.*

P. 326. in marg. dic *cod.* 479. Item p. 443.

P. 348. v. 18. abundat alterum *sed.*

P. 351. marg. dic *cod.* 3828.

P. 362. v. 10. a fin. *suosum* corr. *suorum.*

P. 381. v. 4. a fin. corr. DLXII.

Corrigenda in parte II.

P. 23. not. q. *animadverte*, *n.* pro *m.*

P. 38. n. e. corr. *sic* pro *si.*

P. 57. n. 2. σχοῖνος.

P. 72. cap. 64. v. 1. Cod. sessorianus *aut.* Sed melius excerpta veronensia cap. 20. *et.*

P. 86. cap. 89. v. 11. Omnino retinendum *zelus et iracundia.*

P. 130. not. i corr. *paradisus.*

P. 182. v. 20. *mino*, scribe *Domino.*

P. 191. v. 27. *subtente*, corr. *subtento.*

P. 200. v. 22. pro 332. scribe 362.

FINIS.